



12

ANTONII
SANTORELLI
NOLANI,
MEDICI, ET PHILOSOPHI;

ET IN NEAPOLITANO GYMNASIO ANNIS XXXIX.
Professoris primarij Philosophiæ, Theoricæ, & Prax. Medicinæ
Comitis Palatini,

Et in hoc Regno, Regis Benignitate Generalis Protomedici;

ANTEPRAXIS MEDICA;

In qua explicantur Controuersiæ omnes scitu necessariæ Praxim
Medicinæ aggressuris.

PRODIT, TERTIO IN LVCEM EMENDATIOR.



NEAPOLI, Apud Camillum Cauallum. M. DC. LI.

Expensis Caroli de Valle Bibliop. Neap.

STVDIOSIS MEDICAE FACVLTATIS

CAROLVS DE LA VALLE BIBLIOPOLA

Virtutum, & literarum incrementum.



Ntonij Santorelli medicam Antepraxim, emendatiorem, & melioribus Typis exornatam Do vobis, studiosissimi Iuuenes Dedicoque, Vt illam denuò vulgarem, vestra causa factum; Vos.n. continuis expostulationibus ad hoc faciendum impulistis, ne dicã coegistis. Nempe rectè noueratis, quam illa necessaria sit, nedum vtilis ad Medicam Praxim exactè comparandam; neque enim aliam ob causam Antepraxis medica dicta ab Auctore est. Nimirum vt ad domus interiora penetrare non licet, ni primum introducamur in ante cubiculum: haud aliter ad medicam Praxim, nonnisi per Antepraxim via. Quamquam enim non negem, disputationes quasdam à multis agitatas, & lucidatas fuisse, cuiusmodi sunt controuersiæ de morbo, morbiq; generibus, eiusdemq; accidentibus, seu symptomatis: egisse alios, vt Arabes de medicatione vniuersali; debent nihilominus omnes ingenui viri, ante Antonium Santorellum, fuisse nullum, qui illa omnia, quæ ad hanc partem spectabant, collegerit, disposuerit, & vno tomo fuerit summa cum breuitate complexus, qua in re, siquid peccatum esse nonnulli velint; meminerint ijdem, si longum sit iter, quod peragrandum proponitur, ita terreri solitos, vel quam maximè studiosos, vt malint ab incepto desistere, quam eidem insistere: vt mittam præstare magis relegere, quam copia verborum defatigari. Suscipite proinde hilari fronte illam, noctuq; versata diuque, nam si Auctorem non ignoratis, haurietis hinc dubio procul omni vberrimos fructus. Valete, & me quod facitis, amate. Neap. die 16. Nouembris ann. 1651.

IMPRIMATVR.

Gregorius Peccerillus Vic. Gener.

M. Fr. Ioseph de Rubeis Ord. Min. Conu. S. Francisci Eminentiss. & Reuerendiss. Card. Philomar. Theol. & Conf. S. Officij.

Illustrisimo, & Eccellentissimo Signore.

CArlo della Valle supplica V. E. come desidera ristampare le Anteprax. in Medicina del Protomedico Antonio Sãtorello. Per tanto supplica la Eccellenza Sua, che lo possa ristampare, e l'hauerà à gratia. Vt Deus.

Mag. Ar. & M. Doctor Carolus Pignatarus videat, & referat.

Capycius Latro Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 30. Augusti 1651. *Lombardus.*

Excellentissime Domine

ANtonij Santorelli Comitis Palatini, & Regni Generalis Archyatri, opus, quod inscribitur, Antepraxis Medica, attento animo perlegi; & in eo nihil, quod, Regiæ iurisdictioni repugnet, inueni; sed omnia summa doctrina, & eruditione non vulgari referta, annotaui; quapropter Typis dignissimam censeo. Neapoli 23. Nouembris. 1651.

Excellentiæ Tuæ

Addictissimus

Carolus Pignatarus Physiater.

Vidit Reg. Cons. Ioannes Baptista Amendola super reuisione Librorum, specialiter Commiss. delegatus per S. E.

Visa supradicta relatione Imprimatur, & ante publicationem obseruetur Regia Pragm.

Zufia Reg. Caracciolus Reg. Capyc. Lat. Reg. Garcia Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 17. Nouembris 1651. *Lombardus.*

-M. I

INDEX

Librorum, qui in hoc Opere continentur.



INDEX

Capitum, quæ in singulis libris continentur.

INDEX CAPITVM LIB. I.

De morbi natura.

INDEX CAP. LIB. II.

De morbi causis.

INDEX CAP. LIB. III.

De morbi accidentibus, seù symptomatis.

INDEX CAPIT. LIB. IV.

De morborum temporibus.

INDEX CAPIT. LIB. V.

De morborum generibus.

INDEX

Index Capitum, quæ in singulis libris continentur.

INDEX CAP. LIB. VI.

De causis cuiusque generis morbi, & specierum.

INDEX CAP. LIB. VII.

De dignoscendo morbo, seù de signis.

INDEX CAP. LIB. VIII.

De vrinis.

INDEX CAP. LIB. IX.

De pulsibus.

INDEX CAP. LIB. X.

De præuidendis morborum euentibus.

INDEX CAP. LIB. XI.

De præuidendis euentuum modis, seu de crisibus.

INDEX CAP. LIB. XII.

De diebus decretorijs,

INDEX CAP. LIB. XIII.

Monitorum.

INDEX CAP. LIB. XIV.

De morbo abigendo.

Æqua-

INDEX CAP. LIB. XV.

De recta cibi administratione in morbis.

INDEX CAP. LIB. XVI.

De recta potus administratione in morbis.

INDEX CAP. LIB. XVII.

De recta aeris, motus,& quietis, somni, & vigiliæ, animi accidentium administratione in morbis.

INDEX CAP. LIB. XVIII.

De vacuatione.

INDEX CAP. LIB XIX.

De chyrurgia.

A quo-

Index Capitum, quæ in singulis libris continentur.

INDEX CAP. LIB. XX.

De Pharmacia.

INEEX CAP. LIB. XXI.

De recto vsu clysterium, diureticorum, & sudoris.

INDEX CAP. LIB. XXII.

De recta ratione vacuandi per vomitum.

INDEX CAP. LIB. XXIII.

De abigendis morbi generibus, & differentijs.

F I N I S.

I N D E X

Rerum notatu digniorum, quæ in hoc Opere continentur.

P. paginam, C. columnam designat.

A

Breuis

B

Index rerum notatu digniorum.

D

E

Eua-

F

G

H

I



Medi-

Quæ in hoc Opere continentur.

Mor-

Motus,

N

O

P

Phlebo-




Pur-

T

V

Vina

F I N I S.



AD LECTOREM.



VETERI consuetudine receptum est, vt eâ in vestibulo suorum operum præloquantur scriptores, quibus lectorem sibi reddant amicum; ita futurum opinantes, vt incuriosius in eorum vitia animaduertatur, & rectè dicta plus æquo extollantur; quippè in amico conniuet animus, idemq; peruadit inimici latebras lynce acrior, virtutesque quas in amico beneuolentia eruit, liuor in hoste obruit. Apte sanè Plutar. huiusmodi homines, Vulturibus dixit esse simillimos, qui putri nidore capiuntur, pura, & sana non sentiunt, sed vtraq; arripiunt, vtraque laniant. Alijs in more fuit, in ipso vestibulo, adituque operis, veniam precari, enixeq; petere, vt si quæ non artificis statera, sed quadam populari trutina examinata esse videantur, æqui boniq; consulant, currenti scripta calamo, discipulorum precibus in lucem edita, neque tantum temporis suppetisse, vt examinari omnia potuerint. Vtrumque aliquando in alijs probaui: Vtrumq; in re mea improbo, vt nihil è re sua facere arbitrer, qui legentium animos, sic initio demulcent, vt vitia, aut non videant, aut non carpant; enimuerò, vel ex hoste vtilitatem capere, mihi non modo commodum, sed necessarium. Acutè enim vt cætera Æsopus, duplicem cuiq; mortalium è collo suspendit manticam, alteram ante pectus, à tergo alteram: sed in priorem inquit aliena vitia, in posteriorem nostra immittimus, recteq; admonet Catullus.

Non videmus mantica, quod in tergo est.

Sed vt habet Persius,

Præcedenti spectatur mantica tergo.

Quo fit, vt propria ne videat quidem, proindeque opus habet, vel pluribus amicis, qui eum peccantem monendo corrigant, aut acribus inimicis, qui criminando, vitia ante oculos ponant. At quando in hac temporum calamitate, muta est in castigando amicitia, in adulando procax, audienda est nobis ex inimicis veritas. Non minus incommodum, atque inane esse autumo aliud eorum institutum, qui sic initio proloquuntur, vt ab amicis, vel discipulis vim sibi illatam esse asserant, scriptaque illa, non tam à se emissa fateantur, quam ab alijs extorta, conquerantur: futili sanè opera, sedulitate inani; nam si ij, in quorum manus scripta incurrunt, sint probi viri, & humanæ imbecillitatis non ignari, promptã veniam dabunt, si quid sit minus rectè, aut dictum, aut dispositum: Verum tamen si sint liuidi animi deiectique, non desinent obloqui, & æque bona, ac mala obliquo dente depasci: hæc quia mala, bona, quod melius dici potuissent; ea enim est horum hominum conditio, vt alienis laudibus semper obstrepant, semper irascãtur erroribus. Præterquam, quod sciens, volensque incurrerem, reprehensionem M. Catonis, qua Aulum Albinum quondam, non minus verè, quam venustè corripuit.

ripuit.

ripuit. Scripserat Aulus Albinus Romanorum præclara facinora, & scripserat Romanus græcè, id sibi aduenia expeditum fore existimans, si quid parū compositè effluxisset, & minus græcè dictum. Sum homo Romanus, Romæ natus. Cui M. Cato. Næ tu nugator es Aule Albine, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Næ ego ineptus sum, si id tibi condonem; enimuero tunc quis malefactorum veniam mæretur, cum aut imprudenter errauit, aut alterius imperio coactus: Te autem rogo, quis perpulit, vt id committeres, quod antequam faceres, in tua erat potestate ne fieret. Equidem multi facio discipulorum preces, multi etiam amicorum, siue consilia, siue imperia, sed pluris reprehensionem virorum doctorum, ac prudentum, quibus nihil facilè imponas. Quare si roges, quæ me causa ad scribendum induxit, nihil comminiscor, vel effingam.

Macrob. 1. saturn.

Scribendi quæ causa.

Catull.

Quod meas esse aliquid putaui nugas.

Impulit, & illud, quod vt in epulis sic & in scriptis, quædam deteriora esse præstat; nam cum vix duo palati iudicio consentiant, numquam omnes eodem modò conditos cibos appetent. Quare vt nullus est cibus, qui non degustatur, sic dum alius alio scripto capitur, fit vt nihil non legatur.


Cur de hac materia scripserit.

Elegi hanc materiam, quod illius iucunditate affectus in hanc præcipuè incubui. Accessit, quod hæc potissimum tractatio, & ob argumenti difficultatem, & ob eiusdem vtilitatem facili negocio videbatur cæteris omnibus esse præponenda; continet enim vniuersæ praxis medicæ fundamenta, & quemadmodum cum firma hæc sunt, densoque nixa solo, portandis edificijs sunt maximè idonea, ita vbi quis in hac se materia, quasi in solido certoque confirmauerit, altissimam procul dubio excitabit artis medicæ cognitionem. Ea propter vocaui librum hunc Antepraxim, exemplo Arist. quia vt ad Cathegorias non licet ad pellere, ni primum ante prædicamenta quis nouerit, sic ad discendam Praxim medicinæ, hæc ante omnia oportet percepisse; etenim vt nemo potest cælestium corporum e. g. naturam cognitione complecti, ni prius corporis naturalis, & affectiones, & principia in vniuersum cognouerit, sic numquam medicus humanæ valetudinis pestes, & incommoda intelliget, ni primum addiscat, quæ sibi aditum ad peculiaria genera morborum præmuniant; nam qua ratione certi alicuius morbi vim naturamque intelliges, si quid morbus sit non ante didiceris? Qua ratione phrenitim animo complecteris, ni prius quid sit inflammatio mente perceperis? nam si quoties opus fuerit id ipsum repetes, & te, & lectorem crambè repetita occident: sin vno in loco explicanda sunt, quæ cum alijs sunt communia, & doctrinæ, & naturæ ratio postulat, vt in aditu, ac vestibulo tractationis collocentur; sic enim ille philosophorum magister, in physicis principia quædam indagauit, sine quibus nec gigni, nec construi aliquid in rerum natura potest, tum vero ad athomas naturæ species descendit. Quod si hæc omnia debet prænoscere medicus: quo viam sibi sternat ad praxim, morbi in vniuersum naturam, eiusdem genera, & species, signa, euentum, curandi rationem, non iniuria, cum hæc omnia contineat opus istud, medica Antepraxis dicetur. Sed ne proloquio nimium te detineam, Lector, rem aggredior.

Nominis libri ratio.

A N-


SIC ITVR AD ASTRA
ANTONIVS SANTORELLVS, COMES PALATINVS, ET REGIVS PROTHOMEDICVS, ÆTATIS ANNORVM LXX
FACIO DOCLOQVE
CORNV FERIT
CAVETO



QVid vltra Graios, Latiosue concinis Fama Sophos;
Vnum instar omnium meliore tuba canito.
Hic est, si nescis, nescire namque nequis,
ANTONIVS SANTORELLVS
Nolæ ortus, è Bitunto oriundus,
Palatinus Comes, & Regni Generalis Archyater.
Quo in vno, exoptato, quod vis, & inuenies;
Stili candorem, eruditionis elegantiam, docendi acutiem,
dicendi suauitatem, non desiderabis.
Qui Gloriæ tradidit, & Æternitati, quæ Typis commendauit.
Non viuentium modo consuluit saluti, dum de sanitate scripsit,
& Morbo; sed extinctis etiam, quibus Medicinam facere
non est dedignatus.
Innocuum pręfert in Stemmate Taurum, non Europæ
raptorem, sed Sapientiæ vectorem.
Taurum lustrante Sole, floridi Veris gratulamur aduentum.
Nobiliori sub hoc Tauro Autumni fructus, degustamus
suauissimos.
Rosas gestat, non Veneri sacras, sed Mineruæ deuotas, vt præter
oleas, suas etiam virtus, sed innoxias, habeat rosas.
Herculis sagittas minus cautè tractauerat Chyron, & læthali
contracto veneno, facto herbis nomine, è viuis in sa-
gittarium secessit.
Ne superbiat Antiquitas, maius aliquid tempus habet.
E Cœlis huic sese stemmati Taurus inseruit, digniori famulatu-
rus soli, Qui instantis fati necessitatem retardare, & La-
chesis infringere chalybem, nouit.
Desinat iam Nolæ Sanazarius imprecari, noluerit Magnis,
quod placuisse Viris.
Maximum quando progenuit Nola Virum.
Cui
Carolus Pignatarus Phylomusus Parthœnopeus
Encomium hoc
Sin minus ex Voto, ex Animo
D. D.

D. Leonardi Martenæ Lyciensis S.T.D.

In Authoris laudem.

Corpore præcinctus bis septem splenduit astris;
Syderea gemino, Thessalus arce senex.
Phylliriden sileat rutilantem, sacra Poesis,
Et quem deuexit fabula ad astra virum:
Hùc, hùc, Aonides Sacro properate sorores
E cliuo, & properes Delphice Diue simul.
Centauri inuento celebris nam Thessalus heros
Extitit; hoc tantùm nomine clarus erat.
Bis micet haud septem stellis ANTONIVS: arte
At vestra auricomo sole coruscus eat.
Nouit hic immanis truculenta eludere fati
Spicula; & hic nouit perdomuisse necem.
Arma paret Libitina; neces ANTONIVS arcet;
Pellit seu morbos, pellere siuè docet.
Hic fugientem animam, properantibus vndique fatis;
Sistere, & hic vnus sistere fata. Valet.

LECTORI BENEVOLO

FRANCISCVS CAPHARVS NEAPOLITANVS AR. ET M. D. S. P. D.



Lura essent (Erudite Lector) argumenta, quibus hoc opus tibi possem commendare; sed cæteris posthabitis, vnum tantum, quod tamen sit instar omnium, afferre proposui, ab Auctoris scilicet fama, deductum. Is ergo est Antonius Santorellus Nolæ genere non obscuro, honestisque parentibus, natus; si vero generis originem expetas, Bitunto Apuliæ Vrbi, illa refertur. Vix inter Infantes desijt enumerari, cum humanioribus operam nauans litteris prægandis ingenij dedit argumenta, mira siquidem dexteritate, quæ à Præceptoribus tradebantur, apprehendebat, & celerrimè percepta, tenaciter seruabat. Tanta perinde floruit eruditione, vt Rethoris loco suffectus in Publico Neapolitano Archygymnasio Excellentissimo Lemensium Comite, eiusque Vxore decorato, Vtroque adstante Senatu, & Lectissimis quibusque accurrentibus, non sine omnium plausu, & admiratione, absolutissimam de ornamento à Sapientia comparando, orationem habuerit. Eamdem patefecit eruditionem in Postpraxi, seù de medicando Defuncto, concinna dissertatione, qua in re, non solum eruditus præfulget, dum Antiquorum examinat ritus, Gentium inquirit mores, & Poetarum inuenta perpendit, verum etiam pietate enitet non vulgari, extinctis faciens Medicinam. Ab arte, qua imbui solet ætas tenerior, ad nobiliores, pedem transtulit disciplinas, Philosophiam imprimis, deinde è Lycei egressus deambulacro, ad Medicinã se transtulit; in vtraque quantum profecerit, nemò non nouit, præsertim Neapolitana Academia, quæ fere ephebum, & tunc primo doctoratus laurea exornatum Antonium, Medicæ Praxi docendæ, vidit cooptatum. Vix per tres annos eo functus est muneris, quinctus ætatis nondum absoluto lustro, quando Excellentissimus Lemensium Comes, huius tunc temporis Regni Prorex, ad Theoricam euocauit à Praxi, habita prius, vt moris est, cum Aduersarijs disputatione, & lectissimorum Iudicum concurrente suffragio. A Medico negotio, Excellentissimi Oxunensium Ducis iussu, ad Philosophiam edocendam se conuertit. Inde ab Eminentissimo Cardinale Zappata ad Medicinæ denuo Theoricam accersitur; quod cum parum æque factum nonnulli expostularent, ijs congredi facta est iterum facultas, congredi tamen non sunt ausi; & solo tunc vicit Antonius nomine, cum non multo antea in arenam descendens plures superasset Antagonistas. Sic se res habebat, cum vbique audita Antonij fama, Celebriores quæq; Italorum Academiæ illum summopere exoptarunt. Repetitas, in hunc finem preces, non prætermisere Messanenses. Serenissimus Ætruriæ Magnus Dux, Pisarum obtulit suggestum, hominis admiratus sapientiã, quẽ Excellentissimo Comite de Monterey iubente, ad florentissimã explorandã Vrbem Florentiam, num in eam lues, intermala teterrimum, grassaretur adhuc, venientem, humanissimè exceperat, augurio sanè fælici, tali dũ aduentu, vel fugata lues est, nota vel infami Ciuitas vendicata. Eumdem lapidem Patauinæ Academiæ Moderatores mouerunt, vt Magistro decorarentur Antonio. Omnium maximè Bononiam peruaserat tanti Viri fama, quem Eminentissimi titulo accersitum voluere, eius Magistratus, & quasi proprijs nõ fiderent viribus, Cardina-

dina-

dinalis Boncompagni Bononienſis, Neapolitanæ Eccleſiæ tunc Hyerarchæ, auctoritatem interpoſuere; qui vt Patriæ parenti optimæ, conciuibuſq; ſuis morem gereret, multum conferret æmolumenti, enixè ſe adhibuit, vt Bononiam docentem, vt aiunt, doctum adiret Antonius. Maiori nunc præfulget gloria. Excellentiſſimus nuper Innicus de Gueuara, & Taſſis, Comes de Onatte, qui Regias modo tam ſtrenuè ſubſtinet in hoc Regno Vices, vt populari ſedata ſeditione, & ciuili compoſita concordia, pacis, belliquе Arbitrum ſe palam fecit, vnde pæne nutantis eodem in Regno Hiſpani Orbem Imperij, non fictus Mauritanus Atlas, qua conſilio, qua opere, vel ſubſtinuit, vel reſtituit, primariam Medicæ Praxis Cathedram Antonio Medico cubiculario, tamquam omnium lectiſſimo, volens, lubenſque tradidit moderandam. Nec dignitate elucet minori, Regis namq; benignitate Generalis electus eſt Archyater; Excellentiſſimus enim Don Beltranus de Gueuara, cum Atlantis, ſeù Fratris, alter veluti Alcides, pondus torqueret, dum ille in Longonenſi expeditione, vt pacem, quam Terris dederat, in Mari firmaret, inuicta expugnata Arce, hoſte triumphato, victoria parta, rem Italiæ, non cunctando, ſed properando, reſtituebat; Medicis omnibus Antonium præfecit. quo vix audito apud Catholicæ Maieſtatis Senatum ampliſsimum, eodem munere decorandum, decreto Sancitum, & publico diplomate confirmatum eſt. In Medicina vero facienda quantum valeat, cum vnuſquiſque abundè nouerit, pluribus dicere, libenter omitto. quocirca non modo in docendo, ſed faciendo celebris extat Antonius; iure propterea dicendus magnus, cum fecerit, & docuerit. En cuius Viri Lector habes, Cleantis lucernam redolentes, lydioque probatas lapide lucubrationes, in quibus, qua delectere, qua doceare, deſiderabilis nihil. Illis interim fuere, & alia propediem expecta. Vale.

ANTEPRAXIS MEDICAE LIBER PRIMVS. DE MORBI NATVRA.

Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



QVICVMQVE ad praxim medicam rectè faciendam contendit, multa debet prænosse, quæ si ignoret, aut nunquam licebit ad illam adpellere, aut nunquam perfectè assequetur. Habet inter hæc præcipuum locum naturá morbi. Quare cum illud sit huius operis propositum sternere nimirum viam ad praxim; primam huius operis partem disputatio de morbi natura vindicabit. Quoniam verò, non nisi ex diffinitione haberi id potest, hæc non nisi explorato genere, & differentia, à morbi genere propter hanc rationem auspicabimur.

Quodnam morbi genus, aliorum sententia. Cap. II.

Omnes morbum dispositionem præter naturam esse docent.

IN re hac est vnum, quod omnes fatentur, est aliud controuersum. Cum sit cuique compertum, tunc quempiam rectè valere, cum operationes omnes citra noxam obit, tunc ægrotare, cum aliquam nullo modo exercet, aut non rectè, inferunt, sanitatem alterum duorum esse, aut bonam operationem, aut potentiam ad benè operandum: morbum, aut operationem oblæsam, aut potentiæ benè operãtis oblæsionem: Cumq; habeant exploratum, non esse sanitatem actionem bonam, siquidem vt Galen. ait l. de diff. morb. 2. *& dormientes, aut alioquin in otio, & tenebris degentes, aut sæpè discumbentes, neque vlla corporis parte mouemur, neque alicuius rei extrinsecæ sensum habemus, & tamen sanè sumus*, sanitatem non operatione, sed potentia diffiniunt: ac propterea, vt sanitatem potentiam ad bene operandum, sic morbum impotentiam quandam ad benè operandum concludunt esse: Et vt sanitatem dispositionem bonam, & constitutionem naturalem appellant, sic morbum malam dispositionem, & constitutionem præter naturam vocant. Quid tamen sit ista dispositio, seù constitutio, siuè impotentia (voces vt lubet) an quid positiuum an negatiuum: num qualitas, aut substantia, an per varia rerum genera, tamquam transcendens vagetur; hoc est apud eosdem controuersum.

Quid tamen sit hæc dispositio controuertunt.

Sunt qui morbi genus in qualitate reponunt; proindè ita morbum diffiniunt. Est morbus qualitas præter naturam primo, & per se lædens actiones: ita Valles. 1. controuers. cap. 1. Capiu. 6. suæ praxis Mercat. & est ferè cõmunis omnium Medicorum sententia, quam suadent auctoritate, & ratione: illa quidem, nam lib. de differ. morborum 2. est inquit, *morbus constitutio præter naturam, quam si dispositionem præter naturam dixeris cum eo quod nomine fueris vsus antiquo, idem quoque significabis*: at est dispositio qualitas Quaræ, & morbus. Addunt rationes, ac pri-

Nam multi qualitatem esse volunt.

mum inquiunt,contraria in eodem genere reponi debere.quare cum sanitas sit in genere qualitatis auctore Arist. morbus pariter qualitas erit. Quod ni ità sit,vel erit in prædicamento quantitatis, aut substantiæ,aut relationis. at nihil horum esse potest,nam curatio fit cōtrario oblato morbo: nullum at habet contrarium quantitas,substantia,vel relatio:neque est hæc quid permanens, quod morbus requirit. Addunt demum,morbus actiones oblædit:at sola qualitas lædendi vim habet. Quare erit morbus qualitas.

Tametsi alij in prima specie reponunt.

Sed licet hi vnanimiter doceant, morbum esse in qualitatis prædicamento, litigant postea,dum vlterius quærunt,quæ species qualitatis existat. Quidā vt Vallef.Com.Mont.Mercat.& alij in prima specie reponunt,quia est dispositio. in prima alij,& secunda; quin etiam addunt vagari,nec certo in genere locari posse, ità Capiu.lib.6. praxis medicæ cap.5. ad cuius explicationem ponit, quod quemadmodum ad bonam actionem edendam, tria concurrunt,facultas,suppositum, & instrumentum, quod triplex temperies, compositio,& vnitas, & hæc omnia bene habere se debent, vt bona fiat actio, sic tribus cōnstat morbus, facultatis læsione,suppositi,& instrumenti, cum hoc tamen discrimine, quod ad constituendam sanitatem,necesse est, vt facultas suppositum, & vnumquodque instrumentum benè se habeant: at morbū inferendum satis est vnitatis,vel formationis,aut tēperiei,vna cum facultate,& supposito læsio.Concurrentibus ergò tribus ad morbi constitutionem, vitio facultatis, suppositi, & instrumenti, potest tripliciter morbus diffiniri: in ordine ad facultatē, & erit impotentia agendi, & ita qualitas secundæ speciei: in ordine ad suppositū, & erit dispositio præter naturam lędens operationes.& ità in prima specie: in ordine ad instrumentum,& erit constitutio præter naturam, quæ cum ad certum genus reuocari nequeat, vagabitur, vt sic morbus.

Alij in prima, & secunda.

Quidam in tertia,& quarta.

Alij tertio,in tertia, & quarta specie qualitatis reponūt morbum: in quarta, quia dantur morbi in mala figura;in tertia, quia sunt alij passibiles qualitates, vt pallidus color corneæ. Cæterum quia viderant ijdē passim Gal.dicere,dari morbum in quantitate,situ, figura leni, & aspera, respondent non esse quantitatem vitiatam morbum,sed modum illum naturæ dissentaneum, qui ex quantitate vitiata resultat: & de calore exemplificans Vallef. *Calor,inquit, vt calor, passio est, seu passibilis qualitas: sed cum huic accidit esse præter naturam, quia illo corpus præter naturam disponitur, dispositio præter naturam est morbus.*

Nullo alij genere collocarunt.

Quod cum alijs nullo modo arriderет,alia digressi via dixere, cum morbus sit quidquid vitiat per se actiones, idque fieri possit à substantia, qualitate, quantitate,morbum inferunt esse, quandoque substantiam,alias qualitatem, interdum quantitatem. Huius sententiæ est Tur.3. art.med.59. Probatque, quia morbus est compositio,at compositio est vnio,vnum cum ente conuertitur. Quare, aut erit morbus quid transcendens, aut quando compositio est quidam situs, erit omnis ægritudo in genere situs. A Tur. non videtur discrepare Gent.nam 1. 1. doctr.1. cap. 2. ponit sanitatem ad varia genera pertinere: quamobrem cum nullus ponat morbum in vno genere,in alio sanitatem,si est hæc in varijs generibus rerum, erit quoq; & morbus. Sed expresse profitetur eamdem Fuch. Ne tamen à Galen. videretur recedere, qui vbique statuit morbum esse dispositionem,subdit aliter dispositionis nomen vsurpasse Galenum, aliter Ar.nam hic voluit esse qualitatem: Gal. ad varia genera pertinere autumauit.

Certo alij reposuere in prædicamento, sed relationis.

Alij dedecere arbitrati morbum hoc pacto vagari, & angustis propterea volentes ipsum cancellis concludere, relationem esse autumarunt; quia sanitas pariter est relatio, qua ratione ad sanitatem non esse motum 7.phys.cap.a.est scriptū. Putant ergò non esse immodicum calorem febrem, sed intemperiem à calore productam, nec vitiatam quantitatem morbum, sed ametriam à vitiata quantitate inductam, id morbum esse docent. Huius sententiæ est Argenterius,Christ. Auega 3. art. med. cap. 1. 1.cap.1. de diff. feb & lib.de vrinis,in quem acriter inuehitur, vt sui est moris Vallef.

Alij demum in relatione, & qualitate locarunt.

Alij demū,& est sententia Com. Mont. 1.lib. de morb. cap.11. & relationem, & qualitatem morbum esse putarunt: quo autem modo in duobus prædicamentis existat,non declarauit, quod silentio obuoluendum non erat, nam plurimum refert dicere,in quo est per se,in quo reductiuè.

Examinantur adductæ sententiæ, & propria affertur. Cap. III.

Nos in nullo prædicamento rectè ponimus, quia est morbus mere priuatio.

Harum opinionum,secunda quidem est admodum medica; nam cum sit Medicus artifex sensatus, id morbum cōmunirer vocat, à quo lædi actiones sensus iudicat, ac propterea esse extrudendum: vndè cum debeat, quandoque expelli qualitas,interdum quantitas, quandoque substantia, videtur pro more Medicorum loquuti,qui morbum,modo esse substantiam rentur, modo quantitatem, nunc qualitatem. Qui dispositionem esse autumarunt, relationem, aut vtrumque, videntur magis physicè de re hac disputasse;nempè cum noscerent calorem,non

qua

qua prima qualitas est actiones turbare, sed qua praue corpus disponit, aut ametriam infert, idemque intelligerent de quantitate quauis, & substantia, dispositionem prauam, aut ametriam morbum esse dixere. Æque tamen displicent, quod morbum positiuum quid esse ponunt (vt mittam peculiarem errorem Capiu. qui in morbi constitutione desiderat læsionē facultatis instrumenti, & suppositi, cum ad destruendum, vnum tantum sit satis) & licet sciam difficile esse magnos viros reprehendere, à communi via recedere, discriminis plenum; audebo tamen dicere morbum nullo in prædicamento directè contineri: non quia transcēdentium more per multa vagetur: nec quia ita illimitata est vis eius, nullo vt certo genere concludi possit, sed quoniam nullam habet morbus realem entitatem.

Id de morbis per consensum, vel ex aliorum sensu negatio verū.

Vnde quemadmodum negationes, nullo in prædicamento collocantur rectè, sic nullibi censeo morbum reponi debere, quia morbus formaliter mera est sanitatis carentia. Possem id suadere Aristot. auctoritate, qui cap. de op statuit, visum, & cœcitatem priuatiuè opponi. Proponerem ante oculos morbos per consensum, vocatos à Medicis, qui cum ex solo spiritus animalis defectu exempli gratia fiant, vt cum infernæ partes motu destituuntur, & sensu, cerebri vitio, nihil positiuum includere, est certissimum: quia tamen quidam proteruiendo possent dicere, visum, prout est actio videndi opponi cœcitati priuatiuè, non quatenus est facultas videndi: morbos per consensum nō esse verè morbos, vt c. 3. 1. de loc. aff. ac proptereà nihil esse, vt Garbus 1. de diff. feb. digress. 2. conclus. 2. verè morbos habere entitatem realem, & positiuam:

De ijs, qui per essentiā, probat ratio.

proptereà, vt cominus pugnemus, & pedem cum pede, manum cum manu conferamus, verè morbos nihil esse monstremus: ac primum; nulli dubium est, solutam vnitatem esse verè morbum, non solutionem continui, nam cum sit illa motus, qui totum suū esse in fieri habet, morbus esse non potest: est pariter morbus quantitas imminuta, numerique defectus: at hę omnes negationes, vt est manifestum. Ergo erit morbus negatio.

Nam soluta vnitas quantitasque deficiens nihil sunt, & tamē morbi.

Hic clamant aduersarij, dicuntque, non esse quantitatem imminutam, aut vnitatem solutam, morbum, sed dispositionē, quæ hos defectus cōsequitur: quod multas ob causas falsum, ac primum, quia non potest realis qualitas, cuiusmodi est dispositio, à diminuto numero, aut vnione soluta produci: secūdo, quia esto posset, non erit dispositio formaliter morbus, sed in illa negatione consistet. Non posse patet, quia dispositio, quam qualitatem esse ponit Philosophus, non potest alicubi induci, ni passio in dicta parte præcedat; est enim dispositio positio, aut

Nec valet, quod quidam ad fugam dicunt non esse, aut vnitatem solutam, aut defectum magnitudinis morbum, sed dispositionem, quæ sequitur.

ex positionibus constat, vt ait Simp. quia à passionibus ad dispositionē mouemur: & Gal. 2. de hum. 26. *Summatim, ait, dispositio idem est, ac poni, & differt pathema à dispositione motu, cessante enim quod alterat, alteratio, quæ in eo, quod perpessum est permanet eius, quod perpessum est, dispositio est.* At numerus imminutus, aut soluta vnitas nullam agendi vim habet, nam non entia quate, &c. Nec argumenti vis eneruatur, si quis dicat dispositionem non produci vera, & reali effectione, sed resultantia quadam, non secus ac figura ab artifice per motum producitur resultantia quadam, siquidem motus ille ad vbi terminatur; nam quamquam non me lateat multas qualitates hoc modo produci, hac enim via motus producit calorē, artifex figuram quamcumque, si tamen harum qualitatum exortum contemplemur, intelligemus facilè, nec per resultantiam dispositionem posse à soluta vnitate, numeroque imminuto produci: siquidem qualitates illæ, quæ naturali sequela producuntur, sequuntur ad positionem rei positiuæ, & realis, cuiusmodi non est soluta vnitas, aut morbus in numero imminuto. Hinc fit, ne possit sequi ad vbi, quod est terminus solutionis continui, & causæ imminuentis quātitatem, nam cum vbi minimam habeat entitatē, non potest ex ipso dispositio realis resultare: vnde quotquot in hanc vsque diem scripsere, ij omnes docent, aut nihil reale in mobili produci per motum localē, aut modum dumtaxat, nempè vbi. vide Ar. 8. phys. 59. Prætereà si id faciat, causa morbi erit, non formaliter morbus, vnde esset secundo à dispositione illa, indicatio curatiua sumenda, non à quantitate imminuta, vt aduersarij putant.

Non enim fieri potest, vt docet natura dispositionis.

Nec resultantiam ex soluta vnitate, quæ est negatio, non potest qualitas positiua resultare, nec ex solutione, quia ex motu locali, aut modus tantū, aut nihil reale producitur in mobili.

Proptereà dicunt alij, & rectius, nec dispositionem esse effectum morbi, nec morbum, prout est quid diuersum à substantia: sed afferunt lapidem e. g. vesicæ, morbum esse, non qua substantia est, & alteri non adhęret, nec quantitas aucta, aut imminuta qua quantitas, sed sub alio conceptu, nimirum quia praue disponūt. At liceat modo ab illis petere, hæc magnitudo imminuta, prout praue disponit, producit ne quid reale à se distinctū in corpore, an nihil: si nihil produci doceant, ergò quantitas, prout est imminuta morbus erit, nam nil aliud addit. Nō est, quod dicant primum, nam iam mostratum nullo pacto id posse à quantitate procedere.

Prętereà causa mali esset, non morbus.

Multo magis inanis est solutio eorum qui dicūt defectum quantitatis, prout male disponit esse morbum.

Dices quantitatem imminutam, prout praue disponit addere aliquid supra quātitatem, non tamen illud produci à quātitate, nam nullam agendi vim habet, sed ab eadem & causa, quæ quantitatem imminuit, aut continuitatem ademit. Dic proindè, imminuta quantitas sub hoc cōceptu formali quantitatis, non vt praue

disponit, non ne est quid præter naturã? Quid ergo erit? Non aliud certè, quàm morbus: at hęc priuatio est. Quare & morbus priuatio erit. Constituatur nam ex hypothesi tollatur calor, immutata aliarum qualitatũ harmonia, ad huc actiones vitiabuntur, quemadmodum vbi os à sede recedat sua, etiam si nulla fiat dispositio noua, lędetur actio, eademque probè fiet restituto osse, quamquam nulla alia qualitas producatur. Morbi ergò natura in vna priuatione symmetriæ quatuor qualitatum, aut bonę constitutionis partium organicarum consistet: Nec id admirare verendum, quia à priuatione ad habitum non datur regressus, de ea enim priuatione est hoc verum, quę habitum omnimodo ademit. Cęterum quia priuatio, habitus est priuatio, cuius nam priuatio sit morbus, declarandum.

Nam atque vt sic aliquid addat positiuum.

Quod confirmatur secunda principaliter in morbo in intemperie, & situ mutato.

Cuius nam priuatio sit morbus, & an præter naturam. Cap. IV.

Est morbus sanitatis priuatio.

VIdimus, quod nam genus morbi, agendum modo de eiusdem differentijs; ita enim elicietur morbi definitio, & eius consequenter natura dilucidabitur. Ergo quando priuationem esse constat, examinemus cuius nam est priuatio, nam hac via consequemur propositum Sanitatis priuationem esse; nulli dubium: hanc potentiam secũdum naturam ad benè operandum, Physici esse autumarunt: Medici quòd per causam definiunt, & omnia ad actũ curandi dirigunt, proportionem quandã qualitatum, & membrorum agẽtem. Quare erit ex omnium sententia morbus, impotentia præter naturam ad benè operãdum, ex improportione qualitatum, aut partium profecta. Quid sit impotentiæ nomine intelligendum, ex dictis constat; nam cum sit statutum, morbum nil positiuum includere, nulli dubium esse potest, ne impotentiæ nomine, secundam speciem qualitatis intelligamus, nam hęc realis est entitas, & positiua: Intelligemus itaque priuationem potentiæ. At quoniam quid sit ly preter naturam, non admodum cõstat, hoc declarandum, quod fiet declarato quid sit secũdum naturam, nam rectum index sui, & obliqui. Scripsit 2. physic Philosophus tex. 5. *secũdum naturam autem sunt hæc*, nempè quæ habent naturam, nam de his erat loquutus, *& quæcumq; his secundum se insunt, vt igni ferri sursum*. At verò naturalia composita, & passiones naturales (hæ enim secũdum se insunt) hac re conueniunt, quod à natura procedunt, & ab eadem intenduntur: Quare erunt secundum naturam, effectus quicumque per se ab ipsa profecti: cumque Natura semper in illud intendat, vt proprium tueatur subiectum cõseruetque, rectè dixit Simpl. & Philop.

Quare impotentia ad bene operandum.

Non ea quæ est qualitas & naturalis, sed priuatio, est: præter naturam, vt patet ex explicatione huius vocis.

Quid secundum naturã.

l. 3. phys. secundum naturam esse perfectiones quascumque subiecti, vt igni ferri sursum graui delabi, discurrere homini: ac demum cum per se, & de omni conuertantur, naturaque ad vnum sit terminata, intendet semper natura proprium subiectum perficere, ni sit, quod ipsam distrahat, perturbetque. Vide 6. de plac. c. 1. Præter naturam ergò erit, quod per se à natura nequaquam procedit, non ipsam perficit, non ab eadem intẽditur, sed præter eius votum, mentemque irrepit. Hinc 4. de generat. anim. 3. femina quodam modo monstrum vocatur *discessit enim natura ex proprio genere, corrupitquè degenerare*, cuius eam subdit cap. 6. rationem, *quia sunt fæminæ natura sua debiliores, frigidioresque, & sexum fæmineum, quasi læsionem naturalem, & detrimentum putandum est*. Hæc si apud Philop. & Simp. Argent. legisset, nequaquam Peripateticos esset reprehendere ausus, quod nihil de re ista scripsissent; nec statuisset idem, præter naturam esse, quod aut materiam non seruat, aut non habet formam, quæ sunt naturæ: nam neque formam habet sanitas, nec materiam, & tamen est secundum naturam. Non autumasset 3. Galenum eam ob causam dixisse, lapidem vesicę, ac renũ, morbum esse toto genere præter naturã, quia nec materiam habet, nec formam animalis; enim vero, nec fæces hanc habent, non bilis excrementitia, aut melancholiã, nec sunt proptercà toto genere præter naturam. Ita dictũ crederem, quia non lædit quantitate, qualitate prima, aut secũda, sed suo genere, nãque quęuis species lapidis, quamuis quãtitate qualitate est quid præter naturam, secus ac alia.

Quid præter naturam. Reprehenditur Arg.

Nec demum in Aristotile hęc, & alia desiderasset: nam explicato vno contrariorum, reliquum innotescit. Quare colligere facilè poterat, quid sit præter naturam ex ijs, quæ dixerat de ijs, quę secundum naturam. Cæterum si id est præter naturam, quod mox dictum à nobis, cũ morbi omnes nos destruant, & ab externis causis inferantur, erunt morbi omnes præter naturam; Nam quamquam caro multa, & pinguedo à natura, ab eadem caruncula, in virga vrinaria, caro adaucta in vlceribus, lapis, mors, & vt Galen. scripsit 6. de loc. affect. 5. venenum, nam multi hoc gignunt: non sunt tamen ab illa per se, sed per accidens; equidem caro multa, & pinguedo, à multo alimento potuquè; alimenti vitio venenum, vnde scripsit ibidẽ Galen. si quis optimi habitus, & optimis alimentis nutritus moriatur repentè; porrecto mori veneno, non intus genito. Eodẽ referre est ortu lapilli, & si quid est in nobis, quod illius generationi cõducit, aut intemperies erit, aut mala formatio.

Difficultatis dictio.

Obiectio.

Sol.

Quomodo morbi omnes sunt præter naturam.

Sed quamquam morbi quiq; sint præter naturam, ita dicuntur, quoniam repugnant formę: si materiam inspicias, nullã al-

alterationem præter naturam dixeris; nõ calorem in aqua inductum, non siccitatẽ aëri impressam; ab his enim materia ad nouam formam disponitur: at hoc eius votum, huc adspirat, nempe vt aliam formam, & aliam continuò suscipiat. Vnde rectè scriptum à multis est, differentiam motus in naturalem, & violentum simpliciter, in locali dumtaxat habere locum, nam quamquam multoties lapis sursum proijciatur, non disponitur propterea materia lapidis, vt nouam formã suscipiat. Erunt ergò morbi præter naturam, quæ dicitur forma, siquidem in hoc illa contendit, vt eã quibus præest, rectè obeant proprias functiones, nec quicquam est illi magis aduersum, quam quod est otiosum.

Corollarium. Hinc cum non quæuis forma eandem numero harmoniam qualitatum exposcat, sed alia desideret aliam, est quædam improportio vni morbus, quæ alteri erit, quam maximè accommodata. Vide Gal. lib. ar. med. cap. 82. Demum, quia & hæc priuatio est multiplex, enucleandum magis, quæ nam sit morbus; sequenti tamen cap. ne hoc nimis excrescat.

Quæ priuatio præter naturam est morbus. Cap. V.

Priuationis quinq; significata. SCripsit Arist. 5. met. 22. Priuationem quatuor modis sumi, pro eius formæ carentia, quam aliquis erat aptus habere, quatenus entis rationem participat, qua ratione planta cæca dicitur, quatenus visu caret, quem poterat vt ens est habere, non qua planta: pro negatione formæ, quam quis habere poterat proprij generis ratione, quo fit vt talpa cæca dicatur, quia quamquam vt talpa visum habere non debeat, debetur tamen illi hæc potentia, vt animal. Tertio modo subdit priuationem sumi pro carentia formæ, quam aliquis habere potest, non tamen pro tali tempore; sic Catulus ante nonum suæ natiuitatis diem cæcus dicitur. Quarto docet priuationẽ sumi pro eius formæ carentia, quam quis est aptus habere secundum propriam naturam, & tali tempore: sic homo priuatus visu dicitur, quia vt homo statim ac nascitur, est visum aptus natus habere. Præter hæc potest addi quintum significatum priuationis, erit autem eius perfectionis negatio, quam habuerat, à causa præter naturam illata: vt si e. g. quis fiat vi morbi immemor, qui paulò antea memoria valebat multum. Harum priuationum prima, vt ibidem Arist. docet, est impropria ad modum, minus secunda: minimè omnium impropria est tertia: proprijssima, & vera priuatio est quarto modo dicta ac quinto. Quando ergò dictum, morbum esse priuationem præter naturam, quæ nam priuatio est, primo, secundo, tertio modo dicta, an alia? atque vt certa ab incertis seiungamus, noto primum, esse apud omnes compertum, morbum non esse priuationem primo secũdo, aut tertio modo dictam; Quis enim ægrotare Sortem dicet, quia non omnẽ perfectionem, quam vt ens poterat habere, vt est animal, vt homo, statim est nactus? equidẽ benè valentes infantes, nõ statim loquũtur: nec benè discurrunt pueri, cum loqui incipiunt, quamquam mente optimè valeant. Est ergo dubitatio, sit ne morbus priuatio eius perfectionis, quam erat aptus habere Sortes e. g. vt homo pro tali tempore; an contra est priuatio eius perfectionis, quam Sortes, vt Sortes habebat; magna enim fuit de re hac apud antiquos controuersia.

Quæ priuatio est morbus quarto, an quinto modo dicta.

Est celebris multorum sententia, morbum esse priuationem quarto modo dictam, vnde docent esse eius perfectionis carentiam, quam Sortes vt homo, erat aptus habere. Hanc defendunt communiter Medici, suadentque, quia si secus dicatur, nempè morbum esse eius perfectionis carentiam, quam antea Sortes habuerat, nullus daretur morbus à generationis primordijs: vnde si quis claudus nasceretur, mancus, cæcus, gallicus, leprosus, scabiosus, nullo idem morbo afficeretur; nam quamquam esset priuatus perfectione videndi, apprehendendi, ambulandi: quia tamen numquam illas obtinuir, priuatus illis dici nequaquam posset, vt Sortes; vnde nec morbo teneri, cum sit morbus eius perfectionis priuatio, quam antea habuerat: at est hoc multas ob causas absurdum, nam vt mittatur auctoritas Gal. qui vitia figuræ diuidit in natiua, scilicet, quæ in vtero matris contrahuntur, & aduentitia, quæ post quam prodijt in lucem emergunt, statuitque vbique locorum, præsertim autem lib. de diff. morb. cap. 8. sextum digitum, qui non nisi à naturæ primordijs, morbum esse in numero adaucto, sunt multæ rationes, quæ id suadent, ac primum, quia cuicumque inest habitus aliquis à natiuitate, potest eidem inesse priuatio eiusdem, nisi vitæ illa priuatio repugnet, vt si potest quis nascens esse albus poterit idem esse niger, ergo si potest Sortes nasci sanus, poterit idem morbo affectus in lucem prodire. Probatur idem secundo, quia omnis forma quocumque illa tempore producatur, eãdem semper habet naturam, vt patet de albedine, quæ eandem habet naturam, seù connascatur Socrati, seu post adueniat: est enim semper color disgregatiuus visus. Quare quemadmodum, oculi manusuè defectus Sorti post ortum aduenicns, est omnium consensu morbus, sic morbus idem fuerit si connascatur: Tertio sic affecti sensibilem habent operationum læsionem,

Priuationem quarto modo dictam esse putant ferè omnes, alioquin nullus esset morbus à natiuitate.

Quare

quare verè morbo afficientur; quam vt infra monstrabimus, nō potest hic effectus aliunde procedere. Nec valet, quod quidam ad effugiendam vim huius rationis dicunt, non omnem actionum læsionem morbi esse inditium effectumque, sed cōsuetarum dumtaxat; nam quamquam è mente Gal. videatur hoc dictum, quippè qui lib. art. med. c. 82. dixit, tunc quempiam morbo teneri, cum eousque progressa fuerit dispositio, vt à consuetis impediatur actionibus; si quis tamen rectè locum illum perpendat, vt Com. Mont. lib. 4. de morbis cap. 20. mox intelliget, docere ibi Gal. quo pacto possimus noscere, valeat nè, an ægrotet prouectus ætate homo; ac statuere tunc ægrotare, cum tenetur sensibili dispositione præter naturam qua teneri noscemus, cum à consuetis fuerit actionibus impeditus, hoc est ab aliqua earum, quas vel obibat, vel erat aptus natus obire; alioquin si pes amputaretur sutori, nullo illo afficeretur morbo, cum nunquam currere esset consuetus: vnde idem affectus, qui cursori esset morbus, sutori non esset, & vt elegātissimè Manar. non posset pupillus conqueri de hæreditate deperdita, quam nūquam obtinuit, quamquam obtinere debuisset: essent demum cæcus à natiuitate, claudus, mancus sani, quādo nullo ijdem morbo afficiuntur: at numquam optabit quispiam, vt talis sibi sanitas contingat.

Reijcitur, & cōtraria probatur.

At vero si quis mente perpendat, nūquam necessarium esse, quo Plato febriciter, vt plus caloris concipiat, quam cuique hominum insit, sed plusquam habebat ipsemet Plato, nam non sunt cuique eædem affectiones communes, sed calor e. g. qui bilioso, & iuueni est naturalis, seni, aut pituitoso est intemperies: fateatur necesse est, non esse morbum perfectionis carentiam, quæ Socrati, vt homo debebatur, sed eius quam fortes habuerat. Confirmatur, quia morbus consuetas actiones offendit l. art. medic. 82. at verò non æquè facilè fortes, & imbecilles læduntur, sed illi noxam omnem contemnunt, hi à quauis, vel leuissima causa prosternuntur. Quare erit morbus priuatio dispositionis indiuidualis, & propriæ, nō communis. Confirmatur, nam Aristot. 7. phys. 17. scripsit sanitatem esse quamdam commensurationem, non solùm eorum, quæ sunt intra, sed qualis à continente, hoc est à corpore desideratur, vt benè aduertit aduersus Auer. D. Thom.

Nullus est morbus à generationis primordijs.

Quod aduersarij censent absurdum hoc placitum, quia si admittatur, nullus dabitur morbus à generationis primordijs, lubens, libensque admitto cum Turis. 1. art. med. 15. 16. & Vall. eodem lib. p. 221. quidquid Gent. clamet eodem libro c. 28. Et cur dubitem id affirmare? an quia Galen. diuisit figure vitia in natiua, & aduentitia? fateor. Quid proinde? nihil certè, quod è re sit Aduersariorum, siquidem non dicit Gal. vitiari figuram, dum animal in vtero formatur, sed postquām est formatum, posse morbos in vtero cōtrahere docet; ita enim scribit eius interpres, *& hæc quidem figurarum vitia aduentitia existant, natiua verò, cum protinus in vtero matris formatio deprauatur*: cuius dicti eam rationē reddit; *quia oportet pulmonis, cordis, & aliorum omnium figuram conseruari*. Ergò si idcircò sunt vitia, quia oportet figuram conseruari, clarè innuit esse illam figuram inductam, & eodem modo seruandam. Quod si lib. de causis morb. 7. dicat. *Causa ob quam figura naturalis mutatur prima quidem est formatio conceptus, in ipso adhuc vtero matris vitiata ob materiæ multitudinem*, aduerte non loqui Gal. de causis morbosæ figuræ, sed vitiatæ: differunt autem hæc multum, nam vitiata figura vocatur, quæcumque humanæ speciei non congruit, morbosa, quæ est præter naturam indiuidualem: vnde iuuat credere, vbi Galen. sextum digitum vocauit morbum in numero aucto, Medicorum more loquutum qui cum sint artifices sensati, illud morbum appellant, quod est abigendum, quouè amoto, actiones probè exercētur, subtilli harum rerum perscrutatione contēpta, tamquam logica, & quæ nullius sit frugis, vt commoda instituatur curatio: enim verò quid refert Medico probè curaturo, vitium ne appellet sextum digitū, morbum, an causam morbi? nihil profectò nihil; semper enim id faciendum illi erit, præscindere nempè digitum abundantem; vnde haud mirari debemus, si aliter de hac re videatur Galen. quandoque sentire; nam cum quandoq; habitu Philosophi indutus de re hac disputarit, quandoque vt Medicus, qui quæstiones, quæ aut parum, aut nihil curationi sunt vtiles flocci faciunt, modo morbum docet esse dispositionem, mox dicit sextum digitum, lapidemque esse morbum in numero, cum tamen sextus digitus non sit dispositio, sed proxima causa dispositionis, vt latè Argent. lib. de morb. generib. cap. 2. Nec Turis. ratio, & oratio suadet aliud, imò quo argumento, ipse putat mōstrare sextum digitum, & vesicæ lapidem morbum esse, non esse morbum probatur, siquidem lapis in vesica contentus, non lædit actiones qua lapis, & est quid numero vnum superuacaneum, sed qua impedit cauitatem, malamque infert dispositionem; & è mea sententia improportionem: nec sextus digitus lædit apprehensionem (si tamen lædit) prout quid numero vnum, & substantia, sed quia ex sexto digito, inducitur simmetriæ priuatio. Mitto quod Gal. ibidem vocat leucem, lepram, & vitiliginem morbos in numero, qui affectus tantum abest, vt id esse possint, vt minus terra à cęlo videatur distare.

Satisfit aduersariorum rationibus.

Quomodo Gal. sextum digitū morbum vocat.

An recedemus ob rationes Gent. At nulla cogit id facere, nam vbi primæ cũcta concedantur, id tantum probabit, si potest animal aliquod nasci sanum, posse idem nasci priuatum illo habitu: vt tamẽ priuatio illa sit morbus, nequaquam adducto argumento conficitur, cum non omnis defectus sit morbus, sed perfectionis priùs habitæ. Multo minus probat secunda ratio eiusdem; esto enim defectus oculi adueniens, & connatus sint idem formaliter, cõnotatiuè tamen sunt diuersi, nam prior ille, est priuatio perfectionis habitæ, posterior perfectionis, quæ poterat haberi. Quare morbus dici non potest. Nec sentiendum aliter, quia actio visus abolita est symptoma, hoc nõ nisi à morbo quare à morbo cęcitas; nam non omnis actio abolita est symptoma, sed consueta, sed habita: vnde, quia furor erat consuetus moueri, morbo idem tenebitur, si pedes illi amputentur. Quare non est cur verbo Manar. nos premat, & irrideat dicens. Non ergò potest conqueri pupillus de hæreditate deperdita, quam numquam habuit; nam quamquam nos rideat, non proptereà ridemur; enim verò haud nos negamus priuatum esse visu cæcum natum, morbo teneri negamus, quia non omnis priuatio est morbus, sed carentia habitæ perfectionis. Quid ergo? erit ne sanum dictum corpus? minimè verò: vitiosam habere naturá dicit Vallesſ. rem magis dilucidat Turis. & neutrum esse dicit secundi significati, nam vt Gal. tex. 8. 1. art. med. *Iuxta*, inquit, *secundum significatum, neutrum erit corpus, quod ab ipso natura ortu contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut duabus differentibus: vna quidem si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperiem, vel etiam secundum vtramque, sed in formatione, vel numero partium, vel situ delinquat*. Quare vbi tollantur hæc vitia, haud curatur corpus, sed ad frugem meliorem reducitur: actusque Medici illa emẽdantis, reductio erit, non curatio, nam dispositio illa non est morbosa, in sanitatis latitudine adhuc continetur. Vnde, quæ docta fuit Plusquam Comm. opinio, & ferè communis, corpus simpliciter insalubre, quod ratione differt ab hoc neutro, est vt nunc sanum. Hinc patet ad aliam difficultatem: at quoniam sunt multa in initio proposita, quæ morbum positiuum quid esse suadent, erit proptereà illis satisfaciendum. Videndum itaque.



Sit ne morbus dispositio permanens, curetur, lædatq; per se actiones. Cap. VI.

NEgat Argent. 1. lib. de morb. gen. morbum esse dispositionem, contenditque aduersus Gal. non esse in morbi diffinitione admittendam, futili sanè ratione, nempè quia est vox ambigua: & quoniam hectica, marasmusque non sunt dispositiones, & tamen sunt morbi; nam quamquam nomẽ dispositionis commune sit, & causæ, & symptomati, ita tamen per illas particulas est contractum, vt nõ nisi morbo conueniat; nam per ly lędens per se sensibiliter actiones, & primo, differt à causa, & symptomate. Quamobrem vt nullus iure hãc hominis definitionem reprehendet, homo est animal rationale, quia quamquam animal sit cõmune equo, & leoni, per rationalitatem contractum, supponit pro homine tantum; sic non debet reprehendi Galen. quod dispositionem, quæ est communis pluribus, pro morbi genere assumpserit. At quando id euites, quando ea est generis natura, vt de pluribus differentibus specie prædicetur? De alio mox dicemus.

Negat Argẽt.

Nos putamus

Sed si dispositionẽ esse ponimus, quomodo qualitatem negamus esse? An dicemus, aliter dispositionis nomen vsurpasse Galen. aliter Aristot. Possem, nam ita Garb. 1. de differ. feb. Fernel. 7. path. Argent. Iac. de partibus 2. 1. d. f. c. 2. Fuch. 3. instit. c. 1. Sed ne difficultatem subterfugere videar, satisfaciam aliter huic rationi: ac primum, vt rem fatear ingenuè, non video cur tantopere vrgeant locum hunc Aduersarij, nam dispositio, non minus qualitas esse ponitur ab Arist. quam relatio, quod vt ita esse intelligatur, repeto ex 5. met. cap. 19. quod dispositio est ordo habentis partes, id quod potest bifariam intelligi: vno modo vt sit ipsa relatio ordinis, qui est inter partes: alio modo vt sit forma consurgẽs ex partium collocatione, quæ adhuc potest esse triplex, secundum locum, & est dispositio resultans ex partium locatione: secundum formam, spectatque ad dispositiones corporis in forma, & figura: secũdum virtutem, & est facultatum, seù corporis constitutio, ex qua resultat dispositio, vt possint benè operari. Dispositio sumpta primo modo est relatio; secunda est qualitas, quamquam non ad eandem speciem qualitatis pertineat. Vide Suarez disp. 42. sect. 5. nu. 5. & Alexand. Non video ergo cur sibi persuaserint aduersarij, morbum esse qualitatem, cum nondum monstrauerint, dispositionem hic sumi pro qualitate resultante, non pro relatione ipsius ordinis; præsertim cum Gal. cap. 2. lib. de diff. morb. hæc scribat,

Nec dispositionis vocem aliter ac Ar. accipimus.

post-

postquam morbum constitutionem esse dixerat: *liquet autem, quod si etiam dispositionem præter naturam esse dixeris, eum eo quod nomine fueris vsus antique, idem quoque significabis.* at verò constitutio est relatio. Quare, & dispositio: sed constitutio sana est proportio illa qualitatum, aut partium. Quare morbus fuerit improportio: quare nihil. Hinc patet, quomodo sit hectica morbus, quamquam sit qualitas radicata, & fixa. nempè morbus formaliter est dispositio praua, hoc est mala relatio ordinis, cui extrinsecum est à fixis qualitatibus pendere, malam proportionem habentibus, aut ab iisdem nondum radicatis.

Quomodo hectica est morbus, cum sit in habitu.

Quomodo idem sit permanens quid, & curetur, intelliges facile, si mœmineris, morbum posse considerari bifariam, materialiter, atque hoc modo est quid permanens, & curatur; aut formaliter, & hoc modo nullam habet permanentiam. Nimirum fundamētum morbi, est quid permanens, non quod sit diuturnum, nam in hoc sensu est reprehensus Olymp. I. met. à Galen. sed quia non habet suum esse in fieri, quemadmodum pathos. Materiale item morbi est, quod Medico curandum proponitur, quod ita esse facilè quisque intelliget ex iis, quæ scripsimus lib. 14. huius operis cap. 2. Quamquā nec si formale morbi curari debere contendas. est cur priuationem esse neges, nam curatio ex aduersariorum mente, non tantum fit contrariis per se morbo admotis, sed iis etiam, quæ per accidens illi sunt aduersa. Aduersantur autem per accidens, quæcunque tollendo aliud, morbum adimunt, qua ratione docēt morbum in mala compositione curari. at huiusmodi cōtraria per accidens, adhuc potest habere. Quare, & curari.

Quomodo morbus est quid permanens.

At nō potest hæc lędere actiones, quia nullam agendi vim habet: Possem huic rationi breuiter satisfacere, at quoniam id discutere, conducit non parū ad morbi naturam declarandam; hanc propter causam examinabo breuiter duo puncta. Primum erit, num morbus actiones sensibiliter lędat, secundum num conueniat hoc symptomati; an idem efficiendi vim habeat morbifica causa lib. 3. disquiretur: at quoniā neutra difficultas enodari potest, ni primum constet, quid sit sensibilis læsio operationum, id præmittemus. Est sensibilis læsio functionum, vitiata eum in modum operatio, vt facilè sensu, seù Medici, seù ægrotantis, per se, aut ex cōsequentibus nosci possit, defecisse à naturali, quæ proximè exercebatur ab homine. Dicimus esse eam, quæ facilè noscitur, nam quæ vitia, ita exigua sunt, vt vel lateant sensum, vel difficulter noscantur, nulli dubium, à morbo non proficisci, quando in sanis corporibus reperiuntur. Diximus eam nosci debere, vel sensu ægrotantis, vel Medici, nam æger salsum sentit saporem, & amarum, auris sibilum, & infestātes dolores: Medicus hominem syncope fuisse correptum, apoplexia, epilepsia. Diximus per se, aut consequentibus, nam vitiata nutritio, ex excretis, aut fœdato colore dignoscitur, per se nunquam. Tandem, & illud necessarium esse diximus, vt scilicet euidenter deficiat ab ea, quæ proximè exercebatur, dum belle valebat, nam actiones senis multum defecere ab iis, quas obibat iuuenis, nec tamen est senectus propterea morbus. Si quis ergo elapso mense memoria multum valebat, mox immemor fiat, aut euidens patiatur memoria detrimētum, peto an sensibilis ista actionum læsio sit à morbo?

Lędatne morbus actiones.

Quid sensibilis læsio operationum.

Negantem partem suadent rationes multæ. prima est proposita, quia nō agit: Secundo, quia scribit Galen. I. de loc. affec. 2. dati morbum adeo exiguum, vt neque à nobis cognosci, nec laborantium sēsu vllo percipi possit, & Auic. 2. I. doct. 3. c. 2. pertractans de signis distinguentibus morbos per consensum à propriis, *dicemus*; inquit, *quod oportet considerare, quæ prius accidit, & autumabimus, quod ipsa est principalis, & altera est ei associata; est tamen dum ex hoc prouenit error, & hic est, quoniam fortasse ægritudo principalis, non erit fortasse percepta à sensu. neque dolorosa in principio sui. sed postea sentietur ipsius impedimentum postquā associata ægritudo apparuerit.* Tertio, quia multi morbi latitant in nostro corpore, vt morbus gallicus, virus canis rabidi, tertianæ, quartanæ.

Rationes pro parte, quæ negat.

Contraria sententia est communis, demonstrauit illam Galen. lib. de diff. morb. 2. nam ex communi omnium consensu, tunc sanum quempiam esse arbitramur, cū rectè actiones obire valet: tunc ægrū, cum aut operari non potest, aut nō benè. Quarè, aut erit sanitas operatio bona, aut constitutio secundum naturam, bonas edens operationes: morbus verò, aut operatio læsa, aut constitutio præter naturam lædens operationes: sed non est sanitas operatio bona, quia dormientes sani sumus, nec tamē benè, aut male operamur, sed constitutio præter naturam operationes oblædens. Quare, &c. Præterea habet morbus pro materiali, aut qualitates improportionatas ipsi animæ agenti, aut structuræ inconcinnitatem, aut solutionem continui: At quouis horum affectuum inducto, non potest anima probè actiones obire. necessario itaque à morbo operationum oblæsio.

Demōstratur contraria.

Quæ sunt pro dubitandi ratione posita, facilè explicantur, nam dici potest ad primum, duo esse in actione læsa, actionem ipsam realem, & positiuam, & vitium actioni coniunctum: illa fit semper ab anima (nam quamquam Galen. dixerit palpitatio-

Et satisfit rationibus pro cōtraria sententia.

tetionem, & conuulsionem à solo morbo fieri; id tamen falsum esse lib. 3. ostenditur) at vitium semper à morbo: vitium autem est quid negatiuum. Quare neque fieri potest, neque vt fiat, aliquod positiuum requiritur, sed satis est alicuius conditionis necessariæ defectus.

Num ad offendendas actiones, sit necessariũ agere, an impedire sit satis.

Quod si proteruiendo cõtendat quispiam, vi morbi, quidpiam positiuè malum in actione produci, dic tandem, hoc verum esse de morbo materialiter, seu fundamentaliter sumpto, non de morbo formaliter accepto. Quo autem id facere valeat, num requirat actiuitatem aliquam, an satis sit quod impediat, controuersum est valde apud Doctores. Christophorus Auega vult, morbum impedire tantum, quod probat ex Gal. lib. de diff. simp. cap. 2. vbi breuem hãc statuit morbi definitionem: *Morbus est affectus præter naturam impediens actionem*, & paulò infrà, *morbus est affectus, corporis actionem aliquam impediens primo*. dicere itaque potest ita se habere partem morbo affectam, vt homo detentus compedibus: Quare vt hic deambulat, sed malè, quia impeditur à compedibus: sic pars operatur, at male, quia impeditur à morbo, ne benè operetur. Merc. q. 172. actiuitatem quãdam semper in morbo desiderat, nam impedire agere est. quare si impedit, agit.

Auega.

Valles.

Mediam viam tenuit 4. lib. controuers. cap. 2. in fine Valles. & quandoque lædi vult actionẽ à morbo, quia impedit: alias, quia agendo lædit. Probat hoc secũdum; nam primum admittebat Auega, contra quem arguit, quia calor immoderatus ventriculi, non aliter lædit coctionem, quæ in ipso agitur, quam vrendo, vrere autem agere est: potest ergo vtrumque horum contingere, & neutrum esse perpetuum, nam mores immodica Smyrnei impediendo actiones oblædebat, nimium frigus refrigerando facit cruditatem. Quod approbo, nam quod dicit Merc. impedire esse agere non est vniuersaliter verum, vt docent primo de generat. Philosophi. Quamquam non me mouet ratio Valles. vt id affirmem, posset enim pro Vega quis dicere, neque calorem, neque frigiditatem esse morbum, sed intemperiem ab ijs productam, sed illa, quia impedimentum supponit integritatem operantis, quo fit, vt remoto impedimento, nulla aliunde ope conquisita operetur statim: non sic accidit per morbum quemcumque, nam licet remoto à rene lapide, aut vesica, mingat statim æger, & benè: non tamen statim, ac febris remouetur, operatur benè, ni primum conualescat.

Op. Valles. adhæret auctor.

Non tamen rationi Valles.

Quod spectat ad argumentum secundo loco propositum: admittenda ea omnia, & fatendum, non posse sensibiliter actiones lædi ab eo affectu præter naturam, qui inconspicuus est, & sensum fugit omninò. Quare vbi Galen. ponit insensibiles morbos, dic cum Fuchsio, loqui eo loco Galen. de pathemate non de morbo: aut dic cum alijs, insensilem affectionem physice morbum esse, non medice. Auic. locus difficilior. Iac. de forol. dicit, propositionem illam, morbus sensibiliter lædit actiones, veram esse de morbo totius, non de ægritudine particulari, de qua Auic. in ...

Quod non placet, quia nulla potest huius diuersitatis ratio assignari: neque placet secundo, dum dicit, ægritudinem illam principalem, latere secundum speciẽ, aut indiuiduum, at non secundum genus, nam affectio ventriculi, cuius consensu caput quandoque dolet, ante dolorem capitis, omninò latebat. Laudabilior Gent. interpretatio, qui nomen ægritudinis large sumi ab Auicen. dixit, prout neutralitatem complectitur: nam vbi verè quis morbo tenetur, semper ineptè obit aliquam actionem. Quare infecti lue gallica, nullo tenentur actu morbo, antequam sensibiliter lædantur, licet morbi causam in corpore reconditam habeant; Proindè fit, vt quamquam huiusce modi corpora non sint ægra non sunt tamen sana, sed neutra, vt constat ex lib. ar. med.

Quod vltimo loco affertur de tertiana, quartana, & quauis alia febre intermittente, poscit, vt inquiramus, an corpus illud in die vacua, sic ægrũ, & si ægrotat, quamnam actionem læsam habet, & quo morbo tenetur, quãdo febre nequaquam laborat: ac breuiter dicimus, neque enim multis est opus, corpus illud, non teneri febre; nam si ea laboraret, continua illa esset, non intermittens: ponimus verò eam esse intermittentem: quare nulla febre teneri, clarè hinc deducitur. Nihilo tamen minus affirmamus, esse idẽ ægrum, & aliquam actionem sensibiliter vitiatam habere. Patet hoc, quia idem corpus die illa vacua, adhuc congerit copiam excrementorum, transmittitque ad focum putredinis, vt ibi putrescentia, denuò febrem inuehant, nam hanc ob causam scriptum à Galeno est, numquam fieri tertianam, non malè affecto epate, aut quartanam, liene nõ patiente: at verò, vel hoc arguit intemperiem Epatis, bilem e. g. plus iusto gignentis, aut aliud vitium partis corrumpentis illam; quare cum sit hoc sufficiens, quo corpus illud ægrotare dicatur, erit corpus illud ægrum. Ita Thomas de Garbo. 2. de diff. febr. digress. 53. Thadeus 4. aphor. 63. & est expressa Galeni ibidem, vt facilè legenti patebit; moneo tamen, vt cautè Thadeum legant; nam multa habet, quæ admitti non debet.

Tertiana laborans, an ægrotet die vacua.

At dices, si adhue in corpore illo remanet quædam dispositio præter naturam, à qua febres per circuitum, alijque morbi gignuntur: Vbi iterum corpus illud febre corripiatur, patietur illud reci-

cidiuam, nam vt aphor. 12. *quæ relinquuntur in morbis, facere recidiuam consueuerunt*; at hoc est absurdum. Quare aliter sentiendum.

Respõdeo, neque esse à sententia proposita recedendum, neque consequens esse admittendum; nam quo fiat recidiua, semper necessaria est externa aliqua causa, occasionem solet vulgus appellare, vt effectus in lucem emergat, in cuius generationem continuò relicta dispositio incumbit: vnde quia incerto illa tempore sese offert, propterea fit, vt recidiua non accidat certa quadam die; contra verò, vt redeat paroxismus, tertianæ exempli gratia, aut quartanæ, nulla externa causa est opus, sed satis est internæ dispositionis malitia, ac propterea fit, vt tertiana, & quartana certa die repetant; quia ab interna partium dispositione tantummodo pendent, quæ cuncta certo tempore gignit, non recidiua. Cur verò ad recidiuã faciendam externa causa sit opus: non sit eadem necessaria ad reditum paroxismi, inde fit, quia in febre intermittente multus est cinis, qui superest, magna in parte malitia, vnde suis nixa viribus, breui tempore poterit quicquid ad reditum nouæ febris requiritur congregare; exigua est, quæ relinquitur victo morbo, & eumdem postea regignit: vnde quia exiguos morbos solet natura vincere, solet quandoq; natura relictam dispositionem corrigere, humorum reliquias expurgare, & recidiuam inhibere. Ex quo factum est, vt non dixerit Hippocrates, quæ relinquuntur in morbis recidiuam faciunt necessariò, sed recidiuam facere consueuerũt. Cæterum exigua causa morbosa, quæcũque sit illa, siuè humor seù cinis, seù praua dispositio in parte relicta, ni ab externa causa foueatur, non poterit naturę resistentiam vincere, quæ resurgẽs à morbo, facta erat quoquo pacto robustior. Quare semper externæ causæ auxilium ad recidiuam necessarium erit: non expo scit eamdem reuersura periodus.

Posit nè symptoma lædere actiones. Cap. VII.

QVod spectat ad secundam difficultatem, est primo circa titulum aduertendum, non verti in controuersiam, possit nè in vniuersum, vnum symptoma ab alio procedere; nam cum fædus e.g. color Ictericorum, à bili fiat, ad cutim effusa, & ibidem retenta, bilis autem effusio sit symptoma in excretis, nulli dubium est, quin possit vnum symptoma in excretis, ab alio procedere, nam huc medici respicientes, cum symptoma in excretis, tùm in qualitate mutata, symptoma secundarium nuncupatunt; nempè quia viderant, numquam illa fieri posse, quin læsio alicuius actionis præcedat. Difficultas itaque est, an possit symptoma in læsa actione, ab alio symptomate prouenire, ita vt læsio actionum, non sit accidens morbo proprium, & familiare, sed commune aliis.

Affirmant multi, nam vitiata coctio ventriculi lędit sanguificationem, hæc nutritionem: dolor lateris, difficultatem facit spirandi, vitiosus oculi color, visionẽ perturbat, aurium tinnitus auditionem impedit, fętor narium deprauat vim odorandi, linguæ amator gustatum, immodicaque spirituum dissipatio, omnes actiones imminuit, corrumpitque. Nec Galenus discrepare videtur, nã lib. de differ. sympt. cap. 4. *diligenter* inquit, *animaduertas velim, quod sæpè numero symptomatum alterum, ad alterum sequitur nam ad imbecillum complexum fluctuationes, interim inflationes sequuntur*, & paulò post, *ac forsasse non absre fuerit omnia, quæ ad nutritionis functionem pertinent, symptomata prosequi, nempè ea quæ ventri, & reliquis partibus sunt communia; ita enim facilis erit Lectori sermo, & clarius explicabitur, quod nuper dicebamus. symptoma symptomatis esse causam*: & cap. 1. eiusdem libri, exemplo calculorum docet in plurium symptomatum serie, primum symptoma per se producere secundum, per acidens tertium: secundum per se tertium, per accidens quartum: Mont. op.

Cæterum, quia videbant hinc sequi absurdum magnum, confundi nempe morbũ cum symptomate; nam, & hoc pariter esset dispositio præter naturam actiones sensibiliter lędens, subdunt, vt nodum hunc soluant, non esse symptoma verè dispositionem; nàm hæc dicit permanentiam, quam in symptomate fingere nullus potest. Addũt ijdem, secundo, quod & si lęsa actio aliam vitiatam producat, non tamen id efficere, quemadmodum morbus, siquidem morbus per se lædit: facit hoc per accidẽs symptoma. Rem ita se habere, monstrant auctoritate Galeni, nam ponens cap. 1. lib. de differ. symp. discrimen inter morbum, & symptoma *duo hæc* inquit. *quo morbus sit exiguntur. vt in genere, sit affectus, & actionem lædat quorum neutrum symptomati necessario inest*. Monstrari idem potest ratione, nam per se, & de omni conuertuntur, nunc verò neque omne symptoma habet permanentiam, nec quodcumque actionem oblædit. Ita Comes Montanus lib. 3. de morb. cap. 7. & primo eiusdem cap. 25. Qui duas ob causas mihi displicet, ac propterea censeo esse reiiciendum. Primum, quia nodũ propositum nequaquam dissoluit; nam quidquid sit de aliis symptomatis, certũ est flauum oculorum colorem, & alia symptomata multa in mutata qualitate, & Reijcitur.

per-

permanentiam habere, & semper actionē offendere, secundum eius sententiam. Quare conueniet huic symptomati saltē diffinitio morbi. Quare erūt morbi, quod ipse negat apertè.

Displicet secundo idē, quia malè concedit, actionē ab alio vitiari quā à morbo, vt potè à symptomate; nā si symptoma esset potis hoc facere, vel esset simptoma in oblæsa actione, vel in excretis, retentisq; aut qualitate mutata. At de nullo symptomate affirmari id potest. Quare à nullo symptomate actio lædi potest.

Non posse vitiatam actionem, aliam vitiatam producere, manifestum; nam vel actio vitiata, est immanens, vel transiens: si immanens nihil extra se produceret; quamobrem cum sit dolor sensatio tristis, non potest modo aliquo læsam respirationē producere, quod accidere in pleuresi falsò quidam putarunt: nec si à dolore eam fieri admittamus, probabunt propterea vnam actionem vitiatā, aliud symptoma in actione vitiata producere: non enim mutata illa respiratio, ratione doloris est symptoma, sed ex electione profecta ne scilicet augeatur dolor. Si fuerit actio transiens, hęc habebit pro termino, aut qualitatem, vt alteratio, aut quantitatem, vt accretio, aut substantiam, vt generatio, aut vbi, vt motus localis. Numquā itaque vitiata aliqua functio, aliam vitiosam producit. Confirmatur secūdo quia dato opposito, vnus motus, alterius esset terminus, quod reiecit Aristoteles 5. phys. 10. Quod si læsa chylificatione malè sanguificet Epar: aut malè suo fungetur munere, ipsius substantia labefactata, aut hac benè se habente: si primum, iam mala sanguificatio, Epatis morbo fiet, nō à chylificatione vitiata: quod si rectè illud valeat, non erit symptoma sanguificatio læsa, sed naturalis quædam impotētia; nam quemadmodum stomachus non tenetur, quodcūque alimentū concoquere, sed proportionatum, sed optimi succi: sic neque Epar, ex quouis chylo sanguinē progignere: & veluti ventriculus vbi vitio obiecti, non benè coquit, vitiata illa coctio, non est symptoma: sic nec symptoma fuerit, mala sanguificatio, vitio chylificationis profecta. Insuper, vbi alimentum vitio ventriculi corruptum, ab eodem, tamquam inutile reiectatur, excretio illa non est symptoma, sed naturalis actio, & à natura, rectè operante pro animalis salute peracta. Numquam itaque læsa actio, aliam oblædere poterit.

Eadem ratione monstratur, non posse læsam excretionem, vel retentionem, actionem offendere; nām motus localis excretio est, qui ad vbi terminatur, non ad aliam actionem. Neque est aliter opinandum, quia ab excretione biliosi succi, retentione fæcum, vrinæ, lapilli, aut cuiuscumq; rei noxiæ, grauissimi solent excitati dolores; non enim illi fiunt, vel à retentione, vel excretione, sed à materia, inferente intemperiem, aut vnionem dissoluente. Itaque non est, vel excretio, vel retentio causa doloris proxima, sed vel intemperies, vel continui solutio.

At dices spirituum magna dissolutio, actiones imminuit, deprauatque, quāquā nullo morbo corpus teneatur, vt palàm obseruamus, In ijs, qui nuper à morbo prauo surrexere: videre enim est, vsque adeò malè omnes actiones exercere, vt non dùm videantur à morbo vindicati. At verò est dissolutio spirituum symptoma in excretis. Quare est aliquod symptoma, quod sensibiliter potest, citrà aliquem morbum actiones oblædere.

Valuit tantum hæc difficultas apud Thaddæum Florentinum, vt illi manus dederit. Quocirca autumauit Com. 63. 4. lib. aphor. posse dari actionem, sensibiliter læsam, citra morbum: quod nullo pacto admittendum; Quibus enim indicijs, cognoscemus ægrotantia corpora, si vitiatæ actiones sensibiliter, citrà morbum, quandoque, esse possunt? aut quomodo Galenum excusabimus, qui lib. art. med. c. 8. scripsit, ea ratione ægrotantia corpora à sanis differre, quia, hæc inculpatas edunt actiones, prauas illa, quę ægrotant? Aliter itaque est difficultas proposita dissoluenda. Proindè dicerem, vel dissolutos spiritus esse multos, vel paucos: si exiguum factum fuerit illorum dispendium, parum erunt actiones oblæsæ: exigua autem læsio actionum, adhuc in sano corpore reperitur, præsertim verò in neutro conualescentiæ, vt idem Galenus prodidit citato cap. 8. artis med. Quod si magna fuerit facta eorundem consumptio, non poterit hoc esse citra morbum, in cauitate imminuta: ab hac autem læsio actionum sensibilis, atque euidens. Vnde, & si corpus illud dicatur conualescens, respectu febris, aut alterius morbi, à quo fuit vindicatum, dici idem potest ęgrum, quia alio morbo in cauitate imminuta, est correptum. Demum, quod nec symptoma in mutata qualitate, id possit facere, ea ni fallor ratione euidenter conficitur, quia hęc symptomata, adhuc morbo amoto in subiecto perseuerant, vt dicemus lib. 3. cap. 2. & est communis omnium medicorum consensus; sunt enim qualitates factæ, & permanentes. Quare non pendent à morbo in conseruari: Vnde omnes fatentur, vitiatum colorem, extenuationem, viriumque imbecillitatem, signa esse commemoratiua præteriti morbi, nedùm dignostica: nec quisquam est, qui si occurrat homini sic affecto, non statim eum roget, an ęgrotauerit, quādiu, & quo morbo. Quod si possunt mutatæ hæ qualitates in subiecto conseruari citrà morbum, atque eædem possunt sensi-

biliter lædere actiones, admittenda erunt corpora, quorum functiones sint sensibiliter læsæ citra morbum aliquem. Vnde non erit læsa sensibiliter actio, familiare & proprium morbi accidens, nec consequenter certum eiusdem indicium, quod absurdum. Quare ne in illud incurramus, negandum est, posse actiones vitiari, à symptomate in mutata qualitate.

At vitiatus inquies color oculi visionem perturbat, deprauat gustatum iudicium, bilis lingua affusa, tinnitus aurium auditionem impedit. Quid proinde erit ne color ille morbus oculi, linguæ, sapor amarus? Haud quidem, symptoma itaque. Quare, &c. De hac difficultate late egimus lib. 5. huius operis cap. 5. circa fine: vide proinde locum illum; nam si eadem vbique inculcentur, scribemus multa, at pauca docebimus. Cæterum quia hæc disputatio ad calcem est deducta, propterea de causis aggredior dicere.

ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Secundus

DE CAVSIS MORBI.

Dicendorum occasio, & vtilitas. Cap. I.

Qvamquam magna pars medicorum, qui morbosos affectus curandos suscepere, in morbos tantum oculos direxerint, nec quibus è causis fiant, curarint dignoscere, satis esse putantes id scire; sit ne morbus adstrictus, an laxus; nihilominus qui hanc artem exactius excoluere, nec morbos dignosci posse, nec curari autumarunt, ni exploratum antea habeatur, vnde ij ducant originem: Quamobrem, vt Physici, qui rerum omnium contemplationi dant operam, tunc se scire arbitrantur, cum causam cognouerint; haud secus medici, nec sciri, nec pelli posse morbos affirmarunt, quorū ortus ignorent. Et iure; Qua enim ratione morbum adimes ni eius causam abscindas? Vt cognosces? si te lateant illius exordia? Profecto, vt temerarium est, manentibus adhuc causis, eos demoliri, sic stultus qui morbū profitetur cognoscere, cuius ignorat initia. Sunt proinde morborum causæ indagandæ, quod cum fieri nequeat, ni primo, quid illa sit innotescat, hinc habebit propterea suum hæc tractatio exordium.

Quid morbi causa, et quotuplex. Cap. II.

Qvid sit causa, nullibi docuit ex professo Arist. quamquam multis in locis disputarit de illis; fecit id Galen. 1. de loc. affect. 2. & lib. de diff. sympt. 1. Ibi sic causam diffinit, *id quo tangente afficimur, & quo remoto quiescit affectus*: sic lib. de sympt. diff. *id quod ex sui natura, ei quod fit aliquam præbet generationis partem, causa ipsius dicitur*; quarum altera cum non satis conueniat cum altera, dedit occasionem Argent. vt ipsum inconstantiæ notaret, reprehendit secundo, quod vbique imminutus; nam prima non comprehendit causas procatarcticas, non enim ijs positis, morbus ponitur, ablatisue amouetur: secunda non complectitur causas per accidens: non causas, sine quibus non, nec quæ productū adaugent, conseruantque. Proinde sic causam definit lib. de causis morborum cap. 6. *est causa quicquid ad morbi productionem, quoquomodo aliquid confert*; quoquomodo inquio, vt causam quamcumque complectatur, & per se, & per accidens, quas exclusit Galen. particula illa suapte natura: confert ait, non dat esse, ne causas sine quibus non, hac ratione excluderet. Qui dignior vt reprehendatur duas ob causas, primū quia causam cum principio confundit, quod quamquam à Philosophis factum quandoque, non me lateat, vnde diffiniuere causam quandoque *illud omne, ad quod aliquid sequitur*, qua ratione effectus, causa dicitur, quia ex ipso causæ cognitio comparatur; dixere alias, *causa est per quā aliquid contingit*: dixit Arist. text. 68. 2. phys. *causa est id quod reddimus, cum propter quid vnaquæque ita se habeat, inquiritur*: vbi tamen causam presse sumpserūt, & exacte de re hac disputarunt, distinctū esse principium à causa dixere, causamque, in hunc modum definiuere, *Causa est, quæ per se influit in esse vel, siue in effectum*, *Principium, omne id, ex quo aliquid fit*: est, quo

Quid causa secundum Galen.

Quid causa secundum Argent.

aut cognoscitur, vbi incipit, vt 5. met. cap. 1. Vnde locus è quo quisq; proficiscitur, est principium viæ, non causa: priuatio, generationis principium, non causa, et punctum principium lineæ, non lineæ causa. Vide Suarez tom. 1. met. disp. 12. sect. 1. & 2. Fons. lib. 1. met. cap. 3. quæst. 1. sec. 3. Conimb. phys. c. 5. quest. 1. ar. 1. & alios. Ergò si causam largè sumamus, definienda illa cum Argent. est, & alijs multis: at si strictè eamdem accipimus, cum Galen. dicendum. *est id quod suaptè natura, ei quod fit, aliquam præbet generationis partem: aut præstiut cum Philosophis. Est causa principium, quod per se instruit in affectum*; nam quæ ad ducit aduersus ipsam Argent, quis non contemnat? enim verò quisque & libens fatetur, indignas esse nomine causæ, causas per accidens, & sine quibus non nam si nihil hæ faciūt, educunt nihil, sunt tantum conditiones, vt aliæ agant. Quomodo causæ dicentur? & certè mirari licet nō animaduersa hęc esse ab Argent. cum Gal. (vt mittam Philosophos (adeò clarè de re hac sit loquutus lib. de diff. sympt. c. 1. habet enim ibi, multa esse causarum genera, videlicet materia, vtilitas, scopus, & instrumentū, & vnde motus initium, quod probat *quia singula horum, ei quod fit perfectionis aliquid conferunt*. Cæterum quia præuiderat futurum quandoque Argent, qui illi objiceret, causas siue quibus non causas esse, cum tamen nihil conferant, subdit *quæ verò nihil conferunt, sed tamen ab ijs, quæ conferunt seiungi non possunt hæ sine quibus non rationem obtinent*: ac si dicere vellet, non sunt veræ causæ.

Satisfit. Argent.

Augentes, & conseruantes causę, ratione à generantibus differunt, vnde accretionem aggenerationem esse putant Philosophi. Medici ad effectrices causas, conseruantes reducunt, vt latè Turis. 5. art. med. tex. 1. Vega ibidem, & alij expositores; neque enim aliud est conseruare, quam rem continuata quadam serie producere, vt exemplis accomodatis lib. ad Thrasib. 20 declarauit Galen & 1. ar. med. c. 85. Quo circa superfluè Auicen causæ definitione dixit, *est causa, id ex quo prouenit inuentio alicuius dispositionis in corpore humano, aut eius fixionis*, nisi ad maiorem intelligentiam id factum dicas.

Reprehenditur Auic.

Sed si hæc causæ natura quomodo Galen. aliter ipsam 1. lib. de loc. affect. definiuit? Notandus hic secundo Argent. qui aut ficta, aut leui causa motus, Gal. incōstantiæ notauit. Quæ enim inconstantia est, aliter causam coniunctam definire, alio modo causam in vniuersum? An inconstans Philosophus, qui secus animal, secus diffinit hominem? At verò lib. de diff. sympt. causam in vniuersum definit. lib. de loc. affect. vel causam in actu, vt placuit Saluo Scl. 1. artis. med. tex. 1. vel causam coniunctam, quod arrisit alijs, nec displicet mihi. Quare nulla in Galen. aut inconstantia est, aut contradictio.

Explicatur Galen. & a contradictione vindicatur.

Obijcies cum Valles. illa exempla, quę affert, eo loci Galen. nequaquā conueniunt coniunctæ causæ; esto enim remoueatur culter, aut ignis, non remouetur propterea vulnus ab ipsis inductum. Non ergo definit coniunctam causam. An dicemus cum Argent. definitionem esse bonam, exempla inepta? vel dicam cum alijs, in sectione facta à gladio, & parte ab igne combusta, duos esse morbos, in numero alterum, atque hunc, causam continētem habere, gladium nempè, & ignem, carere illa intemperiem & solutionem continui? Minimè verò. Quid enim me impellet, vt vel hæc fingam, vel crimen Galen. appingam, quod non accommodatè exemplificit? enim verò non dicit Galen, ignem esse causam coniūctam calidę intemperiei, sed vstulationis: nec affirmat cultrum esse causam continentem vulneris, sed sectionis: habent autem hæc omnia causam continētem, nam posito cultro, sectio ponitur, ablato aufertur: admotoq; igne, est vstulatio, aufertur remoto. Ergo, & exactè, quid causa sit difinit? & diffinitam causam aptis exemplis declarauit.

Huius genera, quamquam quatuor esse, sit physicum dogma, quot tamen morbus habet, dubium. Admittunt efficientē omnes; quidquid enim fit, ab alio fieri est certissimum. Materiam, & formam agnoscūt in morbis ij omes, qui morbos substantiam esse putant: negant qui accidēs esse autumant, quorum sententiam, quia nos supra probauimus, nec materiam ex qua morbos habere affirmamus, neq; physicam formam. Ex dictis item constat, non habere eumdem finalem causam, quādo quidem morbus est præter naturam. Nec me turbat, quod vrunt, secant, putrefaciunt Chyrurgi, vtuntur densantibus in cataracta imperfecta, febrem denique leuem cum grauiori Physici commutant, vt doctum fuit consilium Cel. lib. 1. cap. 9 nam non tam hæc faciunt, vt morbos arcessant, quam quia sunt præcedētium morborum remedia.

Morbi quęnam causę.

Obiectio.

Vt mittam, quod neque hæc indiscriminatim procurant industrij medici: Cur enim febrem aduoces, si in eius expugnatione paulo postea es laboraturus? Cur incrassantibus in imperfecta cataracta vteris, quando periculum est, ne coriū vsu, optici postea nerui obturētur? quādo insuper non omnis suffusio potest acu reponi? Quod si Cels. hec laudat, laudant alij multi, scito hęc probari, cum desperata est salus aliunde, neque alia curationis via se offert. Non est autem aliena temeritas, vbi ars non sufficit, vt rectè Valles. 8. controu. 10. Non habent ergò morbi finalem causam, habent efficiētem, & materiam in qua. Quare de his agendum.

Sol.

Quod

Quod morbi subiectum. *Cap. III.*

ANimatum corpus morbi esse subiectum, dubitauit nullus. An inanime esse possit, hoc controuersum. Videtur negare Arist. nam lib. de sensu, & sensili in principio, *nec valetudo* inquit, *nec morbus in ea, quæ vita carent cadere potest* Videtur affirmare idẽ 3. phys. 22. ait enim *eiusdem scientiæ est cognoscere formam, & materiam, vt medici sanitatem, et choleram, & phlegma in quibus est sanitas.* Et Galen. nã 1. de diff. feb. 1. & 3. vbi diuisit febres in diarias, humorales, & hecticas subdit, esse maximè propriam datam diuisionem, quia est sumpta à subiecta materia: Auic. quoque quærens fen. 1. p. d. p. cap. 2. causam materialem sanitatis, & morbi, tres esse ait, spiritus humores, & elemẽta, sunt autem hæc corpora inanima. Probat idẽ ratio, nam si morbi ea tantum corpora afficerent, quæ sunt animata, afficerent tantum organica corpora, nam hæc, tantum viuunt, cum sit anima actus organici corporis.

Affertur quorundam sententia.

Hinc variæ sententiæ. Quidam volunt morbi subiectum, nedum esse viuentes particulas, sed & ea omnia, quæ operantibus partibus vsum aliquem præbent. Quamobrem cum sanguis, spiritus, & omnes humores conferant, quo partes quæque rite rectèquè operentur, contendunt, nedum partes quas vocamus solidas, sed, & humores, & spiritus esse morbi subiectum, vnde inferunt diariam fieri excalfactis spiritibus, humoralem putrefactis humoribus, hecticam solida parte cordis accensa; Quod confirmant, quia cum febris sit conuersio natiuæ caliditatis ad igneam naturam, illa omnia febre affici poterunt, quorũ calor natiuus ignescere potest: habeant autem cum humores, & spiritus calorem natiuum, qui ignescere potest, & humores, & spiritus febris subiectum esse posse concludunt. Ita Cisalp. 1. quæst. med. quæst. 6. Tenet eamdem Mercur. lib. de morb. gall. Mõt. 2. de morb. c. 36. & Thom. de Gar. probatque, quia Lapis in vesica existens, est morbus in numero, & tamen non est lapis dispositio membris inhærens. Ne tamen viderentur apertè recedere ab Arist. conantur ipsum exponere, quamquam alij aliter. Dicit Mercur. asseruisse quidem Arist. in viuente dumtaxat corpore morbum, & sanitatem reperiri, non tamen voluisse, viuentem tantum particulam esse morbi subiectum, sed hanc, & quidquid reperitur in ipsa: quod limitantes magis alij dicũt, quidquid est in viuente, & aliquem illi vsum præbet, vt humor, & spiritus, morbo subijci posse. Idem Petrus Gars. disput. 2. super p. fen. Auic. c. 3.

Reijcitur.

Qui non placent nam quicumque formam aliquam habent, habent ijdem effectum à forma emanantem. Quare si inest spiritui morbus, aut humori, fateamur necesse est, ægrotare spiritus & humores, nam à morbi inhęrentia dicitur aliquis ægrotare. At verò negant Aduersarij ægrotare spiritus, aut humores. Quare & illud negare tenentur, esse morbi subiectum. Præterea viuens particula ægrotare dicitur, ergò à forma ipsi inhærente, ipsi itaq; semper inerit morbus. Hic dicit Gars. denominationem intrinsecam fieri à forma inhærente, extrinsecam cuiusmodi est denominatio, qua dicitur corpus ęgrotare, propter vitium humorum, aut spiritus, nequaquam fieri à forma inhærente, nam paries denominatur visus à visione in oculo existente. Esto. at illud det mihi, est necessum, denominationem illam esse saltim intrinsecam humori, aut spiritui, quando his morbus inhæret: At ipsemet negauit humorem, aut spiritum teneri febre: nec quisquam hæc corpora dixit ægrotare: ægrotarent autem, febricitarent necessario, si morbi essent subiectum, nam vbicũque est causa formalis, est ibi necessario effectus formalis. Cum itaque non insit illis, particulæ viuenti tantum inesse asserendum. Tertio mancus esset Galen. qui morbos tantum similaris particulæ, & organicę adducit: spirituum, & humorum subticuit. Sumeretur demum ab humoribus putridis curatiua indicatio, morbus vacuaretur, quod negant communiter omnes.

Propositio vera.

Proindè dicendum, subiectum morbi proximum, & immediatum, viuentẽ tantum particulam esse posse. Ita Turis. 3. art. med. tex. 1. & 38. Thad. ibidem Cauasset l. 1. de rebus præter nat. c. 9. proximũ in quam, nam quod remotum, mediatum possit esse humor, elemẽtum, cui dubium?

Explicatur Ar.

Afferuit hoc Arist. Auic. cit. loc. à nobis.

Auic.

Vbi idem spiritibus tribuit, aduerte locum illum bifariam legi: quidam hoc modo, *& subiectum quidem propinquum membra, aut spiritus* disiunctiue: alij coniunctim legunt membra, & spiritus. Qui primo modo legunt, per spiritus exponunt similares particulas, per membra, organicas partes. Qui legunt coniunctim dicunt, subiectum sanitatis sunt membra, & spiritus, hoc est, membra habentia spiritus, quod est idem ac dicere partes animatæ.

Examinatur locus Galen. & Trincaue expositio reijcitur.

Galen. locus conuicit Trincauel, quocirca fatetur epist. 20. humorem, & spiritum, subiectum esse inhæsionis febris, Cor verò denominationis, quod vt declaret, & simul suadeat, ponit primo, duo esse in morbo, dispositionem præter naturam, & læsionem actionum: ponit secundo posse esse dispositionem in vna parte, læsionem in alia; nam sæpè videre est humorẽ in ventriculo existere absque noxa, & damno ventriculi, quam-

quam

quam in capite excitent dolorem acutũ. Quare poterit pari pacto calor febrilis esse in humoribus, & spiritibus tamquã in subiecto inhæsionis, Cor tamen lædere, & in eodem esse tamquam in subiecto denominationis: vnde Arist. interpretatur hoc modo. Subiectum denominationis morbi, est corpus viuens: inhæsionis hoc, & inanimatum. Idem Iac. de Forl. q. 31 & 4. super primam Auic. Garb. lib. 1. suę sum. tract. 5. quæst. 80. circa finem.

At Trinc. est multas ob causas à nobis reprehendendus: ac primum quia caput dolere putat consensu ventriculi, nullo præter naturam affectu in ipso inducto; enim verò vbi caput dolet consensu vẽtriculi, idcircò dolet, quia recipit à ventriculo, aut malam aliquam qualitatem, aut prauum vaporem, qui caput, vel pũgit, vel distemperat. Ergò efficiet receptus vapor, seu qualitas in capite, vel intemperiem, vel solutionem continui, & hoc modo dolorem. In eadem itaque parte læsio actionum, & morbus, quamquam humor alibi. Præterea si nihil esset præter naturam in capite, nullus in ventriculo morbus, esset homo ille ęger, cum habeat actiones sensibiliter læsas, citrà aliquem morbum, non enim est in capite, non in ventriculo: falsum secundo illud, humores, & spiritus esse febris subiectum, nam vt omittam argumentũ adductum, conuincitur ex alio capite hoc falsum esse; enim verò quantum vis cæteræ partes à corde calore exurantur, numquam tamen corpus febrire dicetur, ni cor sit excalfactum, vnde aliud est calor febrilis, aliud calor præter naturam: hic est veluti genus: febrilis calor, caloris præter naturam species. Accensio ergò illa spirituum, non erit febris, sed potius calor quidam præter naturam, qui febris euadit, cum cor fuerit postea calefactum. Quare semper cor erit, & denominationis, & inhæsionis subiectum ipsius febris.

Affertur Vallesi.

Aptius locum hunc explicauit Valles. lib. 5. controuers. 18. dicens, Galen. febris nomine calorem intelligere, qui in ægrotante sentitur. Constat autem hunc per hecticam in substantia solidorum recipi, quo fit vt aridum quid, & salsuginosum sensui representetur: in succis per putridam, vnde refert dictus calor tactui modum quemdam humoris, & redundãte sanguine sentitur humidius quiddam, & suauius; exuperante bili mordacius, & acrius: accensa pituita præbet speciem caloris veluti per cribrum prodeuntis, quia numquam hic humor æqualiter calorem recipit. At vera febris non nisi in solida cordis substantia recipitur. Est autem febris intemperies à calore producta. Idem Augen. lib. 2. de feb. cap. 4. quamquam gloriosus homo sibi hoc tribuat.

Ponitur propria.

Quæ si non placent, dicere secundò potes in vera cordis substantia, adhuc posse obseruari partem aliam spirituosam, & tenuiorem, humorosam aliam, aliam terrestrem: atque diariam fieri, nõ calfactis spiritibus, sed parte spirituosa cordis: putrem parte humorosa accensa: hecticam terrestriori parte inflammata. Nec propterea sequitur, febrem quamcumque esse hecticam, quia quamuis per febrem quamcumque, cor sit affectum, non æque tamen in omni est excalfactum, sed in habitu per hecticam, in habitudine per alias. Differt secundo ratione diuersarum partium, quæ in corde afficiuntur, quas habere demonstrat certò generatio spirituum, & sanguinis arterialis, nam cum cunctà simili producãtur, erunt ponenda hæc omnia in corde, quo possit cor spiritus, & sanguinem gignere. Ad rationes dicimus, non tantum dissimilares particulas, sed & similares animatas esse, & viuere, vt sensu est compertum. Quare quod dicit Arist. animã esse actum organici corporis, de adęquato subiecto intelligendum. Argumentũ Garbi est indignum profectò tanto viro; nam si lapidem putat esse morbum, cum sit idem substantia, in nullo erit subiecto. Quod si lapidem morbum esse negat, sed morbum velit esse dispositionem prauam, quæ ex lapide posito in cauitate resultat, qua facilitate affirmat esse in lapide illam dispositionem, eadem nos negamus, & in corpore dicimus inesse.

Euasio.

Quæ temperies morbis contrahendis aptior. Cap. IV.

Est temperies duplex ęqualis, & inęqualis: hæc item duplex composita & simplex, & vnaquæque quadruplex, calida frigida, humida, & sicca, calida sicca, calida humida frigida, & sicca: frigida, & humida. Æqualis item duplex alia quæ cunctas partes corporis temperatas ad iustitiam habet, ex quibus postea vnitis, ponderalis quædam temperies resultat: est alia ad pondus quidem, ex partibus tamen omninò intemperatis, vt corde frigidiore, calidiore cerebro, frigidiusculo liene conficta. Tanta ergò cum sit diuersitas temperierum, est modo dubitatio, æqualis ne inæqualis sit morbo cõtrahendo disposita magis. Ne tamen per ignota procedatur, nota primum, haud quidem comparare nos corpus secundo hoc modo temperatum ad pondus, est enim omnium peximum, sed illud, quod cum temperie quadam ponderali, habet cætera membra temperata ad iustitiam, ex quibus postea temperies quædam ponderalis resultat.

Quæstionis occasio.

Quæstionis propositæ titulus explicatur.

Secundo nota, esse hoc intelligendum

cœ-

cœteris paribus; nam cui dubium, temperatum corpus magis esse morbosum, si mala vtatur victus ratione, quam intemperatum, quod sibi cauet ab aere, prauo cibo, potuue, cœteris denique rebus nõ naturalibus? enim verò si senes, ob eam quam adhibent in viuendo prudentiam, minus ægrotant quam alij, quanto magis iuuenes? Cęteris ergò paribus quæritur, vtrum ex prædictis morbosum sit magis.

Galen. in hac difficultate varius.

In re hac non satis sibi constat Gal. nam cap 8. lib. art. med. distinguit corpus tẽperatum à cœteris, & quia perfectiores habet operationes, & caussis quæ ægritudinem pariunt resistit valentius. Vndè dans signa cerebri temperati, *& minimè* inquit *offenditur ab ijs quæ occursant extrinsecus*: & lib. de opt. const. scribit, *quod enim huiusmodi corpus* (temperatum intellige) *rectè ad vnamquamque se habet actionem, difficiliusque quam reliqua corpora morbis corripiatur, vel facilè à quouis deprehendi potest*. At lib. 8. postea met. cap. 7. aut horum oblitus, aut aliter sentiens conclusit esse corpora temperata magis ad febrem prona, quam frigida, & humida, aut frigida, & sicca: & lib. epid com. 2. tex 7. dixit, in constitutione calida multo magis resistere frigida quam temperata.

Alij temperato maiorem ad resistendũ vim tribuũt.

Hinc variæ sententiæ. Quidam autumarunt temperatum corpus valentius resistere morbificis caussis: quia verò videbant iidem temperatum æque pati, à calido, & à frigido, humido, & sicco: frigida à frigidis tantum à calidis calida: Vide Aristot. sect. prob. 2. *cur temperata* inquit *in morbum sæpius incidunt*: huic difficultati occurentes, dicunt, resistentiam non tantum fieri, primarum qualitatum contrarietate, vt cum calida obsistunt frigidis, frigida calidis, sed & robore quodam facultatum, quod cum sit maius in corpore temperato, quam quouis alio, hinc corpus temperatum validius resistere inferunt. Fieri resistentiam à robore, probant multis testimonijs: Citant primum Auic. qui 2. 1 doc. 2. c 4. scribit, corpori valdè debili proportionale tempus nocere, & improportionale ob debilitatem virtutis, & 2. 3. doc 1. cap. 5. dicit, *& vniuersaliter infantibus facilis est casus in spasmum propter debilitatem virtutis cerebrorum ipsorum, & lacertorum*: qui locus est difficilis, quia loquitur etiam de conuulsione ab inanitione, quo multo ante docuerat Galen. 1 epid. com. 1. tex 24. nam exponens verba illa *conuulsiones, & maximè pueros ab initio tenebant*, hoc factum dicit, quia pueri propter neruosi generis debilitatem, sunt conuulsionibus opportunissimi. Demum fen. 2. d 3. cap. 3. scribit venena calida citius necare corpora frigida, quã calida: quia inquit multo magis valet ad resistendum calor, qui innatus est, & robustior, quam frigiditas. Ex his putant patere ad contraria loca Galen. dicunt enim 8 met 8 sumpsisse indicationem à temperie tantum, non à robore virium; proinde dixisse validius resistere febri quæ sunt magis à calore remota, vt corpora frigida. In l. art. med. considerasse eadem corpora: prout resistendi vim habent, non tantum vi temperamenti, sed etiam ob robur facultatis, quod cum sit maius in corpore temperato, & magis ad resistẽdum valeat, quàm qualitatum oppositio, temperatum valentius resistere dixit.

Sententiæ adductæ fundamentum.

Sed sit licet illa sententia doctissimorum virorum, mihi tamen non placet; quia etsi vniuersa fere schola illud fundamentum admittat, resistentiam fieri, nõ tantum contrarietate qualitatum, sed & robore virium vt patet ex Turis. Forl. Gentili, Vgone Argent. Vega 2. ar. med. & alijs, oppositum tamen expressè colligitur à Galen. nam quærens l. de diff. morb. quid sit imbecillitas, seu debilitas, paruũ quemdam recessum esse statuit a naturali temperie: ergò robur, cui imbecillitas opponitur, nihil aliud erit, nisi perfecta temperies. Quare ex Gal. sententia non differt à temperie robur. Idem ergo resistere vi temperamenti, & robore facultatum. Suadet idem ratio, nam robur hoc virium, à quo maior illa resistentia prouenit, aut procedit à facultate, qa essentialiter est alia nobilior, aut qa validius agit, resistitque ratione subiecti, hoc est, quia subiectum habet magis accomodatum, quo pacto ferri calor, & si à stuppæ calore non differat, agit tamen validius, resistitque ratione subiecti densioris. Neutrum ac licet affirmare: non primum quia vna anima non differt ab alia essentialiter. Aget ergo validius, resistetque ratione subiecti melioris. At hoc ipsum est positum in controuersia, valeat ne magis temperatum, quam intemperatum ad resistendum. Præterea si resistit magis ratione subiecti, iam imprudens fateberis, quod paulò ante negabas, resistentiam omnem fieri à qulitatibus, quando vnum corpus detracta anima, temperamento differt ab alio corpore.

Reijcitur fũdamento conuulso.

Neque Auic. discrepat, quamquam discrepare videatur, nam quod spectat ad primum locum, etsi multum laboret Gent. vt exponat, recipit tamen commodam interpretationem, si dicatur corpora senum lædi à tempore proportionali, in qualitate, at nõ in gradu, et improportionali, non ob virtutis debilitatem, vt citatur, non enim hanc causam assignat, *sed quia ab vtroque tempore debilitabitur virtus*.

At dices quomodo ab improportionali lædetur, quando ad meliorem temperiem reducitur? Quia non omnis reductio est commoda, sed quæ fit sensim, nam *omne*

nimis

nimis natura inimicum, nec suffert vmquã repentinas mutationes. De valida causa reducente loqui Auic. patet, quia dicit, *sed cum multa ab æqualitate egressio acciderit, proportionale & improportionale ab eo diuersificabitur ideo, quia virtus debilitabitur*. Intempeties item est debilitas illa cerebrorum, à qua fit, vt facilè pueri conuellantur, eademque facit, vt citius pueri exiccētur, quã iuuenes, qui nõ ita humidi, nã humiditas, cum in subiecto sit raro, resistit minus: nēpè vt multus stuppę calor, minus resistit, quam exiguus calor ferri: sic puerorum humiditas multo facilius dissipatur, quam quæ in iuuenibus. Vnde pueri conuulsioni cuicumque, etiam illi, quæ fit ab inanitione, dispositi magis.

Venena calida nocent frigidis magis, quam quibus est calor robustus, quia à robusto calore dissipantur in halitum. Adducam verba Auic. ne de meo sensu loqui videar: *calor* inquit *innatus, naturæ est instrumentum, qui caloris aduenientis expellit nocumenta, propterea quod spiritum mouet ad expellendum ipsum, & ad eius vaporem remouendum, & ad ipsum soluendum, & ipsius materiam adurendam, hoc est corrumpendam.*

Affertur alius modus euadendi, & confutatur.

Hinc aliter alij dictam tuentur sententiam, dicunt enim argumētum illud, quo monstratur, temperatum corpus nõ obsistere magis, quia valentius obsistit frigido calidum, quam temperatum, non esse ad propositum: neque inde fieri, vt corpora intemperata valentius causis morbosis resistant; quia, vt initio huius quæstionis est dictum, difficultas est de corpore, quod magis resistit causis, quę morbos inuehendi vim habent: modo frigida causa, non est morbosa calido corpori, sed salubris, quia reducit illud ad temperiem optimam: nec calor est causa morbosa frigido corpori, sed salutaris, quia reducit pariter illud ad temperiem commodam. Hac via eludens vim huius argumenti Salu. Sclan. à quo tacito nomine desumpsit Sant. Sant. 2. ar. med. dixere, saluberrimum corpus valentius resistere morbificis causis. Atque ex his patet ad illud argumentum, quod quidam putarũt esse Achillem aduersus dictam sententiã. Est autem si temperatum corpus resistit magis frigori, quam calidum, ergo calidũ in primo resistet fortius infrigidantibus, quam calidum in secundo, & hoc valentius, quam calidum in tertio, & sic deinceps; nam quemadmodum temperatum resistit magis, ita quod temperato est proximius: hoc autem falsum; sequeretur enim dicit Forl. vt quo tempore de reducendo frigido ad temperiem ageretur, tanto maioribus viribus esset insistēdum à medico, quanto propinquius fieret temperato, quia maiore haberet vim resistendi, quam cum intemperatum erat, quod communi sensui medicorum repugnat: patet inquam: nam intemperatum resistit morbificis causis, non reducentibus: proinde non est fortioribus agendum, vbi temperato sit proximius.

Sed neque in hoc sensu sententia hæc admittenda, nam gladius lignum, lapis, & alia huiusmodi, sunt causæ morbosę cuicumque corpori, & tamen multo minus resistit verberibus corpus temperatum, mediocriter nempè molle, & durum, quã nimis molle, aut durum. Rarum prætérea resistit magis internis causis, vt externis densum.

Proponitur communis opinio quæ est Galen.

Dicendum proinde temperatum corpus resistere omnibus causis, sed non omnibus magis quia quibusdam minus, vt e. g. temperatum plus resistit calido, quam calidum, plus frigido, quam frigidum, at quibusdam minus, quam calidum. Antiqui solebant dicere, resistit magis causis collectiuè sumptis, at non distributiuè. Tenet hanc sententiam Forl. 2. art. med. quæst. 6. Christoph. Aueg. Roder. 1. ar. med. cap. 8. Valles. 1. controu. cap. 11. Tur. 2. ar. med. Petrus Garf disput. 10. super 1. fen. Auic. & alij multi. Est demum expressa Galen nam 1. de opt. const. hæc scribit, *similiter, quod sicuius est moderato ab humectantibus minus læditur, ab exiccantibus, quod humidius*: licet pace sua dixerim, non bene ab eodem probetur ea ratione, *quia cum ab extremo quocumque multum recedat, difficulter ad intemperiem delabetur*: nam licet fundamentum hoc videatur esse Arist. 2. de gen. vbi probauit simbola elementa facilius mutari dissimbolis, quia facilius mutatur vnica qualitas, quam duæ, non tamen est ad propositum; si enim ad excitandum morbum calidum, necessarium esset producere totam latitudinem graduum caloris, qui sunt octo, vt in productione elementi, acciperem Galen. dictum, facilius introduci morbum calidũ in corpore calido quia multo facilius introducuntur duo gradus caloris, quam quatuor: modo verò cum satis sit vnius gradus productio supra propriam naturam, omninò vana conuincitur illius ratio, quia tam corpus tēperatum, quam intemperatum vno gradu, aut pluribus recedunt à morbo.

Non tamen eius ratio probatur.

Sic ergo demonstranda illa assertio est. Difficilius temperatum corpus incalescit, quam calidum. Quare resistet excalefacientibus magis quam calidum. Minor probatur, quia si resistentia sit ab omnibus gradibus qualitatis contrariæ, cum plures frigiditatis gradus sint in temperato, quam in calido, certum est temperatum valentius reluctari, quam calidum. Quod si velis cum alijs resistentiam fieri ab eo tantum gradu, qui debet expelli, cũ per viciniam, & vnionem cum alijs gradibus, perfectiorem habeat essendi modũ in proprio subiecto, resistet hac ratione valentius, ac propterea fiet, vt à calidis

causis difficilius, incalescat.

Aegrotet ne corpus temperatum frequentius, quam alia.

Petes quando cunctis resistit temperatum corpus, an ita validè obsistat, ut ægrotet rarò, frequentius autem corpora intemperata, an contra.

Affirmat Vega

Rarius ægrotare, quæ sunt temperata, intemperata frequentius tenet Lar. med. cap. 8. Roder. Vega duas ob causas: altera est, quia valde recedunt ab extremis morbificis temperata, & quæ extrema sunt, rarò occurrunt; altera quia habent, hæc corpora virtutem robustam. Quare maiori causa indigebunt, quo ægrotent.

Reijcitur.

Qui nullo pacto satisfacit, nam cum ad inferendam ægritudinem, non requiratur extremum contrariæ qualitatis induci, sed vnus fortasse gradus supra propriam naturam, nō benè ex eo infert quod multum ab extremis recedat, minus ægrotaturum temperatum. Præterea si extrema, qualitas induci debet, quo corpus ægrotet, & rarò occurrunt extrema, rarò etiā intemperata ægrotabunt.

Tertio quamquam temperata multum recedant ab extremis qualitatibus primis, non tamen recedunt magis ab incidentibus confundentibus. Quare, &c

Distinguit Author.

Dic proinde, si loquamur de morbis, qui à causa interna proueniunt, temperata corpora ægrotant minus, mediocrē enim congerunt excrementorum copiā, neque illa habent prauam qualitatem, nā benè concoquunt, moderatè comedunt, nulla vt propterea appareat causa interna, à qua ægrotent. At corpora intemperata habent multa contraria, nempè aut immodicam copiam excrementorum, vel eadem praua qualitate prædita.

Rarò occurrunt causis externis.

Quod si loquamur de morbis, qui à causis proficiscuntur externis, in hos incurret frequentius. De his puto fuisse loquutum Arist. cit. loc. & quamquam Conciliator, in cōm. exponat problema de temperatis corporibus delicatis, quæ quamcumque aeris iniuriam effugientia, constat resistere minus externis incursionibus, quam assueta, quia auctore Hip. *quæ sunt consueta multò minus molesta esse solent,* Roderic. Veg. parum à Gent. recedens exponit Arist. de temperato, hoc est molli, ac si loquutus magis esset de temperamento in compositione, quam de moderato in temperie, quia dura corpora validius resistunt, quam mollia, qualia sunt vrbanorum, & mulierum: nihilominus suadet mihi ratio, adhuc loquutum esse de corpore verè temperato; enim verò cum multò plura externa contraria habeat temperatum, quam intemperatū, à continuo frequentique causarum externarum occursu oblæsum, ægrotabit frequentiùs, quàm intemperatum. Antecedens est certum, nam si mente conijcias quæcumque corpus frigidum offendunt, sola frigida offendere inuenies, quando à calidis ad symmetriam reducitur; neque frigida omnia officiunt frigido corpori, aut calida calido, sed quæ excedunt. Vnde corpus phlegmaticum e. g. quod vt duo est frigidum, haud quidem læditur à frigido, vt vnum, aut à frigido, vt duo, quia est hoc simile, illud minus, vbi temperatum corpus & à frigido, vt vnum, & à frigido, vt duo læderur, quia quodcumque frigidum est temperato contrarium.

Non obstat autem huic sentētiæ quod diximus, temperatum corpus resistere omnibus, nam quamquam hac ratione minus ægrotare deberet, quia tamen habet multo plura contraria, quam intemperatum, incidit propterea in morbos frequentius, intemperatum rarò, quia incidit rarissimè in ea, quæ nocendi vim habent. Dicito quæso vter valeat pugnando magis, is qui congressus centies cum hoste decem tātummodo vulnera reportauit, an alius qui cum bis tantum pugnauerit, bis fuit vulneratus? nullus credo, adeo hæbes fuerit, vt hunc valentius obstitisse affirmet, & nihilominus duo hic vulnera reportauit, decem ille pagas: verùm quia centies hic pugnauit, propterea erit valentior hic illo. Sic ergo cum se habeat in casu nostro, & resistere temperatum dicimus causis omnibus, & ægrotare frequentius.

At cur hic idem conualescit facilius? negat hoc aduersus Arg. Veg. Nos vero qui maiorem resistendi vim temperato nequaquam concedimus, id fieri dicimus, quia leuiori ex causa ægrotat. Sed pluribus, quam putaram de re hac actum, fit ergo alia duo.

Qui sexus, quæ ætas, quiue habitus corporis morbosus magis.

Cap. V.

QVæ temperies morbis contrahendis sit apta, supra vidimus, nunc qui sexus, qui corporis habitus, quæuè ætas morbosa sit magis examinabimus. Nulli dubium est, mulieres magis esse paratas morbis contrahendis, quam viri: nam in vniuersum sunt fœminę debiliores. Quātò autem quis fortior, tantò causis, quæ morbum concitandi vim habent, resistit valentius. Quare ægrotabunt minus valida corpora, quam imbecilla, & debilia: quamquam vbi robustus cadit, graui lapsu cadit: imbecillum leuia damna circūstare solent; debile enim corpus à quauis vel leui causa prosternitur, leuis autem causa non potest magnum morbum inferre. At virtus fortis contemnens exigua, non nisi à forti causa deijcitur. Hinc 3. de præsag. ex puls. 3. Galen. magis timet intermittentem pulsum in iuuene, quam in puero, aut sene: cuius dicti rationem tradens ait, *nempe hac de re non est periculo-*

lesum sed potius leue, quod imbecilla facultates à paruis occasionibus fiat, vt offendantur: at firma tantum deijcitur à maximis. Iure proinde cum mulier imbecillior viro existat, frequentius ægrotabit, quam viri.

Nuptæ ne an virgines magis valeant?

Quæ tamen ægrotent magis, an quæ cum viro cohabitant, an quæ vitam castã degunt, non est fortasse hoc admodum clarum. Arist. sententia fuit magis sanas viuere, quę vitam cum hominibus degũt. *Sic autem* inquit *res se habent mulierum, siquidem cum viris cohabitant, magis sanæ sunt, contra minus benè habent.*

Quæ, vt rem libere fatear, ni amice interpretetur, nullo pacto videtur acceptanda: nam quæ cũ maribus cohabitant concipiunt; gerunt vero, pariunt. Hæc autem quis non videt quanto cum vitæ discrimine fiant? Notissimi sunt dolores partus, & omnium sententia acerrimi omnium: scit pariter quisque, quanto prematur pondere grauida mulier, quantis primis gestationis mensibus affligatur symptomatis, vt omittam, quod à partu pati non rarò solent diminuta puerperia, secundinas relictas, lactis concretionem mammillarum tumores, earũdem vlcera, matricis prolapsum, herniae inflationem gutturis. Adde & experientiam, nam moniales longissimam vitam degunt, & vt plurimum ad vltimum perueniunt senium, quod valdè rarum in nuptis. Nec mouere nos debet, quod pro Ar. adduci posset, liberari congressu viri ab affectionibus hystericis, melãcholia, obstructione, nam cum non semper fiant hi affectus ab vnica seminis retentione, sed quandoque à suppressione mẽstruorum, quandoque à corruptis humoribus, atque hæc pati possunt non minus nuptæ, quam nubiles, non video, cur incerti huius emolumenti prætextu, certa sibi comparent nocumenta: nisi earum laudes inuentum, quæ ne Veneris stimulis percellantur, & vna simul partus fastidia vitent, cum Eunuchis rem habent; nam vt Iuuen.

Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper.
Oscula delectent, et desperatio barbæ
Et quod abortiuo non est opus.

Aut earum probemus ingenium, quæ naturam adulterantes, cum altera sui sexus iunguntur, quemadmodum Bassa illa, de qua Mart.

Quod nunquam maribus iunctam te Bassa videbam,
Quodque tibi mœchum, fabula nulla dabat;
Omne sed officium circa te, semper obibat.
Turba tui sexus, non adeunte viro.
Esse videbaris fateor Lucretia nobis;
At tu (proh facinus) Basso fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos
Mentiturq; virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum,
Hic vbi non est vir, vt sit adulterium.

At? quis erit adeò nefarius, qui hæc non damnet? benè sit nostro Senecæ, qui de impudicis his mulieribus verba faciens, *Dij inquit, Iorq; illas male perdant, adeò peruersum commentæ genus impudicitiæ.*

De ætatibus

Quantum ad ætates, patet ex dictis quid sentiendum; nam si ij morbis obnoxij magis, qui debiliores. Quis non videt nuper natos esse morbis obnoxios magis? esse pariter pueros ob ætatis mollitiem? Adde quod, & hac ætate prodeunt dentes. Dentiunt autem cum pueri, gingiuarum pruritum patiuntur, febres, cõuulsiones, & alui profluuia: infestantur autem his potissimum, caninos cum dentes emittunt. Quid cum paululum fuerint ętate progressi? tonsillarum accidunt inflammationes, vertebrarum ad partem internam impulsus, difficilis respiratio, calculi, lumbricorum genus ferè omne, verrucæ, ac alia tubercula, vt latè Hipp. 3. aphor. 24. & sequentibus.

Obiectio.

At si quo imbecillior ætas, eò morbis subijcitur magis, cur scripsit Hip. 2. apho. 39. *vt plurimum senes iuuenibus ægrotant minus*: Num senes fortasse iuuenibus fortiores? minimè verò, nam constat oppositum, ex quo fieri putat Galen. aphor. hunc proximè sequenti, vt raucedines, & grauedines in senibus nequaquam coctionem admittant. Quid demum quod idẽ Hip. aphor. vlt. 3. par. docet tot morborum generibus esse obnoxios, vt vix alios agnoscat medicina? *senibus* enim inquit *respirandi difficultates, destillationes cum tussi vrinæ stillicidia, difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines apoplexia mali habitus pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates.*

Sol.

Dic tu cũ Galen. in com. minus ægrotare senes, quam iuuenes, quia maiorem adhibent in viuendo prudentiam, vnde non omnes minus ægrotant, quia non omnes continentes.

De habitu corporis.

De habitu coporis. Densum corpus minus obladitur à causis, quæ extrinsecus occursantes offendunt, multum ab internis: cõtra rarum facilè patitur à quauis externa incursione causarum; effugit verò iniurias internarũ; Ratio est quia per rarũ est facile excipit, quę foras existẽtia ingrediuntur, contra densum, neque externis aditum præbet, neq; internis vaporibus exitum permittit. Conclusi ergo lædunt: non lædent extrinseca, quia non admittuntur. Neque huic contrarium est, quod p. de diff. feb. 3. Galen. dicit: corpora reseratos habentia poros, minus lædi ab aere pestilenti, & putri, quam adstricta, nam vt legenti locum illũ

patebit, non confert Galen. cum corpora tam densa, sed rara optimis plena succis quoque nullum erratum committit, cum adstrictis [illegible] & quaque in [illegible] delinquentibus. Vide si placet Garb. p. [illegible] feb. 3.

De habitu longo, & breui.

De habitu longo, & breui Hip. sententia [illegible] aphor. vltimo. Corporis longitudinem magnopere conferre ad ornatum, & liberalem admodum esse, ac iuuentuti decentem, senectuti inutilem, nocuamque: nam languente virtute non potest rectum sustinere corpus, quo fit, vt magna gibbositas contrahatur. Hæc de causa materiali, transeundum ad efficientes.

Habeat ne morbi causam continentem. Cap. VI.

Duplicem esse morbi causam supra [illegible], materialem nempe, & efficientem. Quamobrem postquam [illegible] de primis, et modo [illegible] de [illegible] duplex [illegible], de illa primum loquemur, cumque [illegible] continentem, & antecedentem, negant illi [illegible] primum [illegible] nec morbus continentem causam. Cæterum cum non admodum constet ex Galen. quid sit causa coniuncta, quandoque voluit, idque conet Vallesi. [illegible] continentem esse, qua remota, remouetur effectus, [illegible] ponitur; nam [illegible] *sunt causæ continentes pulsuum facultas, instrumentum, & vsus* [illegible] nulla earum potest pulsus prouidere, quamquam tollatur quauis illarum remota. Contra [illegible] diffiniens [illegible] *afficiunt, & [illegible] causam esse [illegible] in [illegible]* lib. aduersus [illegible] *neque [illegible] causæ continentis rationem habent quam fieri ab ipsa, & cum ipsa cessare* [illegible] intelligentiam, coniunctæ nomen, secundo [illegible] vsurpat, vnde est quæstio, habeat ne morbus [illegible] causam efficientem coniunctam, à qua scilicet in fieri & esse, continuo pendeant. [illegible] de formali [illegible] materiali nulla est dubitatio. Quis enim ignorat [illegible] morbus [illegible] ponit ipsum [illegible] [illegible] abolita [illegible] in morbus [illegible] symptomate [illegible] affirmant [illegible] facile est.

Rationes vtrimque adducuntur.

Partem quæ affirmant, suadent morbi in [illegible] cauitate repleta, & tumore [illegible] posito lapide in vesica, aut [illegible] digito, morbus ponitur, idemque [illegible] mox causa remota [illegible].

Suadet contrarium natura morbi, nam hic, vt scripsit Galen. [illegible] de genere permanentium, [illegible] à [illegible] fiunt, quia hæc tota est in fieri, morbus habet aliquid facti. At factum nulla causa eget, à qua continuo foueatur. Quare [illegible] si causam morbi habeant, nulla esset sumenda à morbo indicatio, quando causa amota, protinus citra omne aliud auxilium, morbus remoueretur.

Tertio si qui eam habet, vel sunt morbi in soluta vnitate, aut mala formatione, aut intemperie. At nullus ex dictis illam habet; non primus, nam quamquam humor salsus erodensque remoueatur; non remouetur propterea statim vlcus ab humore factum, nec vulnus à gladio inflictum, aut digitus, ab eodem obtruncatus. Nec magnitudo à causa aliqua externa imminuta remouetur remota causa: intemperies item, quæ ab humore fouetur, cum sit qualitas, eaque facta, & permanens, consistet adhuc remoto humore, durabitque.

Prima sententia negat.

Hinc varie de re hac opinatum. Dari putant quidam. Negant Leonic. Fuc. Fernel. Comes Mont. & alij multi; quia vero videbant, si qua cauitas obstruatur, [illegible] imminuatur à lapide, aut flatu, statim vitium illud tolli amoto lapide, idemque consurgere statim positis in cauitate humoribus, flatu, aut lapide, nec aliter contingere in tumoribus: nempe fiunt statim, ac confluit materia ad partem, idemque tolluntur eadem vacuata, dixerunt humores facientes obstructionem, & tumorem, non esse causam morbi, sed ipsumet morbum, quod comprobant multis; primum, quia Galen. cap. 5. l. de diff. morb. diuidit intemperiem in simplicem, & compositam, quod faceret male, nisi humor ad essentiam intemperiei spectaret. Secundo quia scribit idem phlegmonem hæc omnia symptomata pathognomonica consequi, tumorem, dolorem, calorem, ruborem, tensionemque symptomata pathognomonica dicta, nonnisi à morbo possunt originem ducere. Quare fiet rubor à morbo, sed hic nonnisi à sanguine trahit originem. Erit proinde sanguis ipse morbus. Confirmant tertio quia docens curare tumores primo progn. [illegible] eos omnes [illegible] scribit discussis humoribus, qui tumorem efficiunt, & [illegible] de tempe. [illegible] *cum phlegmone inquit, ex calida fluxione [illegible], propria quidem eius curatio, vacuatio [illegible] est; vacuationi autem particula [illegible] quæ per phlegmonem excalefacta est, omnino succedit refrigeratio*: at curatio non nisi morbo debetur, quare materia illa [illegible] spectat ad essentiam morbi.

Dixerunt alij, vt Com. Mont. lib. [illegible] de morb. cap. 22. tumorem non esse dispositionem præter naturam partium simplicium tantum, sed & substantiam, & qualitatem [illegible] morbus [illegible] substantiæ [illegible] humor [illegible] ratione qua idem [illegible] causam [illegible] non efficientem, sed materialem, atque

ma-

[illegible] quia hæc non nisi [illegible] compositionem [illegible] sed materialis an- qua, quod idem est ac dicere, esse subie- ctum cui prædicta mala dispositio [illegible]- ret. Hinc causam continentem exclu- dit, nam quamquam posito tumore hu- more posito, [illegible] tollatur, non se- quitur propterea dari causam continentē in tumore, quia humor ille, vel est pars tumoris, vel subiectum illius: non est au- tem pars causa efficiens. Quare neque co- tinens esse modo aliquo poterit. Quod

Reijcitur admittendam esse concluditur.

[illegible] Mont. quidem duas ob causas, primum quia ponit vnicum mor- bum, & substantiam esse, & qualitatem, quod non intelligo: secundo quia ponit morbi subiectum esse humorem, quod à nobis reiectum cap. 3. huius libri: & alios; nam quis non videt, aliud esse obstructio- nem, aliud obstruentem humorem? quemad- modum multo diuersa est sacculi disten- tio à distendente [illegible], nam obstructio est dispositio quædam [illegible] per quam cauitates, quæ antea erant apertæ, sunt occlusæ: humores obstruentes [illegible] dicti obstructionem efficientes: qua de re [illegible] multa Valler. [illegible] Nec me mouet [illegible] primum [illegible] [illegible] data est [illegible] per essentiam, [illegible] species [illegible] qualitate [illegible] [illegible] nec [illegible] [illegible] esse concederem, probarent [illegible], siquidem [illegible] morbum materialiter, non formaliter. Nec secundum [illegible] sympto-

Satisfit rationibus.

mata [illegible] sequuntur morbum mate- rialiter sumptum, non formaliter. Nimi- rum in phlegmone improportio par- tium [illegible] ab humoris qualitate [illegible] facta, quæ dicitur intemperies: [illegible] tium in mala compositione [illegible] humoris corpulentia productum: adest & præter hæc fundamentum huius im- proportionis, quod est praua humoris qualitas, & copia abundans. [illegible] morbus materialiter, & hoc est, quod me- [illegible] considerant semper, nam improport- tio illa, magis physicæ est contemplatio- nis, quam medicæ: [illegible] de signis phlegmonis Gal. [illegible] medicus, dixit rubo- rem esse pathognomonicum signum, & à morbo fieri, quia sanguis est de essentia morbi materialiter sumpti, quamquam [illegible] formaliter, nullo modo ad eius essentiam spectat. Ad tertium quid sit dicendum, patet ex his, quæ præcedenti libro, & lib. 14. de curatione dicentur.

Quod si non placeant illa, dic secundo, confundere [illegible] Galen. cum præ- seruatione curationem, vt propterea nō [illegible] tumori, qui hu- morem habet comitem, semper curatio- nem dumtaxat attribuat. Possem mon- strare assumptum multis testimoniis, quia verò luculentissimum est quod legitur in Com. 12. [illegible] transcribam [illegible] propterea tantum, quod illo loco habet, *sed & his inquit, addamus aliquid propter de- liros, quales sunt quidam medici recentiores, qui de nominibus altercantur, & putant se de rebus ipsis habere sermonem. Hi autem sunt, qui aiunt causarum efficientium mor- bos abolitionem, nō esse curationem, sed præ- seruationē; qui primū quidem docendi sunt, quod de nomine litigant; deinde quod neque de hoc ipso rectè; vbi enim causa non adest quæ morbum efficiat, hic sola curatio facto- rum relinquitur; vbi verò ea, quæ inest cor- pori causa, nondum aliquid facit, veluti quæ plethora est idest plenitudo vocatur, ad præ- seruatiuam artis partem attinet, huiusmodi causarum demolitio. Cùm verò iam aliquid agit, mixtum iam quodammodo est huiusmo- di opus, ex præseruatione, ac curatione; nam quod factum erat causæ illæ, prohibitum est fieri, & hoc ad artem attinet præseruati- uam; quantum verò iam morbi factum est propriam exigit curatiuam. Quapropter tum mixta sint talia, ex præseruatione, & curatione, proprio caremus nomine, atque id- circò alias alia vtimur appellatione, non- numquam præseruari dicentes, ne morbus, qui iam incipit generari, ad complementum perducatur, nō numquam verò curari quem- admodum in ijs, quos canis rabidus mo- morderit; quæ enim ipsis adhibentur medici- næ, duplicem habent appellationem. nam & non numquam rabiei remedia, ac sic rabiem facientis dispositionis dicuntur, non num- quam verò, non remedia appellantur sed ra- biei salutaria præseruantia;* [illegible]

An in omni morbo adducitur Christop. Auega, qui negat.

Admittenda ergo in quibusdam saltem morbis coniuncta causa cum reliquis medicis. Sed in quibus nam? Christoph. Auega 3. art med. cap. 4. admittit eam in morbis ex adiectione, negat in ijs, quos imminutio concitat; vt morbi e[illegible] facti ex magnitudine adaucta, auctoque nu- mero, ex situ mutato per quem pars ali- cubi abundat, vbi esse nequaquam debe- ret, ij demum, qui ex additione gradus qualitatum fiunt, habent causam coniun- ctam, non qui fiunt ex imminuta vnio- ne, quantitateque: fundamentum tactum est in argumento tertio. Addit Franciscus

Valles.

Valles. non tantum morbos ex imminu- tione, hac causa carere, sed & illos qui ab intemperie fiunt, quia & hi sunt perma- nentes qualitates. Eiusdem sententiæ est Vega, [illegible] loc. aff. sect. 4. [illegible]. Nempe statuit, contrariarum affectus causam con- iunctam habere, qui aut è successiuorum sunt genere aut de genere eorum per- manentium, quæ [illegible] partes omnes sun- ctas habeant, & integritate fruantur, quia tamen sunt fragilis conditionis, nullo tē- pore permanent, vt species sensibiles; & lumen: eiusdem conditionis cum putet esse tumorem, & obstructionem ab hu- more, aut lapide factam, in his causam continentem admittit, negat in morbis à solutā vnitate, & intemperie.

Alij

Vallesius.

Alij non omninò excludunt hoc genus causæ ab intemperie quauis, sed negant in facta, in fiente admittunt. Ita Valler. enar. 1. lib. 1. & alij multi, deducuntque ex Galen. nam 4. met inquit *auspicari perpetuo curationem oportet, ab affectu. cui mederi paramus, æstimare verò, ac discernere, an causa, quæ affectum excitauit, desierit: an ipsum quoque tum augeat, cum facit: at si causa agere iam desijt: id tantum, quod factum est, curare studemus, de causa nihil cogitantes: si verò adhuc etiam nunc agat: huic ne agere peragat intenti, affectus curamus*. Quorum nullus satisfacit: ac primu, non possum non mirari Christophorum Aueg. qui cum morbum relationem esse dixerit, non admittit in omni morbo coniunctam causam; nam si relatio quęuis posito fundamento, & termino ponitur, eademque vanescit, si alterum illorum deficiat: non video, qua ratione possit in quibusdam morbis hanc causam admittere, negare in alijs, vt bene cōtra ipsum notauit 4. contr. Vall. eoque dignior est reprehendi, quod non vidit Argen. lib. 1. de cau. morb. cap. 9. id aduertentem. Nec detrahi ab hac sententia debebat, quia remoto humore erodente, aut gladio secante, non tollitur statim vlcusque vulnusque, neque abolétur partium deficiés numerus magnitudoque, quamquam causa horum affectuum remoueatur; nam vnitas soluta, numerusque deficiens causa sunt, non morbi. Et quidem, si ex eius mente, aucta magnitudo numerusuè, sunt causa morborum. Cur magnitudo imminuta, numerusquè deficiens, morborum causæ non erunt? An non absurdum est in vno genere, contrarium vnum ponere, in alio aliud?

Adducta. Aueg. opin. reijcitur.

Obijcies non ne lib. superiori c. 2. dixisti vnitatem solutam esse morbum, cur ergo modo id negas? Quia ibi ex Aduersariorum mente, hic ex mea loquor.

Reijcitur Vallar.

Tolerabilior eorum sententia est, qui cum morbum qualitatem esse opinentur, quosdam morbos autumant causam prędictam habere, de alijs negant: quamquam neq; hæc admittenda, & vt ordiar à Vall. vel hic per morbos fientes, eos affectus intelligit, qui totum esse in fieri habent, vel eum qui aliquid habet facti, fientis aliud: non potest dici primum, nam hi affectus, sunt passiones, non morbi: nec secundum, nam morbi illi, parte qua sunt facti, non habent causam coniunctam, parte qua sunt in fieri, non sunt morbi, itaque etsi pars illa fiés causam coniunctam habeat, non habet propterea morbus coniunctam causam. Non me fugit sophisma cuiusdam, qui vt refert Trinc. ep. 9. & 10. morbum fientem, morbum esse putabat hoc argumento monstrare. Affectus ille, est quid pter naturā: aut ergo est causa, aut morbus, aut symptoma. Nō causa, aut simptoma. Quare morbus: sed contemno, nam effectus ille, morbus quidem est, sed potentia, non actu, vt bene Trinc. loco citato.

Valles.

Quid de Valles. & Vega? Certè qua ratione, propriam sententiam probat Vall. eadem potest facile reprobari. Putat Valles. morbos in intemperie, causa coniuncta carere, quia sunt factæ qualitates: at verò nedum intemperies, sed & cœteri morbi sunt de genere permanentium. Quare si hęc ratio obstet, nullus morbus habebit coniunctam causam.

Dices, non omne permanens causa coniuncta carere, sed illud dumtaxat, quod fragilem conditionem, non habet, vt lumen, aut multum continet facti: quæ parum habent facti, & sunt minimę entitatis, hæc ni continuò sequentur à causa, mox desinunt esse. Hinc Auic. 2. p. cap. 2. loquens de curatione intemperiei, cum humoris præsentia ait, *& plerumque quidem ei sola sufficit euacuatio, si complexionis infusa, quæ præterita est, malitiam ibi non reliquerit*: intellige tu multam; nam vt nullam induxerit, fieri non potest, nàm non esset intemperies, cuius curationem instituit.

Certè rem fatebor ingenuè, visa est quandoque mihi hæc euasio vsque adeo ingeniosa, vt dixerim probabilem esse hanc sententiam: at re inspecta, & perspecta, nullo modo censeo admittendam esse; si enim morbi isti parum facti obtinerent, cum parte, qua sunt facti, morbi sint, & oblædant, essent hi omnes morbi exigui, contemnendi, & minimam noxam nostro corpori inferrent; at lapis in vesica e g & alij, quibus causam continentem, non denegant, magnopere vexant nostrum corpus, & torquent. Quare falsò dicunt, parum facti obtinere.

Dicemus proinde, morbum materialiter sumptum, esse de genere permanentium, & causam coniunctam non habere: formaliter acceptum, non esse quid permanens: & vt sic, causa hæc illi non est deneganda. Quia ergo medici de morbo materialiter sumpto agunt, Philosophi de eodem formaliter accepto: medice loquendo, nullus morbus haber causam coniunctam, omnes habent, si de re ista loquamur, vt Philosophi.

Valeant nè causæ procatarcticæ, dictæ, inferre morbos. Cap. VII.

CAusas, quas Gręci procatarcticas dixere, Latini appellarunt prægressas, Cels. euidentes externas alij. Prægressas vocarunt, quia cunctas alias, in morbi productione origine præcedunt, & notitia si Iacobo de Partibus fides est adhibenda 2. p. doc. 2. cap. 1. aut quoniam, vt vox ipsa sonat, rarò existūt facto morbo, vnde quia abiere, prægressæ sunt dictæ.

Euiden-

Euidentes autem, quia vt cognoscantur, nulla est opus diligenti indagine, sed aut adstantium, aut ægrotantis relatione, innotescunt. Sunt eædem procatarcticæ dictæ à Græcis, vt placuit Iac. de Part. quia procul esse debent a catarctico, nam nullo est opus medicamento, vt extrudantur. Has inquam causas, duplices esse prodidit Galen. l. ar. med. cap. 85. necessario occurrentes, vt aer, motus, & quies, cibus, & potus, somnus, & vigilia, excreta, retenta, animique accidentia, alias quarũ occursum facilè vitare possumus, vt ictus ferarum, venenatorum animalium morsus, fascinatio, incantatio. Quando ergo monstratum, dari causam coniunctam, examinandum modo, valeant ne externæ, & necessariò nobis occurrentes, inuehere morbos, nam de alijs infra disputabimus.

Pars quæ negat, his potest persuaderi. Seruant hæ causæ externę nostra corpora. Non itaque lædent. Si lædendi prætera vim haberent, læderent eos omnes, quibus occurrunt: ab ijs demum remoti homines, statim cõualescerent. At neque quicumque commorantes in sole, in febrem, aut alium morbum cadunt, nec vbi incurrant, remoti à sole curantur. Quare, &c. Tertio quies & somnus sunt priuationes, & quod est excretum, non est amplius. Alimentum demum, vt scriptũ 2. de anima 45. *Patitur aliquid ab eo, quod alitur, sed non hoc ab alimento: sicuti neque faber à materia sed ab illo hęc: faber autem mutatur ex otio in actum*. Idem habet Galen. 2. cap. 3. de temp. docet enim & recte cibum differre a medicamento & veneno, quia alimentum purum patitur tantum: venenum agit solum in cor & non patitur: medicamentum & agit, & patitur. Quare hæ saltim causæ, morborum authores numquam erunt.

Opinion. varia. Ita creditum antiquissimis sæclis, & vt refert Galen. lib. de cau. procatar. cap. 1. & 2. Erasist. fuit huius sententiæ auctor. Amplexatur eamdem nostri temporis vulgus, nam quoties audit aliquem ægrotare, aut quoniam in sole plus iusto est moratus; aut quoniam laborando nimiũ est lassatus, vel demum quia refrigeratus, aut calfactus dicit, ogni male vuole l'occasione, hauea da venire. Admisere eas alij, sed causas per accidens dixerunt esse. Fundamentum est secunda ratio adducta. Alij tertio, & causandi vim tribuerunt hisce causis, & per se causare autumarunt, numquam tamẽ morbum producere dicunt, ni aliquam ex causis internis promoueant.

Reijciuntur. Qui quam longè à veritate aberrarint facilè ostenditur; nam vt ab vltima opinione initium fiat, dicat quæso, num si cui præcidatur ex ictu, aut manus, aut digitus, aut alia pars externa vulneretur, impermutatis internis, fiet morbus in numero diminuto, continuitate soluta? negabit haud quidem hoc quispiam. Quare & inferre morbos hæ causæ valent, & inuehere, quamquam nullam aliam excitẽt. Et vera proponitur. Quædam tamen morbum per se inducent, efficienter ipsum producendo, vt aer, cibus, potus, retenta: faciunt alię hoc per accidens, & occasiones sunt potius morborum, quam veræ causæ, vt quies, somnus, excretio, & pathemata animi, vt vltimum argumentum suadet, & ex dicendis infra constabit magis.

Quod antiqui adducebant, vt suaderẽt contrariam sententiam, non obstat, & eleganter simul à Galeno reijcitur citato lib. cap. 2. hunc in modum, *sed in medium proferamus aliquem oratorem defendentem quemdam pugilem, qui quod pugno vetulam percussisset, vnde est illa mortua ab aduersarijs accusetur, & in iudicium trahatur, vbi ab auctore probatur, quod ille eam percussit, quodque ea mortua est fingamusque Rei Patronum hoc modo cauillis Erasisti confisum, illum defendere. Vidistis credo pluries Iudices Opt. Virum hunc in palestra plagis aduersarios pulsantem, vicissimque ab illis percussum nec tamen, hic ab istis, aut illi ab hoc occisi fuerunt Non ergò quod pugno vetulam percusserit, causa mortis extitit; nam si percuti in causa mortis extiterit, qui vehementius percuterentur, citius interirent. Deriderent quidem dubio procul omni Iud sic orantem*; nam nullus est adeo hebes ingenio qui ignoret, nullam causam sine patientis dispositione quippiam efficere posse. Constitutum ergo sit aduersus hos sophistas, causas has procatarcticas, & esse causas morborum, & per se illos producere, quamquam nullam aliam ex internis exciirent; nam quę adducunt in contrarium. Quis non derideat? Sunt inquiunt causæ salubres: fateor: at quid vetat, quo minus fiant insalubres, cum aut qualitate non congruunt, aut quantitate superfluunt? Vide Galen. 3. ar. med. tex. Non omnes addunt, ostendũt. At non propterea negandum esse causas, nam vt 2. de diff. feb. 4. *nulla causarum, sine patientis aptitudine agere potest*. Remoueretur clamant alij effectus remota causa. Quare cessaret febris inducta à sole, vbi à sole recederent. Cessaret, si essent procatarctica causæ, coniunctæ causæ. Quod adducitur ex 2. de anima, aut ex aliorum sententia dictum puta: aut de vltimo alimento expone, aut dic tertio cum Auer. non ita corpus ab alimento pati, quemadmodum alimentum à corpore, nam corpus mutat alimentum in sui substantiam, numquam cibus mutat animal in sui naturam. Dic 4. cum Auic. 2. 1. d. 2. cap. 15. non pati cibum à corpore passione de qua fit curandum: dicunt alij sensibiliter. Quod affert Apoll. non pati corpus alimento passione corruptiua, reijcio, nam plures occidit gula, quam

Adductisque pro contraria sententia respondetur.

gla-

gladius. Vide de ro hac Gal. 3. de caus. sympt. cap. 2. dum agit. deuitijs nutritionis.

Valeat ne plus aer ad inferendos morbos, an cibus. Cap. VII.

EXternas res non naturales vocatas à medicis, nos plerumque afficere cap. superiori monstrauimus: vtra tamen plus valeat ad inferendos morbos, aer nempè, an cibus (intrà has enim causas est de dignitate dimidium) disquirendum modo.

Tituli dilucidatio.

Ne tamen litis punctum te lateat, scias velim, non verti in controuersiam, inuehat ne maiora damna, aer putris, & pestilens, an cibus calidus, alimentum putre, an aer crassus; constat enim cuiquè, plus posse putrem aerem, quam calidus cibus; plus alimentum putre, quam aer crassus, aut tenuis. Disputatio agitatur, supposita æquali aeris, & alimenti malitia, nam quamquam aer, & ambiendo, & ad abditas corporis partes permeans, nos permutet continuò: quia tamen cibus, non tantùm qualitate, vt aer, sed & quantitate nos afficit, permanentemquè morbis materiam præbet, validius videtur nos offendere, morbosque cōtumaciores inuehere. Adaugent dubitationem Galen. & Ar. nam hic 1. sec. probl. 13. ità aeris mutationem contemnit, vt ne morbosam quidem esse velit.

Ratio difficultatis.

Vndè quærit, *propter quid aquarum mutatio morbida, aeris autem non*. Gal. contra tantum aeri tribuit, vt vbi ille nos afficit, cæteras omnes causas in contrariam vertat qualitatem, quo aeri efficacissimè agenti, non inferiori præsidio occurratur. *Optimæ* dicebat 3. ar. med. t. 50. *corporis constitutioni cum circumfusus aer fuerit in temperie positus earum rerum de quibus nuper diximus, quietis, & motus, somni, & vigiliæ, & eorum, quæ assumuntur & excernuntur, quantitas moderata conueniet: cum verò aer à temperie recesserit tantum à mediocritate variare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus*.

Vegæ opinio.

Roder. Vega, cum dubitandi rationes pen. isset, distinctione litem dirimendam putauit. Dixit ergò lib. ar. med. cap. 85. plus posse aerem celeritate agendi, & tenuitate: plus valere alimentum densitate, & formæ multitudine: quare & robore.

Reijcitur.

Qui neque litem diremit, neque docuit vera; nam cum quisque citius incalescat ab ignitis carbonibus, aut ferro quam à flamma, stuppæ, seu paleæ, erit multo cōducibilior formæ multitudo ad celeritatem actionis, quā agentis tenuitas. Quare celerius nos afficiet cibus, qui crassioris substantiæ, quam aer qui tenuis Et licet venenatus aer citius necet, quam quodcumque aliud venenum epotum, aut deuoratum, nō fit hoc, quia celerius agit aer, quam cibus, sed quia ille rectà ad Cor fertur, cibus nō nisi longo tractu & multum alteratus: quęstio est posita paritate.

Non diremit secundo litem, nam non est controuersia, vtra causa celerius agat, sed quæ validius: vt si accipiatur aer vt tria calidus, & alimentum pariter vt tria calidum, dubitatio est, quod nam stomachum calfaciat magis, aer nempè assiduitate actionis, an alimentum multitudine formæ.

Ergò dicunt alij, plus valere aerem ipso cibo. Ita Concil. diff. 114. Forl. quęst. 5. super tertium ar. med. nec discrepare videtur Roder. Potest probari quia videmus multos morbos quos neque cibi abigere potuere, nec pharmaca, aeris mutatione curari; vnde scriptum est ab Hip. 6. epid. sec. 2. tex. 27. *in longis morbis solum vertere conuenit*. Præterea multo magis valet agens, quod semper habet integras vires, & continuò agit, quam repassum, & agens per interualla: repatitur à nostro corpore cibus, & multo magis patitur, quam agat, nam assimilatur: agit præterea per interualla temporum, aer continuo, & vbi quicquam à corpore est passus, statim illo expirato, succedit alius integer. Primæ itaque partes dandæ aeri, secundę cibo. Id cum nouisset Galen. monet 3. ar. med. 10. vt aduertit Hali, Turis. Vega, & alij, vt vbi aer excessu alicuius qualitatis distemperat corpus, omnes alias res non naturales æquali excessu aeri opponamus, vt si ille e. g. est calidus vt duo, vtamur alimentis vt duo frigidis, potu eodem gradu frigido, & alijs omnibus refrigerantibus: nam quamquam calidum vt duo, à frigido vt duo remitti possit, non potest tamen aeris continuo agentis noxa, admotione alterius causæ corrigi, sed continua oppositione contrarij est abigendum, quod continuata aeris actione est introductum; quamobrem cum nō liceat semper bibere, aut comedere, conuocanda sunt alia omnia, vt damno ab aere illato, occurrant omnia. Hinc 1. epid. 2. t. 7. monet Gal. vt in frigida humidaq; aeris intemperie, calfaciamus corpora exercitio valido, vino forti, & cibis calidioribus.

2. sententia.

Sed quamquam sit hæc sententia doctissimorum virorum, ego tamen censeo cum distinctione esse respondendum. Dico ergo, si sit sermo de partibus spiritualibus, & animalibus, magis has aere obledi, quam cibo potuuè: naturales minus ab aere offenduntur, assumptis magis: ratio est, quia cibus, non nisi valdè refractus ad caput & thoracem pertienit, integris at viribus aer loca illa pertingit, & vix inspiratus, & à corde excalfactus reijcitur, & alius inspiratur de nouo, quia cum nō habeat locum in vētriculo, nam multum in stomaco detinetur, non potest eo modo alterare ventriculum, quemadmodum

3. sent.

modum partes spirituales. Vide Gal.

Difficilis Ar. locus exponitur. Ar quæres, si tanta est aeris in agendo efficacia, nihil vt æquè iuuet, aut lædat spirituales partes, & animales: quid voluit Arist. vbi dixit, *propter quid aquarum mutatio morbida, aeris autem non*. Hic primum scias velim, non negare Arist. mutationem aeris esse morbidam, namquamquam quidam textus ita legant, alij tamen melius hunc in modum, *cur mutationem aquarum grauem, aeris autem non grauem esse affirmant*. Quamquam neque si prorsus neget, mutationem aeris morbosam esse, est quod turberis; loquitur enim de mutatione aeris ad paruam distantiam factam, vt si ab vrbe, ad suburbium, aut ab vna ciuitate ad proximam quis se conferat, hoc enim breui spatio peragrato, aquarum differentias multas degustamus, at aerem vniformem spiramus: nam cum aerem varium reddant varia climata, aquæ fiant variæ ex terra, contingit nõ raro, vt intra breue spatium terræ, & in eodem aere, diuersissimæ aquæ inueniantur. Ita Concil. diff. 145. Forl. quæst. circa, & Vega 3. ar. med. 17. & est expressa Arist. dicit enim, *aquarum genera multa, & varia per se sunt, sed aeris minime. Ita que hoc etiam causa esse potest quippe qui, cũ peregrè etiam profectus in Cælo quidem prope eodem, in aquis autem varijs versari eueniat. Qua propter aquæ multitudinem grauem esse, rectè putatum est*. Addo ego, Arist. loqui de mutato aere à viatoribus, qui non detinentur in loco mutato, sed statim proficiscuntur alio. Constat autem si quis Neapoli Nolam contendat, indeque bibita aqua Nolani agri statim Neapolim redeat, magis posse offendi à bibita aqua, quam ab aere, nam aer continuitate actionis offendit, quod nõ potest facere, vbi quis Nolæ non fuerit commoratus. Colligitur hæc expositio expressè ex Arist. nam dicit, idcirco aquam lædere magis, *quia illa bibita complexaque peregrinamur*, peregrinantes non habemus aerem primo inspiratum. Hac cum omninò fugerent medicum quemdam nostri temporis, negauit id vnquam ab Arist. scriptum, tantum abest, vt aut expositionem Conciliat. viderit, aut aliquid de nouo addiderit, quod nos facimus (absit iactantiæ nota), & tamen est magni nominis medicus: sic ludit, & illudit etiam in his rebus fortuna, sine fatum. At quo rapior? sit sequens caput.

Quos morbos aer, quaue ratione excitet. Cap. IX.

Externas causas lædendi vim habere ex dictis constat. Quos tamen morbos cieant, & qua ratione, valdè dubium; vnde cum id scire non parum conferat, declarandum, primo tamen in aere, deinde in reliquis, ne quæ oriatur confusio. Docens 3. ar. med. 5. Gal. quid ab aere nostrum corpus patiatur, *ab aere* inquit *ambiente, quia aut calefit, aut frigefit aut exiccatur, vel humectatur, vel secundum horum patitur coniugationem, aut in tota substantia alteratur*, quam sententiam licet exponens Hali antiquissimus Arabs d. car. declarare ijs verbis Gal. quot modis aer ambiens alteretur, & alteratus postea permutet corpus: nihilominus ob rationes, quas affert eo loco Turis. rectius sentiunt, qui affirmant, declarare ibi Gal. affectiones, quas corpus ab aere patitur. Propterea videamus quid scribit cit loc. nam illius sententia percepta, consequemur propositum.

Ab aere inquit *ambiente quia aut calefit, aut refrigeratur, &c* quod est corpus nostrum, duplicem pati solet ab ambiente nos aere alterationem, occultam aliam, aliam manifestam, siue in primis qualitatibus, & hanc duplicem compositam nimirum, & simplicem, quarum quæq; quadruplex, calida, frigida, humida, sicca, calida humida, calida sicca, frigida sicca, & frigida humida. Alteratur ergò corpus ab aere, vel quia calefit frigefit, humectatur, siccatur, vel secundum horum patitur coniugationem, aut quia in tota substantia alteratur. Quid sit alteratio simplex quid composita, nullus est adeo rudis, qui ignoret: alterationis in tota substatia naturam, pauci intelligunt. Quare explicanda, vt complectamur breuiter affectiones omnes, quas ab occursu aeris corpora patiuntur humana. Qua de re, quamquam multa dici possent, quia tamẽ commodiori loco de re hac redibit sermo, breuiter rem transigentes dicimus, per alterationem in tota substantia Gal. intelligere corruptionem, seu putredinẽ. Vocat autem motum ad substantiam factum alterationem; quia hæ substantiæ, qualitatum instar intenduntur, & remittuntur: totam addit, vt innuat formam, res, esse, vniuersam substantiam rei. In vniuersum ergo, aut aer nostri corporis qualitates permutat, estque in casu variarum intemperierum, aut putrefactionem inducit. Hinc omne ferè morbi genus, nã ab intemperie, continui solutiones: ab eadem, fluxiones humorum, tumores, asperdines, læsæque cauitates.

Quomodo aer hæc mala inuehat. At qua ratione potest aer, quamcumq; intemperiem inferre, si est calidus, & humidus aer, aut temperatus, vt alij volunt? An alius, & alius est aer, à quo tot morbi, & varij? An facier hæc alio, & alio tempore? An vnum per se infert, per accidẽs alium? An demum facit hæc omnia aer, quia & ipse varias suscipit mutationes? vnde cum trifariam ille mutetur, vt Auic. 2 p. doc. 2. cap. 2. & Gal 9. met. 14. & a 1. met. cap. 1. naturaliter à temporibus anni, vnde hyems algida, æstas feruida,

D præ-

præter naturam, vt cum putrium vaporum è cadaueribus, aut putri ab aqua elatorum permixtione inquinatur; non naturaliter, vt cum mutatur situs ratione, aut vario cęli aspectu: potest hisce modis mutatus, mutationes varias inferre nostro corpori. Ita sane; nam 3. aphor. 20. *Vere insania, melancholia, epilepsia, fluxiones sanguinis, angina, grauedines &c. æstate verò horum non nulli & febres assiduæ, & ardentes, tertianę plurimæ, et quartanæ vomitiones alui profluuia &c. Autumno verò etiam æstiui multi & quartanæ febres atque erraticæ lienes, aqua inter cutem etc. Hyeme vero morbi laterales pulmonum inflammationes, lathargi, grauedines, raucedines, &c.* & aphor. 7. eiusdem par. *Per squallores febres acutæ fiunt.* & aphor. 16. *Per assiduos imbres morbi magna ex parte oriuntur, cum febres longæ, tum alui fluxiones*, & aphor. 4. *Per anni tempestates, quando eodem die modo calor modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet*; cumq; vento agitatus aer imprimat proprias qualitates corpori subdit aph. seq. *Austri auditum hebetantes, & visioni caliginem inducunt, capitis grauitatem corpus languidum, et torpidum, reddunt: sin aquilonia tempestas fuerit tusses mouet, fauces exasperat.* Afficere nostra corpora cum regionis vitio mutatur, declarant morbi endemij, seu patrij: pestesque argumento sunt, quam malè nobiscum agatur, quoties à malignis, putribusque vaporibus inquinatur.

Obijcitur.

Faciunt nihilominus difficultatem Galen. Auic. & Picus: ille quidem; nam 8. de vsu par. 3. scripsit esse cerebrum quouis ambiente calidius. Auic. quia prima 1. doc. 4 cap. 3. dixit, aerem corpora nostra exiccare, & 1. eiusdem doc. 2. cap. 3. id ab aere secundum quamcumque dispositionem docet fieri. Non itaque ab aere, aut humescere, aut incalescere poterit corpus nostrum.

Respondetur.

At hæc loca facilè explicantur, nam Galen. loquitur de actu secundo, vt sit sensus, cerebrum magis calfacit, quam quiuis aer calidissimus, non quia intensiue sit calidius aere, sed ob materiei densitatem. Quare non poterit cor refrigerare, vt Aristot. voluit. Aut dic Galen. loqui de aere non illuminato, sed in sua natura spectato, qui frigidus secundum Stoicos, qui sequitur Auicen. vult aerem semper exiccare substantialiter, quia resoluit humidum radicale, qualitatiue refrigerat, humectat, calfacit. Facessit negocium Picus, dum contendit 3. aduers. Astrol. cap. 21. non posse ab aere, ex vario cœli aspectu mutato, immitti morbos nam cum cœlum ita se habeat ad hæc inferna, quemadmodum cor corporis animalis, vt cor fons est virtutis illius, quâ corpus seruatur, nec vnquam damna corpori à corde infliguntur, ita cum quidquid est ordinatum, & naturale

Notat Picum ab aere ... [illegible]

in hisce inferioribus, cœlum habeat auctorem, nullo possunt modo cœlitus fieri detrimenta eorum. Confirmat, quia nunquam aut Plato, aut Arist. tractantes de elementorum discordia, hic quidem in Meteor. ille in Timæo, in vim aliquam abditam cœlitus demissam recurrunt. Nec Hip. aut Gal. qui morborum causas omnes exactè indagarunt, meminere vmquam maligni cœlorum afflatus. Scribit quoque Auerr. eum qui crediderit, aut Martem aut sydus aliud quoquo modo dispositum, nocere corporibus, alienum credere à philosophia. Proinde sic concludit, *Si quid inconcinnum discors, asperum in inferiore hoc mundo auditur, ad tactum cœli ne referas, sed ad quatuor has cordas cithara huius inferioris, quæ de inordinata imparaque materia, contactu cælesti plectro, ad numerum illas, concordiamque mouente, contumaces interdum inueniuntur.* Idem multo antea Plotin. in lib. in quo inquirit, num astra aliquid agant. Chalcid. in comm. super Timæum est postea sectatus Valler. in appen. loc. comm.

Reijcitur.

Contraria tamen sententia est multo verior: probat illam experientia, nam videmus in dies, multos morbos Lunę coitu inualescere: multa ægrotantium corpora in deterius labi; nocereque per id tempus purgationes. Præterea, vt communis est Philosophorum, & Astrologorum consensus, stellæ quædam frigiditatem in hunc mundum demittunt, calorem aliæ, alioquin cur hic annus æstuosus; niuosus alius? Tumultuare itaq; stellarum vi poterunt elementa. Quare & morbos inferre; nam quod ait Picus, tanto esse perfectiorem humorem quanto perfectior stella, quæ illi præest, aut falsum, aut si verum, nocebit nihilominus corpori perfectio bilis, quia excedit proportionem, quam cum alijs succis habere debebat. At inquit, perfectio partis non repugnat perfectioni totius: verũ vbi pars eam naturam habeat, quam poscit, tamquam pars totum illud constituens. Sed quid morbi? non ne astrologi futuram pestem ex syderum aspectu, multo tempore antea præuidere? Quo pacto per Deum, ni cęlestes orbes morbosum quid in aerem influerent? Nec me mouet, quod neque Galen. neque Hipp. huius causæ meminerint, nam præterquam quod argumentum ab auctoritate negatiua non concludit, non est præterea illud verum, quia hanc causam nomine aeris sunt complexi.

Sed vt ijsdem quandoque telis, quibus nos aduersarij vrgent, confodiantur: est aliquis morborum vsus, & intenduntur ab vniuersali natura, quemadmodum, & corruptio. Quare vt hanc infert nõ rarò tamquam medium ad consequendum aliquod per se bonum, alioquin frustratorius esset appetitus ille materiæ: haud secus

cus

cus morbos inuehere, quandoque erit mundo seruando ex vsu. Quare inferret: enim verò ni corrumpantur animantiá, nulla erunt cadauera, non mille animantium species, quæ ex illis gignuntur; conducit autem ad pulchritudinem mūdi, & decorem cōcors illa variatum specierum discordia. Immittuntur præterea non semel morbi à Deo, vel in scelerum patratorum pœnam, vel vt patientia bonorum exerceatur; at pœnæ intenduntur. Quare & media quibus illæ inuehūtur. Adde & alium vsum, exercitationem nempe sapientiæ humanæ; etenim si nulli fuissent morbi, nulla esset inuenta medicina, vnde perijssent tot illustrium hominum monumenta. Vide Lactant. lib. de ira Dei c. 13. & lib. 7. de vera relig. cap. 4. Quod si tot sunt vsus morborum, poterunt à corporibus celestibus inuehi, quando ad ea non hominis tantum, sed vniuersæ naturæ tutela pertinet. Vide Philop. in fine proem. 2. lib. phys.

Possit ne soli mutatio absente facta obligare. An possit nos afficere etiā si nullo modo mutetur? Inualuit Neapoli opinio, quo tempore calor inualescit quousque pluuiarum frequentia temperetur, periculosum esse mutare cœlum, etiā si quod petimus sit salubrius, hominesque eo in loco salubriter degāt. Vnde si quis Neapoli, aut Vesuuium, aut Auersam se conferat, quæ sex miliarium spatio hinc distat, atque infebrem incurrat, suspicantur statim, ne febris illa ex cęlo mutato ortum ducat: suspicantur autem? imò nihil est æquè certum apud illos. Hinc monent, & sacramento cauēt, ne quis sedem mutet, priusquam aer frequentia pluuiarū refrixerit. Id autem iubent potissimum, aut cum Neapoli Romam est quis iturus, aut Roma Neapolim, licet detrahant de metu non parum, si naui petatur. Cum autem huius causa ab illis quęritur, quando manifesta nulla occurrit, siquidem vbique locorum homines benè valent, aer vbique salubris; neque aut hic feruidus, ille frigidus, hic humidus, ille siccus, crassus vnus, alter tennis, in occultam recurrunt. Confugiunt alij in prauum Neapolitanorum apparatum, è frequenti vsu olerum profectum, quando is tantum, & Romanis hæc mutatio morbida, Germanis, Gallis, Polonis, Hispanis innocua. Mira certè qualitas, otiosis amica, negotiosis infesta, illis parcere, hos vexare parata. Pedagogum dicerem, nam vt hic obstrepentes discipulos, sic illa verberat inquietos. At si est illa occulta, quis nam Deus Medicis reuelauit? Experientiam inquiunt. Fide dignum testem! at hæc id tantum docet, ægrotare læthaliter, qui eo tempore Roma Neapolim petunt: at quod ab aeris mutatione læsi ægrotent, quo teste probant? nam si id est causa huius euentus! cur non ita faciliter ægrotant, qui Neapoli Romam nauigant, vti terrestri, qui itinere petunt? an non alius aer? An partit ijs, qui tacitum mari carpunt iter, itascitur obstrepentibus, quia somnum turbant? Quod si tanta est aeris cum inquietis antypathia, cur non eosdem vexat hybernus aer, vernus, autumnalis? At ægrotant non pauci inquies, & morbo læthali: Fateor, at quod ideò ęgrotent, quia solum mutarunt, hoc nego; etenim vt temerarium est causas occultas negare: ita fatuum cēseo ad has recurrere, vbi sunt manifestæ, sunt autem hic multæ, quæ morbos illos inuehunt, ac primum est motus, qui causa caloris: est secūdo mutatio aquarum, est calor à sole contractus: sunt quarto putres halitus, è palustribus locis exhalantes, quos inspirant, qui Roma Neapolim terra petunt: vnde, quia nauigantes, non ita agitantur, siccātur à puluere, neque à radijs solis feriūtur, non mutāt fortasse ita crebro aquas, non lectum, vt equitantes, propter hanc causam dicunt Medici, quamquam causam ignorent, aut nullo modo, aut minus periclitari nauigantes. Causam à prauo victu petitam contemno, nam multo intemperatiores cæteræ nationes. Quod si non ita offendontur, vbi æstate iter faciunt, id accidit, quia frigidam incolentes regionem non ita incalescunt à sole, puluere, motu: potissimum Hispani, qui noctu iter faciunt: quamquam, & hi in morbos frequenter incurrant; vnde de motientibus ob cęlum mutatum dicunt, Prouolo la tierra, & de Gallis idem docet Feen. 1. de caus. morb. c. 12.

At clamant alij dicentes in febres malignas incurrunt, qui hoc tempore hac, illac mouentur: quid proinde? nonne fiunt hę febres ex intensa putredine: putredo summa à mille alijs causis? Lædit ergo nos dictis modis aer, & Galen. illud verum, ***ab ambiente quidem quia aut calefit, refrigeratur, humectatur, siccatur, &c.***

Quos affectus, & qua ratione inducat cibus, & potus. Cap. X.

VAriè corpus nostrum affici ab alimentis, & potu, nullus est, vel sanissimus, qui fortassè multoties nōn sit expertus. Et quis neget à pauco nos extenuari, à multo premi, à tenui imminui vires, à crasso obstrui vias: à prauis cachochimiam induci, febribus, vlceribus, & varijs tumorum generibus reddi obnoxios? Nec quisquam vertet in dubium, verum infrigidemur à frigidis, incalescamus à calidis, humectemur, siccemur ab ijs, quæ exiccandi vim habent, & humectandi; nam quamquam cibus, & potus à nostro calore vincatur, patitur tamen nō parum in victoria calor, nec vnquam, quod commune est agenti cuicumque,

incruentam reportat victoriam. Quamobrem, quod dixit Auic. 2. primi, alimentum quodcumque calorem augere, hac ratione verum, quia dum sanguis ex quouis cibo gignitur, ex quouis calida adaugetur substantia. Qua tamen ratione cõtingat, vt opium calfactum nos refrigeret, lactuca, cicoracea omnia: vinum refrigeratum calfaciat, piper, cinnamomum, hoc admodum dubium; enim verò si calfacit nos piper formali calore, & formali frigiditate lactuca nos refrigerat. Cur tactus calorem non sentit, frigiditatem non percipit? Quod si proposita alimenta nos mutant, quia virtualiter calida sunt, frigidaque, cur hãc qualitatem in quocunque subiecto non producunt, sed in animalium corpore dumtaxat? etenim lux obuia quæque calfacit. Cur non refrigerat seipsam lactuca, calfacit se ipsum piper? enim verò quod est in actu virtuali, & potentia formali, potest formalem effectum in se producere. Cur nobis admota non inducunt subito frigiditatem, calorem? Demum non esse has qualitates virtuales vocatas admittendas, constat inde, vt taceam alias multas difficultates, quia si admittatur in mixtis, admittatur necesse est, dari effectum nobiliorem causa, nã nobilior qualitas hæc frigiditate, calore, siccitate, humore, quorum opera in mixtis producũtur; esset secundo quidpiam superuacaneum, quando ad producendas primas qualitates, satis superque sunt primæ.

Quo pacto nos calfaciat piper, lactuca refrigeret, examinatur.

Deficit hæc difficultas Medicos in varias sententias. Quidam, vt refert Valles. lib. 1. controu. 12. ad miserorum asylum confugientes, occulta quadam proprietate fieri autumarunt, vt piper, e.g. calfaciat, lactuca refrigeret, quod non tam docere causam effectus est, quam propriam fateri ignorantiam. Quare laudandi ij magis, qui periclitantes, conati sunt aliquam huius nodi solutionem afferre, quamquam non puto esse eos admittendos, qui piper formaliter esse calidum volunt, & formali, vt aiunt calore nos calfacere; nam si hoc verum, cur non sentimus huiusmodi calorem? torqueant se hac, illac, authores illius sententiæ, nũquam se ab hoc nodo extricabunt, atque, vt à Iober. exordiar, putat ipse paradox. 1. decad. 1. non sentiri piperis calorem à manu, quia obtusior manus sensus, non potest, à minori obiecto moueri: vnde, quia linguæ sensus est exquisitus magis, idcircò statim ac linguæ admouetur, calidum sentitur, ac mordax. Cęterum, quia videbat ventriculum, cuius sensus acutus, non statim ingesti piperis calorem sentire, id fieri subdit, quia est ventriculus frigidus, vnde ait, quemadmodum refrigerati, vbi ad ignem accedunt, non statim ignis calorem persentiunt, haud secus ventriculus, non incalescit statim à pipere assumpto, quia ille frigidus.

Prima sententia reijcitur.

Adducuntur qui piper formaliter calidum esse docent, & reijciuntur.

Et primum Iobertus.

Ingeniosa quidem fuga, sed quãquam furtim tentet Iober. euadere, non tamen effugit propositæ rationis robur; etenim si percipit manus teporem in aqua, quo pacto summum piperis calorem non sentit? profecto ello magna esset inter sensum manus, & internarum partium diuersitas, tanta esse non posset, vnde deberet manus aliqualem saltem calorem obseruare in pipere, maiorem tamen sentire ventriculus: at nullum manus obseruat. Præterea si actu piper calidum, cur chyrotheca nõ incalescit à pipere, quemadmodum incalescit à manu? Quia inquit Iober. Est manus calidior pipere. Quod si partes internæ incalescunt ab ipso, idcirco incalescunt, quia adduntur aliqui caloris gradus præexistentibus, à graduum autem multitudine, fit intensior qualitas. Cur non potius refrigeratur? Enim verò remissè calidum calidiori additum, remittit calorem, non adauget, vt aquæ tepidæ, ebullienti admixtæ, exemplo constat. Præterea si ex sapore, odore, rerum facultates dignoscimus; qua fronte poterit affirmare, Iober. calidiorem esse manum pipere? Tertio si à multitudinem graduum intensior forma, deberet manus incalescere à pipere quamquam sit illo calidior. Chyrotheca quoque deberet aliquantulum caloris acquirere à pipere, aut hoc à chyrotheca refrigerari, quæ cum non obseruentur, non est modo aliquo admittendus Iober.

Conatus est aliter propositã difficultatem euadere Thad. Florent. Nimirum censuit formalem piperi calorem inesse; non tamen sentiri, quia habet quodcumque mixtum partes calidas frigidis permixtas; licet in calido sint partes multæ calidæ plures frigidæ in frigido. Nisi itaque fiat segregatio partium calidarum à frigidis, frigidarum à calidis, numquam hæ sensum excitare valebunt: vnde quia vorata & attrita hæc medicamenta diuiduntur in partes calidas frigidasuè, hinc fit, vt sentiat stomacus calorem piperis, manus nequaquam. Quod si petas, cur cum vinum ab aqua in minimas quasquè particulas diuidatur, vini calor nequaquam sentiatur? quia inquit vinum admixtione aquæ in partes integrales secatur, non frigidas, calidas: hæc autem separatio necessaria, non prior. Esto res ita se habeat, peto modo, per hanc secretionem partium calidarum à frigidis, acquirunt ne partes calidæ maiorem calorem, an habent eundem, quem antea; vtrumque enim modum dicendi apud Doctores inuenio, & quidam diuisione facta, intendi partium calidarum calorem affirmant: dicunt alij haud fieri maiorem calorem, tolli impedimẽtum dumtaxat: vnde quemadmodum detẽtus lapis, vbi impedimentum amouetur, nulla qualitate

Secundo Thadeus.

acqui-

acquisita delabitur, haud secus piper remoto per attritionem obstaculo, calfacit. Hunc modum dicendi sequitur Mercat. priorem alij. Qui æquè aberrant; ac primi quidem, quia nullam poterunt causam intensionis assignare, non attritionem; nam hæc terminatur ad vbi: non formam alimenti; nam cum illa qualitas nequaquā requiratur à pipere imò illi repugnet, vnde reiectum à stomacho ad priorem naturam reducitur, non est cur forma illam qualitatem intendat. Non erit causa aliqua vniuersalis, nam tunc hæc supplet particularium defectus, cum immineat discrimen aliquod, quod nullum fingi hic potest.

Dices esse partem illam calidam secretam a frigida, & quadam proportione respondentem ignis elemento. Est ergo necessarium corrumpi piper, vt nos calfaciat, nam segregatione hac facta necessario corrumpitur. At hoc falsum esse experientia docet. Præterea non erit piper actu formali calidum, sed segregatione calidum euadit, quod negabant.

Non est tertio sententia hęc acceptanda, quia statim ac piper attritum linguæ admouetur, calor eius sentitur, & mordacitas: Quis autem credat, tam laxam esse partium calidarum cum frigidis compactionem, vt leui linguæ contactu dissoluatur? Demum si hac ratione piper calfacit, vbi infusum piper in aqua, reliquit partes calidas formales in aqua, deberet actu calida sentiri, quod secus esse experimur. Quare, &c.

Est & alius modus dicendi quoque falsus, nam si per attritionem, & segregationem, calidæ partes nequaquam calidiores euadunt, quemadmodum antea calor piperis non sentiebatur, sic non sentietur postea, nec calfaciet, quando nihil de nouo respectu caloris contingit; enim verò remotio illa à partibus frigidis, causa est negatiua, quæ positiuum effectum in ferre non valebit. Adde quod primæ qualitates, quando sunt in subiecto densiori, eo validiorem producunt effectum.

Est quarto alius dicendi modus Dini Florent. cap. 1. super can. Auic. quem postea est sequutus Valles. 1. controuer. cap. 12. Dixerunt isti non per sentiri piperis calorem antequam à ventriculo actuetur, quia vbi est actuatum, acquirit calorem exurentem, & magnum à stomaco, quem postea eidem refundit. Neque obstat, quod habeat ventriculus diminutum calorem, quia vbi magna est dispositio passi, potest à debili agente maiorem consequi gradum qualitatis, quam sit in causa effectrice. Vnde domus illa in Mysia stercore columbino plena conflagrauit, quamquam nullus esset ignis, à quo octauus gradus caloris potuisset produci.

Reijcitur tertio Dinus.

Qui neque placent, nam dispositio illa se tenet ex parte materiæ; at hæc vel summè disposita, non est satis, vt producatur effectus, ni adsit causa valens illum producere, valebit autem si eamdem habeat qualitatem, & gradum; alioquin à causa calida vt tria agente in materiam dispositam, posset vltimus gradus caloris produci; quod falsissimum. Præterea si hac via recalfacit piper, vinum: cur à sole aut igne calfacta non euadūt sic calida, quemadmodum ab animantis ventriculo? Cum ergò nulla via appareat, qua valeamus saluare experientias adductas, est virtualis qualitas admittenda. Confirmatur, quia opium calfactum nos refrigerat. Hic dicit Valles. refrigerare nos opium, quia inalteratum manet, quod ridendum; nam si inalteratum permanet quemadmodum antea nullam producebat frigiditatem, sic nullam postea inuehet. Multo minus accipiendus Auerr. qui dixit, refrigerari nos ab opio, quia conuertitur in chylum frigidum; docet enim experientia, prius quam medicamenta vertantur in chylum, nos permutare. Præterea venena frigida numquam in chylum vertuntur, neq; erodentia; numquam itaque nos mutare illa possent.

Virtuali calore piper nos calfacere ex dictis colligitur, & eadem ratione ab opio refrigerari nos firmatur.

Inuenit alium modum Concil. diff. 140. ergo dixit refrigerari nos ab opio frigiditate actuali in corpore nostro comparata per antyparistasim, nam produnt Philosophi, qualitatem à contrario obsessam euadere maiorem.

At dicat Concil. cur non ventriculus potius incalescit aucto per antyparistasim ex presentia opij, calore ventriculi? Præterea antyparistasis fit detento effluuio calido, seu frigido, quod non habet locum in casu nostro.

Dicendum ergo refrigerari nos ab opio, incalescere à pipere quia illud est virtualiter frigidum, hoc virtualiter calidum; nam si formali calore, aut frigiditate, vel acquisita in stomaco, vel quam antea habebant, quamquam absconditam, eo mitum seu piper, seu opium, actu frigidum obseruaretur, & feruidum: at opij reiectum moderatè calidum obseruatur, cum tamen mirè nos refrigerarit: piper quoque moderatè calidum reijcitur, cum multum nos inflammarit. Non ergo medicamenta hæc in nos agunt qualitate formali, sed virtuali.

Ad ea quæ in contrarium. Primæ difficultati bifariam occurri potest: dici primum posset, alimalia tantùm ab hisce qualitatibus pati; quia quamquam actu insint medicamentis, nequeunt tamen actu operari, ni aliud recipiant à nostro corpore. Nempe ita posset philosophari de hisce qualitatibus, quemadmodum de temperie partium nostri corporis; Habet pars quæq; nostri corporis innatam temperiem, nequit tamen pars operari, ni

Satisfit rationibus in initio adductis. Cur piper animantia tantum calfaciat.

ni actuetur à spiritu influente, vnde vocatur prima complexio potentialis, secunda actuata. Quare à simili, habeant licet medicamenta dicta actu qualitates virtuales, quia tamen perficiuntur à nostra temperie: hinc fit, vt in nos tantum agãt, contra lux cęlestium corporum, quia fortasse robustior, nil mirũ si nullo aliunde suppeditato auxilio, possit indiscriminatim in corpora quæque agere.

Quid recipit piper ab animali.

Sed si alio indigent hæ qualitates, vt operentur, quid est illud, quod ab animali recipiunt? Non est attritio, nam contusum piper, & manu detentum, manum nequaquam calfacit. Non est calor, nam quamquam piper incalescat à Sole, aut igne, non refundit propterea magnum calorem manui. Quid ergo erit? An dicemus esse associationem cum forma animalis? ita prorsus, nam nec aliæ qualitates operari possunt sine consortio alterius, vt color non potest producere speciem absque luce.

Dic secundo, nisi id placeat (quãquam non est cur displiceat) ideircò has qualitates, non nisi in animalia agere, quoniam ita est limitata vis earum, vt non nisi in animalia possint agere, enim verò cum magnes trahendi vim habeat, & infinita corpora possent trahi, trahit nihilominus solum ferrum, & certum pharmacum allicit certum tantum humorem. Quare nulla debet nos admiratio capere, si hæ qualitates in animalia tantum agãt, quamquam actu, & expeditam habeant agendi potentiam.

Dici potest tertio, non esse verum, medicamenta isthæc, non nisi in corpus animalis agere, nam agunt, & patiuntur inuicem medicamenta simplicia, ex quibus theriaca componitur, vnde potest hinc sumi alia ratio ad monstrãdum, virtutem illam actu contineri, & expeditam esse, quia absque auxilio aliquo animalis agũt, reagũtque. Quamobrem, vbi Galen. scribit, lactucam, e.g. esse potentia frigidam, dic ita vocari, respectu elementorum, quorum qualitates, quia intensiores, citius, & validius agunt. Ex his patet, cur piper non calfacit se ipsum.

Ad tertium argumentum dici potest, hanc qualitatem non produci à primis qualitatibus, nam si ex earum mixtione ortum duceret, mixtis tantum inesset: nunc autem reperiuntur eædem in corporibus cęlestibus. Sequuntur itaque mixti formam; quod si piper aquæ admixtum amittit virtualem calorem, fit illud, quia virtualis hæc qualitas pendet à temperamento mixtorum. Vltimo argumento optimè occurremus, ni fallor, si dicamus, necessarias esse has qualitates, nam si piper haberet, e.g. formalem tantum calorem, non posset frigido ambienti expositum conseruari, nec frigida medicamenta diù seruarentur, acris calidissimi Iniurijs exposita. Sunt demum hæ qualitates admittendæ, quia ad naturæ, vt ita dicam, diuitias spectat, plures caussas calfacientes, refrigerantes, humectantes, siccantes produxisse. Spectat item & ad Mundi decorem, cuius ornatus tanto pulchrior, quanto maior rerum varietas. Esset modo consequens, vt de excretis, & retentis sermo haberetur, at quoniam hæc non aliter morbos inferũt ac cibus, & potus, propter hanc rationem mittam istud caput.

Quos morbos, quaue ratione motus, & quies concitent. Cap. XI.

Explicatur titulus.

NOn est hic dubitatio de naturali motu, quo stomacus, hepar venæ, & omnes nostri corporis partes rapiunt ad se alimentum, nihil enim hic corpus fatigat, aut turbat, sed animali, qui consilio voluntateque suscipitur. Non agitatur item difficultas, num agat, quidpiã quies, aliquid effectiuè producendo, nam cum sit quies mera priuatio, est enim facultatis motiuæ otium, cui dubium est, nihil ab hac priuatione manare in nos posse. Quid proinde in nobis, spiritu intus cõtracto per quietem contingat, quidue motu voluntario producitur, indagandum proponitur.

A motu omne morbi genus potest inferri.

Quod spectat ad motum, nullum ferè morbi genus est, quod ab ipso infligi non possit. Nam cum genus omne morbi, sit intemperies, eaque multiplex, vnitatis solutio malaque formatio: & formationem motu vitiari videmus, continuitatem dissolui, & intemperies produci experimur. Contemplare, quæso, hos omnes, qui varijs motionũ generibus exercentur, nam haud dubito, quin continuò fatearis, quod postulo; multi enim ex clamore disrupta vena in sputum incidere cruentum: disrupto alijs peritoneo, in herniam: agitati plus nimio pedes, aut alia pars nostri corporis, conuocat ad se fluxiones, vnde magni tumores: corrupti item humores, qui conclusi ignobili in loco, poterant progressu temporis; & coqui, domari, in furorem agũtur motu, & varijs affectionibus laccssunt corpus; nam quoquo versum effusi, scabiem, tubercula, febres, alias fluxiones, vomitiones, morbos demum multiplices inuehunt. Et quantuis 3. ar. med. 5. enumerãs, quæ à motu patitur corpus, calfactionis tantum faciat mentionem, refrigerationis, humectationis, siccationis: non est cur propterea vereamur, ne hæc tantum fieri à motu posse, voluerit Galen. siquidem non fuit eius consilium, damna omnia, quæ motus vitio fiunt enarrare, sed ea dumtaxat, de quibus dubitatio aliqua esse poterat. Etenim non est facile dicere, qua ratione motus; refrigeret, humectet,

Explicatur Gal. sumitur, que occasio indagandi, quomodo hęc fiant, nam.

&

Difficile est docere, qua ratione motus nos permutet.

& siccet. Nam quod inquiunt ferè omnes refrigerare motum, & siccare dissipatione, spirituum, & sanguinis, cuius præsentia, cūcta veluti benigno quodam succo irrorata, fiunt viuida, & vegetant, dubium, quāquam affirmet Auic. 2. 1. d. 2. cap. 12. nam si intemperies sicca, frigidaue, fit aucta frigiditate, & siccitate, non video, quo pacto dissolutio spirituum, siccam, frigidamuè possit intemperiem gignere: non video pariter, quo modo motus calorem producat in animis: In his, inquam, nam quod animata incalescant, missis ab anima ad partem motam spiritibus, clarum: dubium, quo pacto agitatus humor calidior fiat; nam phiala quo velocius circum rotatur in aqua, aut niue, eo magis refrigeratur, & citius: flabello item aerem dimouentes, refrigeramur. Qua ratione ergo motu incalescere humores, ignescere spiritus affirmatur?

Et illud potissimum, an non calfaciat.

Qua ratione motus calorē producit.

Primæ difficultati occurrit bene Auicen. & rectè opinatum, dissipatione spirituum, frigidam intemperiem inuehi, cōsumpto sanguine siccam, eodem plus iusto attracto, humidiorem. instantiæ satisfaciemus multis lib. 6. huius operis c. 3. Vocat me modo, & totum ad se trahit altera difficultas proposita, calfaciat, nec ne motus localis, & quomodo; quia verò calfacere est certum nam à motu diariæ febres, conuertam me ad causæ inquisitionem. Est autem. Ni fallor, secretio: Calfacit itaque motus, quia secernit; & partem calidam seiungit à frigida, à crassa tenuem. Est expressa sententia hæc Arist. 1. meteor. cap. 3. habet enim, *Calorem autem cum ipso Sole maximè generari, rationi est consentaneum, cum simile quoddā deprehendamus ex ijs, quæ apud nos contingunt; Etenim in ijs, & violentia eorum, quæ feruntur propinquus aer præcipuè incalescit: idque optima ratione, illum enim motus rei solidæ præcipuè secernit.* Est communis omnium; nam quotquot putant motu calorem, fieri, aut excitari docent, quia motu insinuatus aer, ventilat calorem internū, ac propterea adauget, vt Christoph. Auega: aut quoniam raritatem inducit, quæ cum sit dispositio proxima ad calorem, hic succedit, & necessario à causa vniuersali producitur, vt Vega 1. de diff. feb. 2. Aut fit tertio extractis internis partibus calidis, vt Garbus 2. lib. Summ. tract. 2. quæst 6. At hi omnes modi supponunt secretionem: quare ex omnium sententia motus secretione calfacit. Cūque secretio fit motus localis, qui per se ad vbi terminatur, erit motus causa per accidens caloris, ac propterea cum habeat omnis effectus causam per se, à qua pendet, hæc proponenda. Affertur alia ab alijs, vt innuimus: nos omnes amplectimur. Quandoque ergo motus calfacit ventilando, hoc est remouendo eam substantiam; quæ admixta calidæ, calidam suffocabat crassitie, aut frigiditate extinguebat, vt experimur quotidiè in igne exteriori, & nostro calore calfacit alias calidioribus partibus extractis, vt Garb. putauit; Enim verò si cum Vega, & alijs dicendum, raritate in intermedio aere inducta, calorem à causa vniuersali produci, nihil referret, hunc, aut alium lapidem percutere ad ignem eliciendum; At vix percusso hoc lapide chalibe, multus ignis scintillat, discisso alio nullus ignis prosilit: fiet ergo istud, quia in hoc lapide plus ignis inest, qui motu extrahi potest, in altero minus, ac ferè nihil. Hinc cum per motum, calidiores partes sic secernātur quandoque, vt primum corpus deserant, fit vt quandoque refrigeret motus, vt patet in aqua calida agitata, & vbi flabello aerem à nostro calfactum corpore expellimus. Demum fit motu calor, raritate in aere medio introducta, quæ quia proxima est dispositio ad calorem, hic causa particulari deficiente, ab vniuersali inuehitur, vt bene Vega, quem videas rogo. Enimuerò videre est duobus ferris attritis, aut marmoreis lapidibus, magnum in vtroque corpore excitari calorem, non excitatur autem, quia aer insinuatus per motum, ventilat calorem internum, ac propterea adauget; quis enim tam laxam esse credat ferri, marmorisque compactionem, vt aer intro possit permeare? Non fit idem secundo calidioribus partibus elicitis, nam frigidus pariter marmoreus lapis: ergo attenuato aere intermedio, & calefacto, & ab ipso postea duris corporibus communicato calore; alioquin detruso à vento aere intermedio, nullus in ferro, aut lapide calor obseruaretur, quod falsum.

Ad experientiam phialæ, quæ quo velocius, circumrotatur in aqua, aut niue, eò citius refrigeratur, & magis, quamquam alij aliter, nos tamen dicandum putamus, duplici ex causa id contingere posse: altera est, quia aqua refrigerans phialam, repatitur à phialę calore: remissa autem ipsius frigiditate, non erit admodum valida ad gradum vlteriorem frigiditatis inducendum. At si priori aquæ succedat alia, non refracta, sed integras seruans vires, facilè poterit phialæ resistentiam vincere, & remisso calore, intensiorem frigiditatem imprimere.

Potest secundo hoc fieri, quia causa quæuis agens, cum melius se se applicat passo, vehementius agit: applicatur nix, aut aquā melius phialæ, cum mouetur, quàm quiescēt, nàm adepto per motum, impetu, in partes penitiores se se magis insinuat; nam hanc ob causam Medici, cum calidam intemperiem capitis emēdare volunt, in modum stillicidij admouent refrigerantia capiti. Quare mirum non est, si mota phiala in aqua, vel niue,

refri-

refrigeretur magis, seu aqua, seu vinum.

Quæres, cur non incalescit, quādo motus est causa caloris? Respondeo, non semper, motu produci calorem, sed hūc quandoque, interdum frigiditatem, & vtramque qualitatem per accidens. Patet hoc, nam frigiditatem producit, remouēdo substantiam calidam; vnde, quia flabello, remouemus aerem calidum nostro corpori hærentem, insufflantes expellimus, calidiores halitus, qui à cibo perspirant: agitantes, aquam calidam facimus, vt vaporosa substantia, & calidior exhalet; idcircò ventilatio nos refrigerat, refrigerat cibum, & aquam calentem; at verò causæ calidæ amotio, est causa per accidens frigiditatis: quare per accidens refrigerat motus. Calfacit idem per accidens etiam: nam ventilando hoc facit, attenuando, & extrahendo substantiam calidam. Quare tunc tantum hoc faciet, cum attenuabit, ventilabit, aut à partibus intimis ad externas, calidiores quasdam partes extrahere poterit. Nihil horum accidere potest, cum phiala agitatur in aqua, vel niue; propterea agitatio illa phialæ, in aqua, nullum poterit calorem inducere.

Videor difficultatem hāc paucis enodasse, nam pluribus de re hac agere, & idē examinare de cœlo, qua ratione scilicet mundum hunc inferiorem calfacit, Physici est muneris. Explicabo propterea qua ratione quies eadem faciat; Excitat morbos quies hebetando calorem, & retinendo excrementa, quæ resecratis corporis vijs liberè perspirabant. Quamobrem cum hæc varia, calida, sicca, poterit quamcumque quies intemperiem inferre, frigidam nempe frigidis recremētis detentis, calidam cohibitis calidis; cumque eadem valeant tumores efficere, vlcera, diruptiones, valebit consequenter quies cuncta hæc damna inferre.

Quies quomodo morbo excitet.

Quieti cum sit similis somnus, vigilia motui, eosdem prope affectus somnus, & vigilia inuehent, quos motu, & quiete inferri probauimus. Quare nullus hanc disputationem, tanquam imminutam calūniabitur, si nullum peculiare caput somno, & vigiliæ dicauimus.

Quomodo vigilia & somnus.

Quos morbos, quanè ratione animi pathemata excitent. Cap. XII.

EX immoderatis pathematibus animi, nedum ægrotare, quāplurimos, sed & vitam vna cum morte commutasse, si quis est, qui ignoret, hunc necesse est, in rerum plane omnium ignoratione versari. Non tamen satis patet, quos cieat affectus, quauè fit ratione, vt humanæ saluti infensa sint, infestaque. Propterea declarabimus breuiter id præsenti cap. vt intelligat Medicus, quo pacto possit iis obuiam ire.

A pathematibus animi posse quamcūque intemperiem nostro corpori inferri, lib. ar. med. cap. 84. scriptum reliquit Galen. cui si quis suam neget fidem, gaudere idem poterit, irasci, tristari, & timere, nā doctus experientia cognoscet, calfieri corpus nostrum, refrigerari, humectari, & siccari ab hisce accidentibus. Ad has intemperies insequi quamplurimas alias affectiones prauas, cognoscet quicumque, vel medicinam à limine salutauit. Id tantum dubium, quo pacto hæc accidentia prædictas qualitates producant.

Quamcumque intemperiem a pathematibus animi inferri corpori.

Quomodo tamen dubium.

Conueniunt omnes produci has qualitates ab affectibus animi, reuocato ad partes intimas, & spiritu, & sanguine, & ab intimis partibus ad externas emisso; diffinitur enim passio communiter, quod sit motus sensitiui appetitus ex apprehensione boni, vel mali cum aliqua mutatione corporis non naturali, atque hanc insuper docent fieri spiritibus, & sanguine nunc emissis, nunc conuocatis intro. Possint ne alia via id facere, dubium. Affirmat Vega, & duos alios proponit modos, quibus mutare nos possunt affectus animi: alter est per speciem intentionalem, per imperium alter: scilicet opinatur, intentionalem qualitatem, cuiusmodi est species, realem qualitatem producere posse, nā lumen producit calorem: disgregat albedo visum, vnit illum nigredo: & fatuus quidam Marinus nomine, cum comedisset caules, continuò foliorum quercus saporem persentiebat, quia quercus folia deuorasse sui socij iuramēto affirmarunt. Arist. demum lib. de com. animal. motu, *Ipsa* inquit, *& imaginatio rerum agendarum vim obtinent. etenim species, vel caloris, vel frigoris, & rei, vel iucūdæ vel formidabilis mente perceptæ; quodammodo talis agnoscitur, qualis quæque res est, idcircò motione solum affecti, tum metu perculsi videmur.* Permutari igitur, ait, poterit corpus nostrum, non tantum motu sanguinis, & spirituum, sed & cognitione.

Doceant omnes, contracto spiritu, & effuso hoc fieri an aliter idē fieri possit controuersū.

Vega affirmat, docetque vi speciei intentionalis, & imperio phātasiæ idem fieri posse.

Et pro imperio Phantasiæ supra alias virtutes; enimuerò quæcumque sunt, seù cælestia, seù in hoc orbe, eam habent statam legem, vt miro quodam ordine, inferiora pareant superioribus, & ad horum nutum mouentur: sic elementa, vt cœlestes Hyerarchias mittamus, parent supernis orbibus, & inter vegetales facultates, ministrant, & seruiunt attractrix, retentrix, & expultrix, imperant generatrix, & coctrix. Quare est pār credere, quod cum nobilior sit imaginandi potētia, & appetendi, quam naturales virtutes, obedire has illis vi legis præscriptæ. Quare cum ad motiuam facultatem pertineat, & partes nostri corporis mouere, atque ex motu tum partium, tum humorum, necnon spirituum, variæ affectiones oriri possint, fit ex hoc, vt mutet nostrum

corpus

corpus pathemata animi vi imperij, quod habet phantasia. Comprobat istud Vega experientijs multis, nam conspicientes oscitantem oscitamus: miugentem mingimus: cogitata Venus, aut somniata, vel semen proiectat, vel saltem penem erigit: deambulantes super trabem in terram proiectam, ambulamus securè, cadimus si sit illa suspensa: cogitans demũ mulier in coitu de adultero, similem adultero natum, nõ viro procreat, & vbi quidpiã ardentius appetit, signat re concupita fętum: sic obedit imaginationi, nedum corpus nostrum, sed alterum, nobis tamen iunctum.

Nos negamus has ob causas mutari, nam vtrumque fundamẽtum est falsũ.

Hæc Vega. Quæ reijcio, nam falsum, alterari corpus nostrum à specie rei imaginatæ; si quæ enim species tantum posset, aut esset species interna, aut externa, aut cuiuscumque obiecti, aut quorumdam, nam non vno modo de re hac sensere auctores citatæ sententiæ; & quidam, vt Gentil. externæ speciei vim hanc non denegant, nã hinc fieri putant, vt intuenti acria comedentem, obstupescant dentes; alij non nisi internis speciebus hanc vim tribuunt: neque omnibus, sed ijs tãtum, quæ ab obiecto agendi vim habente producuntur, nam cum non valeat species plus suo obiecto, quemadmodum non valet figura figuram producere, albedo albedinem, sic neque albi, aut alterius coloris species albedinem, aut alium colorem, producere poterit. Ita Forliu. 3. ar. med. q. 11. Affirmant contra alij inesse hanc vim omnibus, eamdemque habere non ab obiectis, quippe qui vim agendi non habent, sed ab anima, cuius præsentia fouentur: Limitant tamen hanc assertionem, & de intẽsis speciebus id dictum volunt, & roboratis à forti imaginatione. Addunt demum, neque has agere in quodcumque subiectum, sed in molle, & tenerum, vnde docent, cur imaginatum obiectum imprimat sui similitudinem fętui, non imprimat matri.

At quocumque modo exponatur, est hæc sententia falsa, & certè non posse ab externa specie realem qualitatem produci, ostendit experientia, & ratio: illa quidem, nam nulla in oculo vidente albedinem, albedo producitur: & hæc, nam si albedinis species gigneret realem albedinem, esset effectus causa, idest species obiecto nobilior. Neque est internæ vis hæc tribuenda; nam si quę posset similem imaginatæ producere, produceret illam in partibus intermedijs; nam quod dicũt aduersarij, nõ fieri ob subiecti duritiem, dicunt gratis; ita enim tenerum est, puellulæ mox nuptæ cerebrum, ac caro fœtus: aut si sit duriusculum, non imprimetur matris cerebro, quemadmodum puero. Præterea, si non potest species qualitatem producere ex se ipsa, non reddetur eadẽ efficax auxilio suscepto ab anima; nam cum nullam vim anima habeat ad producendos fructus, & alia quibus obsignatur fętus, nullo pacto ad eorum configurationem iuuare speciem poterit. Multo minus eleuabit eamdem ad producendum calorem, aut frigus, nam hæ qualitates corrumpunt corpus: quis autem dicet animam proprio corpori maleficium machinari? Quid quod sentiremus huiusmodi qualitates, si diuturna earum meditatione producerentur? Verum nulla à specie posse id fieri, docet vsus specierum apertè; est enim harum vsus repræsentare, repræsentatio per speciem, dicit absentiam eius, quod repræsentatur: si ergo refert species obiecti imaginem, non efficit species obiectũ. Ergo, quod acidũ saporem quis sentiat; vbi intuetur acria comedentem, non eo fit, quia species illa intentionalis, realem saporem in ore intuentis producat; sed quia vapor aliquis à cibo commissus prosilit ad os intuentis; vel quia anima aduertit, scilicet ex citata à præsentia comedentis acria, & aduertens ad ea, quæ antea latitabant, persentit mox qualitatem, quæ quamquam antea præerat in corpore, ob inaduertentiam tamen, non sentiebatur; non ergo de nouo fit sapor, quamquam tunc ille sapor sentiatur. Eadem ex causa fit, vt mingamus, vbi alius mingit, oscitemus ad oscitantem, vomamus vbi alium vomere, aut videmus, aut audimus. Vt viso tantum pharmaco, copiosè purgemur, aut imbibitus vapor pharmaci facit, copiosamque ciet purgationem, aut aduertens anima, & sentiens, quæ antea non percipiebat, irritata expellit. Obiecta alba disgregant visus organum, non quia alba, sed quia luminosa; lumen autem realis qualitas est, vt bene D. Thom. 1. par. quæst. 78. artic. 3. Græci omnes 2. de an. Albert. Auen. & inter modernos Suarez l. 3. de anima cap. 14. Zabar. lib. 1. de visu, & alij multi. Disgregat autem non vt dicit Gentil. quia lumen maius, corrumpit minus: vel quia congaudens spiritus simili, adcurrit ad lumen: nam maius lumen, corrumpit minus, consumendo materiam, in qua minus fundatur; quod in casu nostro non accidit: neque suoptè impetu fertur sursum: quare non læderetur ex directa intuitione obiecti albi, & hac ratione luminosi. Disgregant alba obiecta visum, quia luminosa: lumen; quia calore attenuat spiritus, dissipatque. At qua ratione nigra visum recreant? an dicendum hoc fieri negatiuè à nigro colore, quatenus non dissipat, quod facerent magis quæcumque alia cadunt sub aspectum? Martinus ille, cuius historiam adducit Forliu. imaginabatur sentire stipticum saporem quemdam, an haberet realem saporẽ, fatuitas magna est à fatuo addiscere. Quod ex Aristotele adducitur, ita expli-

Et rationibus Vegæ sic satisfacimus.

Cur videntibus acria comedentes dẽtes obstupescunt.

Mingimus vbi alius mingit.

Viso pharmaco purgamur.

Alba obiecta quomodo visum disgregant.

Vt congregant nigra.

Explicatur Arist.

candum, visio, & imaginatio rerum agendarum vim obtinent in ratione mouendi appetitum, non quia realiter alterēt: hoc est ad excitandum appetitum ad prosequutionem, vel fugam, visio, & imaginatio rerum agendarum vim obtinent, quia ita erigitur penis imaginata muliere, vt visa, & tantumdem terrentur melancholici imaginato obiecto, quantus timor incutitur ab eodem reali. Non ergo accidentia animi corpus mutare valēt speciei ratione, vt voluit Vega, Galen. lib. de ther. ad Pis. Plin. lib. 7. cap. 12. Concil. different. 135. 139. Gentil. Forliu. 3. art. med. quæst. 11. Valles. lib. de sacra Philosophia, cap. 11. Pomponatius tractatu de incantatione, aduersus quos lege, quæ scripsit Tho. Fiænus libro de viribus imaginationis, & Pompon. tractatu de speciebus. An eadem permutare nos possit ob imperiū, quod imaginatio habet supra naturales viuentis facultates, c. sequenti dicetur.

Valeat ne imaginatio inuehere morbos. Cap. XIII.

CVm possit hæc difficultas duos sensus habere, alter est, an valeat imaginatio corpus externum offendere, alter an corpus proprium, quamquam in externum, & dissitum, nullum imperium habeat, examinabimus vtrumque dicendi modum, quando nō defuerunt, qui vtrūque affirmarunt, voluit enim Auic. 6. natur. sect. 4. c. 4. posse phantasiam in corpora externa agere, vndè putauit vi phātasiæ, nedùm posse affici morbis hominem remotum, & dissitum, ex equo deijci, necari, sed & excitari nubes, ventos, pluuias, tonitrua. Quia tamen videbat, non cuiuis, vel ardenter id exoptanti pro voto succedere; subdit, non cuicumque phantasiæ id licere, sed nobilissimæ, à fęce corporea abstractæ, & sub fęlici syderum constitutione creatæ. Ab hac posse hæc fieri probat multis experientijs (Concil diff. 156. à quo Gentil. quæst. 55. in extrauag. & alij multi. ac primum, quia Magus quidam prolatis verbis in auribus Tauri, mox Taurus concidit mortuus, atque idem admurmuratis alijs mox reuixit. Secundo ex motu cribri, aut panis ad furtum adueniendum. Tertio, quia obmurmuratis verbis quibusdam in alterius aures, sic disponitur, vt facilè concedat quæcumque ab eo petieris. Confirmant idem alij, quia mulier, dum concipit, aut vtero gerit inficit te concupita fętum. Suadet idem Forliu. quæst. 11. super 3. art. med. & Pomponat. libro de incant. quia virtutes omnes, quæ in animatis, & inanimis sunt dispersæ, in sphęris illis cęlestibus, à quibus dimanant, repetiuntur vnitæ. Quamobrem quicumque suam genesim habuerint sub fęlici illa

Pompon. & alij.

astrorum constitutione, præstabunt soli, quæ vix cætera omnia valent facere. Hinc factum, vt quod nulla vi extrahi ferrū poterat, duobus alius digitis, nulla vi facta eduxerit, vt Beninuen. Hinc rudes quidam varijs loquuntur linguis, diuinant futura alij, imperant ventis, super aquas ambulant, & mira quæque perficiunt; nam cum detur sydus fatidicum, alia, quæ homines rudes, omnium rerum gnaros reddant, faciant alia homines sic venustos, vt quosque in sui amorem alliciant; quid mirum esse hos Prophetas, condere leges alios, & quamplurimos sectatores habere, loqui alios, quæ nūquam didicerant? Quod ni ita esset, qua arte prædixisset Astrologus ille, de quo Concil. 5. sec. problem. nondum natum puerum, statim ac prodiret in lucem, loquuturum esse? Demum eousque progressa eorum impietas est, vt non erubuerint affirmare, miracula illa, quæ in Deum auctorem referimus, à naturali causa, nempè felici genesi cuiusque profecta.

Quæ non minus falsa, quam impia, nam esto perficiantur multa ab astris, nūquam tamen ita perfecta redduntur, vt propria natura exuta, aliam induant; esset enim hæc generatio, & corruptio, nō perfectio, quamobrem cum sit imaginatio, sua natura passiua quædam facultas, quæ nullam agendi vim habet, numquam fęlicissimo syderum aspectu iuuari sic poterit, vt actiua illa euadat. Quare numquam poterit corpus externum mouere: quamquam nec si actiua eadem fieret, posset propterea id facere. Quomodo enim moueat, quod nullo pacto contangit? solet vbi aliqua est inter animæ facultates sympathia, operante vna alia ad operādum excitari, vt ad imaginationem rei amaræ fruendi desiderium, & prosequutio: at quæ nedum in eadem anima non radicantur, sed loco sunt dissita, non video qua ratione inuicem agere, hoc imperare, illud exequi imperia possit. Nobilior lōgè esset phantasia intellectu, si aliena illa corpora transferat, imperet aeri, cieat tempestates, sedetque: excitet grandines, ventos, compescatque; nam intellectus, haud quia rem affirmat, aut negat, res esse vel incipit, vel esse desinit: contra imaginatio instar intellectus diuini, verbo omnia faceret.

Reijciuntur nihilo tamen minus.

Nam phantasia quàquam perficiatur, nō potest actiua euadere.

Dices moueri à phātasia externa corpora trāsmissis, aut spiritibus, aut radijs, qui quoniam eadem sunt affecti qualitate, qua imaginatio, fit vt pro eius imperio possit, vnumquodque corpus alterare, mouere. Dic clarius, rogo te, vnde habebunt emissi illi spiritus (ni extra imaginationis sinum effusi, statim corrumpitur) vt mira illa, quæ fingit phantasia, efficere valeāt. An à phantasia? at hanc probatum est non esse tantæ efficaciæ, nam est passiua potentia, & eamdem naturam

reti-

retinet, quantumuis à fœlici syderum aspectu iuuetur. Quamquam vt & eorum fundamentum conuellatur quandoque, non video vndenam didicerunt, aut qua dialectica conficiant, omnium sublunarium vires in cęlestibus orbibus reperiri; nam esto inanimorum omnium vires inde emanent, certè animatorum proprietates è cęlo non defluent: daret enim cęlum inanimum vires viuentibus, quas nō habet; efficeret aliquid quod nec actu, nec potestate in se continet. Effugies, vt video ad Intelligentiam. At neq; hæc sentit, aut vegetat: nuda mens est, vnius motus causa, prætetea nihil. Sed demus illis cunctas rerum proprietates cęlo inesse, indeque per aerem labi: habeat cęlum vim trahendi ferrum, vt magnes, bilim, vt reubarbarum: valeat ferrum extrahere, vt dictamum; cur viribus hisce aer repletus, non trahit ferrum, non allicit bilim? cur demum vbi ferrum in tuis visceribus sit infixum, non confugis ad cęlos, qui extrahant? Nempè tacite sentis, conficta esse quæcumque de cęlo narras.

Nec si alius eadem euadere posset, posset, à cœlo tātas mutuare.

Hinc infero, neque in proprio corpore posse phantasiam inducere morbos; est enim illa passiua facultas, nec modo aliquo potest euadere actiua. Non itaque poterit humores, nō qualitatem aliquam producere. Quare vbi multi imaginatione mortis, cani fiunt, pereunt, expirat alius supplicio expositus, dum frigida tangitur, quod percuti securi imaginatur: anxij ne in pestem incurrant, eam contrahunt: intelligant omnes, haud quidem hos morbis affectos, aut perijsse, vi phantasiæ, sed quoniam ad actum imaginationis, metus, & męstitia sequebatur, aut aliud animi accidens. Ab his motus humorum, & spirituum, à motu hoc, calidi natiui ruina, vnde morbi. Vel dicas idcircò imaginatione pestis, aut alterius morbi habuisse; qui paulò postea, sunt illis correpti, quia intus semina pestis recondita habebant, & causam morbosam: itaque à causa morbi, imaginatio morbi, nā vt lib. 6. dicetur, à copia humorum consimiles species excitantur. Aut dicas tertio, vi imaginationis latentes morbos in corpore patefieri, vt qui dolore aliquo laborant exiguo, non percipiunt illum, nisi aduertant: vbi de dolore cognitio irrepit, dolorem fecisse videtur, cum tamen aliam, eamque longè diuersam dolor habeat causam.

Quamobrem, neque in proprium corpus potest per se morbos inuehere.

Per accidens potest, idque trifariam.

Primus modus.

Secundus.

Tertius.

Quæ in initio sunt proposita ad adstruendam vim phantasiæ in corpora externa, facilè dissoluuntur, si negemus mira illa opera patrata fuisse: figmenta vetularum, vt plurimum sunt, & vulgarium rudiumque hominum auctoritate probata. Nec si eadem vera, vi phantasiæ fiunt, sed Dęmonum opera, vt cap. dicetur penultimo. Quod additur de maculis productis in fætu, siue illæ fiant, dum concipitur, seu ipso efformato; nam & concepta proles in, vtero materna sentit dispendia: haud ab imaginatione per se inferuntur, sed vel fortuitos humorum incursus, qui ad immoderatas illas cupiditates sequuntur, tāquam causam agnoscunt, aut alias longè diuersas; multæ enim proles signatæ in lucem prodeunt, cum tamen nihil intensè, aut concupiuerit mater, aut timuerit: multæ, esto multa cupiuerint matres, formidarint nō pauca, nullas produnt, cum in hanc lucem mittuntur, aut rei concupitæ, aut formidatæ notas. Et quidem, si ab hac causa notæ illæ in fætibus, cum ferè nulla sit mulier, quæ dum vtero gerit, multa ardēter non appetat, nullus ferè fętus in lucem prodiret, qui multis rebus, non esset obsignatus, quod cum experientiæ non respondeat, non est, quod dicūt multi grauissimi viri acceptandum. Qua de re si desideras multa, lege Thom. Ficqum lib. de viribus imaginat. nam copiosè satis, & abundè de re ista differit.

Nec opposita suadenter rationes in exordio quæstionis propositę.

Vnde maculę in fœtu.

Dentur ne morbi ex Fascinatione:
Cap. XIV.

TOrqueri nostra corpora frequenter causarum necessario occurrantium vitio, abundè monstratum: examinandum modo, an valeant idem facere causæ, quæ necessario nobis non occurrunt, non omnes; nam si quis dubitet an sit noxius animalium morsus, inflicta vulnera, dignus est, qui multis confodiatur vulneribus, ad feras damnetur: sed num possit hoc fascinatio, num incantamentum.

Dari morbos ex fascinatione, docuit Arist. 20. sec. problem. 34. Auic. Plin. lib. 7. cap. 2. Albertus lib. 22. de animal. c. 4. D. Thom. Vega 1. de diff. feb. cap. 4. & passim Philosophi quique, probantque id multis experientijs, & rationibus. Primam sumunt ex Plinio, qui lib. 7. c. 2. scribit, non tantum dari, sed id mali genus esse toti familiæ commune. *In Africa*, inquit, *esse quasdam familias fascinantium Isigonus, & Nimphodorus tradunt, quarum laudatione intereunt probata, arescunt arbores, emoriuntur infantes: esse eiusdem generis in Illyrijs, & Triballis adijcit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis*, quem locum perpendens Moretus lib. 1. var. cap. 3. exponit per ly Probata armenta, non laudata, vt communiter omnes, nam græcè armenta, probata dicuntur, fuitque id in more latinis, multa verba græca suis scriptis inferere. Confirmat quoque fascinium exemplum Eutelidæ à Plut. relatum 55. lib. sympos. cap. 7. *Hunc air, narrant, cum sibi pulcher visus esset, propria captum specie, in morbum*

Asseruntur, quæ fascinationi patrocinantur.

inuidisse; atque habitum bonum, vna cum pulchritudine amisisse. Adijciam versus.

Eutelidæ pulchri fuerant per colla capilli.
Sed sibi dirus homo, conspecto influminis vndis
Inuidit: turpisque innasit protinus illum.
Morbus, & inuidia corrupta est gratia forma.

Addunt, & rationem dicentes, si morbus tollatur, vana futura sit omnis medicina; nimirum idcircò est inuenta, quo possimus illis obuiam ire, & præsentes affectus curare. At multa inuenta sunt remedia, eaque scriptis tradita ab excellẽtissimis viris; Arist. enim loco supra cit. quærit, cur ruta fascinationi medeatur. Plin. lib. 28. cap. 4. fascinationem sputione repercuti affirmat, vnde Tib. lib. 2. el. 2.

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arcta,
Despuit in molles, & sibi quisque sinus.

Nullus tamē esse mōstu, argumento à fascinationis natura desūpto, demonstratur.

Eamdem vim tribuunt satyrion orchis cognominata: neque aliam ob caussam inductum credo, vt puerorum collo, lapidem gagate suspēdant. Nempè longâ est experientia probatum, maximam esse antidotum aduersus fascinationem. Plutar. item scribit, ad auertendum fascinũ, maximũ remedium esse, auertere faciem, quod ita minus penetrent, tamquam veneno imbuta iacula, spiritus in eos, qui inspiciuntur.

Contrariam sententiam tenet Ferd. Amena, Valles. lib. de sacra phil. cap. 58. Christop. Aueg. 1. de diff. feb. cap. 3. & 2. de ar. med. sec. 6. cap. vlt. Fernel. lib. 2. de abditis rerum caus. cap. 17. Delrius lib. 3. disquis. mag. & alij multi; & certè si fascinij naturam examinemus, superstitiosam rem esse, stulta credulitate hominum profectam coniiciemus; bifariam enim fieri potest, vt fascinatione quis offendatur, aut quoniam nobilissimæ animæ vehementer quid appetenti, non solum corpus proprium obedit, sed & externa quæque, quem modum dicendi sequutus Auic. dixit, facinatione multa mala inferri: aut quoniam tetri halitus è corpore fascinantis prodeuntes, proximos quosque inficiunt; dicunt enim fascinatores eos esse, quibus vel natura insoeuit; aut aduentitius corporis habitus qualitatem veneficam comparauit, quam vna cum vaporosa substantia è gutture, facie, oculis, & parte quaque expirantes, proximũ inficiunt aerem, tum longius diffundunt, læduntque quoscumque attigerint, præsertim si sint pueri, aut tenella animantia, vnde Virg.

Nescio, quis teneros oculis, mihi fascinat agnos.

Tales autem esse subdũt, qui duplicem pupillam habent, decrepita ætate, sexu fœmineo: addunt alij, qui plurimum astris tribuunt, quicumque in eius genesi astrũ quoddam habuerint. Fascinatos vocant, qui ab ab alio conspecti, cum belle valerent, statim in morbum incurrunt. At vterque modus dicendi omnino est falsus. Quare, &c. Probarem hoc de Auic. ni cap. superiori esset ad factum à nobis; propterea cõtra alios stringam gladium, ac primum, si fascinatio hac arte lędit, erit fascinatio passio oculis illata, & concepta. Quare erit ophtalmia fascinatio, ophtalmiā patiētes fascinati: fascinatores, qui intuendo, illam cõmunicant alijs. Eadē ratione reijciũtur, qui dicunt fascinationem esse passionem illatam oculis, non conceptam, nam si quæ est illata, & concepta fascinatio dici nequit, multo minus de ea dici id poterit, quæ illata tantum est, non excepta; Quis enim, vt & hoc addatur, fascinatorem dicet, qui pestis seminaria defert, fascinatum, qui eam concepit? Addiderunt propterea alij ad integram rationem fascinij, timorem quemdam superstitiosum ex parte fascinati, & inuidentiam, aut odium ex parte fascinatoris, vt hæc sit integra diffinitio fascinij. Est fascinium, passio oculis illata, & concepta, ex odio profecta, aut inuidentia eius qui intuetur, timore verò eius, qui inspicitur: quamobrem cum sit inuidia dolor de bonis alterius, fit proinde, vt fascinati sint pulchri; & quoniam inuidia est affectio ex animi prauitate procedens, requiritur insuper, vt in fascinatore malignitas quædam insit, quo factum est, ni fallor, vt quoties laudamus aliquem, ne fascinationis suspitionem inducamus, ficam implicatis digitis, & mox extensis facimus, bonaque precamur. scilicet ficam facimus in signum contemptus: precamur bona, vt inuidētiæ suspitionem remoueamus. Est certè hæc sententia probabilior alijs, nam semper putarunt Philosophi ad fascinationem, odium pertinere, & inuidentiam; græcè enim dicitur *Vascbania*, quod est inuidentia, ac si fascinatio non solùm nequeat esse absque inuidia, sed nihil sit aliud; non quod velint quidpiam inuidiam facere, sed quia inuidi attentius inspicientes, maiorem venenatorum vaporum copiam, & magis maleficam iaculant: ijque directius permeant ad oculos, & ab his ad cor vsque penetrant; ita enim & canum morsus grauiores sunt, si irati mordeant; & efficaciora semina, si ab amantibus eiaculentur, & in vniuersum facultates corporis, affectionibus animi roborantur.

Nam si fascinatio, est passio oculis illata, & concepta, erit ophtalmia fascinatio.

Quod hodiè addas, aut inuidentiam, multo magis vana esse coniicitur.

Sed si hęc est fascinationis natura, multo magis vana esse coniicitur; qua enim ratione potuit fieri, vt Eutelides sibimet inuideret, parentes natis, amicis amici, quibus adeò oculum fascinantem esse existimant, vt non patiantur teneros fœtus

Quomodo enim potest idem sibimet inuidere, pater nato.

tus

[illegible] Nec Plutarc. euasio proba-da quatuor ob causas.

eus diutius ab auuncula spectari? Plutar. acer fascinij defensor, conatus est huius facti tradere rationem, *Audacter, inquit dico, vniuersas quidem animi affectiones, quibus diu insint in ijs malos habitus ingenerare: hic cum natura vim ceperint, qualibet ex causa moti, sæpè etiam inuitos homines in proprias, & consuetas perturbationes deferunt: sic autem considera, timidi ipsa etiam auxilia formidant: iracundi in carissimos quoque sunt morosi: amatores, & intemperantes postremo, nè sanctissimis quidem corporibus, quamuis morti vicinis queunt abstinere; mira est enim consuetudinis vis ad attrahendum affectum, id quod sibi est proprium, & qui in lapsum est propensus, vbique necesse est impingat. Nulla est ergo admiratione dignum si qui inuidendi, & fascinandi habitum sibi induxerunt, etiam aduersus familiares, ex morbi proprietate conueniur: at vbi moti fuerint, quod solent efficiunt nō quod volunt; quemadmodum enim sphæram sphæricè moueri, & cylindrum in modum cylindri, necesse est pro formæ differentia, ita hominem sic inuidum affectio inuidiæ aduersus omnia mouet.* Plutar. assentitur Heliodor. quamuis de facto dubitet. *Porrò inquit, si qui sunt, qui etiam carissimos, & quibus benè volunt fascinant, id quidem non est mirandum, si cum natura sint inuidi, non quod volunt, sed quod natura solent.*

Prima.

Sed errant vtriqui, nam geometrica illa comparatio sphæræ, & Cylindri, humanæ libertati non parum repugnat; voluntati enim nostræ frenum inijciunt.

Secunda.

Errant secundo, quod maleuolam inuidentiam amori omninò contrariam, in vnum combinant, quod falsissimum; enim

Ex quanam causa perijt Narcissus.

vero quod narrant de Eutehde, fabula est, similis Narcissi fabulæ; aut si quid tale accidit, arbitror vtrisque contagiosam fontis exhalationem fuisse exitio; Quomodo enim commota aqua aliquam imaginem refert? Vnde miror Ant. Vngarum

Tertia.

à flumine illud obnixè petere, vt mulieris à se amatæ referret imaginem, nam quamquam mare placidum id facere valeat, nunquam potest idem fluuius. Insuper si fascinatio citra inuidentiam non potest fieri, fascinator erit quicumque lue pestilenti infectus attentè alium cum ira, odio, & animo inficiendi inspiciet, fascinatus, qui venenum concepit. Quare erit fascinator non qui alterum in eius genere habuit, neque ob temperamenti proprietatem, nec quia duplicem pupillam habet, sed ob solum animi affectum, quod non est eorum doctrinæ cōsonum: nec rationi; Quis enim erit adeo hebes, qui non dicat venenatum hunc esse, venenatorem alium? Adde demum, neque huius sententię fundamentum verum esse, scilicet dari quosdam, qui natura venenosum quoddam compararint, nam etsi insæuit natura quibusdam animantibus proprietatem alteri animanti, inimicam, vnde videmus viperam hominis saliua necari: hominem homini, equum equo, à primo natiuitatis exordio, numquam auditum naturam inimicam habere teste Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 6. Quare, & illud falsum, dari nempè fascinatores natura; neque illud verum, quod prædicat Plin. de mēstrui sanguinis prauitate, cum quotidiè citra noxam aliquā cum menstruatis versemur. Quod verò ita animis hominum fascinationis opinio hæserit, id factum puto cum Plutar. quia pueros, & mulieres solito pulchiores, solemus omnes inspicere, & admirari, quo tempore si ægrotare contingat, cum paulò antea optimè videantur habere, in laudatorum oculos, quales quotidiè habent quamplurimos causam referunt, cum potius in causas internas, & humores referrè deberent, quandoquidem, vt ait Cels. *qui solito nitidiores sunt, suspecta sua bona habere debent*, nam cum non possint, vt ait Hip. *in melius procedere, reliquum est, vt decidant in deterius.* Quāquam nec si in laudatorum oculos reijcete, id placeat, est quod fascinationem hanc ob causam admittas; nam non tam est fascinatione, quam contagio morbus ille contractus.

Vnde ergo fascinationis opinio inualuit?

Ergò spuit laudatus, non eam ob causam, ne fascinetur, sed ne semina contagij contrahat: nam auertit spuendo à laudatore faciem, vnde effugit tetros halitus, qui ab illo perspirant, & inficiendi vim habent. Atque hinc creditum est, satyrion conferre ad inhibendum fascinum antiquitus, nam cum auerterent vetulæ faciem à puero gestante Satyrion, habet enim penis figuram, non poterant recta tetros vapores ad puerum iaculare. Iuuat Corallus, quia habet rationem antidoti aduersus venenatos vapores: neque aliam ob causam confert ruta, nisi quia dissipandi vim habet malignos halitus, quam ob causam conducit etiam epilepsiæ. Vnde non possum non mirari Arist. qui cum hanc facultatem in ruta agnouisset, ijs tantum prodesse velle videtur, qui inter comedendum repleti sunt flatibus. Conducunt contra laudes ad inferendum fascinum, seu contagium, quia laudati exhilerantur, vnde incalescūt partes faciei potissimum, & dilatantur, quarè facilè excipient malignos vapores à laudatore prodeuntes, facileque proinde in morbos incurrent, contagio, non fascinio contractos; nam quid est contagio, si fascinatio erit? Sed plura quam putaram propterea dicere aggrediar de incantamentis.

Cur spuimus ad auertendū fascinum.

Antiqui gestabant Satyrion.

Nos Corallū rutam.

Cur laudes cōducunt ad fascinum inferendum.

Ha-

Habeant ne incantamenta vim morbos inducendi. Cap. XV.

[Quid] incantare.

NIhil valere suadet incantamenti natura, est enim incantare, verbis solis, aut verbis, rebus quibusdam adiunctis, mira quædam moliri, vndè sumitur cantare, quandoque pro incantare, quia nequit id absque alicuius carminis prolatione fieri. Virg.

Frigidus in campis cantando rumpitur anguis.

Et Lucanus.

Mens hausti, nulla sanie polluta veneni.
Excantata perit.

Quamquam, vt plurimum requirantur ambo, vndè Virg.

Mistentque herbas, & non innoxia verba.

Et Seneca multis venenis de Mædea enumeratis, dicit.

Addit venenis, verba non minus metuenda.

Quibus fiant.

Sunt autem hæc quandoque minuti pulueres in cibo potuuè infusi, vel affricati nudo corpori, vel in vestes diffusi. mortiferi sunt atri: qui morbos tantum inferunt, ruffi coloris, aut cineritij: qui eos tollendi vim habent albi: ità distincti, ne cum ijs vti volunt, decipiantur, quid vt dici solet, pro quo accipiendo. Vtuntur interdum, & albis vnguentis, & subruffis, in quibus emicant metalli micæ, & simul luteæ cādicantesque guttæ, quas si in ignē proijcias, sonitū edunt, cui similis nullus. Hoc dicūt maleficas cōtinuo manus illitas habere, ne qua nocēdi elabatur occasio. Vtūtur alias festucis, & herbis humi proiectis quæ calcantibus, quibus tamen malefica voluerit, sunt necis certissima causa. Componunt autem vnguenta hæc & pulueres diuersis ex rebus iuxta diuersitatem malorum, quę putant moliri: non nunquam enim tentant soporem inducere, alias conciliare amorem excitare alias odium, interdum morbos, & necem inferre. Vndè quædam maleficia dicuntur somnifica, quædam amatoria, & quædam hostilia. Amatoria hoc modo patrabantur antiquitus. Confingebant ex luto aut cera Idolum ad amantis similitudinem, hoc, postea quibusdam verbis obmurmuratis liquabant. Virg.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit,
Vno eodemque igne, sic nostro Daphnis amore:

Vrebant alias laurum, idem.

Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide laurum.

Hinc nihil posse incantamenta deducitur, non enim valet

His addidit nostrorum temporum malitia semen, menstruumque, & quod grauiter ferendum est, accipiunt hostiam consecratam, eamque redactam in puluerem, aut bibendam porrigunt, aut comedendam illi, quem in amorem allicere cupiunt. Hostilia in cantamenta perpatrant certa figura ad similitudinem maleficiandi conficta, & in eam aciculis immissis. Ouid.

hoc præstare materia assumpta.

Deuouet absentes, simulacraque cerea fingit.
Et miserum tenues in iecur vrget acus.

Nunc autem nec verborum obmurmuratio, nec materia assumpta quicquam tale faciendi vim habet. Quare &c. Non est vis hæc in materia maleficij, cur enim semen comestum, aut sanguis ebibitus amorem conciliet? curue puncta figura, ad illius similitudinem facta, quem habet odio saga, dolebit maleficiatus, & acus punctiones persentiet? secundo multa maleficia vt dictum, solis verbis patrantur, vnde Virg.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit, ast alijs diras immittere curas,
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retro.

Tertio materia maleficij plerumque non tangit hominem, cui maleficium inferre tentant. Quare nil facere hæc poterit, cum ad quamcumque actionem requiratur contactus. Non est item vis aliqua in verbis; nam si quid possent, aut possent ratione rerum, quę significantur, aut propter suauitatem soni, qua ratione mouent oratores, alliciuntur aues, afficiuntur lacertæ sermone hominum, canes, & gatti ad eos vocantes accurrunt. At vterque modus spectat ad audientes tantum: incantationes non audiuntur ab ijs, qui incantantur. Insuper verbis nil est commune cum rebus neque enim aliud sunt, quam aer diuerberatus, id potius, quam illud significans, quia ita est constitutum apud homines, vnde quia non est inter omnes vno pacto conuentum, factum propterea hinc est, vt varia genera linguarum sint orta, neque Gallus Hispanum, neque hic Germanum intelligat. Quare ridendum quod nonnulli affirmāt, si nullum loquendi genus discat quispiā, futurum vt Hæbraico Idiomate loquatur: nàm cum loquela ex hominum conuentu sit orta, & nomina eorum arbitrio imposita, si nullum loquendi genus addiscit, nullatenus loqui sciet. Quid quod si idioma hæbraicum innasceretur; innasceretur profecto, etiam si alium addisceremus sermonem? vt enim si quis italicè loqui sciat, non impeditur quo minus hispanum sermonem addiscat: ità si quis naturaliter loqueretur hebraicè, non deberet impediri propterea, quamquam aliud Idioma addisceret: nullus autem visus est vsquam absque doctore loquutus hæbraicè. Omitto, quod quæ naturalia sunt, in ea inclinamur, & quadam dexteritate

Nec verba, non enim ratione rerum significatarum, nec propter suauitatem soni tale quid possunt.

faci-

facimus: est autem lingua hæbraica difficillima omnium. Quare sunt verba ad placitum, & aer quidam pro arbitrio hominis diuerberatus, qui cum mira facere non possit, non poterunt incantamenta nocere, aut iuuare.

Nec quia sint radij rerum, quas significant.

Scio quosdam dixisse, verba esse radios rerum quas significant, & in ipsis vitam quamdam latere, habereq; eum cœlestibus orbibus sympatiam: autumasse alios, quamquam verba, nec ratione materiæ, quæ est aer, nec formę, quæ est nota passionum animi, nocendi vim aliquam habeant, quatenus tamen idem aer, qui expiratur ab anima, abdita quadam qualitate afficitur, mira posse perficere, & omnia, quæ conceperat animus. At quam hæc vana, futilia, & indigna, quæ reijciātur? enim verò, vt eum primis congrediar, multa nomina, nihil significant, multa sunt aliud à rei natura significantia. Quare nullam possunt cum rebus sympatiam habere. Quod habent auctores posterioris sententiæ, si verum, idem facerent quæcumque verba, idemque multo efficacius præstaret efflatio, quod ipsismet auctoribus est falsum. Quare multo probabilius censuisse videntur ij, quibus cum nihil in hisce inferioribus occurreret, à quo possent vim aliquam maleficia sortiri, in vniuersales causas confugiendum putarunt, vndè quidam dixerunt maleficia nocere vi Intelligentiarum mouentium orbes. Alij Dæmonum operā idem fieri autumarunt: hanc habent Theologi omnes & Philosophi quique Christiani, priorem tuentur Peripatetici multi, ne citra rationem spirituales substantias, & prorsus Arist. ignotas multiplicarent; neutra tamen difficultate caret, nam Peripatetici non possunt docere, cur Intelligentiæ, quæ eximia sunt præditæ bonitate, ea patrēt facinora, quæ vel parum mente compositus, cogitare vix audeat. Premuntur vtrique insuper, quia haud facilè possunt docere, quo modo tum Dæmones, cum Intelligentię particularia cognoscant; nam vel cognoscet Dæmon seu Intelligentia Magum, nunc inuocantem per suam essentiam, vel per receptionem speciei, vel connaturalis, velut est intelligere apud Platonem per Idæas animę cōnaturales, aut concreatas, cuiusmodi est intellectio Angelorum apud Theologos, aut infusam, qualis est intellectio Prophetarum: aut per speciem; de nouo acquisitam. At non potest dici hoc vltimum, primum quia Intelligentiæ apud Arist. sunt puri actus: secundo quia talis receptio fit sensuum interuentu, nec produci illæ possunt absque phantasmate, quo caret Dæmon; nec illud ex obiecto extrahere opera intellectus Agentis valebunt, quia hoc obiectum est extra spheram Dæmonis. Intelligere per speciem connaturalem, concreatam, aut infusam, non

Non nocent nec iuuant vi Intelligentiarum aut Dæmonum.

Nec a magi imaginatione vim sortiuntur.

est in Lycæo receptum.

Quid ergo? an figmenta esse dicemus veterum? Ita multi, vt refert Tho. 4. sent. dist. 40. art. 3.

His fortasse ducti quidam dixerunt, à valida Magi imaginatione vim lædendi, maleficia mutuare. Nimirum putauit Auic. quem postea sequuti sunt multi, phantasiam, ne dum proprium corpus alterare, & mouere, sed & externum. At hoc supra reiectum. Quid ergo? An cum Iac. de partib. 4. 1. & alijs multis, qui Dæmones dati negant, dicemus, eos tantum esse maleficiatos, qui maleficiatos esse suspicantur? nam quot quot hoc affectu teneri verentur, ij omnes melancholico aliquo tenentur affectu? Puto id esse frequenter verum, vt tamen imaginaria sit hæc affectio semper, absurdum est opinari: reclamant Poetæ, Hystorici, iura Cæsarea, Pontificia, vt late docet Ioan. Bapt. Codronch. lib. 1. de morb. venef. Delr. lib. 2. disq. mag. c. 1. reclamat ratio, nam antequam suspicetur id æger, mille tenetur syptomatis. Tot itaque malorum, quæ causa?

Nos quandoque imaginaria, interdum vera esse putamus.

Sunt itaque maleficia quandoque imaginaria, & malè quamplures se habent, quod maleficiatos, & Dæmoniacos esse suspicantur: patet, nam multi ab hisce affectibus liberantur, imaginatione dumtaxat correcta, & ijdem aguntur, vbi sacras Sactorum Reliquias ipsis admoueri intelligunt, quamquam nullæ admoueantur: sunt eadem quandoque conficta: occurrunt passim exempla, quæ id declarāt: noui, & ego puerum quemdam, quem cū pænituisset religionis susceptę, non dum anno probationis exacto, Dæmoniacum esse simulat, ne si corpore sanus à consilio proposito recederet, mente non admodū sanus haberetur. Id cum Fratres nequaquam suspicarentur, tentant exorcismorum opera à Cacodæmone puerum vindicare, profectu nullo: nempe benè valebat, quod licet compereram, vt tamen certius de re illa periculum facerem, frustulum panni, sanguine galli indici intinctum illi admoueo, eo prius admonito, esse sanguinem S. Caroli; hinc ille clamare, contremiscere, conuelli: at vbi proiecto panno, didicit, Galli indici sanguine intinctum esse, fraude detecta, desijt conuelli, & conualuit. Et quidem si alligata est virtus Dæmonum, nec libere ijs corpora torquere licet, sed tunc datur id facere, cum per diuinam prouidentiam licuerit, rarò maleficia occurrunt; nam quamquam tanta sit nostrorum scelerum seges, vt vel sopitam Dei iram excitet ad vindictam, expedit tamen Diuinæ prouidentiæ, quæ cuncta suauiter disponit, vt eum naturalibus medijs torquere nos possit, ijs, nos flagris cōpellat corrigatq;.

Rarò tamen occurrunt.

Scio causaturos non pauca emolumenta Reipublicæ Christianæ, si à Dæmone quidam torqueantur. Nempè apertè intelligimus dari Dæmones, non deficere cum corpore animam, Deum malorum

Vin-

Vindiecem, & alia multa, quæ latè prosequitur Delr. lib. 4. disq. mag. par. 1. q. 7. & Lorin. c. 5. actuum apost. verf. 16. quo fit, vt quos virtus permouere non potuit, pœnæ attrocitas coerceat: at vt cuncta hæc beneficia, Christiana respub. acquirat, satis est, vt quandoque per Deum id liceat: vt passim, vt frequenter id fiat, vt omnes fere morbi, cum diù perdurant, sint venefici, præter omnem rationem videtur affirmari. Dantur ergò quandoque veneficia: rarò tamen occurrunt. Cæterum cũ maleficia nequeát vi verborũ nocere, aut materici, est illud reliquũ dicere, aut vi Dęmonũ, aut Intelligẽtiarũ nocumenta illa inferri: non potest dici, hoc secundum, vt latè probat D. Tho. 3. cont. gen. cap. 106. nam non est intellectus benè dispositi concitare odium, conciliare amores illicitos, patrocinari scelestis, optimis quibusque esse infensum. Quare, &c. Nec vis argumenti eneruatur si quis dicat, Intelligentias esse per accidens malas, quatenus à Magis ad magica opera patranda trahuntur, quemadmodum, nec pharmacum erit per se malum, si quis eo abutatur, nã multo dispar est ratio; pharmacum enim trahitur, vt sic loquar, Intelligentię, ni spontè propria accurrant, cogentur numquam à Mago. À Dœmone ergò maleficia. Quomodo autem cognoscat Dęmon Magum inuocantem, an per propriam essentiam, an per speciem, non est Medicorum indagare; si plura de re hac cupis, pete Philosophos 3. de anim. 12. met. & D. Thom. 1. p. dum. q. 55.

Et à Demone vim mutuare volugmus.

Qua ratione Dæmones morbos inferant. Cap. XVI.

Per si Dæmones omne morbi genus producere, actiua passiuis applicando, omnium sententia rogum.

Conueniunt omnes, morbos induci à prædictis substantijs hunc in modum. Cient morbos, qui ex materia pendent, mouendo humores, & de vna parte in aliam transferendo: aut detinendo excrementa, quæ tum per cauitates sensibiles expurgantur, cum per insensiles meatus exhalabant. Priori pacto producere solent Epilepsiam, Apoplexiam, & alios affectus huius generis, qui gigni per paulatinam congestionem non possunt. Vtroque modo efficiunt melancholiam, ventriculi, capitisque dolores, & aliarum partium nostri corporis. Omne demum genus morbi efficient actiua passiuis applicando. Assument autem quæ faciendi vim habent prædictos affectus, aut ex ipsomet corpore, vt cum mittunt humores à ventriculo ad caput, aut aliunde adsciscent. Inesse hanc vim Dœmonibus patet, nam eodem modo Angelici spiritus, qui eandem habent cum ipsis naturam, custodiunt homines, vnde Custodes sunt dicti, necant alios, vrbesque sic Deo iubente comburunt; nempè admotis quibusdam, amotis alijs; neque Arist. abnuit, nam ipso auctore Intelligentiæ mouent cęlestes orbes. An tamen possint eosdem inferre, gignendo humores, aut deducẽdo partem ad eam intemperiem, vt prauos succos producat, & mali moris controuersia fuit non parua apud Philosophos. Plato, si quod ei tribuit Aristot. putauit substantias has inferiores, fieri ab Idæis, quæ sunt substantiæ à materia seiunctæ, & à Deo distinctæ, fateatur necesse est, posse id à Dęmone fieri. In eadem erit naui Auic. nam voluit secundam Intelligentiam creatam à prima Colchodea dicta, producere tertiam, potestque persuaderi, quia si quid obstaret, quominus hoc facerent, vel esset, quia sunt substantiæ spirituales, aut quia habẽt finitã virtutem. At neutrum obstat: non primum, nam facit hoc Deus, qui est purissimus actus: nec secundum, alias non possent idem facere, quæ limitatam pariter potentiam habent.

An idem facere valeant producendo per se humorem, aut qualitatem, controuersum. Annuit Plato.

Auic.

Firmat ratio.

Sed quotsum in re clara litigamus? ex sacra habetur scriptura Magos Dęmonum ope virgas quasdam, vertisse in serpentes, & videmus quotidiè illud hominum genus, quos salutatores vocamus, affectus multos solis verbis curare, Dœmone ex pacto, seu tacito, seu expresso ferente suppetias, nec tamen vnguenta illi admouent, Chyrurgorum instar, aut pulueres. Quare efficient illud, qualitatem, & substantiam, è materiæ sinu eliciendo.

Et Scrip. Sa. auctoritas.

Contrariam sententiam tuẽtur Theologi omnes, & Philosophi. Quod si vtrũque fieri à Dęmone videatur quandoque, id fieri subdunt, quia admouet Dęmon actiua passiuis; ex quorum mutua actione, & passione, qualitatęs, & substantiæ fiunt: non obseruatur tamen ab adstantibus, quia ipsi sub obtutum nostrum non cadunt: quę ipsi admouent, cum sint tenuissimi halitus, qui vi pollent penetrandi, facilè obtutum nostrum effugiunt: aut ficta inquiunt est, & simulata mutatio, cuiusmodi fuisse conuersionem illam virgarum in serpentes contendit Perer. lib. de diuinat. mag.

Abnuunt Theologi, & Physici multi.

Cur verò sit hæc potentia neganda Dęmonibus, non admodum conuenit inter ipsos. Negandam putant esse quidam, quia in materialibus est sufficiens virtus ad producendas huiusmodi substantias: quo circa potuisset prodigalitatis incusati Deus, si eandem virtutem Angelis tribuisset. D. Thomas 1. par. quæst. 110. negat inesse vim hãc Angelis, quia quidquid fit, à suo simili producitur, non est autem similitudo inter spiritus, & materialem substantiam; si quam enim haberent, inquit Suarez, virtualis illa esset, at neque hoc dici potest, nam aut esset Dęmon similis omni substantiæ corporeæ, & ita infinitam haberet perfectionem, aut

Quanquam nõ constet inter eos, cur sit hæc facultas Angelis denegada.

Aliam enim affert causam Durand. aliã D. Thom.

aut esset similis quibusdam tantum, non alijs, quod cum nulla certa ratione affirmetur, non est modo aliquo affirmandum, elicere formam substantialem Dęmones è sinu materiæ.

Quæ quonia probabiles.

Sed quamquam hæc multis arriserint me tamen, vt rem liberè fatear, nequaquã mouent; nam quod assumit Duran. assumit gratis; si quidem Plato, Auic. Themist. & alij multi, idcirco in illas substantias confugiendum putarunt; quia nullã esse causam viderunt in hisce inferioribus, à qua posset substantia produci; nul toties enim perijt substantia producens, quandoque abest, interdum est insufficiens. Nec ratio D. Thomæ suadet, nam quod dicit Suarez, non posse assignari rationem, cur Angeli sint virtualiter similes quibusdam tantum substantijs, & non alijs, assignatur; nempe quia tributa est illis facultas sic limitata à Deo, vt has possint substantias producere, & non alias. Et si trahit magnes ferrum tantum, non alia, quamquam alia multa trahi possint, allicit reubarbarum bilem, non alia corpora: cur non licebit dicere, produci ab Angelis has substantias tantum, nõ alias quia his virtute sunt similes, non vniuersis? Quid ergò an in Platonis & Auic. sententiam descendemus, reiecta alia nimirum verò, sed vtrumq; dicendi modum probamus, nam Angeli producto impetu mouent corpora: quod si, impetum producere possunt, cur non poterunt alias qualitates?

Vide Auer. 12 metap. tex com. 18.

Hinc vtramque sententiã probabilem censemus.

Sed si tot modis possunt torquere nos Dęmones, nimirum actiua passiuis applicando, eliciendo, formas, & corpus mouendo. Quo pacto mouebunt, assistendo corpori, an verè in corpus ingressi, mira illa, quę multi narrant, vidi ego numquam, efficiunt? Insinuata quandoque Dęmonia, atque inde per Christum excussa, veritas Euangelica comprobat. An verò per substantiam dicantur ingressa, an propter effectum, quem produnt, ex euangelio nõ constat, quia tamen nihil superfluum admittere decet, cum ad torquenda corpora id sufficiat, corpori vt assistat Dæmon, vt nauta naui: non secundum substantiam, arbitror in corpora ingredi, sed secundum operationem. Vnde Beda exponens illud, *cur tentauit Satanas cor tuũ. Implet* inquit *Satanas cor alicuius, non quidem illud ingressus, sed callida, & fraudulenta deceptione in malitiæ affectum, animam trahens*. Idem alij Patres. Sed quoniam hæc magis Theologica sunt, quam medica, subtraho manum, & finem huic capiti impono.

Quocumque tamen modo id faciant nõ est necessarium, vt in corpora Dæmones ingrediantur.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Tertius
DE MORBI ACCIDENTIBVS: seù symptomatis.

Dicendorum occasio, & ordo. Cap. I.



Xactam rei cuiuscumq; notitiam tunc haberi Philosophi autumarũt, cum causæ omnes, accidentia omnia fuerint explorata: Hinc summus naturæ Genius Arist. vbi de rerum initijs duobus libris Phiseorum disseruit: quantitatis, loci, vacui, omnium demum accidentiũ, quę corpus naturale sequuntur, naturam aperuit. Quare erit pro nostri instituti ratione, si absoluta disputatione de causis, accidentium modo (sũt autem hæc symptomata) adnectatur tractatio. Ne tamen confusa illa euadat, dicemus primo, quid symptoma, haud sumentes symptomatis vocem generaliore illa significatione; nam cum hoc comprehendat, & morbum, & causam morbi, esset rem actam agere: disputabimus secundo de eiusdem causa, videbimus tertio quot eius genera. Demum percurremus quæcumque ad hanc tractationem spectare videntur.

Quid symptoma. Cap. II.

Diffinit Galen. symptoma hunc in modum lib. de diff. sym. cap. 1. *Est affectus præter naturam, insequens morbum, velut vmbra corpus*.

Reijcitur Galen. diffinitione symptomatis.

Et malè (pace sua dixerim) nam symptoma in qualitate mutata, amoto morbo adhuc permanet, vt passim docent ipsi-

ipſimet Galeniſtę, prę ſertim Fuch. 3. inſt. cap. 1. Valleſ. 4. controu. 4. Rud. lib. 3. de humani corporis affectib. Galen. ipſe, nã declarãs lib. de diff. ſymp. 1. quomodo differt à paſſione, hæc ſcribit, *à paſſione verò, q hæc omnino ſit in motu, interim verò & ſecũdũ naturã; ſymptoma verò non ſolũ in motu, ſed etiam in habitu quodam, omnino autem præter naturam.* Suadet idem ratio, nam exiguus tumor, quem ſymptoma eſſe docet Galen. de diff. morb. 11. laxata vi contentrice excitatus, perdurat, quamquam virtus retentrix roboretur, & color fœdatus ictericorum, non tollitur, quamquam obſtructio, vel calida intemperies hepatis adimatur: neque ſtatim ac homo vindicatur à febre e. g. extenuatio tollitur, & imbecillitas virium, imo interdum eſt vſque adeo magna, vt nondũ videatur vindicatus ęger à morbo. Quare male dictum, inſequi morbum, velut vmbra corpus.

Et quorundam opinio.

Nec tollunt difficultatem, qui dicunt, perſeuerare quidẽ qualitates iſtas morbo abolito, non tamen, vt ſymptomata; adhuc enim ſunt præter naturam, neque morbi, aut cauſæ: ſymptom. ita itaque. Cõfirmatur nam ſunt ſigna morbi prægreſſi. Qui ergo indicare poſſunt, ni vel morbi cauſa ſint, vel effectus? At non eſſe cauſam morbi certum. Effectus ergo. Quare, vt ſymptomata, adhuc perſeuerant, morbo jam abolito. Non itaque admittendus Auic. eſt 2. pri. cap. 1. ſcribens, *& pleriſque ipſum accidens ſit ægritudo quemadmodum dolor capitis, qui ex febre accidit, nam quandoque figitur, & tamdiu ſit manſiuus, donec ſit ægritudo,* ſeu enim diu perduret, ſiue parum, ſemper dolor eamdem naturam habet. Quare nunquam morbus eſſe poterit. Caurius ibidem dixit, & accidens eſt res, quæ hanc ſequitur diſpoſitionem, hoc eſt morbum, non adijciens illud, velut vmbra corpus: quamquam neque accomodatè; nã datur morbus ex morbo, vt ex inflammatione febris. Quare ſi eſt ſymptoma rès præter naturam, morbum inſequens, confundetur vna cum ſymptomate morbus.

Reijcitur Auic.

Studuerunt multum multi, vt huic difficultati ſatisfacerent: aſſequuti, ne id fuerint, dubium, anceps. Negauit quidam febrem ab inflammatione originem trahere, nam hæc eſt tumor: ab hoc autem febrem non produci, certum; alioquin cur non quiuis tumor eamdem produceret? Sequi febrem contendit materiam inflammationis: hæc autem cauſa morbi eſt, nullo modo morbus. Quid ergo? An negabit propterea in vniuerſum, morbũ ſequi morbum? Conſtituet ſibi Medicos omnes aduerſarios: Conuincent eumdem multa alia, nam ab obſtructione febris: ab eadem oris tortura. Ideirco fortaſſe ſubdit, quod & ſi morbi quidam, & ſymptoma re iſta conueniant, differunt nihilominus, quia ſymptoma morbum neceſſario ſequitur, non morbus morbum. Proinde ita ſymptoma definit, *Eſt quod ſequitur morbum neceſſario.*

Refellitur.

Sed certè, ſi depoſito affectu velit idẽ veritatem ſectari, perſpiciet ſtatim, & morbo cõuenire adductam definitionem ſymptomatis; ſi quidem tortura oris neceſſario magnam ſequitur obſtructionẽ. Symptoma itaque. Videbit ſecundo ſecum aperte pugnare, nam ſi ſymptoma morbum neceſſariò ſequitur. Ergo poſito morbo, mox conſurget, idemque euaneſcet morbo extincto, alioquin non ſequitur neceſſariò ipſum. Comitabitur itaque morbum, vt vmbra corpus. At hoc numquam Galen. voluiſſe contendit; Probat itaque quod improbarat, & quod paulo ante reiecerat, amplexatur.

Dixerunt alij, quod & ſi morbus morbum ſequitur, vt febris obſtructionem, inflammationem, nõ fit propterea, vt definitio ſymptomatis conueniat morbo; ſi quidem morbus, qui morbum conſequitur, adhuc lædit actiones, quod non facit ſymptoma; nam quemadmodum vmbra vmbram non producit, ſic vnum ſymptoma aliud inferre non valet: Non aduertẽtes tacitè definitionem reprehendere, quando alteri (ni tamen addas aliud) conuenit.

Hinc dicit Fort. 2. 1. doc. 1. cap. 1. eſſe ſymptoma rem præter naturam vel morbum, vel accidens ſequentem. Quod neq; acceptandum, nam morbus quoque eſt res præter naturam à morbo productus, aut ſymptomate; nam ab excretione quæ eſt ſymptoma, diſenteria. Hanc ob cauſã fortaſſe Capiu dixit, ſymptoma eſt res præter naturam, quæ ſeorſum à natura conſtitutionis, aliquid præter naturam ſequitur: quam quis non reijcie? etenim confuſio eſt potius, quam diffinitio, quæ clara eſſe debet, & dilucida. Adde quod conuenit morbificæ cauſæ, nam bilis. e. g. mordacior, acrior, eſt quid præter naturam diſtinctum à morbo, calidamque ſequitur intemperiem hepatis. Tertio ponit ſymptoma ſymptomatis, quod lib. 1. reiectum. Acciperem illam, quæ docet ſymptoma eſſe, quid quid præter naturam exiſtit in corpore rembota cauſa, & morbo, ſi tradita per negationem, diffinitio, diffiniti naturam declararet: at verò ea tantum hæc innuit, quæ diffinito repugnant.

Fort.

Nec non Capiuac.

Nec communis admittitur.

Proindè vt rem expediam, dico eſſe ſymptoma affectum præter naturam per ſe à morbo immediatè, aut mediatè profectum. Sed cum bifariam affectus ſumi poſſit ſcilicet pro alteratione, quæ omne ſuum eſſe in motu habet, vel pro termino illius; ſcire oportet, hic neutro modo ſumi: non pro via; nam excludetur ſymptoma in qualitate mutatã, quod permanet; nec pro termino; nam non inclu- [illegible] debet.

Noua itaque affertur, & explicatur.

deret diffinitio ſymptoma in excretis, & læſa actione;ſed prout abſtrahit ab vtroque,& vtrumque comprehendit, hoc eſt tententem paſſionem,& factam; vnde bene Fern. *affectus appellatio hic latius quam in morbi finitione patet*; nam morbus permanens affectus eſt neceſſario. Quoniam verò poterat hic eſſe duplex naturalis,& præter naturam, diximus eſſe affectum præter naturam. Itaque ſi quis decem libras carnis non valeat conquere,ſi quis tremat ex ſenio, vigiletque, vel ex pituitoſa natura,plus iuſto domiat, & ad motus quoſcumque iners ſit,atq; torpidus: haud ſymptoma aliquod patietur, quia nihil eſt in his,quod ſit pręter naturã,ſed sũt omnia illa opera,aut naturales quędã impotentiæ. Vide Gal.lib.de diff. ſympt. vlt. Nec vitium quuodcumque præter naturam dicetur ſymptoma, ſed vbi ſit ſenſibile, & aliqualem habet magnitudinem;nam exigui quidam defectus,in neutro quoque corpore reperiuntur lib.art. med.cap.8. vnde eodem lib.cap.82. *morſus ait ventris, vel in ore ventriculi, ex genere quidem exiſtit eorum, quæ præter naturam,non tamen qui ita ſe habent ægrotare dicentur, ſicuti neque qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cum non dum in conſuetis impediantur actionibus, hic enim in huiuſmodi diſpoſitionibus ægrotandi terminus eſt*: quod eſt idem ac dicere, eſſe paſſionem pręter naturam,à morbo profectam; nam huius eſt actiones ſenſibiliter lædere. Diximus per ſe à morbo profectum, vt diſtinguatur à cauſa, cui quamquam quandoque accidat à morbo fieri, accidit tamen, quia à morbo procedit quatenus ſymptoma, non quatenus cauſa: vnde non quæuis cauſa à morbo, licet fiat à morbo, omne ſymptoma,quod ita intelligi debet, quemadmodum lib.1. diximus. Scilicet in ſymptomate duo ſunt, eſt entitas quædã realis,& poſitiua,eſt vitium huic entitati coniunctum. Illa à facultate fit ſemper; ſemper à morbo vitium: nimirum,vt detentus compedibus, vt incedat, à facultate habet: vt male incedat, à compedibus,haud ſecus actio illa realis, ſeu bona, ſeu mala,ſemper à facultate,nam ad illam dicit relationem quamdam intrinſecam: vitium à morbo.

Indeque occaſio ſumitur reprehendendi Galen. qui palpitationẽ, & conuulſionem, à ſolo morbo voluit fieri.

Quare male Gal.2.de cauſis ſymptom. 1. ſcripſit Palpitationem, & conuulſionem à ſolo morbo fieri,nullas ferẽte ſuppetias natura, nam ſi eſt, palpitatio motus deprauatus facultatis, ergo eſt motus facultatis. Tenet conſequentia, quia à ſecundum quid ad ſimpliciter, valet arguere, niſi ſit conditio diſtrahens, aut imminuens. Vnde valet dicere:eſt homo albus, ergò eſt homo: non valet illud,eſt homo mortuus,ergo homo,quia ly mortuus, eſt conditio diſtrahens, & diminuens.

Sed dices: non ne à ſolo flatu eleuante diſtẽdi pars poteſt. Quorſum ergo opera facultatis? Dicam,quia à flatu non poteſt diſtendi particula: eleuat iſte ad ſuperaloca partem, ad quæ flatus à propria leuitate fertur,non ad latera. Quare non poterit dilatare,ſed eleuare, non diſtendere,ſed attollere. Secundo,quia etſi poſſet,non tamen feriaretur tunc temporis pars diſtenta; nam is eſt partium omnium inſtinctus, vt ad iucunda accurrãt, à noxijs fugiant. Fugiunt ſe ſe conſtringendo, quando foris eſt, quod moleſtat: dilatant ſe ſe,cum intus cõtinetur, quod officit. Dilatabit ergò ſe ſe pars caua,vbi oblędetur à flatu, quo vitet vaporis ingrati contactum. Idem accidit in cõuulſione, nempe etſi à ſolo humore,diſtendi pars poſſit,& eius longitudo minor fieri; vt tamen illa ſit otioſa, nequaquam cenſeo, ſed ſempęr fugiet moleſtans obiectum.

Enim verò nec Capiuc. euaſio, aut Mercur. alicuius momẽti.

Non ergò accipienda Capiu. doctrina, qui ad veram, legitimamque palpitationẽ,quæ ſit dilatata cauitate, inſtar vteriũ, nullo pacto concurrere facultatem dixit. Neque Mercur. qui diſtinguens de palpitatione vniuerſali,& cordis,in hac operari potentiam dixit,otiari per illam: cuius diuerſitatis eam rationem aſſignat, quia facultas expulſiua Cordis eſt valida,imbecillis,quæ in alijs partibus: Vnde inſurget illa laceſſita, hæc quamquam moleſtetur, quieſcet. Proinde palpitatio Cordis, & Cordis, & morbi erit opus, huius tantum effectus, quæ in cæteris partibus; nam quamquam debilior ſit aliarum partium vis expellens, hinc fiet, ne valide expellat,nõ tamen ceſſabit omninò ab expellendo.

Sed quando protetuiant reſpectu dilatationis, non video, qua fronte negent, contractionem fieri à facultate; nam ni à virtute, vel comprimetur pars reſoluto vapore,aut ad vitandum vacuum adcurret,aut à propria grauitate impulſa contrahetur,ad hos enim modos dicendi reducuntur omnes. At nihil horum probabiliter dicitur. Non primum;ſiquidem diſſipatio flatus eſt cauſa priuatiua, & merus defectus, eſt compreſſio motus poſitiuus. Non poteſt dici ſecundum ſi quidem fuga vacui, eſt cauſa finalis compreſſionis. Quare adhuc remanet dicere, à quo nam mouetur effectiuè pars illa. Neque eſt tertio,cur confugiant ad grauitatem, dicantque diſcuſſo flatu, à propria grauitate reduci ad locum propriũ; nam ſi comprimeretur pars palpitans, & laberetur deorſum,poſſet à grauitate impulſa delabi, at illa conſtringitur à dilatatione. A propria ergò facultate conſtingetur. Non ergo à ſolo morbo palpitatio, quia motus eſt deprauatus, & quidquid eſt poſitiui in ſymptomate, à facultate ortum habet, quãquam vitium

à morbo. Cęterum quia hæc vitia sequũtur quandoque morbum immediatè, nam lęsa sanguificatio ab intemperie hepatis, alias mediatè vt prauus corporis color; hic enim proxime læsam sanguificationẽ insequitur, remotè morbum, hanc propter causam diximus, symptoma esse affectum prætec naturam, à morbo immediatè quandoque, alias mediatè profectum. Num possit idem fieri à causa morbosa, cap. sequenti dicetur.

Possit ne symptoma à causa morbifica fieri. Cap. III.

Affirmat Argent. pro quo Galen. quoq; videtur stare.

PArtem, quæ affirmat conatut suadere Arg. cap. 1. lib. 1. de causis sympt. tum multis Galen. auctoritatibus, cum rationibus; nam lib. de optima secta cap. 18. scribit, symptomata quædam morborum causam, alia partem affectam sequi, & 3. de caus. symptom. docet ea omnia fieri, aut ex intemperie similarium, ex morbis organicarum, aut quantitate materiæ. Quinto item lib. de simp. c. 23. visum interdum hæbescere dicit, nullo morbo oculis laborantibus; & passim alibi inculcat multa symptomata fieri ob sensum partis exquisitum.

Et experientia multa.

Ratio item monstrat, vbi deficiunt spiritus, aut intrò recurrant, multa symptomata fieri citra morbum aliquem; quem enim finges, in rigore, horrore, & tremore: in syncope, & vertigine? Quo quæso affectu præter naturam tenentur, qui nimio Veneris ardore æstuantes, dormire non possunt, nec alias animi, aut corporis actiones obire? Qua item intemperie laborant, qui ob incantamenta, ad venerem inepti redduntur? Quare dati multa symptomata, quę non fiunt à morbo asserendum. Adhæsit Arg. Aueg. 1. art. med. cap. 4. sed alijs ductus rationibus, contemptis ijs, quas Argent inuenerat. Dicit ergo excernitur quandoque copia humorum, non irritata facultate expultrice, sed copiam deponente natura, aut pharmaco humorem trahente: lassatur senex, vbi centum passuum iter celeriter peragat, alius assumpto reubarbaro flauas excernit vrinas, alius demum cruditatem committit, aut propter multam cibi quantitatem, qualitatem prauam, aut quoniam intempestiue comedit: cum nullus est demum in ventriculo affectus. At sunt hæc omnia symptomata, primum quidem in excretis, alia in læsa actione. Quare dantur symptomata citra morbũ. Idem tenet Capiu & Eustac. Rud. putat hoc demonstrasse, quia dolor à continui solutione procedit, non ab vnitate soluta, est autem solutio continui causa morbi, non morbus. Quare à causa quædam symptomata.

At re vera.

Sed certè, nec vera est ista sententia, nec Galen. nam omne symptoma à morbo oriri, inductione facta in singulis generibus symptomatum lib. de diff. symp. cap. vlt. circa finem monstrauit. Quare, quod dixit, quædam symptomata fieri à causa, & alia à parte affecta, de differentia, seu de modo symptomatis explicandum, non symptomate; nam dolor e. g. semper fit à morbo, qui vel est intemperies præter naturam, vel continui solutio: at quod fit pungitiuus, vel grauatiuus, non habet à morbo, sed à parte affecta, puta à membrana, vt latè Galen. lib. de constit. ar. cap. 18. Similiter, quod pulsus fit celer, à calida intemperie procedit. vt fit idem fertinus, durus, mollis, pars facit affecta; vnde in Lethargo est pulsus mollis, durus in pleuriti. cap. 23. lib. 5. de simp. facult. docet dari impotentias quasdam naturales, & quosdam naturaliter visu hœbetes: sciunt autem omnes, longè differre impotentiam naturalem à symptomate, vnde nec vitiatæ actiones ob exquisitum sensum laborantis particulæ, fiunt symptomata, nisi exquisitus sensus vi morbi fiat. Itaque cum possint vitiari actiones, vel ob errorem externum, vel ob vitium instrumenti: numquam rectè symptomata nuncupabis illa actionum vitia, quæ ob errorem contingunt externum, vt turpiter deceptus Auega putauit, sed quæ instrumento proprio vitiato fiunt. Sic vbi accepto quis igne, manum concutit, non est symptoma concussio illa; erit autem, si morbi vitio fiat; & vbi facta coctione, noxius excernitur humor, laudata erit vacuatio illa, symptoma, si antetempus præscriptum, vt cum crudus est humor, fiat; nam hæc est lex naturę, vt segregata per coctionem excrementa extrudat.

Galen. opposita sententia placuit, vt mõstrat Vall. 4. con. c. 5.

Quę vera, ac propterea amplexanda tres ob causas.

Non esse eamdem veram patet primo: quia si id admittatur, admittant necesse est Aduersarij, dari corpus sanum, quamquam pessimè aliquas functiones exerceat. Consequentia est certa, quia vitiata actio, ne dum à morbo, sed a causa potest proficisci. Habebit itaque corpus illud actionẽ euidenter lęsã citra morbũ. Preterea quoties actio vitiatur, vitiatur lęso proprio, aut communi instrumento: est autem hic spiritus: at proprij instrumenti vitium morbus est, nam vel intemperies erit, aut mala formatio, aut vnitatis solutio. Quæ spiritus vitio deprauantur: ab eodem morbo fiunt, à quo spiritus corumpuntur: aut aliud damnum patiuntur. Quare semper læsio à morbo. Quod si vi causæ externæ dissipentur, non erit symptoma actionis læsio, quæ indè consequitur. Vnde nec mirũ si nullus est morbus. Tertio si q effet symptoma à causa, maximè esset dolor, vt dixit Rud. quia hic à solutione continui, & alteratione, non ab eo, quod solutum est, necnon alteratum: at etiam alteratio, & solutio

Secunda.

Tertia.

solutio dicunt qualitatem ex parte productam; etenim, si quod alteratur, nihil acquisiuisset de nouo, eodem modo se haberet post alterationem, ac antea: Quare non moueretur; nam motus est actus, & calfieri, est calorem acquirere, & certè si dolor est passio, quodque dolet patitur, & illud omne, quod patitur, recepit qualitatem dissentaneam sibi; idcirco enim corrũpitur: quæcumq; pars dolet, à facta potius qualitate dolebit; nam hæc contraria naturæ, non producenda: vnde iuuat dicere, quod est alteratum habituali intemperie, hoc nequaquam dolere; dolere, quod alteratur, hoc est, quod qualitatem excepit dissentaneam sibi, non tamen conuersam in habitum. Cœterum, quia multi censent fieri symptoma à causis, vitiatis spiritibus, hos item corrumpi absque morbo aliquo, vnde à causa dumtaxat actiones lædi: mõstremus hoc falso ab Aduersarijs adstrui: & quando ad hoc affirmandum sunt ducti, quod nullum in rigore, syncope, vertigine, amantium affectibus, agnoscerent morbum, cuncta illhæc à morbo pendere monstremus.

Rigor à quo morbo.

Nõ fit à crudorũ cachochimia.

SEd quem quæso fingemus in rigore? Putauit cit. loco Vallef. rigorem, qui fit sine febre; à crudorum humorum cacochimia nasci, non animaduertens contraria scribere ijs, quæ paulò antea docuerat; nam cachochimia causa morbi est, non morbus: Quare si ab hac rigor, iam probat sententiam, quam paulò antea reiecerat.

Neque ab intemperie frigida cerebri, & partium extimarum, nam frigiditas, quæ in rigentibus, à spirituum defectu ortum habet, non hic à partiũ frigore.

Christoph. Aueg. 3. ar. med. c. 4. in intẽperiem frigidam partium extremarum, & cerebri, eius causam refert: non minori errore, ne dicam maiori, & admodum turpi, siquidem extremarum partium frigus spectat ad rigoris essentiam; nam vt docent communiter Medici, prætertim verò Gal. lib. de rigor. trem. duo sunt in rigore, sensibilis nimirum corporis totius frigiditas, & eiusdem concussio, seù vibratio. Quare vbi affirmat Auega. frigiditatem partium extremarum esse causam rigoris, effectum turpiter cum causa confundit, & idem à seipso produci docet.

Collimarunt itaque, & ad veritatem accessere magis, qui dixerunt, causam frigiditatis, quæ in rigore, esse defectum spirituum in partibus extimis, nam ni id placeat, illud est reliquum dicere, à bili, aut pituita, illam inuehi; nam & à calidis, & à frigidis, seù vaporibus, seù humoribus rigor. At calida est bilis, ignis scintilla, piper, aut aliud acre medicamẽtum vlceri admotum: calidus pariter humor in inflammatione cõtentus, & in putrásiens. Quare non poterunt modo aliquo refrigerare. Pituita, melancholia, aqua affusa, aer post mictum in vrinariam virgam sese insinuans, ambiens aer frigidus, quamquam inferre valeant frigiditatem, nequeunt tamen in vniuerso corpore, temporis ferè momento inuehere illam, nisi inducto defectu spirituum. Quare dicere oportet, frigiditatis, quæ est in rigore, spirituum defectionem esse in causa. Confirmatur; nam idem fit incusso timore, vndè cum per timorem spiritus intrò trahantur, extimis corporis partibus destitutis, nõ aliam esse causam frigiditatis, quæ in rigore putandum. Et quidem non esse aliter de re hac opinandum, potest illo principio physico demõstrari facilè, quo docemur, non posse effectum aliquem à causis contrarijs fieri, ni conueniant in vna ratione formali attingendi effectum. Quare non poterunt causæ calidæ, & frigidæ rigorem inducere, & frigus inuehere, nisi amouendo spiritus à partibus extimis, & ad internas illos aduocando per dolorem. Vt propterea censeam, pro comperto esse habendum causam frigiditatis proximam, quæ in rigore obseruatur, esse defectum spirituum in partibus extimis. Cum autem bifariam externis in partibus possint deficere spiritus, & eorum defectu frigidæ illæ euadere; aut quia corrumpuntur, aut quoniam alio permeant, aduerte, non fieri rigorem, spiritibus omninò deficientibus, hoc est corruptis; rigerent enim morientes omnes, patientes syncopem, & deliquium animi: sed fit cõmeantibus illis à partibus extimis ad internas, & ab his impetu quodam, ad externas detrusis; nam si alter tantum motus sufficeret, timentes omnes rigerent, & qui verecundantur: nam in timore spiritus ad cor contrahuntur, in verecundia effunduntur ad faciem: vnde in hoc affectu facies rubore suffunditur, incalescitque: pallet, frigetque homo in timore; at nullus est rigor in his animi affectibus. Quare, non fit rigor spiritibus, aut intro commeantibus, aut foras effusis, sed vtrumque motum patientibus.

Non tamen fit istud ab externa substantia impeditis ne foras prosiliant, vt Gal.

Cur verò citatis, ijsq; varijs motibus, & contrarijs spiritus in rigore moueantur, non admodum omnibus exploratum. Intus ferri putat Gal. lib. de rigore, cap. 5. quia ab externa substantia impediuntur, ne foras prosiliant, quod est illis in voto; quippè calida omnis, & ignea substantia extra ferri gaudet; vnde reflexo quodam motu mouetur, ac propterea subdit, pati in rigore calidum innatum, non quia contabescit, aut extinguitur, sed quoniam suffocatur, & naturalis motus ipsius impeditur. Docuit alias ferri intro à frigiditate, alimenti appetẽs: quæ æquè displicent: displicet prima causa; nam si ideò intro mouetur spiritus, is ti-

tum

tum retrocederet, qui in obstaculum impingeret, nunc autem omnes intro recurrunt: vnde vniuersum corpus refrigeratur. Præterea, quod obstaculum finges in rigore, qui accidit ob timorem? Neque alia causa acceptanda; nam vnumquodq; mouetur à dominante elemento. Quare cum sit calidissimus spiritus, non potest modo aliquo à frigiditate moueri. Mitto qualitates primas, non esse principium motus: vnde iuuat credere Galen. non tam ex propria, quam Stoicorum sententia loquutum; nam 2. de cauf. symp. aliam proposuit causam motus, qui in rigore, & vbi ex proposito de substantia animæ tractauit, fatetur ingenuè, se illius substantiam ignorare, cum tamen libro illo de rigore apertè doceat, nil aliud esse animam, quam calidum innatum, seu spiritũ. Ergo cum nihil de re hac à Galen. habeamus, adducenda est à nobis causa motus, spirituum, qui in rigore; quod, vt breuiter fiat, dicimus intro meare spiritus, aut ab externo frigore repulsos, aut contractos ab anima: prodire foras ab eadem detrusos; nam si proprio ingenio à calore ferantur, sursum tantum ferentur non ad partem quamcumq; nostri corporis, vt bene Arist. 2. de anima tex. 41.

Neque a frigiditate spirituum.

Sed aut contracti ab anima, aut externa repulsi a frigiditate.

An alia causa, quæ moueat intus extra spiritus? pars quæ affirmat vera esse videtur; nam parte externa dolente à causa calida, vt cum piper parti vlceratæ admouetur, aut occurrit scintilla, rigemus, vnde frigescimus, haud quia repulsi sunt spiritus, nam causa est calida: nec quia conuocantur, nam anima mittere solet ad partem dolentem, vnde inflammatur. Quare alia admittenda videtur. At nulla alia occurrit. Alterutrum itaq; dicẽdum, aut trahi, aut pelli: non hoc secundum, nam causa occursans est calida. Reuocabuntur itaque ab anima. Pelli nihilominus Vega voluisse videtur, quamquam causa sit calida, vt biliis; nam vbi hęc cruda, destituitur natiuali calore, vnde frigida euadit. Ita contingere tribus experientijs probat, prima quia, vt docet Arist. part. 21. problem. 43. ophtalmicorum lachrymæ frigidę, frigidus quoque sudor diaphoreticus, & rigentes graui sopore premuntur, vix vt expergisci possint. At riget quoque animal, si feruens aqua illi affundatur, si ignis scintilla percutiat. Quam autem modo fingemus, aut in aqua feruente, aut scintilla frigiditatem? Præterea fit rigor à bili cocta, vnde ab Hip scriptum *à febre ardente habito, rigore superueniente solutio.* Cum ergo non sit illa ob cruditatem frigida, alia causa assignanda est defectus spirituum. Est autem hæc contractionis occasio, dolor: vnde quia & frigida, causa, & calida dolorifica, potest rigor, ab vtraque induci; cumque maior à calida causa dolor, à frigida minor, ab hac diuturnior, vehementior ab illa: maior erit à causa calida rigor, à frigida longior: ac demum cum causa mota lædat vehementius, doleantq; magis partes acri præditæ sensu, vehementior fiet rigor, vbi vis pellens est valida, parsque dolens acerrimi sensus.

Neque alia causa effingenda.

Vnde ergo frigiditas in rigore causa calida externa occurrẽte?

Quia adhuc inquit Vega, spiritus intro repelluntur.

Quem reiicimus.

At contrahi in eo casu spiritum ob dolorem arbitramur.

At dices. Mittere anima solet ad dolentem particulam: quid ergo coget illam propositum modo ordinem turbare, nec solum non mittere ad locum affectum, sed ab eodem spiritus retrahere? Innotuit paucis hęc difficultas. Quare merebimur nedum excusationem ab æquo lectore, ni satisfiat, sed laudem, quod dubitandi locum ostenderimus. An dicemus in rigore quoque mitti spiritus ad dolẽtem particulam, quamquam primum cõtrahantur ab anima? non potest hoc à quopiam negari; cur verò hic primum contrahat deinde expellat: vt alios abigat dolores, continuò pellit. & effundit, diuersitas causæ facientis dolorem est in causa; nam vt videmus passim, non vno semper modo noxiam vitat causam natura, sed, nunc contractione effugit ingrati contactum obiecti, vt cum extrà est quod pungit: quandoque sese dilatat, vt cum intus seruatur, quod infestat: neutro alias modo, sed sese concutiendo, vt cum scintilla nos ferit: nempè concutimur, vt extrudamus quod inuehit adhęsum dolorem. In quo autem consistat peculiare illud vitium causæ facientis rigorem, vt cogat propterea naturam contrahere spiritus, contractos effundere, & corpus vniuersum vibrare, nõ admodum constat. An dicemus, non omnem dolorem attrahere, sed mediocrem? in magno intus animam spiritus quoscumque vocare, vt facto veluti agmine aduersum causam doloris insurgat? at maior est dolor nephriticus, colicus, quam qui, rigore inuadente nos fatigat. An præstat illud dicere, in subito dolore intus spiritus ab anima contrahi? puto, nam in initio paroxismi magnus est rigor, quamquam exiguus sit dolor, & vbi quis subito sese immergit in aquam, mox riget, non si sensim pedem immittat, mox alias partes: neque aliam ob causam puto fieri, vt bilim vomituri, aut dejecturi rigeant, citra rigorem alias eamdem effundant, nisi quia bilis acris, & mordax modo confestim effunditur, nunc sensim delabitur, vt in dysenteria, quo fit vt vlcus in intestinis inducat.

Nam quamquam mittere anima soleat ad dolentem particulam, in subito tamen causa dolentis occursu secus facit non raro.

Demum quia in rigore nedum est frigiditas, sed etiam motus deprauatus, est huius quoq; causa indaganda, inde enim postea facilè intelligemus, an à morbo, an à causa morbifica ducat ille originem, qua in re non minorem inuenio difficultatem. Existimauit Galen. 2. de causis sympt. c. 5. motum illum fieri omnibus corporis musculis sese concutientibus ad expellendum, quod est vndequaque disc-

Sed vndenam motus ille vibratus in rigore.

Putas Gal. fieri musculis sese concutientibus. Ad expellendum quicquid est discernatum.

dissemina tum, & nocet, quia vero hi articulis sunt alligati, hos quoque codem motu docet concuti. Cui assentirer si causa, quæ infestat in rigore semper esset vndequaque diffusa, nunc vero vel nunquam hoc accidit, aut rarissime; illud frequenter, humorem vna in parte contentum esse causam rigoris.

A facultate debili nequaquam continere valente Argent.

Putat Argent. ex eodem defectu spirituum, à quo frigiditas, motum illum fieri, nam his destituta facultas, membrum continere non potest: qui displicet, quod turpi errore rigorem cum tremore confundat; equidem si ob impotentiam animæ membrum non valentis tenere, motus ille vibratus, & concussus, reposito in lecto e. g. à motu cessaret, at hoc falsum. Censuit hanc ob causam Vega fortasse 2. de diff. feb. initium motus à sola impotentia pendere, propter reuocationem caloris innati ad cor pugnaturi vniuersum cótra humorem morbificum; accedente postea noua causa, mordentis vaporis ingrauescere: mox post paucas declarans, quo pacto id fiat, ingrauescere subdit repletis omnibus musculis infrigidante vapore ac sese conuellentibus, vt noxium illum halitum pellant. Qui neque placet ob has causas: primum quia ponit contrahi membra ex defectu spirituum; his enim deficientibus potius partes concidere, & à proprio pondere deorsum labi, contrahi nullo pacto. Non placet secundo, quia ponit infrigidantem vaporem esse in causa; cur rigor perduraret? cum vero quamquam quandoque hoc verum, vt tamen semper frigida sit causa, quę nocet, nequaquam credendum, vt supra adnotauimus. Iuuat proinde motus illius causam referre, interdum in contractione spirituum, quorum consensione reliquæ nostri corporis partes concutiuntur: alias in contractionem musculorum omnium, qui quoniam articulis sunt alligati, ipsi quoque concutiuntur. Fit demum alias vna parte se concutiente, & ad concussionem, reliquis ob sympathiam, quam habent, eodem prope modo sese agitantibus. In rigore à timore, ad subitam spirituum contractionem reliquæ corporis partes sese concutiunt: In rigore qui fit vna parte dolente, ac se concutiente, reliquæ ob communem consensum concutiuntur. Vbi disperso humore ad omnes musculos, ij concutiuntur, eumdem sequuntur motum articuli, quibus inseruntur.

A qua parum Vega recedit.

Nos multa ponimus.

Vnde colligitur à quo nam morbo rigor ortum habet.

Cęterum si proxime rigor ad defectum spirituum, huius causa aut repulsio, aut contractio: repulsionis, frigiditas aut humoris, aut ambientis: contractionis, animi, quæ contrahit ob timorem, aut ob dolorem subitum, repentinum, vel vt aliquam functionem cumulate expleat: nam cum attente quidpiam meditamur, frigemus, & à cibo non raro spiritus ab animo ad stomachum reuocatur; manifestum cuique esse potest, nullum quandoq; esse morbum in rigore. Nempè nullum fingere est in eo, qui accidit ob timorem; aut aquam affusam: nec rigor ille est symptoma, sed naturale accidens. Fit alias rigor à morbo, eoque vario. Scilicet rigor, qui fit humore frigido repellente, ab eadem pendet intemperie frigida, à quo humor. Qui fit à calido humore mordicante, ab eadem intemperie calida suam trahet originem, aut si in proximiorem referre placeat, eamdem esse dices, quę contractionis. Quamobrem cum anima contrahat ob dolorem, erit rigoris causa eadem, quę doloris. A qua causa rigor in febribus, non est præsentis loci indagare.

A quo morbo syncopes.

Morbum in cauitate ponit esse Sal.

SAlu. Sclan. 3. ar. med. t. 29. cum videret ex defectu spirituum confestim facto oriri syncopem, & ijs deficientibus, arteriarum, & cordis cauitatem imminui, à morbo in imminuta caulitate dixit illam fieri: cum autem illa imminui posset multas ob causas, quo pacto, reddatur minor per syncopem, nequaquam dixit.

Quem modo obstructionem, modo compressionem, concidentiam alias credit Costæus. Malè tamen, quia sequuntur hac syncopé, non præcedunt. Proindeque censemus ab illo morbo fieri, à quo confertim spiritus corrumpuntur.

Vnde fiet quandoque syncopes ab intemperie calida, frigida, alias à solutione continui, aut cauitate imminuta.

1. Dub.

Enucleauit rem magis Costæus 3. l. de potu in morb. cap. 10. & 11. nam cum mete contecisset, deficere nonnumquam spiritus quia resoluuntur, quo fit vt cordis cauitas concidat; & arteriarum alias quia non possunt permeare; non possunt autem, vel quia obstructa est via, aut quia compressa, vt per tumores cordis, & aquæ in pericardio adauctam obseruamus, concludit morbum in imminuta cauitate, à quo proxime syncopes, quandoque esse concidentiam, quandoque obstructione, compressionem interdum. Quod reijcio: nam si ijs auctoribus fit proxime syncopes ex defectu spirituum, ab hoc postea cauitas imminuta, non poterit hæc syncopis esse causa; nam causa præcedit effectum, non sequitur illum.

Recius Comes Mont. qui vbi deprehendit deficere spiritus confestim, vel quoniam extinguuntur à frigido, aut quoniam à calore resoluuntur, immodicaue euacuatione, facta à vulneribus, timore, vigilia, vi concentrice laxata, expultrice irritata: aut quoniam suffocantur: concludit, & bene syncopem quandoque fieri à morbo in soluta vnitate, quandoque ab intemperie calida, vel frigida: hac extinguente, illa resoluente, alias à morbo in mala compositione, & proprie in cauitate imminuta, obstructa, aut compressa; alias tandem ab alio symptomate proxime, vt ab immoderata euacuatione, & tuc fiet syncopes ab eo lem morbo, à quo vacuatio illa immoderata. Duo sunt, quæ faciunt difficultatem, primum est, quo pacto

pacto intemperies possit efficere syncopē, nam quanquam passim id doceat Galen. præsertim 12. met. 5. & 5. de loc. aff. 2. ex ijs tamen, quæ idem alibi docuit, habetur oppositum; siquidem scripsit alibi, eaquorum subita est generatio, & dissolutio, non posse ab intemperie fieri; vnde 3. de loc. aff. 7. conclusit, non posse epilepsiā ab intemperie fieri, & alibi idem de apoplexia docuit. Quare nec syncopes ab intemperie. Cōfirmat id Argent. cap. 12. lib. de caus. sympt. quia si id verum, fieret frequentissimè syncopes per febres ardentes. Secunda difficultas est de syncope à causa externa. Pone, e. g. à gaudio, timore, aut venenata aliqua qualitate externa communicata spiritibus nasci syncopem. Quem hic morbum fingemus? dicam quod spectat ad hoc vltimum, non mereri illam syncopem symptomatis nomen, vt constat ex dictis. Quod si frequēter mors sequatur ex illa, dic mortem haud inferri nullo morbo inducto, nam ad dissolutionem spirituum syncopes, & concidentia arteriarum, & cordis, ab hac caloris extinctio, & mors demum. Prima ratio difficilior. Quid tamen dicendum, pete ex lib. 7. cap. 6.

2. Dub.

Vertigo à quo morbo.

Vertigo multiplex.

AD huius puncti intelligentiam advertere oportet, esse Vertiginem duplicem, aliam quæ occursu causarum externarum producitur, vt cum circumrotamur, aut aliquam profūditatem fluuiumque currentem aspectamus, est alia, quæ nullo extrinsecus occurrente, nascitur, & vnaquaque est triplex, vna in qua cuncta visa circumuolui videntur, est alia in qua præter hoc, visus obtenebratur, est tertia, in qua preter dicta symptomata, laborantes concidunt, ni detineantur. Prima retinens nomen generis, simpliciter vertigo dicitur, secunda tenebricosa vocatur, tertia vertigo cum casu. Prima vno tantum symptomate constat, inspectorum, & capitis, corporisque falsa circumuolutionis imagine: secunda duobus, præcedenti nimirum, & visus offuscatione, tertia habet deprauatum motum. Quæ occursu causæ externæ nascitur, non est symptoma, nam fit à causa externa citrà aliquod vitium internum, nisi imbecillitatem quamdam spirituum, & cerebri, quæ si exigua sit, continetur intra sanitatis limites, & impotentia dicitur naturalis: sunt aliæ preter naturam, & symptomata. In vniuersum tamen fit quæuis vertigo spiritibus animalibus in gyrū actis; enim verò quoties quippiam moueri videtur, aut fit re visa realiter mota, aut quia nos mouemur immoto obiecto, vt enim 3. probl. 9. Arist. & nauigantes docent, nihil refert,

Quæuis tamē accidit animali spiritu circumacto.

an conspectus moueatur, an res conspectui obuia; at fit vertigo immotis obiectis. Quare accidet motis nobis: Sunt in nobis tria Continentia, Contenta, & Facientia impetum. Quare moto aliquo horum cōtinget huiusmodi affectus, Nō moto continente, nam quamquam moti promptius in vertiginem incidant, quam quiescentes, sedentibus tamen, decumbentibus, & dormientibus contingit idē non raro: nec actis in gyrum humoribus, nisi remotè, quia his motis vapor attollitur, vt Actuar. 1. meth. nam quoties actio deprauatur, aut fit proprio instrumento corrupto, aut communi, neutrum autē affirmare possumus de humoribus. Ergo à spiritibus motis ducet illa originem, nam his motis species eodem modo mouebuntur.

Num visorijs, an ijs, qui in interiori ventriculo cerebri cōtinentur? Primum probauit Cur. Marincl. lib. de nobil. animæ morbis, cap. de vertig. trahitque in suam sententiam Arist. nam quærens 3. problem. 9. cur à vino detentis omnia circumferri videantur, *An*, inquit, *quia conspectus frequenter a vini calore compellitur, atque commouetur; nihil enim interest, conspectus moueatur, an res conspectui obuia.* Et Cassius reddens rationem, cur Virgo Nerea manu expansa ab amica percussa, vt 5. epid. refert Hipp. in vertiginem inciderit, causam refert in circumactos humores oculorum. Contraria tamen communis, & vera, nam visus in ijs dumtaxat errare potest, quæ videt: putant at vertiginosi verti in gyrum caput, quod sub adspectum non cadit. Præterea contingit vertigo clausis oculis, in tenebris, & cæcis. Quo autem pacto nihil videns, deprauatè videbit? vertigo ergo in gyrum acto spiritu, qui in anterioribus cerebri ventribus continetur, & imaginationi subseruit, vnde illa læsa dumtaxat fiet. Nec aliter sentit Arist. sed ebrijs cuncta in gyrum verti voluit circumacto oculi spiritu, & ad huius circumuolutionem, circumactis spiritibus, qui imaginationi deseruiunt nam cum Alexand idem quæreret 2. sec. probl. 67. quasi explēs locum Arist. scribit, *Cur vinolentis hominibus circumuerti omnia videantur? quia*, inquit, *larga vini copia exhalationem spiritus vaporosi ad cerebrum mittit nimiam, qui spiritus cum digeri atque consumi nequeāt, priusquam temporis spatium coctionem exhibeat, per cerebrum voluitur, & quaqua versus percurrit, atque ita perturbatus profluit per neruos conspectiuos, pupillamque ad res conspectui obuias, facitque vt tales videantur, qualis ipse est; affectum enim, interiorem foris esse imaginantur, quocirca efficitur, vt etiam caligent, & vertigine tantisper teneātur.* Itaque semper actis in gyrum spiritibus, qui imaginationi deseruiunt vertigo, modo tamen agantur à vaporibus re-

Non visorio, vt male quidam.

Sed eo, qui seruit imaginationi, & in cerebro continetur.

cta ad cerebrum latis, modo consentientibus motui visoriorum spirituũ, quemadmodum alias visus læditur vaporibus à cerebro ad oculos demandatis, vt in tenebricosa vertigine accidit. scilicet in hac oculi compatiuntur, in vertigine simplici, imaginatio dumtaxat, non est alia affecta particula, non aliud symptoma.

Dub.

Est tamen, quod adhuc dubites, nam spiritus est medium deferens species, nunc autem moto aere medio deferente, non videntur moueri, quæ obtutui nostro sese offerunt. Quare nec motis spiritibus fiet falsa circumuolutionis imago.

Sol. aliorum.

Dices, animales spiritus nedum esse medium deferens, sed & instrumentum, quo fiunt sensationes. Vt autem fiat actio tremula, nihil refert, an brachium tremat, an ferrum, quod in dolabra continetur. Scio ita occurrisse Veg. cui assentirer, ni species esset instrumentum sensationis, non spiritus: quamquam nec si id detur spiritui, poterit vertiginem facere, ni species vi spiritus moti, sic victitur, vt repræsentet obiecta, tamquam mota, quod non accidit; nam moueantur licet, quæ sunt in spiritibus, nihil refert, at moueantur etiam, quæ adseruantur in cerebro; nam cum fiat sensatio patiente potentia, neque hæc patiatur ob motum spirituum, sed organi tantum, huius species agitari necessarium esset. Demum à moto obiecto fit, vt duplicatum esse censeatur, quod simplex, vt vnusquisque potest experiri, si digitos super lapillum commissos, & implicatos moueat. Quare aliunde continget, vt cuncta censeantur circumrotari.

Solutio Auctoris.

At prima difficultas paucis expeditur, nam cum species spiritibus insint, hæ vim habeant sese multiplicandi: vbi quiescunt spiritus, producunt continuò speciem eadem in parte cerebri: cum mouentur, producunt eandem in alia, & alia: vnde cum nequeat idem sentiri in varij locis, ni moueatur, moueri obiecta ista conijcimus. Nec eadem duplicata censemus, quia species continuata producitur quauis in parte cerebri.

An à morbo?

At verò, si hic est modus, quo vertigo producitur, maior nobis exoritur difficultas; enimuerò productio specierum in diuersis cerebri partibus, à qua proximè, & immediatè vertigo, nõ est morbus: nec morbus est motus ille inordinatus spirituum. Quare omninò assentiendum ijs videtur, qui symptomata hæc à causa produci arbitrantur.

Ita.

Non esse id tamen putandum, sed à morbo vertiginem fieri constãter defendimus; non quod putem cum Mercur. ex motu inordinato spirituũ fieri morbum in situ, indeque vertiginem, nam morbus in situ à partibus sua sede mutatis ortum habet, non alijs motis; alioquin humores

Non tamen à morbo in situ spirituũ.

è venis elapsi morbum in situ constituerent. Prætereà morbus in situ, non minus est, cum pars à proprio recedit loco per motum, quam vbi recessit: vnde non minus brachij actiones læduntur, cum luxatur, quam cum est luxatum. Quare si ex situ mutato spirituum, fit vertigo, nonminus illa fit, cum mutantur spiritus, quàm cum sunt mutati, quod falsum.

Neq; à morbo in cauitate.

Nec autumo fieri à morbo in cauitate, quamquam non me lateat ferè omnes Medicos in hanc iuisse sententiam, nempè Manar. lib. 17. epist. 1. Altim. Massar. Mercat. Salu. 3. ar. med. 29. & alios multos; nam vapores illi inuehunt vertiginem, non quia obstruunt, & cauitatem imminuunt, sed quia inordinato motu, & circulari cient spiritus.

Sed ab eodẽ prorsus, qui est in causa motus circularis spirituũ. Quę quia varia, à varijs morbis vertigo.

Placent magis, qui in eos morbos eam retulere, qui aut remotè, aut proximè in causa sunt, vt spiritus cieantur in gyrum. Quamobrem cum sint hæ multæ, à multis morbis vertigo. Mouentur quandoque in circulum spiritus, quia plus æquo excalefacti, enimuerò vbi calore maiorem fuerint leuitatem adepti, sursum repunt, deinde impediti impellentur deorsum, vbi quia consistere ob leuitatem non possunt, iterum partes, quæ supra sunt repetent, vnde & in gyrum agentur. Mouentur alias eodem modo spiritus impulsi à vaporibus sursum latis, qui vel multi, & validè impetentes, vel pauci, quia tamen languet vis contentrix capitis, fit vt ne leui quidem causæ resistere valeant, & spiritus firmos continere, vnde mouentur. Vbi spiritus à calore illis impresso mouentur in gyrum, vel illis imprimitur à causa externa, aut interna: si ab externa causa incalescant, & inde fiat vertigo, non est illa symptoma, sed naturale accidens, vnde nil mirum si neque à morbo dependeat. Eiusdem cum sit naturæ vertigo, quæ capite accidit vulnerato, naturale erit accidens; nam quamquam permaneat vulnus, nullas tamen habet partes in generatione ipsius. At si à causa interna calida, calidiores sint redditi, & hanc ob occasionem vertigo, pendebit hæc ab intemperie calida. Quæ sit à vaporibus sursum latis multis, & spiritus validè impetentibus, eamdem intẽperiem agnoscet causam, à qua multi illi vapores, & flatus. Quare ab inæquali intemperie, calidiori attollente: frigidiori gignente pituitam. Quod si à leui vapore idem accidat ob summam capitis imbecillitatem: à quo morbo imbecillitas, ab eodem vertigo. Morbus itaq; à quo vertigo, quandoque in cerebro est, vt cum morbosa quadam imbecillitate laborat: fit alias nullo affectu cerebro laborante, sed aliarum partium vitio, quæ vapores ad ipsum transmittunt. Quare male Capiuac. proximam causam cuiusque vertiginis, contentricis virtutis cerebri im-

Non ab imbecillitate ipsius cerebri, vt Capiu.

becillitatem causatur, nam vbi valida est causa impellens, in hac est vitium, non in retentrice. Tantũ ergo abest, ne sit à morbo vertigo, vt occurrant multi. Ergo si à morbo fiant symptomata amantum, erit plenè, ni fallor, Argent. satisfactum propterea aggrediar illud.

A quo morbo amantum symptomata.

Amantũ symptomata proximè ab alio symptomate fiunt, nempè à melancholia.

Hac teneri amantes, ex diffinitione melancholiæ declaratur, q̃ est deliriũ cũ metu, & mestitia.

Et delirare, ex diffinitione delirij, in qua aberrauit Galen.

SI plusquam ratio postulet, hic immorabor, æqui quæso, bonique lector cõsulat, nam cum non paucam habeat res hæc difficultatem, volui eam latius explicare, vt omnis prorsus scrupulus abigatur. Quæ ergo patiuntur amantes, aut non sunt symptomata, aut si sint, ab affectu, melancholia dicto procedunt. Ita Valles. Aueg. & alij: trahi quoque in eamdem sententiam possunt Auicennistæ; nam vbi de delirio Auic. facit peculiare caput de eo, quod ob amorem Heroicum dictum nascitur. Esse id verum, constat ex melancholiæ natura: est ista delirium cum metu, & mestitia citra causam: at delirant amantes, mærentque. Quare sunt melancholici.

Minor constat; est enim delirium actio deprauata potentiæ discursiuæ; discursiuæ inquam, non Rectricis, vt male quandoque est opinatus Gal. 2. de caus. sympt. cap. vltimo, vbi diffiniens delirium dixit, est deprauata actio facultatis rectricis; nã numquam delirare quis dicitur, nisi affirmet de subiecto, quod illi apertè repugnat, neget, quæ eidem debentur. Imaginetur aliquis montem aureum, & mille monitra fingat, effingat mille chymeras; ni tamen affirmet dari montem aureum, nunquam hunc delirum vocabimus: non affirmat autem, nec negat phantasia: *est*, inquit Arist. 3. de anim. t. 38. *aliud phantasia ab affirmatione negationeuè; verum enim, vel falsum, complexio est conceptuum intellectus.* Quare est delirium actio deprauata intellectus.

Confirmatur, quia est imaginatio deprauata in vertigine, & tamen non dicimus esse vertiginosos delitos, quia non solùm non assentitur intellectus imaginationi deprauatæ, sed corrigit. Ergo, quod deliraret Theophilus, non fuit, quia imaginabatur adesse tibicines in angulo domus, sed quia adesse affirmabat, quod munus est intellectus, qui nihil tale affirmare debebat, sed sui erroris imaginationem admonere. Vide Themis. lib. de insomnijs cap. 11. Habent autem amantes deprauatum discursum; nam cum quisque teneatur agnoscere, quid ipsum deceat, adeo est sui impotens amans, nullo vt pacto id valeat facere. Ouid. ep. 1. heroid.

Quid deceat, non videt vllus amans.

Et Prop. 2. I. Eleg.

Ante pedes cæcis lucebat semita nobis.

Scilicet insano, nemo in amore videt.

Præterea debet cordatus homo proficua amplecti, auersari noxia.

Faciunt oppositum amantes. Ouid. de Med.

Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Et Sen. in Hipp.

Quæ memoras, scio
Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi.
Peiora: vadit animus in præceps sciens,
Remeatque frustra, sana consilia appetens;
Sic cum grauatam nauita aduersa ratem.
Propellit vnda, cedit in vanum labor.
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit, ac regnat furor,
Potensque tota mente dominatur Deus.

Hinc illud, *Amare, & sapere vix Deo conceditur* & illud,

Si sapit amentem dicat, non lector amantem,
Nam nihil insanæ mentis, amator habet.

Quid quod eorum quoq; imaginatio oblæditur? Enimuerò pulchra quædam esse diiudicant, quæ si amorem deponant dicent esse turpia. Theocr.

Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Et Balbino amanti, vt Horat ait, Polipus Agnæ amicæ suaue quidam olere videbatur, vnde mos inter amantes inualuit, vt suam quisque sponsam certatim extollat, nam.

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Sunt itaque deliri amantes; monstremus modo esse dictum delirium melancholicum. Melancholia duobus signis notatur ab Hipp. 6. aphor. 23. metu nempè, & mœstitia sine causa: at mærent amantes citra causam. Ouid.

Mærere.

Et gemitum nullo læsa dolore, dabam.

Timent quoque citrà omnem rationem. Ouid.

Timere eisdem.

Res est solliciti, plena timoris amor.

Insuper zelotipia perpetuò comitatur amorem, vnde Poeta quidam.

Amor, e gelosia nacquero à vn parto.

Est autem zelotipia, auctore Crisippo, ægritudo animi, ex eo proueniẽs, quod timeas ne adsit alteri, quod cum nemine velis habere commune. Quare timent, & mœrent Amantes citra causam.

Sed dices, amantes rident, gaudent: non ergo possunt esse melancholici. Confirmatur, quia in melancholia læditur cerebrum, amor autem cum sit desiderium rei pulchræ, spectat ad facultatem concupiscibilem, quæ vel est in corde, vel in iecore.

Nec obstat quod ride ant ijdem quandoque.

Dixerunt ob hæc quidam passionem, qua affliguntur amantes, non esse veram melancholiam, sed, vt ait Auic, passio melancholiæ similis, nam, vt aduertit Gent; quamuis

Non enim, ride dẽt, quod vera melancholia nõ tenẽatur.

quamuis vtraque læsio sit cogitatiuæ, differunt tamen, quia melancholia fit vitio humorali, sola cogitationis vehementia amor. Sed errant, nam si timent, & mærent amantes. Quomodo non erunt melancholici? 6.aphor.23. *Metus, inquit, & mæstitia longo tempore perseuerantes, veram melancholiam efficiunt*. Verè ergo melancholici amantes, quippe qui continuam habent causam, & timendi, & mærendi. Neque obstat amorem sola cogitatiuæ vehementia fieri, melancholiam humoris melancholici vitio; nam aliud est dicere, amorem esse affectum esse melancholicum, aliud à vehementi amore homines melancholicos reddi. Primum dictum est falsum, secundum verum.

Aut quia melancholiæ non fit proprium mœrorem inferre, & timorem.

At si res hoc modo se habet; vnde fit, vt amantes quandoque rideant? Dicunt quidam, non omnes melancholicos mœstos esse, & timere, sed quosdam ridere, & lætati. Vnde Auic. lib.3. cap.18. ait, *Illa vero est magis incolumis, quæ fit ex fæce sanguinis, & in qua fit gaudium*, & cap.19. dicit, *Amplius quidam eorum sunt, qui rident, & propriè quorum melancholia est sanguinea, quoniam imaginantur, quod placet, & delectat eos*. Idem Aetius, nam differens de hoc affectu, ait, *Contingit eundem hominem aliquando risu immodico teneri, aliquando ira, et indignatione*, nam quod quidam dicunt, risum illum sardonicum esse, non verum, rideo; nihil enim deficit ad constituendam naturam veri risus, quando est cum interna letitia, & oris geniculatione, vt indicat cantus, & iocosus ludus. Posset itaque, secundum istos, distingui melancholia in duas species alteram, quæ est cum metu, & mœstitia, alteram, quæ fit cum risu, & gaudio, quod comprobari posset ex Hipp. 6. aph. 23. dicentem, *Desipientiæ, quæ cum risu sunt securiores*.

Quod non placet, nam metus, & mœstitia sunt accidentia omnino contraria risui, & delectationi. Quare diuidere melancoliam in eam, quæ fit cum metu, & mœstitia, & aliam, quæ fit cum gaudio, est idē ac diuidere ignem in calidum, & frigidum, nam quemadmodum calor ignem sequitur, sic metus, & mœstitia melancholiam.

Sed quia ciò promptitudine ad timendum, potest esse risus.

Aliter proinde dicendum. Ad cuius intelligentiam nota, metum, & mœstitiam haud comitari sic melancholiā, vt debeant propterea melancholici continuo timere, & mœrere, sed satis esse, si vi morbi promptitudinem habeant ad timendum, & mœrendum ex quauis causa; vnde quia potest quandoque abesse timoris causa, & mœroris, possunt tunc temporis, cum non mouetur imaginatio à tali obiecto, neque timere, neque mœsti esse. Quod si secus esset, cur vt noscamus, num Sortes melancholia laboret, rogamus amet ne solitudinem, timeat, mœreatque: scilicet quia videmus nec mœrere eum actu, nec timere. Nec laborantes febre ardente, quacunque hora exuruntur, quamquam sitis sit signum pathognomonicum eius febris, nec semper tussit pleuriticus cum tamen signū esse pathognomonicum eius, omnes fateantur. Nempe vt hoc verificetur satis est, si habeat perpetuò pleuriticus causam tussis: sitiendi febricitans febre ardente. Suppono secundo, cum inclinatione aliqua seu naturali, seu præter naturam, posse actum contrarium complicari: vnde homo qui sua natura est risibilis, flet quandoque, & multi ad libidinem proni, interdum actum continentiæ exercent. Poterit ergo melancholicus quandoque ridere, quando non est in melancholiæ ratione, vt semper melancholicus timeat, sed vt maximè pronus sit ad timorem: cumque possit cùm naturali aptitudine, aut præter naturam, esse actus contrarius, poterunt melancholici ridere quandoque, & gestire. At quoniam non desunt, qui nullum in melancholia agnoscunt morbum, aut non admodum liquet, à quo nam morbo illa fiat, hanc propter causam, vt cumulatè propositæ difficultati fiat satis, id perpendendū. Quia verò nō licet id assequi, ni melancholiæ causæ examinentur, neque has noscere datur, melācholiæ natura ignorata, hinc ordiemur.

A quo morbo melancholia.

Est melancholia delirium absq; febre cum metu, & mœstitia. Quare duorum causa tradenda, delirij nempe, mœroris, & pauoris, quas si constet morbum esse, iam planè constabit à morbo symptomata omnia. Cœterum, quia rectum est iudex sui, & obliqui, videamus quæ ad intelligentiam rectè obeundam sunt necessaria, nam indè elicientur delirij causæ, cum sit deprauata actio intellectus delirium. Vt rectè obeatur discursus, tria sunt necessaria, primum vt sana sit sedes intelligentis animæ, nam quamquam sit illa inorganica, vbi tamen in hoc corpore tamquam carcere conclusa tenetur, dependet ab ipso in operando, vnde dictum, *Necesse est intelligentem phantasmata speculari*. Est necessarium secundo, vt applicetur anima meditationi, nam si alio vacet, procul dubio errabit. Debet tertio species quæ refert obiectum potentiæ, non permutari, nam si ordo specierum mutetur, aut euanescant quædam, resurgant aliæ erret necesse est intellectus; veluti enim turbata aqua, & commota, aut abolentur imagines, aut distorquentur: sic motis spiritibus, in quibus species hæret, aut hostili aliqua qualitate inducta corrumpuntur, & debilitantur. Quamobrem cum vnum tantum ad destruendum sit satis, contingeret delirare hominem, aut quia anima alio intenta, non vacat huic operi, aut specierum vitio, aut quoniam sedes animæ

Quæ causæ discursus.

Causa delirij triplex, distractio, viciata species, & intemperies.

animæ est defœdata, hoc est mala intemperie affecta: vitium specierum est duplex, in ordine, aut quia corruptæ, seù debiles redditæ. Concurrit intemperies ad delirium bifariam, vel vitiando speciẽ, aut quia debilitato organo, non potest intellectus errantem phantasiam corrigere.

An frigida? Negant communiter.

Num quæuis intemperies ad hoc valet? De calida, nulli dubium, de frigida, est controuersia, nam hæc vel imminuit actionem, vnde homines bardi fiunt, & hebetes, aut corrumpit, vnde stoliditas, fatuitas, dementia, amentia: proindè inferunt, non fieri delirium à melancholico humore, quatenus habet vim refrigerandi, sed vel quia niger, aut quoniam phantasma tenebricosum producit, vt Capiu. aut quod alij, quia spiritus reddit tenebricosos, & siluestres. At verò si potest quasdam species abolere frigiditas, imminuere, excitare alias, nullus negare poterit, posse à frigiditate delirium fieri.

Nos admittimus.

Qui fit, vt delirent melancholici.

Tot ergo ex causis fieri cum possit delirium, à quanam fit delirium melancholicum? Habent locum quandoque omnes. Nimirum decipiuntur, & errant quandoque, quia anima in alicuius meditatione occupata, non vacat alijs, nam vt plurimum melancholici ecstatici. Decipiũtur secundo confusis speciebus ex motu inordinato spirituum, nam cum melancholia sit veluti vinum, auctore Aristot. quemadmodum multos vinum mittit vapores ad caput, haud secus melancholicus humor: vnde veluti ex illo immodicè hausto delirium, ebrietas, sic à melancholia; nec id affirmare verendum, quia pituita quoque multos potest vapores ad caput mittere, nec tamen ab illa, fit vmquam delirium, sed vertigo; nam fit vertigo spiritibus circulariter motis, non vtcunque, & à pituita delirium fieri, nullum fortasse est absurdum, si fateare; ita enim Hip. l. de morb. sac. 16. Quod si nolis id admittere, dicere poteris, futurum vt à pituita, quis deliret commotis spiritibus, & hac ratione turbatis speciebus, ni ab eiusdem frigiditate, anima soporata, discurrendi vis aboleatur. Delirant tertio melancholici vitiato cerebro, hoc est intemperato, non ad calidum, nam frigida melancholia, sed vel ad siccum, vt placuit quibusdam, vel ad frigidum, quæ poterit esse causa delirij trifariam, aut quia humorem melancholicum genuit: aut quia non valet anima, vbi organum non ritè est dispositu, aliarum facultatum vitia emendare, aut demum quia per intemperiem sunt quædam species corruptæ, imminutæ aliæ, vndè ordo turbatus; enim verò quamquam hæ qualitates à primis non pendeant, vnde videmus in aere calido, frigido, humido, sicco æquè seruari species visiles, & gigni; roborantur tamẽ eædem, & imminuuntur à qualitate aliqua, quæ primas consequitur; nam species visilis robustior redditur à crassitie medij, quo fit vt visilia in aqua repositæ, maiora appareant & proximæ censentur maris insulæ, cum multum distent, & experimur in dies, cum turgent semine testes, continuo venereas cogitationes irrepere, obuersari, tolli easdem vacuata venere: abundante bili, de cædibus cogitare, & vindicta, redundante sanguine, læta quæque obrepere, quam ob causam scripsit Hipp. vt est auctor Galen. in comm. desipientias, quæ cum risu, esse securiores.

Cur tristes ijdem.

Prima causa.

Habemus delirij causas in melancholia, examinandum modo, cur sint tristes ijdem, cur continuo timeant. Ac primi quidem ratio in promptu est, nam cum videamus, eos omnes tristari, qui frigidi, vt senes, & conualescentes: hilares esse, qui vegetum calorem habent, viuidum, dum tamen nihil illi acrimoniæ insit, nil habeat aulleri adiunctum, vt maniacis accidit, & febricitatibus, hæc prima causa est tristitiæ, qua continuo tenentur melancholici. Accedit, quod cum quædam species præsentia vnius humoris excitentur, imminuantur aliæ, vt mox dictum: vbi humor redundat melancholicus, tristia quæque menti obuersantur. Non potest autem à tristibus lætari anima. Adde & tertiam, quod cum quidquid recipitur, ad modum accipientis recipiatur, cuncta vel læta in mœrorem conuertent melancholici. Hinc solitudines quærunt, suspirant, lachrimantur, morosi continuò, continuò queruli: & non rarò fuimet impatientes, vitam spõte, cum morte, tamquam meliori commutant.

Secunda.

Tertia.

Cur demum timent.

Cur vero ijdem timeant, non ita compertum medicis, quamquam multum multi in huius rei inuestigatione vacarint. Est illud certum, timere melancholicos, ob impendentis mali imaginationem, nam vt Arist. 3. rethor. 5. est timor ægritudo quædam, vel perturbatio, ex opinione mali impendentis, quod aut interitum nobis possit afferre, aut dolorem. Magni itaque mali imaginatio, seù sua natura sit magnum, seù imaginatione, timoris causa: dum tamen immineat; quo circa nemo vbi rectè valet, mortem terribilium vltimum reformidat; nam quamquam mortales esse nos natos planè constet, non esse tamen breui morituros putamus: at vbi graui oppressi morbo ęgrotamus, qui paulò anteà mortem, plus ęquo temerarij contemnebamus, plus æquo formidolosi timemus. Timebunt itaque melancholici quia cuncta tamquam noxia, & horrenda, quamquam falsò, apprehendunt. Videamus proindè, vnde id fiat, ita enim propositæ difficultatis nodus soluetur.

Retulit huius causam Galen. in atrum me-

melancholiæ colorem, & internas tenebras. *Sanè*, inquit 3. de locis aff. 7. & 2. de caus. symptom. vltimo, *quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodum, vel docti fuerint: sic atrabilis color, mentis sedem tenebris similem reddens, timorem efficit*; quem non satisfacere, quiuis facilè intelliget, si veritatem ingenuè fateri velit; etenim melancholiæ nigredo non percipitur ab imaginatione. Quare non poterunt internæ illæ tenebræ esse in causa timoris. Nec satisfaciunt, qui dicunt, nigredinem humoris timorem incutere, non vt obiectum visibile, sed quatenus admixtus spiritibus animalibus, finuestres illos reddit, & tenebricosos; vt enim mittam quod gratis hoc imponunt Galen. non satis præterea declarant, quo pacto à spiritibus tenebricosis id fiat. Occultam humoris melancholici proprietatem causatur Auerr. Nos ijs, quæ posuimus adhærentes dicimus, melancholicos vitam doloris plenam, & angoris, continuo traducere: numquam non anguntur, molestantur semper ab austero illo humore, acido, sicco: & flatibus multis ex illo exspirátibus, vix ferè pars est, quæ non molestetur. Irrepit proindè tristium imaginatio, excitatis similibus speciebus, & quoniam sunt à sensibus ferè abiuncti, quemadmodum in somno anima, sic illi cuncta maiora arbitrantur. Eleuatur leuis vapor ad aures: tibicines adesse imaginantur: adsurgit ad caput, & leuis cuiusdam corporis sensum facit, suspiciosi alioquin, & semper ad peius proni, capite carere arbitrantur. Vagatur per intestina flatus, insinuatum per os serpentem, anguillam ebibitam continuo dicent. Quid si grauatur caput ab aliquo humore in cornuta abijsse animalia lamentantur. Demum mala quæque nutriunt, attolluntque.

Reijcitur Galen.

Auerr.

Vera causa asseritur.

Est & alia huius euentus causa, tactus nempè hebetudo à melancholiæ frigiditate inducta; docet enim Arist. 2. de anima cap. 9. quæ obtusam habent potétiam, nihil absque dolore, aut voluptate percipere, vndè odorandi potentiam obtusam nobis adesse conclusit, quia nihil odorabilium citrà dolorem, aut voluptatem percipimus. Esse hoc sufficiens hebetis olfactus indicium, probat nam illa animalia, quorum oculi dura, densaque membrana sunt obtecti, illudq; acumen aspectus, quod reliqua habent animantia, non obtinuere, nullum absque timore colorem percipiunt.

Dub.

At dices, cuncta hæc sunt melancholicis cum maniacis communia; nempè, & alij sentiunt continuò molestiam, eamque maiorem, nam atrabilis nobis magis intensa. Quare consimiles hæc species excitabit, tristium nempè, eaque multo maiora iudicabit, nam errat imaginatio, & mens alligata haud potest corrigere illam. Cur ergo non ijdem timidi, sed furibundi? Ratio est in promptu, quia timor nascitur ex imaginatione periculi, quod vitari non potest: vbi euadendi spes aliqua effulget, haud oritur timor, spes emergit, audacia, confidentia. Hinc contumeliosi sunt diuites, iuuenesque robusti; nam illi diuitijs, hi robore corporis, cuncta posse superare, arbitrantur, nec quicquam passuros. Cum valeant itaque multum maniaci viribus, nam calidi, parum melancholici, nam frigidi exangues, nil mirum si timeant illi, audeant illi, & sint furibundi.

Solut.

Hæc ergo si delirij est causa, mœroris, timoris, nulli dubium esse poterit, quin à morbo symptomata omnia melancholica, vel cerebri, quod intemperatum, vel alterius partis, quæ humorem melancholicum, vel plus iusto genuit, vnde hepatis, vel non expurgauit, vt lienis, ex quo factum est postea, vt ad caput vapores transmiserit, agitarit spiritus, tristiumque species in lucem emerserint. Quæ à causa externa habet ortum, non est symptoma. Quare neque à morbo fiet. Esset modò de ijs, qui ob incantamenta ad venerem inepti redduntur, disputandum. Esset quoque Rudij argumentum dissoluendum; sed quoniam de incantamentis multa diximus præcedenti libro, de dolore loquamur.

Ex dictis colligitur à quo morbo melacholia.

Dolor an à solutione continui, an à soluta vnitate.

TVrbauit hoc argumentum auctores huius sententiæ, & alij aliter conati sunt illud enodare. Franciscus Rosell. vir certe doctus, & quem diligo, & si parum honorificè de me sit loquutus, occurrens huic difficultati dixit tom. primo in lib. de diff. symptom. & morb. q. 46. cap. 5. hac re differre vitia, quæ vnitatem lędunt ab intemperie, & mala formatione, quod hæc tunc tantum lędunt, cum sunt facta: solutio continui, & si in fieri sit, potest sensibiliter lædere, propter vehementiam obiectorum tactus, quæ vt primum inuadunt, acerrimè cruciant.

Assertur Rosell.

Sed diligam licet, quia tamen debet præferri veritas, cogor, vel inuitus ab ipso recedere, nam multa inuoluit solutio adducta, quæ admittenda non censeo. Displicet primum, quod affirmet, solutionem cōtinui, & si in fieri sit, actionem sensibiliter lædere; nā vel fruentes optima valetudine, patimur aliquam solutionem continui. Quare non quæuis lędit manifestè actiones. Antecedens, probatur, nam nullus vsque adeò sanus est, qui aliqualem non sentiat ab vrina retenta, fecibusque molestiam: neque aliter fieri tuendæ animantis saluti expediebat; ni

Reijcitur.

enim

enim irritaretur, non eſſet de pellendis excrementis natura ſollicita, quod quia maximè animal offenſurum erat, idcirco vt cum vrina,& fæcibus bilis miſceretur curauit. Sanum item animal fameſcit,& ſitit. Dolor itaque vel cum optima ſanitate eſſe poteſt,alioquin damnatum dogma antiquorum perpetuæ paſſibilitatis cogemur reuocare. Quare falſo dicitur,vel fienrem ſolutionem continui manifeſtè lædere actiones. Nec credendum aliter eſt ob vehementiam obiectorum tactus, nam non minus vehemẽtes ſunt primæ qualitates,quam ſecundæ. Si itaq; ſoluentia continuum, eſto vnitatē ſolutam non produxerint,ſenſibiliter lędunt: cur pari pacto non lœdent primæ qualitates, tametſi intemperiem non produxerint,ſed producant?

Recedo tertio ab ipſo,quia exiſtimat à fiente ſolutione continui dolorem inuehi,cum paulò ſupra in Segarra hoc reprehendiſſet, & efficaciter illo argumento reieciſſet. Quod fit,non eſt actu:fiens itaque ſolutio numquam poterit dolorem inuehere.

Opinio autor.

Quid ergo dicemus? ſtatuo cauſam doloris,ſolutam vnitatem eſſe, non continuitatis ſolutionem;nam quod ſpectat ad Hipp. ita eſt explicandus. Dum alteratur natura,& corrumpitur hoc eſt, dũ morbum in habitudine patitur, tunc tãtum dolet: non vbi alterata eſt, quia morbus in habitu,nullum infert dolorẽ, vnde hectici ſe febrire non ſentiunt. Non poteſt item dolere vbi eſt eadem corrupta;nam vbi nullus eſt ſenſus,nulla ibidem,aut triſtitia eſſe poteſt, aut voluptas.

Dices. Soluta vnitas nihil eſt. Qui ergo doloris cauſa eſſe poteſt? nonne imprudens laberis in eamdem carybdim, in quam illapſum eſſe Aduerſarium paulo ſupra dicebas? Ita prorſus eſſet,ſi affirmatem, vt alij communiter ſentire videntur,à ſoluta vnitate tamquam cauſa excitari dolorem: at longè alia mens mihi eſt, longe aliud ſentio; eſt enim dolor triſtis ſenſus, fiet itaque ab eodem obiecto, à quo tactus: ſed quoniam eſt dolor triſtis ſenſus, fiet ab obiecto improportionato,& corrumpente ſenſorium: improportionatum autem eſſe dicimus, & ſenſorium corrumpere, cum eo vſque egerit aduerſus noſtram naturam,vt vnitatem diſſoluerit. Tactus itaque obiectũ eſt cauſa doloris,& hoc debet ſentiri,nõ ſolutio continui, aut ſoluta vnitas, nam vt benè Auer. ſolutio continui ſentiri non poteſt. Quare neque eſſe cauſa doloris,nam hæc cadit ſub ſenſum,iuxta illud Hipp. quicumque habentes cauſam dolendi, cauſam dolorem inuehentem non ſentiunt; ijs mens ægrotat. Quare nec illud affirmandum, ſi tamen, exacte velimus loqui, intemperiem, & ſolutionem continui eſſe cauſas doloris, ſed obiectum tactus improportionatum, & corrumpens, inferre dolorem autumamus: cumque poſſit corrumpere intempetando,& ſoluendo continuum,bifariã poterunt obiecta tactus dolorem inuehere,intemperando nempè, & ſoluendo; modum tamen loquendi facilè condonamus,nam & obſtructionem,cauſam eſſe dicimus caloris,& febris,cum tamen fuligines obſtructione cohibitæ calorem adaugeant,febremque introducant.

Symptomatum genera. Cap. IV.

Tria eſſe putat ſchola communis Medicorum. Plura excogitauit Arg.

VIdimus quæ natura ſymptomatis, & quæ eius cauſa; examinanda modò eius genera. Tria eſſe, actionem læſam,excreta,& retenta, qualitatemque mutatam voluit Gal. Auic. & omnes eorum diſcipuli. Addit alia Argent cap. 2. lib. de diff. ſympt. nam lumbrici,calculus, putris ſanguis,corruptus cibus, aut imminute coctus,caro ſpongioſa ſunt ſymptomata, nec tamen ſub aliquo ex dictis continentur;continerentur enim ſub excretis:at non licet ad illa reducere; nam excrementa vocantur, quæ ab alijs poſt coctionem ſegregata, extra corpus pelluntur. Præterea dolor eſt ſymptoma, nec aliquod ex tribus poſitis; nam ſi quod eſſet illorum,eſſet actio læſa, quod falſum eſſe conſtat ex multis; primum quia dolor non eſt actio;ederet enim aliquod opus,vt chylificatio chylũ,ſanguificatio ſanguinem Eſſet ſecundo alicuius ſenſorij;at pertinet dolor ad omnes ſenſus; nam omnes poſſunt dolere. Non verſatur tertio circa aliquod obiectum peculiare. Adde quod dolor eſt paſſio, quia dolere eſt pati. Demum ſi quæ actio læſa eſſet,deprauata eſſet;nam quod non ſit abolita,aut imminuta eſt manifeſtum;at non eſſe deprauatam, conſtat ex actionis deprauatæ natura; eſt enim deprauata actio,quæ fit aliter,ac deberet;vt cum percipit ſenſus, ſecus ac eſt à parte rei,dulceque,e.g. amarum diiudicat, rubra, flaua. At verò dolentes particulæ obiectum ita percipiunt,prout à parte rei exiſtit. Quare erit præter dicta, nouum genus ſymptomatum ponendum.

Videntur pauciora.

Videtur contra ſymptoma in genere excretorum,& retentorum remouendũ, nam retentum præter naturam reducitur ad ſymptoma in genere retentricis adauctæ,aut expultricis emortuæ: excretum immodicè ad ſymptoma in adaucta expultrice. Itaq; cum non liceat entia fruſtra multiplicare, non debent hæc tãquam diſtincta ſymptomata recenſeri.

Nos Gal. hæremus. Nam omnia reducuntur ad tria poſita.

At vero non eſſe cum læſa expulſione aut retentione confundendum, monſtratum à me eſt in cenſura ad cenſuram vocata: nunc probandũ fruſtra niti Argent.

vt

vt noua symptomatum genera introducat, nam cuncta ad illa tria reducuntur. Quis enim est adeo luscus, qui nō videat, lumbricos, calculum, putrem sanguinem, corruptum cibum, aut imminutè coctū, non esse symptomata, sed causas morborum? diariæ enim ex cruditate: morbus in via à calculo: morsus à lūbricis: à sanguine putri febres: nec obstat, quod vniuersa illa à morbo fiant, nam à calida quoque hepatis intemperie, multa bilis, & tamen hæc causa morbi. Sed sint illa symptomata; cur non poterunt sub excretis, & retentis collocari? Nam quod non contineantur sub hoc genere ea tantum quæ verè dicuntur excrementa, cōstat inde; quia sanguinis excretionem præter naturam, symptoma in genere excretorum Medici appellant, & tamen sanguis, non est verè excrementum: nec coctus chylus, & alimentum excretum, quale est assumptum, verè est excrementum, & nihilominus lyenteriam omnes esse diffiniunt symptoma in genere excretorum immodicè, Spongiosa caro, quæ non fit multum adaucta; symptoma est in excretis: equidem quod non sit vera caro, patet inde, quia discissa non sentit. Nil itaque ex positis cogit symptomatum numerum multiplicare.

Potissimum dolor, non hic tristis sensatio est.

Nec quæ de dolore dicuntur, quod ita esse intelliget quisque, qui doloris naturam intelliget, Quare sciendum breuiter est, cum tunc quisque dolere experiatur, cum triste obiectum noscit, in alterutro horum, doloris essentiam esse reponendam, nempe in cognitione obiecti molesti, est autem, quod non habet proportionem cum organo tactus: aut in molestia illa, quæ dictam cognitionem consequitur, quod esse contendit Argen. vt inde deducat, dari quartū genus symptomatis in actione tristi, & iucunda. At qui, hunc in modum sentiunt de dolore, aut nihil diuersum docent à priori sententia, aut est eorum opinio inexplicabilis; nam molestia illa, quæ cognitionem insequitur, nil aliud est, quam cognitio rei tristis. Quare si dolor est molestia, erit & ex horum sensu, tristis sensatio dolor. Sensatio, inquam; nam quamquam dolor sit passio, quæ spiritui etiam conuenit; vnde & hominum animæ in gehennam damnatæ torquentur: nos tamen, tamquam Medici; de illo dolore loquimur, qui Medicorum ope curari potest. Iam verò sensatio est actio immanēs, vt patet ex Arist. 9 met. 14. Quare dolor, actio erit. Neque huic contrarium est, quod tactus à dolore destruitur; sensatio sit passio, vnde dictum ab Arist. 2. & 3. de anim. *Sentire est quoddam pati*: nam sentire non est formaliter pati, sed antecedēter, & causaliter; hoc est, non fit sensatio citra passionem; quia fieri non potest citra receptionem specierum: vnde ab eodem Aristotele dictum, esse passionem perfectiuam. Nec quoniam est passio, propterea tollitur quin sit actio; nam cum passio ab actione non distinguatur, nisi per vnum opus intellectus, idemque numero motus, prout ab agente procedit, est actio, quatenus in passo recipitur est passio, tantum ab est, vt quia passio est dolor, concludi possit, non esse actionem, vt hinc possit inferri actionem esse. Agit autem in dolore tactus, dum iudicat esse obiectum, quod sentit, sibi improportionatum: patitur dum qualitatem recipit, & sensationem; nam, vt benè Gal. 7. de plac. 6. *Neque tantum alteratio ipsa, vt quidam putant, sensus est, sed alterationis dignotio.*

Enimuero, molestia quoque tristis est sensus.

Quare læsa sit actio.

Tactus tantum, non alterius sensus ab ipso.

Cæterùm cum sit sensus multiplex, est dolor tristis sensatio tactus tantummodo. Quare ad hunc tantum dolor pertinebit: nam quamquam alij à tactu sensus doleant, vt & Gal. docuit, & experientia, non dolent, vt sensus sunt à tactu distincti, sed quatenus tactus sensum includūt: quod, ne videar ad effugiendam vim argumenti gratis fingere, monstrabo Aristot. & omnes ferè Philosophos in hac fuisse sententia: comprobabo deinde hoc ea ratione, vt omnino dignus sit, qui è Philosophorum cætu explodatur, si quis in posterum huic sententiæ tamquam cæno hæserit. Arist. 2. de anim. 126. *Simul*, inquit, *manifestum est & sic; neq; enim lumen, & tenebræ, neq; sonus, neque odor quidquam facit in corpore, sed ea in quibus est, vt aer qui cum tonitruo findit lignum*: quæ exponens Them. dicit, *Posse quod audiendi potētiam non habet, pati ab audibili; non tamen quo audibile est sed quatenus aer ille percussus, ictusque suo illo impetu ingruens, cuncta sternit, & quatit. Sic vestes vbi ab aspergine, & salsugine vitium aliquale contrahunt, non facit hoc sapor tamquam gustabilis qualitas, sed tamquam tactilis, quædam qualitas, quæ corrumpendi, & putrefaciendi vim habet.* In eadem sententia est Galen. vt monstrat Valles. 4. contr. 4. Confirmat & ratio; equidem, si visus prout videndi potentiam habet doleret vmquam, pateretur visus à suo proprio obiecto; nam neque auditus, prout auditus, ab alio pati potest, quàm à sono: neq; gustus ab alio obiecto, quàm à sapore: At nihil reale recipiunt ab obiectis prædicta sensoria, quę dolorificam passionem inferendi vim habeant; nam aut recipit gustus speciem dumtaxat saporis, aut verum saporem: speciem sonoram auris, aut sonum realē; at neque species aliquam vim habet agēdi, vt monstratum pluribus cap. 13. l. 2. neque sapor aut sonus; sunt enim secundæ qualitates, quibus omnis agendi potentia est denegota. Vbi ergo à sapore gustatus offenditur organum, à sono auditus sensorium, & in vniuersū, excellens sensile, vt dixit Arist. 2. de anim. 133. cor-

rum-

rumpit sensorium, haud hoc fit à sensili, prout est obiectum proprium illius potentiæ, perficit potius illam quemadmodum intellectus, excellens obiectum intelligendo perficitur: sed quatenus habēt eadem obiecta alias qualitates annexas, quę corrumpēdi vim habent harmoniam sensorij tactus, ad cuius ruinam destruatur per accidens necessè est potentia, vt bene aduertūt expositores omnes illius loci. Lumen ergo destruit visum, dissipando spiritus: eadem ratione hoc facit albedo, vt l. 2. dictum. Quare cum nullam habeant vim producendi realem qualitatem obiecta aliorum sensuum à tactu, sed intentionalem tantummodo, & hæ dolorem facere non valeant: ab vno obiecto tactili dolor fieri poterit. Quare non erit dolor communis omnium sensuum affectio, sed tactus tantummodo.

An vero dolor, qui in tactu suum habet exordium, ibidem omnem perfectionem accipiat: an quod putauit Manar. 6. l. ep. vlt. à quo Fern. & alij, incipiat fieri sensatio in parte, perficiatur in cerebro; res est, quę ad pręsentem disputationem, nequaquam conducit. Confert at illud scire, quod monstratum, ni fallor, esse dolorem tristem sensum tactus, à tangibilibus qualitatibus ipsi improportionatis, vimque inferentibus factum. Quare erit dolor dubio procul omni, symptoma in læsa actione ipsius tactus: in actione inquam; nam actio dolor, quia sensatio: nec officit, quod nihil producat; nam hoc proprium immanentis actionis. At quoniam adhuc Argent. contendit non esse hoc verū, quia si esset symptoma in actione, esset in actione deprauata, quod falsū: propterea vt cumulatè illi satisfiat, & huic capiti ad ponamus coronidem, examinemus hunc punctum, quod quia explicari non potest, ni primum constet, quid actio deprauata, hinc ordiemur.

Quare erit læsa actio tactus.

Quid actio deprauata.

Quid actio deprauata pauci dixere.

ACtio deprauata quid sit, non parua difficultas, iure vt propterea reprehendat Galen. Argent. quod cum multos libros scripsisset de symptomatis, nūquam tamen in vniuersum diffinierit, quid sit illa, posterisque de re hac indagandi occasionem reliquerit.

Diffiniuit Sanct. Sen.

Tenet Sanctorus Sanct. 2. ar. med. circa finem, actionem deprauatam eam dici, quæ est grauiter læsa, seù per remissionē, seù quia eadem sit adaucta. Ergo inquit si ventriculus parum sit intemperatus ad frigidum e.g. diminutè is chylificabit: at si multum dicta intemperies intendatur, loco imminutæ chylificationis, deprauate operabitur, quia acidam gignet pituitam. Hepar quoque cum moderato calore gaudet, probum sanguinem gignet, calidiorem si eius calor parum intendatur: sin multum, probi sanguinis loco, bilis, copiam congeret: Diminuta itaque actio est parum vitiata. Deprauata, quæ multum. Hinc subdit posse memoriam deprauari, quia potest multum, & parum offendi. Hæc Sanct.

Cuius sententia multas ob causas confutanda. Primum quia si id verum, non aliter differet imminuta actio à deprauata, quam per magis, & minus, quod falsū, nam per imminutam visionem, non videmus rem aliter ac est, quamquam non videamus, cuncta quæ in obiecto habentur: At vbi est eadem deprauata, res aliter ac est videtur. Præterea multo maior læsio est, quæ à frigiditate ventriculo infertur, quam quæ ab acri, e.g. vapore, qui statim discutitur, & tamen ab hoc fit dolor, qui est actio deprauata, diminuta à frigiditate chylificatio. Non ergo differt à deprauata actione imminuta; quia illa grauior. Confirmatur, quia si hac ratione inuicem differrent, minimus e.g. dolor, sensibilis tamen, non esset symptoma in actione deprauata, nisi vbi idem aliquod incrementum assumeret. Ratio Sanctori est nullius momenti, non enim valet dicere, causa magis minusuè intensa, vel plus, minusuè agens, modo actionem imminutam producit, deprauatam vbi augetur, deprauata ergo, & imminuta, vna remissione, & intensione different; nam moderatus calor conseruat, immoderatus corrumpit, corruptio ergo, & conseruatio non different specie? Nullus puto id admittet.

Male tamen.

Argent. cum reprehendisset Gal. quod nil in vniuersum de re hac dixerit, sed varijs exemplis nulla ratione inuicem consentientibus deprauatæ actionis naturam declararit, ipse quoque difficultatem subterfugisse videtur: itaque medetur alijs ipsius vlceribus featens. Tetigit rem hanc Forliu. 2. l. art. med. q. 57.

Nec rem Argent. tetigit.

Sed neque satisfacit, dicit enim confundens actionem adauctam, cum deprauata, esse deprauatam operationem, quæ trāscendit proportionalitatē eius temperamenti, à quo fit, & conuenientiam speciei humanæ; Nam quamquam videatur esse expressa sententia Gal. quippe qui appetentiam 1. de sympt. caus. c. 7. immoderatam, ad deprauatam reducit, dicens, ***Voco inappetentiam, cum quis nihil omnino appetit, diminutam verò appetentiam, quæ imbecilla est. Porrò vitiosarum aliæ ad immodicam cibi, & potus sumptionem sunt deditæ, aliæ ad alienarum qualitatum desiderium propensæ.*** Et paulò infra, loquens de siti immodica ait, ***At quæ vitiosa est ad proportione se habet ad ea quæ circa alimentum est praua, aliquando quidem immodicum postulans potum, vtique cum in ipsis ventris tunicis malus quispiam succus fal-***

Nec Forliu.

sus

fus & biliosus continetur: aliquando autem veluti in eo feruentes, haud tamen propterea laudo, nam si aucta actio ad deprauatam reducitur, cur non & imminuta sub aucta pari pacto actione continebitur. Est tritum illud. Contraria sub eodem genere reponi debere. Quod si deprauata actio continet imminutam, & auctā, iam non erunt tres species læsæ actionis.

Est secundo, quod reprehendam in Forliu. dum dicit esse actionem deprauatam, quæ trascendit proportionalitatem, & conuenientiam speciei humana; nam quo symptoma sit, haud quidem tantum requiri dicet quispiam, sed illud vt scilicet sit contra propriam, & indiuidualem naturam, quemadmodum quo morbus quid sit, id est necessarium, vt sit propriæ symmetriæ priuatio, non speciei humanæ, vt l.1.monstrauimus cap.4. Demum, cum quis cuncta amara diiudicat, deprauata est actio, & non aucta. Quare inepta Forl. diffinitio.

Dico proinde actionem deprauatam eam verè dici, quæ aliter fit, ac fieri deberet pro salute animalis. Ratione qua fit aliter ac expedit saluti animalis, differt à bona actione, & imminuta; nam quamquam imminuta actio nequaquam fit pro voto naturæ, non est tamen contra vota illius; namqui septem e.g. gradus qualitatis exoptat, quatuor etiam desiderat.

Proinde eam esse statuimus, quæ fit aliter ac fieri deberet.

Obiectio.

At obijcies vbi gustus dulcia amara diiudicat, aut visus cuncta flaua, aut rubra, non errant, & tamen dicimus vtramque actionem esse deprauatam. Antecedens patet, quia vbi gustus iudicat amara quæ dulcia, inde fit, quia imbibita bilis in lingua, hæc tantum sentitur non percepta dulcedine ciborum, nam bilis sapor acrior ac propterea fortius mouēs gustandi potentiam, nam si à dulci sapore moueretur, perciperet vtique gustus, & dulcem saporem, & amarum. Visus item eum cuncta diiudicat, rubra diiudicat quia species recepta in oculo, representat ruborem, alioquin rubedinem videre non posset. Vbi autem sensus percipit quidquid sibi repræsentatur à specie, nō errat: quinimo erraret si secus faceret, & tamen communis scola medicorum affirmat, esse has actiones deprauatas. Quare aut non est bene diffinita actio deprauata, aut sunt multiplicandæ species læsæ actionis. Confirmatur exemplo doloris, motus conuulsiui, excretionis factæ irritata potentia ab acrimonia humoris, aut multa copia eiusdem; nam hæc omnia fiunt, vt expedit fieri, & tamen sunt hæ omnes deprauatæ actiones.

Turbarunt hæc adeo medicos, vt alij Galen. deseruerint, alij noua symptomata innexerint, & male vtrique. Nam quamquam sensus ea tantum percipiant, quæ repræsentantur, & eo modo quo repræsentantur, nihilo tamen minus errāt, nam sensuum error, non consistit in apprehensione rei aliter, ac est, sed in iudicio obiecti aliter, ac est à parte rei, nam veritas in iudicio consistit, vt latè Suarez. disp.8.1.tom. met. Quamobrem cum visus, & gustus in casu proposito, iudicent de obiectis alio modo, ac sunt à parte rei, aut saltem præbent occasionem, vt fiat malum iudicium, si ad alias facultates hoc spectat, sequitur hinc manifestè in casu posito sensus aberrare. Est ergo actio illa tam gustus, quam visus deprauata, quia sensationis essentia in iudicio cōsistit, & hoc est deprauatum, & falsum; quia non est conforme obiecto à parte rei.

Quod si dicas errare in iudicio gustum, oculumuè occasione speciei, quæ aut non repræsentat, quia debilis, aut aliter, quia est permutata à medio externo, aut interno: hinc illud tantùm efficitur, errorem sensus aliunde pendere, scilicet à vitio speciei, errare tamen, quia multoties intellectus sensum aberrantem emēdat. Dices, per dolorem non iudicatur obiectum, secus ac est à parte rei: Nec vbi quis punctus conuellitur, aut expellit, potest aliter facere, ergo saltem hæc symptomata non erunt in genere actionis deprauatæ ponenda.

Quomodo dolor est actio deprauata, cum non aberretur in iudicio.

Fateor, non esse has actiones deprauatas ratione facultatis, sunt tamen deprauatæ ratione obiecti. Quare est actio vitiosa duplex, aut ratione facultatis, aut ob errorem externum, & vitio obiecti. Non est nouitium hoc inuentum in medicina; Nam motus conuulsiuus, factus à vapore pungente, deprauatus est motus: Pulsus quoq; celer, vbi est vsus adauctus, deprauatus pariter dicitur: vbi facultas irritata expellit, deprauatè expellit, & tamen facit semper facultas quod debet; & ni punctum, e.g. brachium conuelleretur versus suum principium, cor æstuans crebram faceret pulsationem, & releret facultas stimulata ad expellendum non se accingeret, nō benè suas partes expleret natura. Quare, vt hæ actiones deprauatæ dicuntur, quia vitio obiecti cogitur operari facultas, secus ac operaretur in statu naturali: haud secus vocatur dolor actio deprauata, quia vitio obiecti facultas ea percipit, quæ in statu naturali constituta, nequaquam erat assueta sentire.

At quæres, cur cum obiecta posita, quorum ratione dictæ actiones vitiosæ contingunt, sint adaucta, maioraq; quam ratio proportionis, & harmoniæ corporis requirebat, actio ab his elicita, non aucta dicetur, sed deprauata: aut si deprauata hæc dicitur, cur non imminutā, deprauatam pariter esse dices, quādo debent contraria vnico sub genere poni?

Cur actio adaucta sub deprauata contineatur, non imminuta.

Rossel. opinio.

DVbitandi ratio est, quia debent contraria sub eodem genere reponi.

Respondet Rossell. quæst. 22. cap. 3. l. de diff. sympt. actionem auctam esse duplicem, aliam, quæ facultatis fit robore: est alia, quæ non tam robore facultatis fit, quam obiecto irritante, & stimulante. Differre has subdit, quia prior est secundum naturam: secunda symptoma & præter naturam. Hinc infert actionem imminutam non opponi cuicunque actioni adauctæ, sed naturali, non illi, quæ præter naturam, ideoque concludit ponendam esse sub eodem genere, sub quo deprauata, quia huic diminuta non opponitur, sed opponitur auctæ ob robur facultatis.

Reijcitur.

Hæc solutio videtur multa falsa inuoluere, & idcirco censeo admittendam non esse: falsum puto actionem adauctam à robore facultatis naturalem esse; nam vitio alimenti facta à calida hepatis stomachique intemperie; aucta actio est à facultate, non propter obiectum, & est præter naturam. Sed probatur idem in vniuersum; nam quoties robur vnius facultatis non habet proportionem cum alijs, est morbosum, vt cum quis multo plus appetit, quam coquere possit, appetitum illum appellamus caninum. Quare nulla actio aucta naturalis esse poterit.

Falsò dicit secundo, dari actionem auctam citra robur facultatis, sed vitio obiecti: nam quomodo irritata facultas multum pellet, ni sit robusta? Irritetur quantum velis: ni robusta sit eadem, numquam expellet multum.

Confirmatur, quia ab ijsdem causis aucta expulsio, à quibus moderata: sed ad hanc & facultas concurrit, & obiectum. Quare non potest dari actio aucta citra facultatis robur; nam equus, vt hoc exemplum addamus, si sit fatigatus, & debilis, quantumuis pungatur, numquam sese promouebit.

Tertio actio aucta ratione obiecti, hæc præter naturam non videtur. Quare intrinsece aucta, illa peior. Quare ista erit potius præter naturam, non adaucta ob errorem externum. Sed demus omnia isti: An propterea soluit argumentum? Minimè verò: insto enim adhuc, actio imminuta ob languorem facultatis, opponitur auctæ à robore facultatis. Quare imminuta actio ob errorem externum opponetur auctæ ob errorem externũ. Sed aucta ob hanc causam deprauata est, & præter naturam: Cur ergo imminuta sub eodem genere non reponitur? Si

Affertur propria.

me audis dices, idcirco imminutam deprauatam non esse, quia non fit aliter, ac fieri debet, sed iuxta vota naturæ, quamuis non perfectè & complete. Aucta secus fit, ac debet, & contra vota naturę. Vnde cum ratio deprauationis possit auctæ actioni conuenire, quia vtraque fit, aliter ac fieri expedit, non imminutæ, hinc aucta deprauata: rectèque dictum tria esse genera actionis oblęsæ, imminutum, abolitum, deprauatum.

Cur actio imminuta deprauata non dicitur, si hęc quoque fit aliter, ac debet.

Actionis læsæ genera.
Cap. V.

PErcurrimus symptomatum genera nunc eadem concidenda minutius, ab actione læsa, initio facto. Hanc lædi Galen. voluit trifariam, vnde tria eius genera posuit. Imminutum, abolitum, deprauatum. Tollunt alij abolitum, nam contradictionem inuoluit dicere actionem abolitam, vt homo mortuus. Augent alij numerum, vt Argent. nam distinguit læsas actiones in abolitam, seù deprauatam: imminutam, & auctam. Dari auctam probat, nam in cæteris conuenit cum Galen. quia sopor, & peruigilium, generatio plurima bilis, pulsus plus iusto frequentior, adaucta demum tractio, symptomata sunt in læsa actione: non imminuta, deprauata, aut abolita. Quare adaucta. Confirmat, quia posito contrariorum vno ponitur, & reliquum. Quare cum detur imminuta, debet dari adaucta.

Tria esse docent communiter Medici.
Tollunt, quidam abolitam.

Auget numerum Argent. Ponit enim imminutam, & auctam.

Conciliatur nihilominus cum Galen.

Sed certè verbo hi discrepant à Galeno conueniunt. Nam quas Galen. vocat deprauatas actiones, auctas vocare placuit Argent. Cum enim quod præcedẽti capitulo: rarum, deprauata actio sit, quæcumque fit aliter, ac deberet pro salute animalis, atque huiusmodi sit non solum, quæ deprauata; sed quæ adaucta, nam & hæc fit aliter, ac deberet fieri, non imminuta, vt supra dictum; hinc deprauatæ nomine, has omnes est complexus, quas minutius partiri placuit Argent. Quare cum eodem Galen. auctore non sit multum de vocibus curandum, dum re conuenit, non multum litigabimus, auctas ne quis actiones dicas vocet, an deprauatas. Vrgent ij magis, qui actionem abolitam tollunt è medio, quia implicat contradictionem ponere actionẽ, & eamdem abolitam vocare. Vnde, vt hãc tollerent quidam, dixerunt cum Argent. l. de diff. & gen. sympt. cap. 3. actionem abolitam eam dici, quæ quantum sensus iudicat, perijt: quam sententiam est postea sequutus Sanct. Sanct. 2. ar. med. probatque, quia apoplexiam motus, & sensus abolitionem dicunt esse medici, cum tamen non sit omninò sensus, & motus abolitus; respirant siquidem: & certè si omninò sensu destituti ij essent, frustra medici multa exhiberent remedia, quæ

At reprehenditur in difinitiones actionis abolitæ.

ex-

excitandi vim habent, & mortuum, vt prouerbio dicitur flagellarent. Præterea si actio esset omninò abolita, mortua esset pars illa, & ita numquam posset conualescere, quia à priuatione ad habitum, numquam habetur regressus.

Hi puto numquam, aut cœcum videtur, surdum, aut mutum. Dic proinde, actionem abolitam secundum medicos, vel esse eam, quę omnino est extincta, aut apparenter tantummodo. Neque erit propterea pars omninò actione destituta emortua; Nam non omnis actionis abolitio tollit vitam, sed necessariæ ad vitam, vt cum tollitur respiratio, aut nutritio. Ergo inquies, numquam motus deperditus restitui poterit; quia a priuatione ad habitum, nullus datur regressus: fateor, si quemadmodum actio aboletur, eodem pacto tollatur potentia; illa enim priuatio incurabilis, quæ, & actum & habitum tollit.

Quomodo ergo, si omninò extincta, est, actio nihilominus appellatur? Dicam, æquiuocè, vt homo mortuus. Neque ergo plura tribus, nec panciora iisdem sunt genera actionum læsarum.

Excretorum, & retentorum præter naturam genera, Cap. VI.

Actiones læsas, vitiatæ excretiones sequuntur. Quare erit naturæ ordini consentaneum, vt postea quam de generibus læsæ actionis egimus, prosequamur modo ea, quæ in excretis sunt, & retentis Diuidit Galen. de diff. sympt. 6. excrementa præter naturam in tria genera, alia quæ quantitate sunt talia, alia, quæ qualitate, alia tandem, quæ toto genere præter naturam existunt. Vnde & excretio poterit præter naturam dici trifariam: aut ratione qualitatis, quantitatis, aut toto demum genere. Primi, & secundi generis excretio quid sit, facile quisque intelligere potest: quæ toto genere præter naturam vocatur, non ita patet: ea tamen, quantum video, ita vocari potest, in qua illud excernitur, quod cum suo genere nobis amicum sit, reiectatur tamen: vt cum ramenta extruduntur, pinguedo, caro, vide c. 4. 1. lib.

Tria esse posuit symptomatum genera in excretis Gal.

Alij non tam attendentes, quæ scripsit hoc loco Galen. sed colligentes genera omnia excretionum præter naturam, quæ sparsim tum Galen. cum Hipp. innuerunt: quadrifariam inquiunt, excretionem aliquam symptomaticam dici: ratione quantitatis, vt cum non fit pro proportione humoris, qui peccat, sed vel superfluit, aut est diminuta. Ratione qualitatis, vt cum non euacuatur peccans humor, sed pro eo alius. Ratione temporis, vt cum humore adhuc crudo, & in morbi principio, fit excretio. Potest demum excretio esse symptomatica ratione loci; vt cum per regionem incongruam educitur humor. Meminit primæ Hipp. 2. p. aphor. 51. dicens, ***Plurimum vacuare, aut replere, malum, quia omne nimis naturæ inimicum.*** Secundæ aphor. 2. 1. p. ***In vacuationibus, & vomitibus spontineis.*** Tertiam innuit. 4. aphor. 22. dum dicebat, ***Morbis incipientibus, si atra bilis supra, vel infra exierit lathale.*** Quartam ibi. ***Sanguis quidem qualiscumque fuerit, emissus supra malum: infra verò si deijciatur, bonū.*** Vnde statuit Galen. in bona, laudataque vacuatione, illud desiderari, scilicet, vt fiat per directum; nam inflammato hepate sanguis sinistra è nare fluens, malum: è dextera si exeat bonum.

Sed certè si res ista exactè pendatur, triplex genus excretionis præter naturam esse inueniemus, ratione quantitatis, qualitatis, & loci. Non dari alia, patet; quia si quæ essent præter hæc admittenda, aut esset excretio toto genere præter naturam, aut ea, quæ talis dicitur, quia tempore fit inopportuno: at neutra est distincta à positis, non prima, nam si symptomatica excretio ratione qualitatis, illa dicitur, in qua non excernitur, aut calidior humor, tenuior, crassior sed qui non peccat: qua ratione nomen qualis accepit Hipp. dum dicebat, si talia purgentur, qualia purgari oportet, hoc est illa humoris species, quæ peccabat, non pro ea alia. Quis non statim intelliget, excretionem pinguedinis, ramentorum, & carnium, ad eam excretionem præter naturam reduci, quę ratione qualitatis, sic est dicta ad hanc, aut eam, quæ est ratione quantitatis reducitur illa, quam symptomaticam vocant temporis ratione; nam quæ importunè accidit, & in morborum initijs, idcirco reprehenditur à Medicis, quia non educitur humor nocuus: aut quia simul permixtus cum bono; fit enim coctione secretio; aut demum est hæc suspecta; quia cum non fiat deponente natura inutilia, sed vel stimulata à qualitate deleteria humoris, aut grauata à copia eiusdem: non effundet vniuersum humorem nocuum, sed partem illius. Erit itaque mala, aut quia imminuta, aut quoniam bonus humor tantum expellitur, aut hic cum malo permixtus. Quare aut ratione quantitatis aut qualitatis.

Nos tria tantum admittimus, quam. quam ab vtraque sententia aliquo modo recedamus.

Non tamen reprehendo propterea Vallesi. aliosque, qui vacuationes dictas plures fecerunt, nam clarioris doctrinæ gratia, nil vetat hoc facere vt 3. at. med. monet Galen.

At dices, quorsum eam, quæ ratione loci dicitur addimus; nonne eam ob causam hoc desideratur, quia vbi inflammato, e.g. hepate sinistra è nare prodit sanguis, non educitur sanguis, à quo in-

flammatio, sed aliud, à quo nihil mali.

Quandoque fortasse, ita res se habet secus alias. Nam si peccans humor, & ea quantitate qua peccat, educatur per vomitum, aut pleuriticorum pus per vias vrinarum educatur: reprehenduntur vacuationes prędictæ: neque alio ex capite damnantur, nisi quia per locum incongruum noxia materia educitur: quo fit, vt grauia symptomata inferantur: præstat autem non solum curare morbum, sed tutò, citò, & iucundè. Erit ergo vacuatio symptomatica triplex, aut quoniam non educitur humor peccans, aut quoniam plus, minusue educitur, aut tandem, quia per incongrua loca euacuatur.

Symptomatum, quæ in qualitate mutata sunt, genera. Cap. VII.

SVperest tertium symptomatum genus, quod in qualitate mutata, fieri in affectibus corporis vocant Medici. Quare, vt hæc disputatio absoluatur, est rei quum huius symptomatis genera numerare.

Quatuor esse genera symptomatū in mutata qualitate certum.

Gal. cap. 5. l. de symptom. diff. quadruplex ponit esse symptoma in qualitate mutata: visiua, vt cum color totius est vitiatus, vt in icterico, aut hydrope, aut partis, vt in carbunculo, aut inflammatione: olfactiua, vt cum nidorosum quid, aut acetosum ructamus, aut teter alius odor nares nostras offendit: gustatiua, vt cum gustus amaricat, ac demum tactiua, vt cum quod durum est emollescit, quod molle induratur, leue exasperatur, asperum leuigatur. In auditu nullum ponit symptoma in qualitate mutata: an quia nullum dari censuerit, an quoniam ex ijs, quæ dixerat, facile poterat vnusquisque intelligere, dari pariter symptoma in qualitate mutata ad auditum spectante, dubium: vnde variè de re hac opinatum. Admittit illud Fern. l. 2. de sign. cap. 3. *Simplices*, inquit, *partium effectus præter naturam, qui functioni nulli incommodant, sensibus ferè obuij manifestique sunt. Hos perinde sensuum quibus percipi solent numero, in ordines quinque redigemus.* Negant alij: nam quamquam lædi auditus possit, non secus alij sensus; quia tamen non habent dicta vitia permanentiam: non posse spectare putant ad qualitates mutatas.

An sit ponendum quintū, quod ad auditum pertineat, dubium.

Admittit Fernel.

Cui assentimur.

Quæ probabiliter dici, nullus est, qui non videat; nam Fer ex numero sensuū, numerum horum symptomatum expiscatur: Illi ex mutata qualitate, non quauis, sed ea dumtaxat, quæ permanentiam habet: libertate pari. Quare cum nulla sit ratio, quæ hoc, vel illud probabilius esse suadeat, permitto cuique vt sentiat, prout lubet; enimuerò si idcircò vitiatus sonus, ex horum symptomatum serie excludendus esset, quia no diu durat, deberent eadem ratione excludere vitiatos odores; nam vt sonus materialiter motus est, & percussio corporum, forma qualitas secunda: sic odor secunda quædam qualitas formaliter est, materialiter verò fumosa exhalatio; vnde durat tantūdem, quantum fumida illa exhalatio conseruatur. Quare cum omnes admittant hoc symptoma, non est cur sonum vitiatum excludant.

Licet illud displiceat Fern. quod eadem in excrementis potuerit.

Illud Fern. condonandum non censeo, quod qualitatis vitia, nedum in partibus, sed & in excrementis inesse censet: vt si vrinarum, deiectionum, mensium, sputorū, vomitionum niger sit color, liuidus, aut viridis: cum etiam grauteolentia ferit, aut sapor amarus, salsus, acidusitè subest; nam symptomata ibi esse possunt, vbi morbus. Quare, cum nequeat morbus excrementis inesse, non potest excretum symptoma, alterius symptomatis subiectum esse; alioquin verum esset dicere, hæc vrina habet multa symptomata.

Nec tantum hoc admittimus, vt Radius.

Num præter dicta, recensenda sunt alia symptomatum genera? negat Eustachius Rud. l. 3. de affect. præter naturam, cap. 1. Si quæ enim alia à dictis recenseri deberent in hoc genere, maximè essent sensibilia communia mutata; cum enim symptoma hoc spectet ad qualitatem sensibilem mutatam, sitque hęc duplex, communis, & propria, erit pari pacto symptoma hoc in mutata qualitate duplex: aliud nempè in sensibili proprio mutato, aliud in sensili communi: at nullum debet poni in sensili communi mutato symptoma; nā hoc habet permanentiam, vt dictū, quā non possumus fingere in motu, & quiete: secundo quia hæc omnia ad symptomata posita licet reducere, aut morborum genera; nam motus, & quies ad expulsiuam læsam, abolitam, aut irritatam: magnitudo, numerus, & figura vitiata, ad morbos actu, aut potentia. Quare, non sunt alia symptomata admittenda.

Sed alia in communi qualitate mutata.

Affirmat contra Comes Mont. l. 2. de morb. cap. 34. eique vera sententia; nam exiguus tumor, vitiosaque figura, quæ actiones non offendunt, sunt symptomata, neque aliud symptoma potest esse tumor, nisi in magnitudine: vitiata figura, symptoma pariter in figura mutata. At est magnitudo, & figura sensile commune. Quare & hæc sub mutata qualitate admittenda; nam quamquam Gal. vbi de causis symptomatum agit, nullum faciat horum mentionem, cum cæterorum causas sit prosequutus, idcirco hæc tacuit, quia ex ijs, quæ de causis morbi in magnitudine aucta, & figura vitiata dixerat, facile poterat vnusquisque intelligere, quid esset de ijsdem, cum sunt præ exiguitate symptomata, sentiendum.

At

Obiectio. Solutio. At posset dicas hęc ad alia symptomatũ genera reduci. Quę? nũ magnitudo parum aucta, parum vitiata figura ad morbos in figura,& magnitudine? erras, eras; nam si sunt morbi in potentia, actu quid erunt? Profecto ni ponas esse symptomata in qualitate communi permutata,non video quid dici possit.

De motu & quiete concedimus,nam hæc sub abolita actione comprehenditur, si sit quies à morbo, non sub sensili communi,nam neque quies est commune sensile; vt enim 2.de anim. dictum,priuationes non cognoscuntur sensu, sed ope intellectus. Quòd si de quiete loquamur, quæ à facultate,hæc idem est, quod motus, motus idem quod actio. Quare ad læsas actiones reducetur,motum ergo,& quietem distincta ab actione symptomata non ponimus: distincta tamen esse putamus figuram,& quantitatem exiguam, at vitiosam.

Læsæ actionis causæ. Cap. VIII.

Conquisitis generibus symptomatũ, est modo reliquum vt de causis læsæ actionis tractemus; nam quamquam præter hanc detur symptoma in excretis,& retentis,& qualitate mutata:quia tamen hoc ab excretione, & retentione præter naturam,illud à læsa actione suam ducit originem, nam color præter naturam ab humore delapso, alienus sapor à bili, quæ in os ventriculi, aut palatum influxit, haud quidem imminuta erit hæc disputatio,si de læsæ actionis causis dum taxat agemus.

Asserit Argent. Argent. 1. de caus. sympt. 2. vbi reprehendit,vt sui moris est Gal. quod de causis symptomatum scribens nihil commune omnibus attulerit, sed à causis læsæ visionis exorsus esset, ne idem illi objiceretur,rem aggressus,docet lędi actionem posse facultatis vitio,instrumenti, mutatione vsus, vt patet in pulsu, & respiratione,ab obiecto, vt nutritio docet, & à causis sine quibus non; nam ni præparetur alimentum, debito tempore, & certo ordine assumatur, assumptum retineatur: aut diminutè coquetur, aut deprauatè, aut nullo modo.

Et reijcitur. Sed dum exactam methodum docendi profitetur vir iste, à vera docendi methodo errat; enimuerò eæ actionum læsiones,quæ fiunt vitio obiecti, aut causæ sine qua non, nequaquam sunt symptomata,sed vt dictum,impotentiæ quędam naturales. Quare huius causas afferre, dum de causis symptomatum tractatur, est cuncta confundere.

Mox quid sentiendum decernatur. Dicamus proinde, vt res distinctè procedat, si causæ læsæ actionis præter naturam inquirantur, vnica illa erit, instrumenti, seù communis,seù proprij vitium; nam quamquam habeat facultas naturam à temperie diuersam; alioquin esset intellectus, & voluntas temperies: quia tamen aut nullum potest detrimentum sentire(nescit enim corruptionem intellectus)aut si quid patitur, instrumẽto compatitur, nam non habent contrarium qualitates secundæ speciei, propterea ad vnum instrumenti vitium,oblæsionis causa est referenda: quod quia duplex commune, & proprium, commune, vt spiritus: proprium triplex, temperies,formatio, vnitas,lædetur præter naturam actio, vel vitio spiritus, aut temperiei,vel formationis, aut vnitatis. Lędi poterit vitio spiritus quadrifariam, quia distrahitur, quia impeditur, quia imminuitur,quia corrumpitur: temperiei bifariam,aut simplicis, aut compositæ: si compositæ quadrifariam, calidæ siccæ, calidæ humidæ, frigidæ siccæ, frigidæ humidæ. Simplicis quadrifariam pariter,calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ. Formationis vitium à quo actionis oblæsio præter naturam,adhuc multiplex,figura, cauitas,quantitas,numerus,situs. Quare aa in vniuersum causæ vitiatæ actionis, spiritus distractus, impeditus, imminutus,corruptus; intemperies calida, frigida,sicca,humida: calida sicca, calida humida,frigida sicca,frigida humida: vitiata figura hoc est aspera lenis, cauitas aucta, imminuta,quantitas, numerus, situs mutatus, continuique solutio. Quòd si vitiatæ actionis in vniuersum causas scire velis,eius nempè quæ symptoma est,& quod accidens naturale vocatur à medicis,nam id scire conducit non parum ijs, qui faciunt medicinam, ne,dum impotentiam naturalem cum symptomate confũdunt, ignorent quid deceat tolli, quid seruari: dicere potes,non tantum internarum causarum vitio actiones oblædi, sed ab externis quoque. Sunt hæ duę obiectum, & medium: obiecti vitium est duplex,in quantitate, & qualitate: si velis ad maiorem claritatem addere tempus,ordinem, distantiam, modum, non multum contendam. Ad hęc capita causas omnes læsæ functionis reduci,intelliget,quisque,qui functiones quasuis vitiatas attentè inspexerit. Nempè propè mortem existentes non sentiunt defectu spirituum; non enim gignuntur à partibus mire intemperatis: non sentiunt vulnerati, quia alio facultas vacat: ob eamdem causam cum scatet ventriculus flatibus,aut non retinetur alimentum, quantum opus fuerit, non benè coquit, nempè, quia non potest applicari pars coquens obiecto. Quia impeditur effluuium spirituum,non sentiunt apoplectici,nec sentiunt,qui syncopem patiuntur, destructis ab aura venenata ijsdem. A morbo quouis actionem lædi, notius est, quam vt probatione indigeat. Est pariter no-

notum, ab erroribus illis externis non raro fieri, vt actiones vitium aliquale cõtrahant; Nam vbi alimentum, e.g. plus sumitur, quam vt à facultate coqui possit, aut impræparatum, calidius, frigidius, corruptum, intempestiue, citra ordinem, coquitur non benè à ventriculo. Nec est qui dubitet, medij vitio, non rarò idem contingere; nam videntes per vitrum viride, aut habens multos angulos, cuncta iudicabunt viridia, & singula obiecta multiplicia.

An ab vsu aucto lædatur quandoque actio.

An sit alia causa vitiatæ actionis, hoc dubium. Ponit Argent. oblædi quandoque ab vsu adaucto, nam vbi calor intenditur, fit pulsus celerior, & respiratio crebrior.

Putat Argēt. Nos negamus.

Quod reijcio, nam finis non nisi metaphorice agit. Numquam ergo hic actionem vitiatam producere poterit. Quare quod à calfacto corde pulsus celerior fiat, idcirco fit, quia calida intemperie laborat. Hæc ergo in causa pulsus vitiati. Proinde non erunt aliæ causæ vitiatæ actionis. Qui fiat, vt à prædictis causis, quandoque imminuatur, deprauatur, corrumpatur, cap. sequenti dicetur.

Imminutæ, abolitæ, & deprauatæ actionis causa. Cap. IX.

QVi fiat, vt actio vitiosa reddatur, c. superiori docuimus, declarandum modo, vnde est, quod quandoque imminuitur, quandoque aboletur, alias deprauatur. Nulli dubium fuerit, vbi quæuis causa ex positis multū augeatur, actionem omnino aboleri, nam quemadmodū integra ex causa bonum, sic causæ cuiusuis defectus, ad inferendum vitium est satis. Quæ tamē causæ imminuant actionem, quæ eamdem deprauent, non admodum patet, vt multi fortasse credunt.

Argent. de causis deprauatæ, imminutæque actionis, adducitur, & reprehenditur.

Argen. l. de caus. symp. c. 6. & 13. quem postea est sequutus Sanct. 2. ar. med. circa finem, à leuioribus causis imminui actiones autumat, deprauari à maioribus, quod duas ob causas reprehendendum: Primum, quia cum leuis causa posit esse tum calida, cùm frigida, non declarauit, an parum aucta frigiditas coctionem imminuat, an calor, an idem vtraque qualitas parum ab harmonia recedens faciendi vim habeat, vtraque vbi augeatur deprauet.

Reprehendenda secundo hæc Argen. opinio, quia parum imminuta caitas impedit distributionem chyli ad hepar, & sanguinis ab hepate ad vniuersas, & singulas partes corporis, eademque vbi magis, & magis imminuatur, haud distributionem deprauabit, sed multò magis imminuet: vapor item mordax, & acer tristem facit sensum, non imminuit, quamquam fit exiguus. Præterea si id verum, præcederet semper imminuta actio deprauatam, nam si auctum causę vitium, actionem deprauat, exiguum imminuit, cum numquam liceat, nisi per gradus ad magna progredi, numquam fiet repente causa magna. Quare numquam deprauabit, quin imminuat prius, quod absurdum.

Mox vero cuiusque symptomatis causæ adducuntur, ac primū imminutæ.

Dicere proinde iuuat, minui quandoque actionem proprij instrumenti vitio, quandoque defectu communis. Si proprij bifariam, aut vitio intemperiei, aut malæ formationis. Si minuatur spirituum vitio, causa huius imminutæ actionis, erunt illa omnia, quæ spiritus imminuendi vim habent. Vnde cum possint esse calida, frigida, vacuationes immodicæ, distrahentia, & alio auocantia ipsos, impedientia eorum effluuium, poterit actio spirituum vitio imminui à calidis frigidis, obstruentibus, vacuantibus, & alijs, quæ facile vnusquisque discurrendo, ex se ipso poterit inuenire.

An calida intemperies imminuat.

At si hæc imminuatur temperiei vitio, erit intemperies frigida, frigiditas enim cuncta hebetat, retundit, mortificat: Erit intemperies humida, nam hinc fit, vt pueri vix moueantur: et si sicca, nā impedit apprehensionem sensationemq; solus calor, vbi intendatur non imminuit, sed vel omnino tollit actionem, aut deprauat. Quod si minuit calor interdum appetentiam, & coctionem, vnde congerunt crudos succos febricitantes, vtrūque fit per accidens: nempe appetitum imminuit, aut bonis, aut prauis ad stomachum succis conuocatis, vt 13. 3. cap. 7. fit imminuta coctio, aut à vitio externo, quia non mouentur, plus bibunt: aut resoluto calore naturali: itaque semper imminutio, & abolitio à frigiditate. Imminuit pariter cauitas vitiata actionem, nam vbi imminuatur, imminuit distributionem sanguinis, mictionem, & in vniuersum quamcumque excretionem.

Deprauatæ actionis causa.

Quæ actionem deprauant, sunt pari pacto duplicia, alia id faciunt imminuendo spiritus, & distrahendo alia peculiari instrumento vitium inferendo. Quæ imminunt spiritus, possunt esse alterantia omnia, quæuis enim immodica intemperies illos destruendi vim habet, & vacuantia. Quæ peculiare instrumentum vitiando deprauant, sunt morbi in soluta vnitate, in situ mutato, in intemperie quauis. Ab his omnibus deprauari actionem, monstrat illud, quia ab his omnibus dolor excitatur, est autem dolor actio deprauata. Quare, &c.

Peres, multa ex positis possunt deprauare actionem, minuere, & indiscriminatim vtrumque facere. Vnde ergo est, quod quandoque imminuit, quandoque deprauat?

Dub.

Fit hoc interdum ex causæ natura, nā soluentia continuum, mutatus situs partium,

tium, deprauant semper, nam semper dolorem inferunt; imminuunt numquam; diminuentia caulitatem, imminuunt semper, deprauant numquam. Quod si quandoque dolentes, vix audemus partem dolentem mouere, ex electione hoc fit, non ex vi morbi. Nempè exiguos cremus motus, ne ab immoderatis doleamus.

Fit secundo ex diuerso eiusdem causæ agendi modo, vt frigiditas e.g. imminuit sensationem, vnde torpor adstringendo meatus. Quare cauitatem imminuendo, & hoc modo impediens spirituum influxum, sine quibus sentire pars non potest, sensationem imminuit; Deprauat eamdem inferendo dolorem. Fit tertio, hoc ipsum à causa morbosa magis aucta quandoque: sic imminuitur actio defectu spirituum modico; at vbi eorum defectus fiat maior, deprauationes contingunt, nam 6. aph. delirant senes ex defectu spirituum, & Galen. exponens aphor. 9. eiusdem particulæ. *A sanguinis profluuio desipientia, hic* inquit, *Aphorismus magnam nobis affert vtilitatem ad credendū, quod aliquando fiat desipientia ex defectu*. Deprauatur demum actio ex imminuta actione, nam cum exactè Sortes, e.g. amicum aduenientem non cognoscit, errat in iudicio, & ita ab imminuta vna actione, alterius deprauatio exoritur. An detur aliæ huius vitij causæ cogitent alij, mihi satis fuerit inquirendi occasionem dedisse.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Quartus
DE MORBORVM TEMPORIBVS.



Dicendorum occasio, & vtilitas. Cap. I.



Expositis morbi causis, eiusdemque accidentibus, ne quid desideretur, quod ad disputationem propositam absoluendam conducit, nostræ esse partes videtur de partibus morbi disputare. Suadet idem vtilitas, nam explorata partium morbi natura, non tantum noscendo morbo, sed & curationi rectè instituendæ, & prognosi conducit; mori etenim æger potest primis morbi temporibus; vbi idem declinet, numquam ille succumbet. Iuuatur, & ad portum salutis appellit, coctum, quiete trudit humorem: lædetur, qui in morborum principijs idem tentat, & illud ęternæ veritatis, *Decretoria non statim appareant.* Quid memorem quantum curationi conferat? *Circa* inquit *morborum initia si quid videtur mouendum, moue: in statu expedit quietem habere*, & 1. ap. 8. *Cum summa morbi vehementia est, tunc vel tenuissimo victu vti oportet.* Quare quod dixit Gal. cap. 40. ad Thrasibulum, *tempora non esse ad indicandum, quid facto opus sit accomodata*, de tempore explicandum, prout mensuram durationis significat, non quatenus mensura est variarum dispositionum, quæ ab ęgritudine inducuntur. Ineunda itaque hęc disputatio, ac primum, quid tempus morbi, quotuplex, & num quiuis illa percurrat, examinabimus: videbimus postea, an tempora quęcumque considerantur in morbis, vnà simul coincidant.

Quid morbi tempus, quotuplex, & num morbus quicumque, illa percurrat. Cap. II.

Tempus morbi est idem quod ętas morbi, nam translata vox est ab animantibus ad ipsos: propterea videamus, quid sit animalium ętas, nam hinc patebit, quid sit ętas, seu tempus morborum. Est ętas animalium, mensura actionis calidi primigenij in ipsum humidum. Quare erit ętas, seu tempus morbi, mensura actionis causarum aduersus naturam, c. 33. & 37. ad Thras. Causarum autem nomine, non solum intelligitur verè causa morbifica, sed quidquid prerer naturā est in corpore. Quare cum sit hoc triplex, morbus, causa morbi, & symptoma, dabuntur tempora morbi, causæ, & symptomatum. Vnde Nicolaus Florent. Quid morbi tempus. tract.

tract. 2. de febr. sum. 1. cap. 19. *Tempus morbi est mensura extrinseca motus, qui est in ægritudine, causa, & symptomate.*

Quotuplex.

Potest quodcumque horum quatuor habere tempora, principium, augmentũ, statum, & declinationem; nam quę sunt prętet naturam, per recessum à statu naturali fiunt. Quæ autem recedunt, inter initia minus recedunt: possunt postea magis recedere. Quod si est redeundum ad statũ naturalem, necesse est vt excessus ille cõsistat, tum minuatur quousque euanescat. Quare poterit morbus quatuor habere tempora. Confirmat hoc Gal. exemplo animalium; nam quodcumque animal primo nascitur, crescit postea, auctumque consistit. Senescit tandem idem, & collabitur. Quare & morbi nascentur, crescent, consistent, extinguentur. Salubres tamen.

Quid vnumquodque horum.

An habeat hęc omnia quiuis morbus, & factus, & fiens, hoc dubium. Quia vero id assequi non licet, ni primum cõstet, quid sit morbi principium, quid eiusdem augumentum, status, & declinatio, hinc auspicabimur, prętertim cum non satis sit hoc manifestum, quod vel ex Gal potest quisque conijcere, nam cũ duos libros de re ista scripsisset, vt omittam, quæ de hac re docet 1. lib. de cris. nullibi tamen in vniuersum rem hanc diffiniuit, sed aut varias principij acceptiones adduxit, vt cum dixit, trifariam sumi nomen principij, pro primo morbi insultu, pro primis tribus diebus, & pro eo tempore, quo morbus est crudus: aut vbi cominus rem hanc est aggressus, id tantum declarauit, quid principium, augmentum, status inflammationis: qua ratione febrium tempora dignosci possunt, vt l. 7. Deo dante, dicemus, in vniuersum descripsit numquam hæc tempora. Sunt alij id facere aggressi, an laudabiliter, mox dicemus.

Capiuac. asseritur.

Capiuac. lib. 6. prax. c. 9. pertractans de horis febrium, statuit, principium febris esse, vbi agere illa incipit, actione tamen ita remissa, naturam vt nondum lædat: augmentum vbi febris magis lædit, & virtus reagere incipit: statum vbi sũma est actio inter naturam, & febrem: declinationem, vbi imminuitur actio.

Et reijcitur.

Sed multas ob causas non placet, ac primum; quia ponit febrem, vbi in principio existat, nondum naturam nostram lędere; nam si est eo tempore morbus, quo pacto non offendet? Secundo, quia ponit augmentum esse, vbi eadem magis lædit. Quando ergo lædere incipiet, in quonam tempore febris erit?

Exactius illa omnia cũ Gent. diffinisset hunc in modum. Principium morbi est, vbi incipit affligi natura: Augmentum, in quo augetur afflictio: status, vbi eodẽ modo se habet: declinatio, vbi afflictio minui incipit.

Probaturque Nicol. Flor.

Quamquam recipienda magis videatur Nicol. Flor. Argen. & aliorum opinio, qui dicunt, principium morbi esse illud tempus, in quo morbi generatio absoluitur, neque vllum insigne accipit incrementum; insigne inquam, nam quemadmodum animalia gigni dicimus, non solum vbi partes suas comparant, sed cũ aliquale augmentum in vtero acquirit: sic morbus esto gignatur, & aliquod incrementum assumat, non dicetur propterea tendere ad augmentum, quousque aliquod insigne incrementum non acquirat. Quare morbi augmentum fuerit tempus illud, in quo genitus iam, & absolutus morbus manifeste crescit: status, cum summum quod ab incremento est partum, eodem modo perseuerat: declinatio, cum vigor ille minuitur, nam in hanc inclinat manifeste Auicenn. 2. 1. doctr. 1. cap. 8. dicens, *Principij tempus est, in quo ægritudo apparet, & eius similantur dispositiones, & usque apparet in eo augmentum eius: & hora augmenti est tempus, in quo ægritudinis manifestatur constrictio: & hora status est hora in qua ægritudo in omnibus suis partibus secundum vnam manet dispositionem: & hora declinationis est tempus, in quo eius apparet diminutio: & quanto plus procedit, eius minoratio, est magis manifesta.* Ita ergo exposita principij, augmenti status, & declinationis natura, dubitatio est, num morbi quicumque, percurrant hæc tempora, seu sint in intemperie, seu dissimilares: diffiniendo inquam hęc tempora cum Auic. nam si cum Capiuac. dicas, principium esse, in quo incipit læsio, augmentum, in quo augetur, nulli dubiũ fuerit, posse hęc tempora à morbo quocũque pertransiri; nam quamquam facti morbi, qui nullam habent causam fouentem, eodem modo semper agant secũdum vltimum sui posse, possunt nihilominus modò maiorem, modò minorem læsionem inferre, quia in principio, e. g. natura robusta resistit valentius, minus postea, vnde quamquam in morbo nulla sit facta variatio, potest nihilominus læsio esse varia, varietate facta in patiente. Neque de quouis genere morbi est controuersia, nam cui dubium fuerit, morbum, qui causam habet fouentem, à qua potest intendi, posse quoque & morbum intendi, atque ita in augmẽtum, & statum procedere? sed de facto, vt de febre hectica, vulnere à causa externa inflicto.

Hinc patet ad titulum difficultatis.

In cuius solutione defecerunt quidam, qui affirmant.

Tenent quidam partem, quæ affirmat, vt refert 3. art. med. 32. Plusquam Com. nam quamquam causa, quæ morbum induxit non adsit, est tamen vis à causa impressa. Vnde quemadmodum lapis sursum proiectus, adhuc mortuo proijciente mouetur, haud secus poterit factus morbus virtute impressionis à causa factæ, adhuc quatuor tempora percurrere.

rere. Et veluti lignum, inquit Vega, externa à face inflammatum, quam primum aliqua parte in prunam est versum, quamquam fax extinguatur, vniuersum comburitur: haud secus fieri poterit, vt recedente causa extranea, quæ febrem produxit, augeatur nihilominus febris.

Quos reijcio, nam vis impressa ab agente, potest quidem effectum productum seruare, at eumdem intendere, nullo modo potest: vt vis à proijciente lapidi communicata, potest quidem facere, vt moueatur lapis proijciente mortuo, at vt velocius moueatur, & citius, nequaquam fieri potest. Ignis item productus, potest consimilem producere ignem, maiorem nequaquam, nam neque ignis intensionem recipit, aut remissionem. Quare male Roderic. *Cum, inquit, causa externa imprimit in corpus, corpus ipsum in spiritum cordis: is spiritus vbi primum calefactus est licet cesset externa causa, pergit calefacere corpus. Quare febris augetur.* Male, inquam, nam non est hæc caloris intensio, sed extensio, quia alteri parti communicatur.

Nunquam facti morbi intendi possunt.

Vnde hectica non habet gradus, qua factus est morbus, sed vel ob maiorem siccitatem minoremuè.

Aut ob diuersum humidû consumptum.

Aut quia putrem febrem annexam habet.

Nec placet Gent. dicens, si tempus morbi sumatur impropriè, vt dicatur principium, pûctum, in quo incipit morbus; declinatio punctum, in quo recedit; status punctum, in quo permanet, reperiri hæc tempora in morbo immateriali; nam si augmentum est, in quo acquirit aliquid morbus ad propriam naturam spectans, quo antea carebat: quo pacto poterit, nullam habens in crescentiæ causam, in augmentum tendere? Nû à se ipso intendetur? minimè quidem. Quid ergo? num facti morbi numquam habere poterunt augmentum, statumue, ni in augmentum fuerint inducti priusquam recesserit causa? ita multi, quibus assentior: Quod si omnes in hectica, gradus quosdam agnoscat, seu species, scias tribui hæc tempora hecticæ, ratione, qua exiccat: vnde quidam dicunt esse in principio, dum calor ita agit in roridam humiditatem, vt eam plus iusto calfaciat, sed non dum cœpit consumere; augmento, dum consumere incipit: statu dum summa est facta roridæ humiditatis consumptio. Alij non ex maiori & minori siccatione eiusdem humidi, huiusmodi temporum distinctionem accipiunt, sed ex diuerso humido consumpto. Aut dicas secundo percurrere varia tempora febrem hecticam, cum putri annexam, nam putris febris, à qua, hectica quoquo pacto fouetur, modo plus, modo minus agens pro ratione humoris, à quo pendet, potest intendere factam febrem, nam & habitus pariter intensionem recipiût, remissionemque. Non tamen propterea tollitur, quin sit illud perpetuò verum, morbos factos numquam quatuor tempora percurrere, prout sunt facti, sed quatenus sunt ijdem fientes, & causam fouentem adhuc habent. Num verò quicumque fientes, seu lœthales, seu salubres, tempora quæcumque percurrant, cap. sequent. dicetur.

Percurrant ne morbi omnes fientes quatuor tempora. Cap. III.

Affirmant quidam de salubribus.

AFfirmant quidam de morbis salubribus. Quod si inquiunt non semper à medico id obseruatur, non est quia caret illis morbus, sed quoniam sunt insẽsibilia tempora; nam, vt primo de cris. cap. 3. *Sæpè in morbis nullum sensibile tempus inuenitur huiusmodi, sed habens adhuc quarta, si ita contingat accessione inditia augmenti, quinta superueniente accessione declinationis principium, quoniam videlicet status momentaneus extitit, adeo vt nemo eum adesse cognouerit, sed vt exquisitè dignoscatur, primum declinationis tempus sit necessarium: simile quidem accidit in morborum augmentis, nam sæpè prior accessio principium simul habuit; ascensum, & statum: in prima sui parte principium, deinde ascensum, postremo verò statum: deinde secũda accessio manifestè videatur declinare.* Ita Valles. l. 10. contr. cap. 7. Sclan. 3. ar. med. 32.

Quidam verò hoc limitant.

Limitant alij propositionem, dicuntq. pertransire quatuor tempora morbos salubres, ni ars, aut natura morbum augeri prohibeat. Ita Argent. cap. 6. lib. de morb. temp. Capiuacc. Vega lib. 2. de differ. feb. & alij, quos referr Vall. citato loco, qui pariter id colligunt ex Gal. qui semet. gloriatur, se missione sanguinis febrem iugulasse, & lib. ad Thras. c. 37. ait, licere morbos in principijs expellere, atque ita reliqua morbi tempora præcidere. Et quamuis contendat Valles. posse vsu remedij ita breuia reddi morborũ tempora, vt sine remissione videatur sublatus morbus, non tamen illa omnino præcidere, quod alij dicût, faciunt morbum illegitimæ constitutionis, non tamẽ omnino constitutione eum priuant: mihi tamen oppositum magis certum videtur; nam quemadmodum si quis nuper natum occidat, nec iuuentutem, nec statum consistentiæ attigerit: sic vbi morbi materia adimatur, numquam ad augmentum, aut statum perueniet.

Nos quoque aliud tamen addimus.

Addo ego, nedum priuari his partibus morbum, vbi arte, aut natura eius augmentum inhibeatur, sed & cum deficit causa, quæ ipsum produxerat, quæque perseuerando erat ad augmentum ductura. Finge, e.g. vulnerari Platonem à Sorte, ita tamẽ, vt vulnere inflicto, cesset vulnerare Sortes: iam vulnus ad augmentum nequaquam accẽdet: à qua enim causa intendetur? non à vulnerante, nam

agere desijt: non à seipso, nam nihil seipsum intendit: Possunt ergo non percurrere omnia tempora morbi salubres, quamquam neque natura, neque ars illud prohibeant, sed ex defectu, solo causæ producentis. Morbis ergo salubribus non repugnat, quatuor, vt tempora habeant, non tamen necessariò percurrunt illa, cum possunt arte, aut natura præcidi: tum quia causæ producentis defectu, non poterunt statum, aut augmentum attingere. Percurrunt tamen necessariò principiũ, & declinationem, illud, in quo fiant: hanc, in qua extinguantur. Quod si nec natura, nec arte illa præcidantur, nec desit causa, quæ illos intendere possit, habebunt singuli morbi omnia tempora; nam omnis causa fortius agit, & validiorem producit effectum in subiecto disposito: At quanto magis agit magis disponit: Quare morbum validiorem producet, quare in augmentum protrahet.

Stylo.

Nec contra est, quod ponunt medici omnes quasdam febres, quæ semper augentur, alias quę eodem modo semper se habent, alias tandem, quæ cõtinuò declinant; nam vt benè Gent. ponitur acmastica febris, peracmastica, & omothona, non quia hæc semper declinet, alia continuò increscat, stet alia semper: sed quia maior pars vnius est augmentum, alterius declinatio, alia demum maiori sui parte consistat.

Non minor controuersia de lethalibus: an possint habere declinationē.

At quid de morbis lœthalibus? negant omninò quidam declinationem habere lęthales morbos, quia numquam fieri potest vt in inclinatione quis pereat.

Admittunt eamdem alij, quia cum illa cognoscatur ex coctione, atque cum hac possit æger extingui, quia potest natura expellendo deficere, poterit morbus lęthalis declinationem habere. Lis ergo inde pendet, quod quidam putant, posse ægrum in declinatione deficere: negant alij. Quare hoc decidendum. Ne tamen errorem æquiuocatio pariat, aut difficultatem, noto primum, non esse dubitationem de declinatione particulari: neq. de declinatione vniuersali apparente, non vera, est autem vbi videntur remissa symptomata, insuperata causa, nam in vtraque posse ægrum extingui, fatentur omnes: dubitatio est de declinatione vniuersali, & vera.

Negant quidam.

Quam volentes dirimere quidam, dixerunt, haud fieri posse, vt qui in morbi declinatione est, pereat, si omnia, vt oportet à medico peragantur: declarãtes postea, quid sit illud, quod medicũ præstare oportet: quidam dicũt, esse exhibitionem medicamenti purgantis: vult Vall. 10. contr. esse optimam victus institutionē. Ergo hic contendit, numquam fieri posse, vt in morbi inclinatione pereat æger, si medicus victum rectè pręscripserit (tantæ molis est optima victus ratio) illi in portu esse ægrotantem affirmant, si cum declinauerit morbus, medicus exhibeat pharmacum, quia vbi natura nõ mouet, medicus mouere tenetur.

Quæ cuncta à proposita quæstione aliena; Quis enim neget, vbi aut æger, aut medicus erret, posse ægrum perire, esto morbus declinarit, quando errata illa noui morbi vim habent? controuersia est, num vi morbi, qui in declinationē iam abijt, possit ęger mori, quam dirimẽtes breuiter affirmamus, si declinatio sit causę morbosæ victoria, & eiusdem expulsio, numquam fieri posse, declinationem, vt habeant lœthales morbi. Sic Gal. 3. de cris. dicebat, se numquam vidisse aliquem eorum mortuum, qui cum signis coctionis crisim habuisset. At si declinationem quis esse dicat, morbificæ causæ coctionem, poterunt lęthales morbi declinationem habere, quia potest quis cũ materia cocta, quam non est potis expellere, suffocari, vt docent quotidie suppurati. Quoniam verò perfecta declinatio in causę expulsione consistit, nam coctio illa haud pertinet ad omnes morbos, propterea arbitror lęthales morbos nũquam posse totalem declinationem habere. Totalem inquam, nam in quocumque tempore, quatuor tempora considerari possunt, principium, augmentum, status, declinatio. Vnde datur principiũ principij, augmentum principij, status, & declinatio eiusdem: ita in augmento, statu, & declinatione. Considerari dixi, nam re vera non potest, quod crescit, perpetuo eodem in statu manere: nec declinare, aut minui, quod in eodem perseuerat statu. Quod si considerari hæc possunt in quouis morbi tempore, numquam lethales morbi totalem declinationem habebunt: quamuis nihil repugnet, quominus natura aggrediatur expellere concoctam materiam, & in expulsione deficiat. At quod vniuerso humore excreto extinguatur, id nulla ratione contingere poterit, quia non est à quo perimatur. Numquam itaque lœthales morbi absolutam, atque totalem declinationem habebunt.

Nos distinguimus.

Coincidat ne vigor morbi, & coctionis. Cap. IV.

PRæter morborum tempora, dari alia, quæ coctionis vocãtur, est apud omnes medicos exploratum. Vnde ex communi omnium sententiã, quatuor sunt temporum genera, morbi vnum, symptomatum alterum, & duplex causarum, quorũ alterum sumitur ab actione causæ aduersus naturam, alterum ab actione naturæ aduersus morbum. An tamen coincidat horum omnium vigor, ita vt quo tempore viget morbus, causa, & symptoma,

Explicatur titulus.

ma, ſic pari pacto ſumma coctio, eſt iſtud non parum controuerſum: hoc inquam, nam quod coincidant morbi, & propriorum ſymptomatum tempora, vnà cum cauſa morbum immediate attingentibus, certum; nam ſequuntur morbi cauſam, ſymptomata morbum. Quis dubitabit ergo, quo tempore augetur cauſa, augeri morbum, quo tempore increſcit morbus, ſymptomata creſcere: cum viget cauſa, vigere morbum, ad huius vigorem, conſequi vigorem ſymptomatũ, ac tandem ſimul hæc omnia declinare, & extingui? Dubitatio eſt de temporibus morbi, & actionis illatæ à natura aduerſus cauſam morboſam: quam quia docent medici ex coctione dignoſcere, hinc mouent hanc quæſtionem ſub illo titulo: coincidant ne tempora morborum cum coctionis temporibus. Ex quo licet intelligere, non habere locum, niſi in morbis ſalubribus, nam cauſæ lœthales numquam eò deueniunt, vt ſint coctę. Vnde Trincauell. examinans hanc difficultatem in ſuis epiſtol. epiſt. 17 ponit illam part. in morbis ſalubribus, dicens, *An in criſi ſalutari morborum materiatorum, concoctionis, & ſymptomatum vigor, in idem, coincidant.* Neque habet hæc dubitatio locum in quouis morbo ſalubri; nã in ijs, qui fiunt à fluxione, numquam ſimul concurret morbi vigor, & coctionis; nàm principium tumoris eſt fluxio, quæ eò deuenit, vt lædat actiones: augmentũ, fluxionis augmentum: ſtatus, & declinatio tumoris, eiuſdem fluxionis vigor, & remiſſio. Tumoris ſymptomata ſunt tumor, calor, & rubor, quę vnuſquiſque videt ad portionem fluxionis increſcere: & tamen fluxione conſiſtente quandoque, non eſt natura aggreſſa coctionem humoris; nam coctiones fiunt per quietem, motuſque ijs maximè aduerſatur. Præterea declinatio tumoris, caloris, ruboris, tunc fit præcipuè, cum pars humoris confluxi, aut perſpirat, aut manifeſtè excernitur: hoc autem fit, vbi coctio fieri incipit. Coctionis itaque tempora cum temporibus morbi, qui à fluxione habent ortum, nullo modo coincidunt. Quod & curationis ratio demonſtrat, nam vbi curant hos morbos medici, vtuntur in principio ſolis repellentibus in ſtatu, digerentibus tantum: adhibent in augmento, quæ partim digerendi, partim repellendi vim habent. Quod ſi quo tempore fluit humor, natura coqueret, adhiberent tunc temporis coquentia medici, quando eſt hoc maximè optandum. Non dubitatur demum de ijs morbis qui vna criſi nequaquam terminantur, vt Pleuritis, Peripneumonia, nam cruda adhuc materia, hi vigent; Enimuerò Anaxio, vbi grauiſſima ſymptomata eſt paſſus, facilè vt poſſet quiſq. conijcere, & ad augmentum, & ſtatum viſque pleuritim perueniſſe, cœpit 17. pauca, & concocta expuere, primo de ratione victus 33. Si inquit, *dolor aſsiduus fuerit, qui fomentis minimè cedat, & ſputum non procedat, ſed lenteſcat citra concoctionem, & illi ptiſanam ſorbendam dederis, nõ ſecta prius vena, vel corpore purgato, ægrotum interficiet.* Cuius dicti reddens rationem in commento Gal. ait, *Interficitur, quia alitur in vigore inflammationis, quo tempore cibus, quam maximè poteſt officere; vigentis enim inflammationis illa ſigna ſunt, quæ ab Hipp hic referuntur, nempe continens dolor, qui fomentis non cedit;* & tamen erat morbus crudus. Ille ergo quæſtionis articulus, vigeat nec ne morbi, qui nec ab humorum fluxione fiunt, nec cauſa eorum per vices expurgatur, quo tempore viget coctio, an alio tempore ſumma apparet coctio, aliò elucet morbus vigentque ſymptomata. Huiuſmodi cum ſint febres putri ab humore excitatæ, dubitatio has in anguſtias redigitur, intendatur ne ſimul coctio, & putredo in febribus putridis.

Affirmat Gent. queſt. 33. in extrau. quia quoties eſt ſubiectum indifferens, & debitè applicatum agenti, excipit impreſſionem agentis; neque anim eſt quod impediat. Quare cum ſit aptus humor, & coqui, & putreſcere; adſitque calor febrilis putredinem, qui inferre poteſt, naturalis, qui coquere, aget vterque quantũ poteſt, hic coquendo, corrumpendo ille. Quare progredientur ſemper pari paſſu putredo, & concoctio. Quoniam verò videbat Gent. non eſſe aſſumptum verum, quoties ſunt contrarij effectus producendi, nam vbi ſunt duæ cauſæ contrariæ, quæ paſſum aſſimilare conantur, vel ſunt æque efficaces, & paſſo applicitæ, vel altera robuſtior altera: ſi primum, ſeſe mutuo impedientes, nihil de nouo producent: ſi ſit altera validior altera: validior ſuam ſimilitudinem imprimet, aget deinde alia, ſi inualeſcat, & quidquid à contraria eſt factum deſtruet, deinde paſſum ſibi ſimile reddet: quare cum ſint hæ paſſiones, putredo, & coctio oppoſitæ, numquam poterunt duabus à cauſis hæ ſimul intendi. Hæc inquam, quia fortaſſe olfecerat, conatur monſtrare, nullã habere hos motus oppoſitionem. Ac primum id ſuadet, quia coctioni opponitur cruditas, generatio putredini; ſecundo, quia putredo, & digeſtio non ſunt duo motus, ſed, vt Gal. innuit. 1. de diff. febr. 6. vnus medius; nam puris generatio, cui ſimilis eſt coctio humoris, qui in venis, vnicus motus eſt, & putredo eſt, atque coctio, & coctione vigente, putredo viget, vnde dictum, *Dum pus conficitur, dolores, & febres.* Tertio, quia quamquam aliqua eſſet inter coctionem, & putrefactionem contrarietas, non tamen opponentur ſecundum omnem gradum.

Affertur Gent.

Quare quemadmodum in temperie, est vna calor, & frigus: haud fecus poterit in vno humore fecundum quofdam gradus faltem digeftio effe, & putrefactio. Quarto, quia fi fecundum effentiam opponantur, poteft faltem pars vna humoris coqui, putrefcere alia, quod fieri non rarò illa experientia docet, quia poftquam in febre a fanguine album fedimentum apparuit, criticatque natura, rubrum foiet excernere fanguinem, quod euidens eft inditium, non effe coctum nam albicaret, quemadmodum, & conteotum. Idem tuetur Iac. de Forl. tertio artis medic. 38. alia tamen via. Nempè putat intendi fimul putredinem, & coctionem, non eam, quæ facit ceffare putredinem manente fubftantia, fed quæ eft præparatio humoris ad expulfionem.

Vega.

Gentili partim annuit Vega 1. de diff. feb. & Vall. 5 contr. cap. 4. partim abnuit, nempè putat Vega, poffe fimul intendi cum coctione putredinem, non tamen in eadem parte humoris, aut eodem tempore. Vallef. camdem partem, & fummè coqui autumat, & putrefieri, quia vt exéplo fuppurationis docuit Gal. vnico motu, maior coctio, maiorque putredo comparantur.

Vallef.

Eft tamen duplici nomine vterque dignus reprehendi: prima reprehenfio erit communis vtrifque, fecunda cuique propria. Debent vterique eam ob caufam reprehendi, quod grauitatem hifpanam retinentes, nullam faciunt magni magiftri Gentilis mentionem: & quod grauiter ferēdum eft, barbarum illum vocat. Vall. ex Arabum familia, cum Arabum fontes ille exiccarit: adeo confuetum eft furari, & maledicere. Eft quod reprehendam in fingulis, ac primum illud in Vega difplicet; quod fubterfugit difficultatem, non foluit. Ecquis enim dubitauit vnquam diuerfum humorem, aut aliā eiufdem fucci partem coqui poffe, alia putrefcente? idemque contingere poffe eidem particulæ, diuerfo tamen tempore? an eadem humoris pars fimul poffit effe fumme cocta, & putris, hoc declarandū. Damno in Vallefio illud, quod putet poffe vnico motu medio, & putredinem, & coctionem intendi, quia à priuatione mouentur ad formam quamdam mediam, quæ vtrique extremorum eft vicina.

Reijciuntur.

Vt fi aer, inquit, qui coloris eft expers, denfatione fiat pallidus, in fine actionis propinquior eft albo & nigro quam in principio nam difpofitio media à neutro extremorum abeft tam longè, quam priuatio; nam fi forma hæc, media eft participatione extremorum, non nifi ab extremis poterit quis ad eam moueri. Vnde tepor, non aliter comparatur in aqua, nifi addito calore frigiditati, aut hac calori, fi fit illa feruida. Quare fi aer denfetur, haud pallidus denfatione fiet. Quomodo enim pallefcet, fi pallor eft medius color, qui non nifi ex extremorum compactione refultat.

Non placet item alius dicendi modus Gent. poffe in eodem humore, eodem tempore, & coctionem vigere, & putredinem, quia vel non opponuntur, aut nō fecundum quemcumque gradum: & quoniam fubiectum indifferens poteft moueri ad duos terminos, fi vtroque caret. Quare & humor ad coctionem, & putredinem, nam fi putredo, & coctio funt motus à contrarijs terminis ad contrarios. Quomodo non opponuntur? Multo minus fatisfacit Fori qui dixit coctionem, quæ eft præparatio humoris, non opponi putredini proindeque fieri poffe, vt cū putredine intendatur, nam humor expellibilis obedit naturæ, reluctatur putris, & illius imperio contra nititur. Nō ergo fumme putris, quam maximè coctus effe poterit, hoc eft apprimè aptus, vt expellatur. Humorem effe indifferentē, anteaquam cœperit putrefcere: concedimus: vbi cœpit putrefcere, nō eft indifferens. Quemadmodum ergo antequam ego mouear poffum hac illac moueri: at vbi moueor, non poffum moueri ad locū oppofitum: fic vbi humor putrefcit, non poteft coqui, aut faltem non poteft fumme putrefcere, & coqui.

Dicamus ergo cum Turif. Dino, Garbo, & alijs, numquam coincidere cum fumma putradine fummam coctionem; nam vbi cocta eft caufa, eftauicta. Quare non poterit fumme lædere, nec fummum producere, ad quod poteft afcendere morbus. Quod in crifi, quæ fit in ftatu, coctaque materia, fumma eluceant fymptomata, quæ omnes perterrent, fcias non effe illa fymptomata, morbi propria, funt autem hæc, quę à morbo tantum funt, fed communia facta ex pugna naturæ vna cum morbo. Qua de re, quia multa in lib. 7. cap. 17. pete locum illum.

Et Turif. & alijs affentamur.

AN-

ANTEPRAXIS MEDICAE Liber Quintus

DE MORBORVM GENERIBVS.



Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



Vicumque exactam rei alicuius notitiam contendere assequi, ab vniuersalibus orsi, ad infimas vsque species sunt progressi; nam vniuersalia tantum attingere, diminutum: indiuidua singula comprehendere infinitum; in specialissimis quod iubebat Plato, quiescere optimum. Hinc Ar. vniuersalem primo in suis physicis de corpore naturali tractationem instituit, singulas deinde corporum species perlustrauit, nec finem suo imposuit labori, donec simplicium omnium corporum, & mixtorum principia, partes, & accidentia enarrasset. Quando ergo in vniuersum de morbo egimus, nostrę erunt partes modo, vt de singulis morborum generibus pertractemus vt per hæc tamquam per gradus quosdam ad athomas ducti species, quiescamus. Quoniam verò morborum genera valdè sunt apud medicos controuersa, examinabimus primo hanc difficultatem, tum de quocumque genere, & specie sigillatim, agemus. Simplici tamen, nam vbi hæc fuerint intellecta, qui sint morbi compositi, qua ratione, & quot modis possint complicari, vnusquisque vel parum in medicinæ scientia exercitatus, percipiet.

Sit ne morbus omnis adstrictus, aut laxus. Cap. II.

QVidam nostri temporis medicus, Methodicorum sententiam ex hominum mentibus, & scholis medicorum explosam, est suadere conatus. Quare ne Tyronibus fucum ille faciat, examinare ante omnia id decreui. Sciendum ergo voluisse Methodicos, morbum omnem aut laxum esse, aut adstrictum. Hanc habuere de generibus morborum sententiam, quia Democritum sequuti, & Leucippum putarunt, prima rerum omnium initia, plenum esse & atomos, seu inane, & vacuum. Athomos autem autumabant esse solida quædam corpuscula, mole minima, & omnino indiuisibilia, numero infinita, penitus solida, impatibilia, & cuiuscumque qualitatis expertia. Dabant iisdem figuram multiplicem & motum, nam censuere ex illis cuncta gigni congregatione, segregatione corrumpi: varias rerum specie gigni, non secus ac artis opera, multa eaque varia fiunt. Quaobrem vt ex 24. literis, varijs modis inuicem complicatis, infinita propemodum dictionum varietas existit, vt incredibile videatur, quicquid loquimur, scribimus, ex illis tantummodo literis posse confici: sic ex fortuita, varia, eaque perpetua concursione atomorum, variaque eorum cum vacuo proportione, nedum hęc, quę passim occurrunt, & intuemur, sed & innumerabiles mundos posse cooriri autumarunt. Vide Arist. 1. metap. 1. de gen. 3. de Cœlo 3. phys. & expositores ibidem. Quemadmodum ergo Hip. Plat. Arist. Gal. ex primis elementorum qualitatibus generantes res omnes, sanitatem fieri autumarunt, ex symmetria primarũ qualitatum: sic cum Methodici raritatem, & densitatem, vacuum, & athomos rerum omnium initia facerent, bonam proportionem exiguorum meatuum, quos poros appellant, sanitatem esse dixerunt, malam morbũ: & quo pacto Gal. & Hip. sanitatem vitiari aiunt, corrupta illa quatuor qualitatum symmetria; sic illi vitiata proportione meatuum cum partibus densis, morbos fieri existimant. Tandem vt nostri medici, tot esse morbi genera dixerunt, quot modis variari in vniuersum possunt principia sanitatem constituentia, vnde tria esse posuit. Gal. quia potest variari temperies similariũ, formatio dissimilarium, & vnitas: ita Methodici, duo esse autumarunt, quia bifariam vitiari potest meatuum harmonia, vel quia augentur, & fit morbus laxus, aut quia minuuntur, & fit morbus adstrictus. Vide c. 4. de diff. mor.

Methodicorum sententia affertur.

Fieri hac ratione sanitatem (nã quod cętera eodem modo, & ex ijsdem principijs fiant, suaserunt multis, quę exacte collegit Peter. l. 4. phys. cap. 9.) probat multis cit. auctor, tum testimonijs grauissimorum auctorum, cum rationibus, Suadetur.

nam

nam Arist. phys.35. scripsit raritatem, & densitatem esse omnium passionum principia, *omnium inquit passionum principiũ est raritas, & densitas, nam graue, leue, durum, calidum, frigidum densitates videntur, & raritates quadam*, Gal.1. de simpl. med. facul.12. & passim alibi docet, cutim nostram esse veluti cribrum, vndique perforatum, duplicem ob vsum, alterum, vt perspirarent fuligines, quę intus genitę, aut suffocare poterãt nostrum calidum, aut accendere: alterum, vt aer attrahi ad intima posset ad temperandum calorem. Vide cap.6.3. de diff. puls. & lib. de vsu puls. Vnde Hyp.6. ep. com. 4. 54. dixit corpus omne vndique confluxile esse & transpirabile. Plato quoque in Timęo affirmauit animalia in igne, & spiritu vitã habere. Ergo cum nequeat trahi spiritus ad temperãdum calorem, ni meatus sint peruij, erit ad sanitatem seruandam proportio quędam meatuum necessaria. Quare ea plus aucta, aut imminuta, morbi fient. Non aliter inuchi probant, quia si aliter posset sanitas vitiari, aut esset vitio humorum, aut qualitatum; at si qui ab humore morbi fierent, aut qualitate, eductis humoribus tollerentur, & frigidis curarentur calidę discrasię: vtrumque vero falsum esse, experientia docet: primum quidem, quia factis multoties largis vacuationibus, non solum non conualescit ęger, sed in deterius labitur; Vnde damnauit Iulian aphor. illum *morbi quicumque ex repletione fiunt, inanitione curantur*. Est quoque falsum secundum, nam febres balneis tepidis sanamus, & quæcumque assumuntur, aut actu sunt calida, aut antequam cor attingant, sunt excalfacta. Quare non iuuant, quia frigiditate fortasse, quam nullam habent in corpore, calorem extingunt, sed quia relaxando ob humiditatem, & teporem, quem habent, in causa sunt, cur vna cum fuliginibus perspiret calor. Rem ita se habere declarat curatio febrium instituta à Galen. Iubet, vt tecti pannis iaceant febricitantes, quartanarijs res calidas exhibet: dat idem turgente materia origanum, tragoriganum, thymum, & pulegium. Quid moror? in omni febre, laudat, quæ aperiendi vim habent, quod omnino ridiculum, ni adstrictione nos læderet febris, non calore. Conuellitur.

Est nihilo tamen minus reijcienda hęc sententia, tamquam falsa: non solum, quia falsis principijs nititur; spectat enim hoc ad Physicos, factumque belle est 1. & 3. phys. 3. de cęl. 1. de gener. & à suis interpetribus ijsdem in locis, elegantissime vero & exacte satis à Lactantio l. de ira Dei cap.10. sed quia quamquam verum, raritatem, & densitatem vim agendi habere, quod falsum, vnde quod dixit 8. phys. Ar. omnes ex aliorum sententia dictum putant: non tamen esset propterea affirmandum, morbum quemcumque, aut laxum esse, aut adstrictum; neutrum enim licet de luxatione affirmare. Quid quod neque consentanea scribunt? nam febrẽ strictum esse affectum ponunt, cum tamen alibi dicant à calore effici affectus laxos: nec laxum esse affectum debebant dicere, quia vsu aperientium curantur febres: nam haud commendantur aperientia in febribus quia aperiunt, sed quoniam aperiendo refrigerant; expirãt enim per referatos meatus fuligines, & aer attrahitur, qui ventilat calorem, & temperat: laudantur secundo aperientia, propterea quod causam, quæ quandoque est adstrictio, quandoque putredo, demoliendi vim habent. Vnde cum medici rationales, non tantum à morbo, sed à causa sumant indicationem, & huic potissimum intendant, quando morbus non admodum vrget. Quid mirum, si modo calidis, modo tepidis febres curare conantur? Quod si, à curatione desumpto argumento, qualitatibus vim excitãdi morbos detrahendam existimant. Cur quando frigida actu exhibita, non rarò febrem demoliuntur, non esse dicunt calidum affectum febrem? Nam quod quidam pro ijs afferunt dicentes, conducere in ijs casibus frigidam, quia cum illis febribus est quædam colliquatio complicata, quæ cum sit laxus affectus adstringi propterea postulat: adstringitur autem potu frigido, gratis dicitur, gratisque fingitur. Præterea si quęuis febris esset adstrictus morbus, curaretur quæcumque, in qua non est colliquatio cõmodius vsu aeris calidi inspirati; nam hic relaxat, & aperit: frigidus adstringit, & densat: commendant at omnes, vt aerem frigidum febricitantes inspirent. Quare fateamur necesse est, ab vna laxitate, aut adstrictione meatuum, non nasci morbos omnes, sed ab intemperie, & humoribus; nam quod adducit aduersus id Iulianus, nil concludit, vt rectè Galen. lib. aduersus ipsum; bene enim Hipp. *cum talia purgantur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*. Admittenda ergò alia morbi genera: quot tamen, cap. seq. dicetur.

Quot nam morborum genera. Cap. III.

NOn esse morbum omnem, aut strictum, aut laxum, cap. superiori mõstratum: nunc quotuplex ille sit, declarandum, nam dubium valde, tum si Doctores consulas, tum rationem. Galen. tria esse voluit morborum genera, similare dissimilare, & vtrisque commune, eo argumento, quia tot sunt morborum genera ponenda, quot sunt virtutes, quę sanitatem perficiunt. Quare cum constet Tria esse Gal. voluit

ex

ex tribus sanitas, temperie bona partium similarium formatione commoda organicarum, & vnitate communi vtriusque, tria erunt consequenter morborum genera, in intemperie vnum, in mala formatione aliud, aliud tandem in soluta vnitate.

Duo Auer. & Argent. negant enim morbum cōmunem.

Duo esse contendit Auer. & cum ipso Argent. dissimilare vnum, & aliud similare: communem morbum vtrique partium generi, vtrique negant; Auer. tamen vult esse morbum similaribus proprium. Argent. vbi dissimilari conuenire contendit.

Tollit ratio morbum dissimilarem.

Suadet ratio aliud omninò diuersum; nempè nullum esse in parte dissimilari morbum, quia nullam habent dissimilares partes actionem, quæ à similaribus non procedat; quidquid enim addit dissimilaris pars supra similarem, aut quantitas est, aut figura, aut formatio, aut situs, vnde morbi omnes organici in numero, situ quantitate, & mala formatione, quorum nullum agendi vim aliquam habet.

Et alium diuersum dari Suadet.

Suadet & illud, dari morbi genus quoddam, quod sub nullo dictorum continetur, est autem morbus per consensū ex defectu materię, aut facultatis; neque enim similaris ille est, neque dissimilaris; non est item cōmunis vtrique, vix enim de soluta vnitate affirmant id medici. Quare alia ponenda morbi genera, pręter ea, quę posuit Gal.

Ponimus nos nihilominus duo esse, similare, & dissimilare.

At vero tantum abest, vt id mihi suadeam, vt pro comperto habeam, duo tātum esse morbi genera, similare vnum, dissimilare alterum. Dari hæc duo, suadet primum communis medicorum consensus. Suadet secundo hoc ratio, nam morbus est impotentia ad bene operandum, ab improportione præter naturam producta. Quare quot erunt improportiones, hę genere discrepantes: totidem morbi genera erunt. Sunt verò duæ dūtaxat, altera elementorum, ex quorum vnione fit pars similares, altera partium similarium componentium organum. Quare & duo erunt morbi genera, similare alterum, factum ex improportione qualitatum primarum, dissimilare alterum; ex improportione similarium partium, organum constituentium dependens.

Nec morbus dissimilaris ablegandus, quid nullam habet actionem dissimilaris particula; habet etenim, vt docet Valles. 2. controu. 2. Vega Salu. & alij 2. ar. med. Andr. Laur. in suo opere anatom. quæst. 3. & Galen. expressè ibid dum docet corpus simpliciter salubre dignoscere, ex perfectione actionum, partium similarium, & dissimilarium, & cap. 5. lib. de const. *actiones inquit primo, & per se esse similarium, secundariò organicarum.* Confirmat idem ratio; nam quo anima proprias operationes rectè exerceat, nō tantum partis temperie indiget, sed & commoda organicarum formatione; vnde dictum est à Philos. esse actum organici corporis; erunt proinde quædam actiones similares, nempè, quæ fiunt ab anima media temperie tantum, vt coctio, expulsio, retenito, nutritio: dissimilares aliæ, quæ fiunt non tantum temperie media, sed & formationis ope, cuiusmodi est visio, incessus, comprehensio, & alia huiusmodi: nam tam. & si quantitas & figura non sit principium actionum, est tamen comprincipium, vt notum est cuique: vnde faber lignarius, varijs instrumentis, sola figura diuersis varia molitur. Quare lædentur priores, læsa temperie tantum, qua indiget anima ad operandum, lædentur aliæ, non tantum temperiei vitio, sed & formationis, quia ab hac quoque anima pendet in operando, quamquam quantitatis figura, situs nullam agendi vim habeant. Proinde dabitur duplex morbi genus, similare vnum dissimilare alterum. Vide pro hac difficultate Thom. de Garb. lib. 1. suæ sum. tract. 2. quæst. 12.

At qui dices, est quædam communis natura similari particulæ, & organicæ. Quare fiet communis quidam morbus ea vitiata: aliud itaque morbi genus ponendum præter dissimilare, & dissimilare, commune nempè vtrisque.

Communem morbum negamus, nam solutio continui morbus est dissimilaris.

Coegit id Gal. vnde affirmat: me, nemouet quidem. Primum, quia nullam agnosco in parte dissimilari vnionem, neque enim continuum brachium est, sed contiguum, vt l. 4. de san n. c. 2.

Secundo, quia non quæuis lesio eius, quod in parte est similari, morbum similarem constituit, sed illius dūtaxat, quod parti similari debetur, non eius, quod in parte est similari in gratiam organicæ: vnde quamquam quantitas, & figura in parte sint similari, quia tamen sunt in illa, vt constituant organum, hinc vbi quantitas vitiatur, nullus fit in particula similari morbus, sed in organica. Quare cum insit vnio parti similari in gratiā organi, non fiet illa læsa similaris morbus, sed organicus. Minor constat, quia vbi vnio corrumpatur, incessus læditur: similaris particulæ actiones rite rectèquà obeuntur. Quæ enim læditur? an attractio? nam secantur per vulnera fibrę, sine quibus fieri attractio nequit? An vitiatur coctio, quia cuiusuis partis vulneratæ calor languet, vnde duplex excrementum gignit, crassum aliud, aliud tenue? At gignit pars vulnerata probam carnem, quamquam ad os vsque sit illa dissecta. Quare & benè trahit & optimè concoquit. Quod si plus excrementi congerit, quam sanitatis tempore assueuerat, haud fit illud partis soluta vnitate, sed quia imbecillior ex vulnere reddita, maiorem copiam excrementorum

rum

rem suscipit; aut quoniam aliquali intẽperie laborat; nam pus Gal. auctore, nõ à calore naturali tantum, sed partim ab ipso, partim ab igneo; & præter naturam ortum habet, an dices hoc diser sum? nõ dolet: at ossa non sentiunt: & sensatio est actio dissimilaris.

Morbus per consensum, aut nullus est, aut ad genera posita reducitur.

Morbus per consensum nullus est: aut si quis datur, sub positis morbi generibus continetur. Non dari intelliget quisque, qui intelliget, quid nomine morbi ex consensu medici voluerint. Quidã quos refert Vall. 4. contr. vit. morbum, qui à nullo pendet, morbum esse dixerũt per essentiam: habentem causam quæcumque illa sit, morbum esse ex consensu. Quare esset morbus factus dumtaxat morbus per essentiam, quod falsum.

Dicunt alij, vbi affectus, & causa affectus, in eadem sunt parte, morbum esse per essentiam, per consensum vocant, qui hanc partem vexat, causa aliunde transmissa. Quare si excipias febres pestilentes, quæ fiunt corruptis cordis humoribus, erunt aliæ omnes putres, & Dyariæ morbi ex consensu, quid multi negant.

Dicunt alij, morbum ex consensu esse, qui ab affectu alterius partis pendet: per essentiam, qui à nullo alio. Febris ergo ab obstructione visceris alicuius, febris hac ratione erit per consensum: & vitiata figura ex numero adaucto, auctaque magnitudine, non morbus ex morbo, vt communiter dicitur, sed morbus per cõsensum nuncupabitur. Quando ergo nõ possunt dicti auctores docere, quid sit morbus hic per consensum, & qua ratione à morbo per essentiam differat, nequaquam dari affirmandum. Quod confirmatur, & dilucidatur magis, si examinemus exempla, quæ ad rem hanc comprobandam ipsi adducunt. Produnt morbi ex consensu fautores, vt patet ex 1. de loc. aff. c. 6. & 3. eiusdem i. bifariam posse partem aliquam pati per consensum: aut quoniam priuatur eo, quo ad actionem faciendam egebat: aut quoniam recipit, quod ei necessarium nullatenus erat: Primum subdunt posse fieri dupliciter, pro vt duo sunt, quibus pars aliqua priuari potest; vel enim priuatur materia, quæ necessaria erat ad actionem illam, vt cum vulneratis thoracis musculis, nullo pacto confertim efflare possumus, vnde vox amittitur: vel priuatur spiritu animali, vt cum e.g. obstructa spinali medulla, aut neruis alijs, motus, & sensus amittitur. Quare tres erunt in vniuersum consensionis modi: vnus per receptionem noxiæ substantiæ, vt cum vapores à stomacho feruntur ad caput: alter per priuationem, & hæc duplex, aut spirituum, aut materiei. At nullus horum morborum est per consensum, non primus, qui fit per receptionem; alioquin febres dyariæ, & putres essent morbi per consensum. Per cæteras affectiones, quæ fiunt priuatione, aut spiritus, aut materiæ, nullatenus laborant partes. Quare nec per consensum. Assumptum probatur multipliciter, vt omittam, quæ habet Gent. 2. 1. d. 3. c. 2. & Forl. a. 1. d. 1. c. 8. Ac primum, passio est motus; itaque est pati moueri: at pars priuata materia, aut spiritu nullo pacto est mota. Quare neque patitur. Secundo si partes voci formandæ destinatæ paterentur per cõsensionem, quia priuatæ materia, puta aere, sequeretur, vt bene ait Argent. dẽtes, vbi non conterunt cibos defectu alimenti, morbo per consensum teneri: eodem laborare virginis vterum, cum seminis virilis defectu, non concipit, quod omnino ridiculum. Quare non sunt morbi hi per consensum admittendi.

Dices partes voci formandę destinatæ, non formant vocem, nec brachium mouetur, cum non mittitur ad ipsum facultas; ergo patitur brachium, partesque quæ vocem formare debebant: non per essentiam, ergo ex consensu.

Torsit hoc argumentum ita medicos, vt hac ratione tantum moti, morbos per consensum introduxerint: At re vera non cogit. Nam cum aiunt, brachium non mouetur, nec sentit, ergo patitur: debet in hunc modum exponi consequentia illa: ergo patitur, vel ipsum, vel aliæ partes, quę ad edendum dictum motum, & sensum concurrunt: at non patitur brachium. Quare erit vitium in cerebro: Cerebri autem passio in propria essentia est: in brachio est nulla. Quare neque per consensionem. Quod si hos placet admittere, ne à communi loquendi modo recedas, & quoniam hoc facere ad curationem modum conducit: dicere secundo potes, non esse propterea noua genera morbi inuehenda; nam morbi ex consensu, qui fiunt causa aliunde transmissa, aut in temperies sunt, aut morbi organici, aut solutio continui, vt est manifestum: morbi ex consensu ex defectu, vel spiritus, vel materiei, non sunt morbi, quia nihil de nouo parti aduenit est autem morbus qualitas positiua: Quod si velis priuationem morbum esse: dic morbos illos per consensum ex priuatione, esse verè morbos, & in cauitate inanita, quippe qui spiritu, aut aere debebat esse repleta, vt benè Iac. de Part. Vera proinde assertio, quemcumq. morbum aut similarem esse, aut dissimilarem. Nunc quot species vnusquisque contineat indagandum.

Similaris morbi species.
Cap. IV.

Tres esse huiusce morbi species putat Fern.

Et hoc nititur, suadere discursu.

QVot sint prima morborum genera indagauimus: nunc singulorum species perlustrandæ, initio à similaribus facto. Existimauit Fern. 2. de abd. rer. caus. cap. 9. de diff. morb. cap. 7. tres esse species morbi similaris, in materia forma, & primis qualitatibus, eo argumento, quia vt 2. ar. med. dicebat Galen. tot sunt lapsuum genera, quot sunt virtutes sanitatẽ perficientes: at tria concurrunt ad cõstitutionem similaris particulæ, materia, forma, & temperies. Quare, &c. Preterea habet forma propriam actionem à temperie distinctā, nam 5. de simp. in proœm. *affensum est* inquit, *medicamentum natum esse alterare, aut vna quapiam qualitate, nempe calfaciendo, humectando siccando: aut duarum coniugatione quapiam, aut tota sui substantia, sicut complura lethalium medicamentorum, nec pauca alexiteriorum, & purgantia omnia. & pleraq; quæ epispastica, hoc est attrahentia nuncupantur*, & cap. 16. eiusdem lib. *sed & aliud est* inquit *attrahentium genus, quod qualitatis familiaritate attrahit, id quod aliud est nihil, quam totius essentiæ similitudine veluti quæ nutriuntur, familiaria nutrimenta attrahunt. Talium medicamentorum sunt purgantia omnia, & non nulla alexiteriorum.* Sed quorsum Gal. commemoro. Non ne strutho Camelus coquit ferrum, aues triticum, palumbi lapides, non vi caloris, nam habent multo maiorem leones, sed formæ? fiet ergo hac læsa, formæ morbus. Patet hoc tertio ex morbi qui in tota substantia natura *totius* inquit Fern. *substantiæ morbi sunt, qui partium substantiam primo & per se oppugnant*, quod cum alij faciant manifestè, occultè alij: sunt morbi dicti, partim occulti, partim manifesti. Ergo cum multi affectus per se nostram demoliantur substantiam, vt vlcera maligna, Ptysis, Iecoris, lienis, & aliarum partium putredo, morbi venenati, pestilentes, & contagiosi, vt bubo, & carbunculus pestilens, exanthemata tum rubra, cum purpurea, necesse est fateri morbos formæ.

Dari morbos in materia, notius est, quam vt probatione indigeat, nam pars similaris debet habere decentem magnitudinem, & figuram, nõ enim forma operatur cum quauis quantitate, sed certos sibi vnaquæque constituit terminos, qui si transiliantur, haud potest operari: quo spectare arbitror illud Horatij.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum.

Præter hæc requirit in carne materiã mollem, in osse duram: hic raram, ibi dẽsam: hic crassam, alibi tenuem, hanc vult esse omnis coloris expertem, admittit in alia colores: atque ita hæc omnia exposcit, vt vbi illa varientur, confestim actio læditur. Ergo si tot debet habere conditiones materia, atque illæ possunt vitiari, & vitiatæ lædere actiones, procul omni dubio dabuntur morbi à mala materia prodeuntes. Confirmatur ex Galen. nam 2. ad Glauc. 2. *quæ* inquit *immoderatè laxant soluunt robur: quare & membri virtutem: quæ supra modum refrigerant, calorem extinguunt, qui fortasse, vt nonnulli Philosophi, & medici existimant, substantia virtutum existit, etsi non hoc, saltem primũ, & necessarium earum instrumentum: iam vero, & qualitates quædam extraneæ virtutem dissoluere possunt.* Confirmat hoc experientia, nam & ventriculus tres ob causas non benè coquit, ex frigida intẽperie: vt ex largo potu, aut frigidorum alimentorum vsu: ob relaxantia, vt ex assumptione olei, & rerum pinguium, ob extraneas tandem qualitates, vt ex veneno assumpto: vnde cruditati à frigiditate medemur ijs, quæ calfaciunt: secundæ adstringentibus, & ijs, quæ robur addũt: cruditati à causa venenata, antidotis. Quorsum quæso si ab vna intemperie hoc symptoma? aut cur malignæ quędam febres nonnisi terra lemnia, vrina aliæ abigi potuerunt?

Qui conatus Fuchs. vt Galen. in hanc trahit sententiam.

Valuere tantum hæ rationes apud Fuchs. vt cogerint ipsum fateri (nam de Argent. quid mirum) dari præter intemperiem, morbos à tota substantia. Ne tamen videretur à Galen. recedere, conatur, & ipsum in hanc trahere dicens, intemperiei nomine, fuisse illos complexum. Proqua re notat, duplex esse temperamentum, alterum ex primis qualitatibus factum, cuius mutatione fiunt intemperies: primorum corporum alterum, cuius vitio morbi, quos à tota substantia vocauit Fern. ortum habent: ergo iuxta huius sententiam, nulla est inter Galen. & Fern. dissensio, nisi in verbis, nã quem Fern vocat morbum in tota substantia, morbum in intemperie vocauit Galen. non à primarum qualitatum vitio, sed à primorum corporum mala mixtione profectum. Cœterum quia videbat Fuchs. adhuc posse reprehendi Gal. quod recensens partium similarium morbos, numquam horum meminit, subdit omisisse illos Galen. lib. de diff. morb. quia ibi eos tantum numerare statuerat, qui certa methodo, & ratione poterant curari, cuiusmodi non esse intemperies occultas expressè docuit 12. met. 5. nam docens ibi, quibus ex causis spiritus alterari possint, *Alteratio* inquit *in spiritu, tum ex vitiosis prouenit succis. tum ex ambientis aeris malitia. praeterea venenatis facultatibus, aut animalium, quæ vi-*

rur reiectant venenis: verum hoc à præsenti instituto seponatur. Admisere eosdem alij multi.

Sed trahit, nã longe aliud putauit, & hoc verum, non dari morbos in forma.

Non ego, nam nec Galen. est hoc placitum, neque verum: non est Gal. nam vt communior est medicorum sententia, confusit cum temperie facultatem: nec præter qualitates, alias formas in elementis agnouit. Quare quod dixit, actiones quasdam esse occultas, manifestas alias: non ita explicandum, vt quasdam voluerit à forma fieri, à temperie alias: sed manifestas à calore e. g. occultas à gradu determinato caloris, cum tali proportione aliarum qualitatum, qui quoniam nos latet, idcirco occulta vocatur actio illa, quæ à certo gradu procedit.

Dixit insuper, quasdam à qualitate fieri, alias à tota substantia, siue à proprietate substantiæ; quia quędam, vt calfactio à simplici calore procedunt; aliæ ab vniuersa qualitatum, tum primi, tum secundi ordinis congerie; quæ quoniam est rei essentia; nam esse carnis, est hoc carnis temperamentum; hanc propter causam dixit, actiones quasdam à temperie fieri, alias vero à totius substantiæ proprietate. Et quidem quod huius nomine, formam à qualitate distinctam, non intellexit, patet ex primo de loc. aff. r. nam commentans anatomem *hæ* inquit *corporum dissectiones nos docuerũt tum alia permulta cum cuiuslibet partis essentiæ proprietatem* & 3. de caus. symp. 1. ait *scientes verò quod quatuor elementorum certa quædam temperies, quæ proprietatem corporis ventriculi efficit, mutationis ciborum est causa.* Iam vero non docet anathomes formam. Quare omnino recessit à Galen. dum morbos formæ, ad mentem Galeni, contendit dari.

Quo circa Fern. turpiter est lapsus.

Sed quidquid Gal. senserit, quem dubium esse puto, quia dubius de animæ essentia: certum est, opinionem Fern. cum veritate pugnare; non quod absurdum putem admittere contrarietatem in substantia, intensionem, remissionem: admisere hanc grauissimi viri; vt propterea non possim non mirari quosdam, qui da Fer. triumphare putabant eo argumento, aut morbus hic in tota substantia, est alteratio, aut corruptio: non hoc secundum, quia est mors: quare primum; neutrum enim dicit esse Fer. quem videre debebat & impugnare, sed formæ semicorruptionem. Cur ergo Fern. non assentimur? quia non potest docere, qui nã sint morbi illi in tota, vt ipse ait substantia; nam si eos putet esse in vniuersum, qui primo, & per se nostram demoliuntur substantiam: iam longe febres, à quibus dissipatur substantia nostri corporis, non intemperies erunt, sed morbi à tota substantia. Nec argumenti vim vitat, dum ait, non id fieri per se à febre, sed à calore, qui est, qualitas manifesta: primum, quia ipsomet auctore, sunt ex his morbis alij occulti, alij manifesti. Secundo, quia ni sint isti, erunt fortasse ab ipso enumerati, hepatis, lienisque putredo, Ptysis, febresque malignæ: morbi demum omnes venenati, & pestilentes. At nec de ijs licet affirmare: nam hepar non potest putrescere, nisi vbi vita fuerit destitutum: hoc autem non potest esse subiectum morbi. Ptysis est extenuatio totius corporis cum febre lenta, insequens insanabilia vlcera pulmonis. Extenuatio totius corporis, est morbus in magnitudine imminuta: febris lenta, intemperies calida cordis: vlcus pulmonis, morbus in soluta vnitate. Quem ergo affectum morbum esse dicet in tota substantia? An fuerit vlcus, pro vt est malignum, quemadmodum pestilens febris, occultus est morbus, quia curatur antidotis, & ea habet symptomata, quę non nisi in causam occultam referri possunt?

At neque hoc recte dicitur: primum, quia malignitas vlceris fit auctore Gal. ex intemperie partis vlceratæ, quæ sanguinem corrumpit, qui ad ipsam transfunditur: febris euadit maligna ob intensam humorum putredinem, quę cum magna est, dissipat calorem omnem, & spiritus: quo fit vt magna apparere nullo pacto queat; quia vt dixit Auerr. calor febrilis ramificatur in calore natiuo; vnde febres senum sunt sepultræ, quia exiguus est eorum calor. Curatio haud aliud suadet, nam antidota aut in nullo honore habita à doctis medicis, aut parũ existimata, & quamquam conducant, est satis incertum, an iuuent, quod vi abdita oppugnant morbum, an quia cor roborant, aut aliam partem, quæ robustior facta, venenum expellit: nec tandem, vt vltimam manum huic rei imponamus, si directè antidota expugnant morbum, est cur propterea dicamus, dari morbum occultum, à tota substantia: nam oppugnant hæc antidota morbi causam, non morbum. Illa autem etsi occulta sit, produxit tamen manifestum effectum: nam vt magnetis exemplo rem declarem, trahit ex eorum sententia magnes ferrum qualitate nobis abdita: eadem vi trahit reubarbarum bilim, & alia medicamenta alios humores alliciunt: at effectus productus à magnete manifestus est, nam tractio: cantharides pariter occulta nobis vi, vesicam exulcerãt; at affectus productus, vlcus est, manifestissimus morbus. Quare dentur, licet causę, quę à proprietate occulta medicis, sunt corpori humano noxiæ, noxa tamen, quam inferunt, non est occulta, sed vel intemperies aliqua, vel vlcus, aut morbus in mala formatione.

At quid quod morbus gallicus est morbus à tota substantia? Obiectio.

Nimius certe sim, si omnium de re hac pla- Sol.

placita, recensere hic vellem, & reijcere; nam quot possunt esse dicendi modi, tot fuere de natura huius affectus opiniones; tangam tantum. Roder. Aueg. sententiam, dicam deinde quod probabilius esse censeo, & magis verum. Existimauit vir hic, numquam satis laudatus 5. lib. de loc. aff. sect. 5. Vteri strangulationem, casum, venenum, esse morborum congeriē, à causa quadam communi prodeuntem; nam pestis est morbus omnis, vlcus, mala compositio, intemperies à praua aeris affectione producta. Suffocatio pariter morbus omnis, symptoma omne; vnde quædam strangulatio est epilepsia ex vteri contentu nata, alia erit melancholia, alia respiratio difficilis. Casus, noxa quæuis ex casu contracta.

Qui non placet; quia vnumquodque debet in suo genere reponi, idemque locari sub specie. Quare si suffocatio, casus, venenum, & lues, sunt quid præter naturam, & hoc aut symptoma, aut morbus, aut causa, in vnum ex his tribus erit necessario referendum. Quod ita esse conijciet vnusquisque; nam omnia posita, non sunt morbi, sed causa morborū; vbi enim quis, cùm muliere re habita, luem contrahit; haud quidem contraxit morbum, nam nullam habet actionum lęsionem: sed causa morbi est illi communicata nempe vapor quidam; in quo luis seminaria existunt. Nullus itaque morbus à tota substantia. Sed quoniam quæ sunt posita in principio, possent adhuc alicui fucum facere, & ijs imponere, qui facultati medicæ nuper nomen dedere, conabimur propterea ijs facere satis. Primò argumento, sic posset primum occurri. Tota sunt genera vitiorum, quot sunt virtutes, quæ sanitatem cōstituunt, & possunt vitiari, oblædique; nunc verò nec materia, neque forma, aut vitiari possunt, aut modo aliquo lædi; nam sūt substantiæ quæ nullum habent contrarium. Quare vnum tantummodo genus morbi pati poterunt similares particulæ, in intemperie nempe.

Posset secundo responderi in forma hoc modo. Tria conspirant ad sanitatem partis similaris, materia, forma, & temperies. Quodcumque itaq. eorum lędatur, lædi poterit sanitas similaris particulæ; quare habebit illa se malè, mutata temperie, forma, aut materia. Dabitur itaque morbus à vitiata forma, materia, temperie. Admittuntur hęc omnia, dum tamen negetur, morbos hos esse diuersos, ab ijs, quos Galenus posuit; nam seu materia vitietur, seu forma, apertè videmus, nūquam alia genera morborum insurgere, præter ea, quæ posuit Galen.

Nec locus 2. ad Glaucon. aliud fateri cogit; nam quod actiones a proprietate substantiæ nihil probent, iam satis, superque patere puto ex dictis, docet enim Galenus virtutem posse dissolui, vt facultatem concoctricem ventriculi, e. g. ne ab exemplo proposito recedamus, tres ob causas: ab ijs, quæ calorem extingunt, vt frigiditate. Quare ob intemperiem: quę suffocant, & ob qualitates occultas, & venenatas: at verò quamquam hæ causæ cœca quadam vi insitum calorem pessundent, eamque ob causam, dent occasionem cruditati, quod tamen, inducunt morbosum in corpore, adhuc est manifestum; nam dissoluto, aut suffocato calore, frigiditatem adaugēt; quare frigidam intemperiem inferunt: quamquam aliter debeat hæc, aliter illa curari; illa enim soluitur ijs quæ calfaciunt, hæc antidotis. Nullum itaque erit propterea nouum morbi genus inuehendū, ac proprie non debent morbi formæ, occultiuè induci. An sint ponendi morbi in materia, vt in laxitate, quod dicit Galen. hoc perpendendum, sequenti tamen capite, ne hoc plus iusto excrescat.

Dentur ne morbi in materia.
Cap. V.

PArs, quæ negat certa, quidquid dixerit Fern. Arg. & alij, siqui enim darētur, maximè essent illi, quos Fern. autumat ad materiam pertinere: at illi non sunt morbi è materiei immoderatione profecti; nam multa, aut exigua materia, incommoda quidem est actionibus recte obeundis, vt enim dixit Ar. 1. & 7. polit. *non quantalibet secundum magnitudinem aut paruitatem serra, aut naui vti possumus ad secandum, aut nauigandum*, nego tamen excessus à multa, aut pauca materia factos, ad materiam, aut partes similares spectare, nam Gal. & medici omnes cum eo, morbos in magnitudine aucta, aut imminuta, organicos esse vna voce affirmarunt.

Duritiem, mollitiem, crassitiem tenuitatem, vitiatum colorem, reduxerunt quamplures ad intemperiem, quia fiunt excessu primarum qualitatum. Ita Auic. 2. p. c. 2. nam vbi morbos diuisit in tria genera, *& omnis* inquit *ægritudo, quæ vnā harum sequitur & per eam existit, ei comparatur*, & Auer. 3. coll. cap. 1. post quam docuerat ęgritudines partium similariū esse intemperies, & illas sexdecim, octo simplices, & octo compositas subdit, *& non solum intelligendum est de primis qualitatibus, sicut dicit Galen. sed etiam de qualibet qualitate, cum qua operatur membrorum suas operationes sicut duritie, & mollitie, & his similibus qualitatibus proprijs membris, & improprijs.* Nec videtur discrepare Galen. quidquid dicat Auer. nam primo de vsu part cap. 9. loquens de temperie subdit, *Consequuntur autem necessario odores, sapores, colores durities mollities*, &

Duritiem, & mollitiem ad intemperiem pertinere voluit Auic. & Auer. quia a primis qualitatibus fiunt.

lib.ar.med. cap.12. tractans de signis cerebri temperati, *ingenium* inquit *subtilem cerebri substantiam indicat, tarditas vero intellectus crassam: discendi vero facilitas formarum facile susceptiuam, memoria autem stabilem, ac firmam*. Innuit eamdem solutionem Forl. q. 5. super secundum lib.ar.med. & in q. super secundum lib. ar.med.& in q super 2.fen.Auic.sequitur quoquo pacto Gent.ibidem, amplectitur illam Iac.de Part.Fuchs. & alij multi.

At male alioquin cur lenitas, & asperitas ad intemperiem, non reducuntur,

Reijcio ego . nam vt bene Forl. à quo Fern. si durities,& mollities, alijque huiusmodi affectus ad intempetiem reducuntur, quia fiunt à primarum qualitatum excessu. Cur non eadem ratione lenitas, & asperitas ad intemperiem, referentur? Adde quod neque illud certum, duritiem,crassitiem, raritatē, & ipsis oppositas qualitares proficisci à primis. Quare cautius in re hac procedendum, & sigillatim singula examinanda, initio à duricie facto.

Nec recte Mont. censuit symptomata esse in mutata qualitate

Nam durities immediate lædit actiones, & apprehensione mollicies, & incolum.

Censuit Comes Mont. lib.2. de morb. cap.1. duritiem, & mollitiem esse symptomata in qualitare mutata tactiua: videtur quoque esse Galen, nam cap.5. lib. de diff.sympt. volens inductione probare, quodcumque symptoma à morbo proficisci, adducit inter alia mollitiem, & duritiem, monstratque, à primis qualitatibus ortum ducere, quod omnino inepte faceret, ni pro comperto haberet, esse qualitates tangibiles. *Mollities* inquit, *duritiesque tactu iudicantur, haud aliter quam effectrices qualitates ipsis cognatæ*. Quod falsum; nam durities, & mollities immediate lædunt actiones. Quare non erunt symptomata: consequentia est certa ex ijs, quæ primo lib. sunt dicta circa finem, quia lædere actionē est morbi proprium, quod declaratur insuper, quia si posset à symptomate in mutata qualitate fieri, cum possit hæc manere ablato morbo, quia est qualitas facta,& permanens, posset durities lędere actiones absque morbo. Quare esset idem corpus,& sanum, & ægrum: sanum, quia nullo teneretur morbo: ægrum, quia haberet actiones, à symptomate læsas. Secundo symptoma in mutata qualitate, est qualitas: non est autem durities, & mollities qualitas. Quare nec symptoma in mutata qualitate erit.

Secundo non est duricies qualitas.

Minor probatur primum, quia si quæ esset qualitas esset tangibilis qualitas: at nos percipimus, esse aliquid durum, aut molle citra contactum. Secundo constat idem ex duri, & mollis natura. Diffinit Arist. 4.metor.3.& 2. de gen.2. durum esse, quod in se ipsum non cedit, molle quod cedit, non refluens: addit Gal.5. de simp.facul.5. si corpus simplex fuerit, siquidem, quod ex pluribus constat sese contingentibus, sicut tritici aceruus, aut sese complicatis, vt lanæ,& pili, simul cedere potest, & tamen non esse molle: sed superfluo, nam cedant illa licet, non in se ipsa cedunt, sed aut refluunt, vt aqua, aut separantur, vt tritici aceruus. Itaque nil addendum diffinitioni Ar. vt 3 de diff. puls. vlt. idem Galen. censuit, laudauitque Arist. qui molle dixit esse, quod in se ipsum cedit, nec migrat de loco: durum quod permanenti resistit, vnde aqua dura, quę difficulter à calore commouetur, lex dura, quę nihil indulget, & homo durus, qui cunctis resistit. Vide locum citat. Nunc vero vter cedit, euacuata dumtaxat substantia quam continebat, idemque repletus, euadit durus. Quare est durities præsentia localis partium cum resistentia tangenti, non secunda qualitas.

Dices repletum vtrem non euadere durum, sed tensum, nec aquam concretione durescere, sed congelascere; nam si concretione, verè dura fieret, liquatione, vere mollis euaderet, quod falsum. At reijcitur, nam verè concretis, & tensis, duri diffinitio conuenit; cur ergo verè dura esse negabis? ni dicere placeat, Ar. Plat. Gal. diffiniuisse durum, & molle per quemdam effectum communem, quod absurdum valde. Proinde arbitror, duritiem in vniuersum esse localem quamquam partium pręsentiam, cum resistentia tangenti. Ita Io. Gramm. 2. de gen.2. Alex vt refert idem, Gal. nam 5. simp. 5. ponit terram esse absolute duram, quod falsum, si esset secunda aliqua qualitas. Probatur insuper, quia cœlestes orbes impetenti e.g Prometheo, non cedunt; nam si cederent, daretur vacuum: duri itaque, & tamen nulla in illis, aut prima aliqua qualitas, aut secunda. Neque me turbat illud, si aqua concretione durescit, liquatione mollescit; nam quoties subiectum aliquod est ad plura indifferens, potest moueri ad alterum illorum, quo caret, vt humor e.g. crudus, potest moueri ad coctionem, & putredinem. Quare aqua concreta, & dura, vbi eliquatur, mouebitur ad separationem partium vnitarum, quæ quandoque est mollities, interdum est liquefactio. Multo minus me mouet, quod scripsit non rarò Arist. Galen. à primis qualitatibus fieri duritiem, & mollitiem, nam fit à siccitate cogendo partes, frigiditate, exprimendo humorem, à calore eumdem resoluente. Vniēdo itaque partes, aut separando, nō producta secunda qualitate.

Sed localis quædam partium præsentia cum resistentia tangenti.

Quare erit quandoque durities morbus in situ: quandoque in cauitate, alias in magnitudine adaucta.

Ex dictis intelligere licet, duritiem quandoque esse morbum in situ: quandoque in cauitate, quandoque in magnitudine adaucta. Probatur, nam duricies est præsentia localis corporis, cum resistentia: hæc corpora, quę vnita tangenti resistent, quandoque sunt partes constrictæ, quandoque humores, aut flatus in venis contenti, alias succi è venis ad inania carnis spatia effusi: at vbi partes à

pro-

proptia recedunt sede, fit morbus in situ; vbi tepleta est cauitas, in cauitate: vbi à cauitate ad carnes effunduntur, in aucta magnitudine. Quare non est, eur morbum in materia ponamus esse. Nec cogit argumentum mollitiei, nam hæc quandoque est morbus in situ, vt cum à muccosa substantia, pars laxata, actiones, vt motum, rectè obire, non potest. Nec obstant, quod in œdemate pedum exempli gratia, est mollities, cum tamen nullus sit morbus in situ, nam mollicies illa non lædit actiones: at quæ afficit, semper idcirco offendit, quia partem laxat, vndè motui redditur inepta.

Est quandoque eadem, causa morbi in cauitate, vt cum laxatis partibus concidunt, vnde occluduntur meatus. Non ergo morbi in materia.

Raritas, & densitas, qui affectus.

DE raritate, & densitate mirum quanta auctorum dissensio. Quidam morbi esse causam rentur: quos reijcias facile, quia vt patet, à densitate corneæ, & raritate vneæ immediate læduntur actiones. Quare rectius, qui morbum esse sunt opinati: malè tamen, qui intemperiem, quia intemperiem sequuntur: tum quia non semper à primis qualitatibus sunt, nam quandoque rarefactio à re distendente, densitas à manu comprimente: cum quia, esto assumptum verum esset, non liceret propterea illud affirmare: alioquin vlcera, & vitia figuræ, intemperies pariter deberent dici. Diligentius itaque hæc examinanda, quod fiet, si breuiter discutiamus, quid raritas, quid densitas, quod difficilè, nam raritas, densitas quatuor præstant corpori: separantur primum partes per raritatem, & seiunguntur, citra tamen discontinuationem: fit secundo, vt exigua materia, sub magnis existat dimensionibus: tertio vt maiorem habeat extensionem ad locũ: acquirit quarto nouum vbi, seù nouam præsentiam localem: contra per densitatem vniuntur primum partes magis: vnitæ sub minoribus sunt dimensionibus: habent tertio minorem extensionẽ ad locum, vnde acquirunt quarto nouam localem præsentiam. Hinc variæ rari, & densi diffinitiones assignatę. Quidam hũc in modum diffiniunt, rarum est, quod parum haber materiæ sub magnis dimensionibus. Alij dicunt, rarum est, cuius partes distant inuicem, densum cuius partes sunt sibi ipsis propinquæ. Dicunt alij tertio, rarum est, quod sub eadem materia, & quantitate maiorem habet extensionem, & localem præsentiam, densum, quod minorem. Variè quoque opinantur de proximo termino rarefactionis. Pomp. 2. de augment. c. 10. maiorem putat esse quantitatem amissa priori, nã dato opposito, eadem numero quantitas, simul diuersa loca occuparet, vel aliquæ partes quantitatis sese penetrarent, ni per densationem, aliquid saltem præcedentis corrumpatur. Præterea extensio est ratio formalis quantitatis: non poterit itaque hæc mutari, quantitate inuariata.

Credunt alij, rarefactionem proximè ad qualitatem, quam raritatem vocant terminari. Ab hac postea subdunt, vnam partem seiungi ab alia, extendi, nouam comparare præsentiam localem, & vbi. Quare inferunt, esse rarefactionem, & densationem alterationem. Suadent id primum ex Arist. qui 7. phys. t. 2. & 2. de part. cap. 1. raritatem, & densitatem, qualitates vocauit. Addunt & rationem, quia nisi id ponatur, erit reliquum dicere, ad nouam quantitatem terminari, aut elongationem, at hoc falsum, quia nec vnus motus terminatur ad alium, nec rarefactio est motus localis. Demum ponenda est causa aliqua, quæ segreget, faciatque partes distare magis: non potest hæc esse noua quantitas, nam vel erat, in aliqua parte subiecti, vbi prius non erat, aut vbi erat, aut in alia parte, quæ cum ipso de nouo producitur. Primum dici non potest, quia nulla pars substantiæ materialis absque quantitate esse potest: nec secundum quia admitteretur penetratio corporum, & duo accidentia distincta numero in eadem particula subiecti: nec potest dici tettium, quia vbi ignis, aut ceram, aut aquam rarefacit, nullam aquã de nouo producit. Concludunt proinde, terminari proxime rarefactionem ad raritatem, vnde ita illam diffiniunt. Raritas est qualitas apta sic afficere corpus, vt ex eius affectione, maiorem magnitudinem, & dimensiones habeat, sub eadem materia, & quãtitate: densitas vero est qualitas, sic apta afficere corpus, vt ex eius affectione, minores habeat dimẽsiones sub eadem materia, & quantitate.

Tenent alij demum, rarefactionem per se terminari ad maiorem distantiam partium, densationem ad minorem. Ita antiqui quidam vt 4. phys. Arist. refert. Hos postea est sectatus Valles. cum hoc tamẽ discrimine, quod illi ponebant vacuum in quouis corpore: ponit Vall. poros quosdam, aere, aut alia tenuiori substantia plenos, hanc exprimi per addensationem existimat, insinuati, vbi corpus rarescit. Quod ni ita fieri sentias, petunt statim, vbi densatione partes vniuntur, aut occupant eumdem locum, quem aliæ, & sic dabitur penetratio corporum, vel ducetur in porum, à quo aer, vel alia substantia excluditur, & sic erit illud verũ, rarum corpus, esse, quod multos poros habet, aut magnos; densum quod exiguos,

guos, & paucos. Cæterum quia nulli in igne pori, neque in cœlestibus orbibus, hæc corpora tenuia esse dixit, rara esse negat.

Sed siue hęc sit raritatis, & densitatis natura, seu aliud multo diuersum, cum partes rarefactæ, & addensatæ edant functiones vitiosas, non quia abiunctæ, aut quia quantitas earum maior, minorq. sed quia cauitates, quæ inerant, vel ablatæ, aut imminutæ aut ampliores redditæ, & plures, vt cuiuis medicinam facienti est compertum, est illud planè certum, raritatem, & densitatem morbos esse in læsa cauitate. Videamus quid de crassitie, & tenuitate sentiendum.

Crassities, & tenuitas, qui affectus.

NOn esse admodum facile proferre, quinam affectus sint crassities, & tenuitas pręter naturam, ex varijs Auctorum placitis, potest quisque id intelligere. Quamobrem non parum præstitisse videbor, si aduersarijs in re hac satisfecero. Quia vero despero id consequi, ni primum explicetur quid tenuitas, quid crassities, hinc exordiar. Videtur voluisse Arist. crassitiem esse densitatem, ex humidæ substantiæ euaporatione profectam; nam volens 4. meteor. mõstrare, concreta aquea nullam habere crassitiem, *Incrassatio*, inquit, *fit, humido quidem abeunte, sicco autem consistente*: quamobrem, cum nulla sit siccior portio in aqua, non crassescere aquam concretione concludit: & paulò infra volens monstrare, quę aqueam naturam habent, & terream & à calore, & frigore incrassari, hæc scribit. *Quacumque communia terra, & aqua, & ab igne concrescunt, & à frigido: incrassantur autem ab ambobus: est autem vt eodem modo, est vt aliter; à calido quidem humidum educente, euaporãte vero humido, incrassatur siccum, & consistit: à frigido autem calidum exprimendo, cum quo humidum simul recedit.* Si itaque fit incrassatio abeunte humido, consistẽte sicco, erit ex mente Arist. crassities, inspissatio quędam ex humidæ substantiæ recessu facta: cui innixus Valles. dixit 1. simpl. 2. & 4. simpl. 3. crassitiem fieri ex abundantia grauium elementorum, & crassum esse, in quo grauia elementa, excedunt: tenue, in quo tenuia; ex quo infert aberrasse non parum vulgus Philosophorum credentium, idem esse crassum, quod densum: idem rarum, quod tenue; nam rarum est, quod habet multos potos, aut magnos, densum quod exiguos, & paucos: crassum, in quo plures partes crassorum elemẽtorum, grauium: tenue, in quo plures tenuium. Elicit ex dictis demum, discrimen inter crassitiẽ, & lentorem, nam hic fit ex forti, validaque sicci cum humido vnione, crassities ex grauium elementorum excessu.

Quid crassities, ex Arist.

Diuersam videtur Galen. habuisse sententiam, nam primo simplic. 2. & 4. simpl. 3. tenuia esse dixit, quę facile in tenues partes comminui possunt, crassa quę cõtra. Quare erit crassities è Galen. sentẽtia, impotentia ad secari in minimas partes.

Quid secundum Galen.

Sed re vera non dissident, nam diffinitio Arist. est data per causam, quod constat ex verbo, fit, Galen. per effectum: vnde vterque egit de re hac accomodatè: nam Philosophus de re ista tractauit, vt Philosophus ad quem spectat rerum causas scrutari: Galen. tamquam medicus: quem scire interest, quid facere medicamenta in nos valeant quid pati à nobis. Quod si completam desideras, dicere poteris, esse crassities, impotentia ad secari in minimas partes, ob recessum substantiæ humidæ, facta à frigiditate exprimente, aut resoluente calore.

Quid nos esse censeamus.

Sufficienter esse, hac diffinitione crassiciei naturam explicatam, potest primũ probari inductione facta in ijs omnibus, quæ crassa medici, & alij vocant. Censent medici eam pituitam crassam esse, quæ eleuata, nõ separatur à reliquis partibus, sed seruat continuitatem cum illis, & quantò difficilius secatur, eò crassiorem censent esse: aerem item crasum appellant, quem acies oculi non peruadit, aquam crassam, quam difficulter corpus diuidit. Quia verò nec lenta posśũt facilè in partes secari, additum, eam impotentiam ad secari in minimas partes, crassitiem esse, quæ ortum habet ex substantiæ humidioris recessu, nam quę lenta sunt, inepta sunt diuidi, non hanc ob causam, sed ob fortem sicci eum humido vnionem. Itaque in plus se habet lẽtum, quam crassum, ac propterea rectè medici dicunt, hæc pituita est crassa, & lenta. Differt quoque à concretis, nam ab his nulla est facta substantiæ humidæ resolutio, sicciori relicta: vnde aqua eliquata, ita humida est, quemadmodum antequam crasescerer. Quod habet Argent. 2. ar. med. crassitiem fieri ex copia materiæ, tenuitatem ex paucitate eiusdem, quis nõ rideat? quippè qui imminutem magnitudinem partium, auctamuè, crassitiem vocat, & tenuitatem?

At quoniam sunt, quæ adhuc possent turbare, dilucidanda illos dicet enim quis, si ex hac causa crassities, & tenuitas, non in esset illa elementis: at prodit Galen. esse aquam, & terram crassa elementa, ignem tenuem, & aerem. Quare. &c. Præterea fit aliquid crassius nulla facta in substantia mutatione. Quare non ex euapotatione tenui oris substantiæ nascitur.

An elementis insint, & secunde sint qualitates.

Coegit id multos, vt in aliam sententiam

Putat Petrus Garl.

tiam irent, vnde autumarunt esse crassitiem, & tenuitatem secundam quamdam qualitatem, à primis profectam, inter quos Petrus Garf. super primam Fen. Auic. qui id confirmat auctoritate Arist.

Non negamus.

qui 2. de gen. c. 2. apertè docuit illud; quod primum displicet, quia non satis declarant crassitiei naturam, nam & multæ aliæ à primis qualitatibus habent ortum: non placet secundo, quia non admodum constat, à quanam qualitate crassities; si enim à frigiditate, cur terra, quæ minus frigida aqua, magis crassa? à siccitate, cur non habet ignis aliqualem crassitiem? non poterit huius problematis aliquam tradere rationem. Propterea diceremus, insistendo priori sententię, hanc passionem esse mixtorum propriā.

Et explicamus quomodo sunt in elementis.

In elementis reperiri, non vere, & propriè, sed ita vocari propter analogiam, quam habent cum verè crassis, nam aer crassus, non facilè penetratur a luce, & aquam crassam dicimus, quam non facilè diuidimus. Quod affert ex Arist. dicente hanc passionem à primis qualitatibus ortum ducere, non negamus, negamus tamen fieri, vt ipsi putant, sed vt a nobis est dictum, recessu nimirum substantię humidę, nam ita docuit apertè 4. meteor

Et a primis procedunt qualitatibus.

vbi de re hac disputauit. Quod si secundo de gen videatur dicere crassitiem reduci ad siccitatem, tenuitatem ad humiditatem, scias reducere ad has qualitates propositas affectiones Philosophum, propter vnitatem effectus, qui reperitur in tenui, & humido crasso, & sicco; nam quemadmodum humidum cum facilè terminetur est repletiuum, sic tenue, vbi in minimas partes diuisum fuerit: & veluti siccum, quia proprio termino terminatum, non replet, & opplet cauitatem quamcumque: sic, cùm idem reperiatur in crasso, crassum ad siccum putat reduci debere: adducam verba Aristot. quæ leguntur tex. 10. 2. de gen. ne meo marte id fingere videar, *Tenue autem & crassum, & alia differētia, ex his;* dat rationem, *Quoniam enim repletiuum est ipsius humidi, quia non est terminatum quidem, facilè autem terminabile existens, & quia sequitur tangens, tenue autem repletiuum, subtilium partium, tenue enim totum tangit, tenue autem maximè tale est manifestum est quod tenue quidem erit humidi crassum autem sicci.* ad rationem Garfiæ negatur consequentia; non enim necessarium est, vt ex euaporatione tenuioris substantię corrumpatur forma.

Ex quibus facile potest cuique constare quinam fiat affectus.

Hinc patere puto, quam fecerint ineptè, quicumque crassitiem, & tenuitatem morbos in materia dixerunt esse; nam si loquamur de crassitie, & tenuitate humorum, non est hæc morbus, quemadmodū nec humor est morbus: si de crassitie corneę e. g. aut alterius partis nostri corporis, cum hæc non aliter fiat, quam crasso humore imbibito in poris partis, erit morbus hic in ciuitate. Si demum crassæ partis nomine, pinguem (quod multi faciunt) quis intelligat, tenuis, extenuatam; hic præterquam, quod non aptè vtitur vocibus, omninò preter rationem hunc affectum, materiæ morbum dicet esse, cùm constet apertè morbum esse in magnitudine adaucta, & imminuta. Videor explicasse satis rem istam, propterea progrediar ad alia, & de colore viciato agam.

Color vitiatus qui affectus.

Non minor fuit de vitiato colore oculorum, dissensio. Quidam, quos refert Forl. 2. art med. q. 5. causam morbi dixerunt esse: quos reijcio; nam quem morbum color hic vitiatus producit? Præterea immediate lædit visionem: id verò causæ conuenire non posse supra est demonstratum. Voluit Comes Montanus esse symptoma: & malè ob rationem supra positam de duritie. Hinc alij morbum esse docent, quamquam digladientur de genere. Quidam, quos supra citauimus, & reiecimus morbum esse in intemperie autumant: alij morbum in via quia sunt corneæ pori bili oppleti: morbum alij dicunt esse in numero. Get. in superficie aspera, quia curatur leuigantibus. Quos reijcio omnes, ac priores quidem, quia non lædit color actum videndi, quia morbum in via committit; alioquin diminueretur visio, non deprauaretur, sed quia color. Eadem ratione reijcitur Gen. nec quia ab abstergentibus tollitur, est cur suspicemur propterea, ne sit morbus in superficie; nam tollitur morbus, qui in colore consistit vi abstergentium, quia humorem, cui color inhęret de medio tollunt. Reijcio tertio secundum modum dicendi, quia non omnis redundantia facit morbum in numero, sed substantiæ redundat color tantum.

Nec placent Forl. & Vall. qui 4. contr. 2. dixit, morbum hunc nullo dictorum generum contineri, sed esse extra diuisionem, quia Gallea morborum genera, diuisione illa comprehēdit, quę sunt omnibus partibus communia, vitiosus autem color est soli oculo proprius; nam multiplicant entia citra necessitatem.

Quid ergo dicemus? illud quod si aduertissent medici, non essent tam diu de non ente digladiati. Nempe non dedi à viriate Corneæ colore videndi actum; Enimuero cum quamplures Ictericos obseruarim, nullum videre contingit, qui de deprauata visione conquestus esset: cumque practicos omnes consuluerim, nullum reperi qui huius signi faciat mentionē, dū de notis Ictericorū pertractat.

Qui

Qui ob ſaporem amarum, cuncta amara dijudicant; ob tinnitum non audiũt: ob inſitum odorem non percipiũt alios, nullo tenentur morbo, aut ſymptomate in ſapore, ſono, aut odore, quia nec ſapor eſt in parte animata, quæ morbi, & ſymptomatis ſubiectum, ſed in ſaliua: neque eſt ſonus in aure, ſed in aere illo complantato. Quare quemadmodum, qui aeris vitio non vident, non habent viſum læſum, quia eſt vitium extrinſecum in medio: ſic qui ſaliuæ vitio, culpa aeris, non bene de ſapore, aut ſono dijudicant, nullum in ſenſorijs affectum patiuntur. Nec aliquo tenentur morbo, qui vbi habent aliquid odorum in naribus, non ſentiunt odores alios, ſed eſt impotentia illa naturalis; nam vt bene Ar. *Intus exiſtens, prohibet, & obſtruit*: & quod aliorsũ [illegible] hic non inepte cadet, E *nobus doloribus infeſtantibus, maior minorem obſcurat.* Intemperies ergo tantum ſimilarem particulam infeſtat. Propteria vt ad finẽ perueniat hæc diſputatio, quotuplex illa ſit examinandum.

Quotuplex morboſa intemperies. *Cap. VI.*

[illegible] *Et vnaquæque quadruplex, calida frigida humid. ſicc. cal. humid. frigid. ſicc. frig. humid.*

DVplicem eſſe autumauit. Gal. ſimplicem, & compoſitam, & vnamquãque quadruplicem, calidam, frigidam, humidam, ſiccam: calidam, & ſiccam, calidam, & humidam, frigidam, & humidam frigidam, & ſiccam: eaſdem ſubdiuiſit, in eas, quæ fiunt cum humoris præſentia, & alias, quæ à ſolis qualitatibus ortum habent. Priores ponit inſuper eſſe duplices, exquiſitas, & nothas: ſunt illæ, quæ ab vno humore tantum fiunt, qui quia quadruplex, ſanguis, bilis, pituita, melancholia, hinc quadruplex ab humore intẽperies, phlegmones, ſeu inflammatio, eriſipelas, œdema, ſchirrus: fiunt poſteriores à duobus ſaltem humoribus, vnde datur phlegmon eriſipeſatoſus, œdematoſus, ſchirroſus: eriſipelas phlegmonodes, œdematodes, ſchirrodes: œdema phlegmonoſum, eriſipelatoſum ſchirroſum: ſchirrus phlegmonodes, œdematodes, eriſipelatodes. Huc reducũtur ſtrumæ, phymata, phygetla, lepra, pſora, vitiligo, elephantia, & alia huiuſmodi.

Qualibet ſit duplex, cum materiei præſentia, & citra materiam aliquam.

Huic numero detraxerunt antiqui, nã negarunt intemperies ſimplices, quia ſemper calor exiccat, humectat frigus: & quæcumque intemperies, fit excedente aliquo elementorum, quod cum duabus ſit prædictum qualitatibus, duæ ſemper excellent. Prçterea habent actiuæ qualitates rationem agentis reſpectu humiditatis, & ſiccitatis, hæ materiæ, vnde cum numquam varietur agens impermutata materia, ſequetur ſemper agentium qualitatum augmentum, paſſiuarum intenſio.

Huic numero detraxerunt antiqui.

Detraxit huic numero pariter Auic. quia ponit tumores eſſe morbos ex omni genere morborum compoſitos, non ſimilares tantum.

Se Auic. Adduxit Gent.

Adduxit Gent. putauit enim præter dictas, dari intemperiem calidam, & frigidam, quia datur febris epiala, & aliæ ab interna inflammatione, in quibus friget ſimul, & calet infirmus: theriaca refrigerat ſimul, & inflammat. Stupefacit opium phreniticum, vnde laborat ille humida, & ſicca intemperie, fameſcens item, dum comedit, ſentit ſimul, & voluptatem, & dolorem.

Auerr. dubius. Nos firmiter adhæremus Gal. Admittimus itaque intemperies ſimplices.

Fuit Auert. dubius nam 3. coll. 1. adheret Galen. diſcrepat. 2. eiuſdem cap. 1. & 4. Ego ne latum quidem vnguem, vt aiunt, puto eſſe à Galen. recedendum; quam enim intemperiem dari neges? an ſimplicem? at dari probant duo, vt mittã experientiam, primum, quia ſi excedant duo humores frigidi, aut calidi, fiet procul omni dubio intemperies ſimplex; nã quamquam quiuis humor duas habet qualitates; nihilominus, quia affluente bili, & ſanguine, calor tantum præpollet, ſiccitas, & humiditas ſeſe mutuo temperantes ſymmetriam efficiunt: fluente item ſanguine, & pituita humida intemperies reſultat, nam calor ſanguinis pituitæ frigiditatem retundit, conſtat poſſe ex duorum humorum mixtione, ſimplicem intemperiem fieri. Poteſt quoque eadem fieri diſpoſitione ſubiecti; nam ſi corpori frigido, & humido occurrat cauſa calfaciens, & humectans, hæbetata frigiditate ſubiecti, quæ antea præerat humiditas, nouæ cauſæ humectantis acceſſione increſcet. Et certe, vt bene dicit Gal. 1. de temp. ſi caliditas cum extrema poteſt ſiccitate conſiſtere, cùm humiditate frigiditas, cur non poterit eadem cum moderata humiditate exiſtere, cum mediocri ſiccitate calor? nam quamquam hic ſemper exiccet humectet frigiditas, non tamen ſtatim calor excedens, excedentem ſiccitatem inducet, nec humiditatem ſummam frigiditas inferet. Quare dabitur ſaltem per aliquod temporis ſpatium intemperies ſimplex. Nam quod dicitur paſſiuas qualitates, quia habent locum materię, neceſſario mutari mutatis agentibus, aut non verificatur de qualitatibus, ſed de calido innato, & humido radicali, aut non eſt neceſſarium, vt aucto calore, ita intendatur ſiccitas, vt ſit morboſa.

Et tumores ad ſimilares morbos pertinere contendimus.

An neges tumores ad partes ſimilares ſpectare, quia, vt Auic. 2. 1. d. 1. cap 5. eſt tumor ex omni morbi genere compoſitus? at neque id recte fiet: nam vel non omnis tumor habet huiuſmodi morborũ congeriem: & ſi qui habent, denominandi ſunt ab eo, quod proprium illis, alioquin cur vlcus pulmonis, non dicent eſſe compoſitum morbum, quando eſt in

pty-

ptysi, febris, magnitudo imminuta, & cõtinui solutio? Quare rectius Gent. qui hęc fortasse odoratus, sub certo morbi genere tumorem locauit: displicet tamen, quod morbum esse dixit in cauitate, quia quod primo fit in tumoris generatione, est humoris receptio in spatio inani carnis; nam non quidquid primò gignitur, illud est, quod morbi naturam cõstituit, sed quod genitum, primo actiones oblædit. Nunc autem actionis oblæsio, aut ab intemperie semper illata ab humore, aut à magnitudine adaucta. Quare erit semper tumor, aut intemperies, aut morbus in adaucta magnitudine, ni tamẽ ita exiguus sit, nullo vt sit actionibus impedimento. Non ergo est, quod detrahas quicquam morborum similarium numero. Nec quod addas: nam si quæ addi possent, maximè essent intemperies calida, & frigida, humida, & sicca: at impossibile est contraria combinari contrarijs: neque vmquam fieri potest, quidquid dicat, Gent l. primo fen. 1. d. 3. c. 1. & in quęstione de maior. morb. vt eadem insensibilis pars simul calida, & frigida intemperie laboret: eadem inquam, nam quod variæ nostri corporis partes, contrarias pati possint intemperies, & eodem tempore, probant euidenter adducta à Gent. nempe per epyalam, aliæ partes calent, aliæ frigent, vt dicemus c. de intemp. æqu. & inæq. per febres malignas exteriora frigent, interiora vruntur Theriaca recens refrigerat, antiqua calefacit: opium dum humectat, haud inducit diuersam à phreniti intemperiẽ, sed aut tollit illam omninò, & contrariũ affectum inducit, si plus æquo exhibeatur, aut remittit calorem illum phrenitici, qui iterum postea inualescit. Famescens, & comedens bibens, & sitiens, scalpens, & habens pruritum, sentit simul voluptatem, & dolorem, non tamen, propterea contrarias intemperies patitur: primum, quia incertum admodum est, an dolores dicti, & voluptates, à primis proficiscantur qualitatibus, vt latè patet ex ijs, quæ disputant de obiecto famis, & Philosophi, & Medici. Secundo, vt rectè adnotauit, de re hac disputans, Alex. 1. quæst. nat. cap. 12. non est omnis voluptas, omni dolori contraria, sed quæ circa idem obiectum versantur: nunc sentit voluptatem comedens, dum cibo repletur, dolorem ex fame. Vide Alex. cit. loco, & Zimar. in tab. verbo Contraria, non possunt eidem simul inesse. Numquam itaque accidit, vt eadem pars, contrarias intemperies patiatur, aut vt eodem tempore illis affligatur. Quare non sunt alia genera intemperiei inuehenda, præter dicta à Gal. Adderem plura, ni res hæc ad eo esset demonstrata à Philosophis, vt ociosi esse videatur in re adeo clara afferre faculam: si tamen plura desideras vide Forliu. q. 17. sup. 1. Auic. Com. Mont. lib. 2. de morb. cap. 17. & Philosophos omnes 2. de gen. q. an contraria possint esse simul.

Nec alios cũ Gentili addendos.

Partium dissimilarium morbi. Cap. VII.

Vidimus, quot sunt morborum similarium genera, recensenda nunc partium dissimilarium vitia. Quatuor esse voluit Gal. lib. de diff. morb. cap. 6. in numero, quantitate, situ, & formatione. Non esse pauciora, aut plura probauit, quia vt secundò art. med. dicebat, vitiorũ genera æqualia numero sunt ijs, quę virtutem perficiunt. Nunc vero ad optimã partis dissimilaris constitutionem, illa quatuor necessario requiruntur, numerus nempè certus partium; nam si ex vna constaret, simplex esset particula, non composita: similaris, non dissimilaris: quantitas moderata; nam quemadmodũ, non quantauis serra secat artifex, sed moderatam habente magnitudinem: sic neque nostri corporis facultates, aut anima, valebit instrumento quocumque, quantum, quantum illud est operari.

Gal. sent.

Est necessarium tertio, vt partes istæ, quæ ad formandum organum coalescũt, sint probè dispositæ, & illud quoque requiritur, vt quædam sint asperæ, quædam lenes, aliæ cauæ, alię solidæ. Quare quouis horum mutato, organum vitiari contingit. Quare quatuor illi vitia accidere poterunt: in numero nempè vnum, in quantitate aliud, tertium in situ, seù positione, quartum demum in mala formatione.

Adhæsit Galeno Auic. 2. prim. doct. 2. cap. 3. Repugnauit Auerr. 3. coll. cap. 13. & eodem discursu est suadere conatus, aliud morbi genus, præter enumerata esse admittendum. in ordine nimirum, & colligantiæ; nam si est hæc necessaria, vt pars dissimilaris rectè operetur, fient eadem vitiata, si Galeni discursus verus est, & efficax, procul dubio morbi. Cęterum, quia videbat doctissimus vir, posse aliquem dicere, colligantiæ vitium, ad situm vitiatum reduci, seu positionis, idcirco addit, *& non reuertitur ad alias species, quas dixerunt medici quia in alio prædicamento est situs, in alio colligatio, siquidẽ hac præter positionem, dicit ordinem prioris, & posterioris.*

Vtcumque tamen id se habeat, numquã poterit inde inferre Auerr. esse aliud genus morbi ponendum; siquidem haud censent medici, illa esse varia morbi genera, quæ in varijs sunt prędicamentis; nam in eadem est cathegoria quantitas, & numerus: nec in alia, è multorum sententia debet poni figura; nam quantitatem esse putant modificatam. Omnis de-

L mum

mum morbus, aut diſpoſitio, aut relatio eſt, aut priuatio. Quare ſi huc reſpicias, nullum eſſe pones morbum genere diuerſum. Eos morbos dicunt differre genere, qui diuerſo modo nocent, ac propterea varia diuerſaque remedia poſcũt. Ergo cum varia illa colligantia, non niſi propter ſitum mutatum lœdat, neque debeat aliter curari eadem, ac morbus in ſitu, rectè faciunt medici, dum damna à vitiata colligantia profecta, ad morbum in ſitu reducunt.

Obiectio 1. Eſt tamen, quod adhuc facit difficultatem; nam pars diſſimilaris, habet præter dicta, temperiem, vnde ſcripſit Galenus lib. de conſtit. cap. 3. præter formationẽ, magnitudinem, & numerum, eſſentiam quoque partium, eſſe probè noſcendam: Medici quoque omnes quærunt, cuius nam temperiei ſit cerebrum, pulmo, Epar, quod omninò facerent ineptè, ni haberent, hæ partes temperiem propriam, à ſimilarium temperie, diuerſam.

Dices, non habere organicam partem temperamentum proprium; nam neque organica pars à ſimilaribus, vna ſimul vnitis, eſt diſtincta, ſed ſimilaris nomine intelligimus vnam ſimplicemque particulam: per organicam, plures, hoc, aut illo modo alligatas, & diſpoſitas. Itaque vbi dicunt communiter Medici, Sortis e.g. cerebrum eſſe frigidum admodum humidumque, cor eiuſdem, aut epar ſiccum, & calidum: cerebri nomine, eam ſubſtantiam medullarem intelligunt, quę conſtituit cerebrum, quemadmodũ cordis, epatis nomine, eam carnem, ex qua cor, aut epar eſt conſtitutum. At medulla, & caro eſt ſimilaris particula. Quare huic ſemper temperiem tribuunt, & vt benè Thomas de Garbo lib. 1. ſum. tract. 2. q. 55. & Gent. 2. par. doct. 7. cap. 14. *Semper complexio debetur conſimili membro; at altera debetur illi, in quantum conſimile membrum abſolutè, vt complexio carnis pro vt caro, eſtque hac principium operationis conſimilis, vt conſimilis: alia eſt complexio, quæ debetur conſimili, pro vt tale conſimile, eſt pars organici: atque hæc non erit ad finẽ operationis conſimilis ſolum, ſed etiam ad operationem organici ordinata.* Nec Gal. aliter, nam quamquam moneat eſſe eſſentiam partium noſcendam, non dicit, tamen, organicarum partium temperiem noſci debere; nam nulla ijs ineſt.

Secunda. Obijcies rurſus, vitiata temperie ſimilarium, adhuc operatio organicarum oblœditur. Quare ſpectabit ad organicas quoque, morbus in intemperie. Quare erit morbus communis.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam etiam nutritio lœditur impeditis vijs, ita vt alimentum ad partes permeare nequeat, nec dicet propterea quiſpiã, eſſe vitium cauitatis oblæſæ, partium ſimilarium morbum. Ita ergo deducenda illa conſequentia eſt: læditur diſſimilaris actio ob intemperiem ſimilarium. Ergò vel temperies erit natura diſſimilarium partium, aut erit neceſſaria ex alio capite: non primum quia eius natura eſt cõpoſitio, non mixtio. Ergo ſecũdum. Quare non erit intemperies morbus diſſimilaris, quia hic ſit læſa partis diſſimilaris natura, erit morbus ſimilaris, quia è Galeni ſententia, ad eius eſſentiam pertinet. Aptè ſane Argenterius lib. 1. de morb gen. c. 7. *Nec materiæ vitia, formæ ſunt, aut artificis, qui formam materiæ inducit; non enim dicitur domus malè conſtructa, ſi ex malis lapidibus, et alia materia vitioſa ſit confecta, ſed ſi in forma, quæ propria illi eſſe debet, iratam fuerit; tunc enim dicimus corruptam eſſe proportionem, ac domum malè fabricatam.* Quamobrem cum temperies, non ſit forma partium diſſimilarum, ſed compoſitio, hac tantum oblæſa, morbi ſient organici.

Non tamen propterea aſſentior Galeno Auic. & alijs, qui quatuor tantum genera diſſimilarium morborum, eſſe putant, ſed aliud eſſe addendum exiſtimo, morbum nempè in ſoluta vnitate, nam cum ſoluta vnitas, non ſit morbus communis, vt placuit Gal. non ſimilaris, vt voluit Auerr. ſed diſſimilaris, vt diximus ſupra cap. 3. quinque erunt neceſſariò genera diſſimilarium morborum, in formatione, numero, quantitate, ſitu, & ſolutione vnitatis. Sed quoniam vnumquodque, adhuc continet alias ſubſe ſpecies, examinare vltimo oportet, quot nam ſub vnoquoque genere contineantur, vt poſſimus methodice deinde, vniuſcuiuſque curationem inſtituere.

Morborum, qui in mala formatione ſpecies. Cap. VIII.

MOrbos, qui in mala formatione vocantur à Galeno, creaturæ ab Auicen. & ægritudines plaſmationis, in tres ſpecies diuidunt communiter Medici: figuram malam, cauitatem læſam, & ſuperficiem: ſuperfigies item cum bifariam lædi poſſit, aut quia aſpera euadit, quæ lenis eſſe debebat aut lenis, quæ aſpera, duplices eſſe morbos in ſuperficie, dixere, leni, & aſpera: leni ſuperficie malè affectus vterus continendo ſemini, quandoque non valet, vnde impeditur conceptio: aſpera quandoque fauces laborant, aſpera arteria, & oſſa fracta. Figura vitiata cum ſit illa omnis, quæ multum à naturali recedit, atquo à natura illud ſit ſtatutum, vt quædam partes recta figura ſint præditæ, ſint aliæ curuę, vt coſtæ, quædam rotundæ aliæ vtrinque compreſſæ, vt caput: Quædam cauæ, vt pedum plantæ, quædam eminentes vt frons, occiput, his omnibus modis, poſſe

figu-

figuram vitiari concludunt.

De speciebus læsæ cauitatis,aliqua videtur esse diuersitas; nam Auic. diuidit cauitates in receptacula,& vias, receptacula vocans,quæ aliud excipiunt, continentque,vt stomachus,intestina,venæ; vias vero,quę veluti canales, deducendo deseruiunt,& si nihil contineant,vt exophagus,& aspera arteria. Galenus quamquam nullam ponat inter receptacula, & cauitates distinctionem, ponit tamen tertio ar.med. meatus ab orificio distinctos. Hinc quinque esse ponunt morbos in mala formatione tres alij. At re vera, nec qui,tres faciunt quidquam detrahūt, nec aliquid adijciunt, qui aut quatuor, aut quinque esse ponunt, vt propterea permittendum sit cuique, vt suo more diuidat, quod spectat ad cauitatem. Nos communem sequuti sententiam dicimus, cauitatum vitium esse duplex,sensibilium,& insensibilium,vtrumque duplex, alterum in excessu magnitudinis, in defectu alterum. Excessus in magnitudine est, cum cauitates hiant, fiuntque ampliores,quod accidit ijs apertis,vel relaxatis. Excessus in defectu fit, iisdem angustioribus redditis:tales vero reddi Galenus docet quinque ob causas, obstructionem,quę fit à multitudine,aut crassitie succorum,compressionem, vt tū tumefacta particula reddit aliam compressione angustiorem,subsidentiam,nam vt videmus,euacuato sacculo concidunt eius latera: coalitu, vt cum pars vlcerata vnitur alteri,& angustia;nam caruncula in canali vrinario, & intestinorum inflammatio,cauitatem imminuunt. Hāc Galen. sententiam recepere medici ferè omnes, quorum authoritas, etsi tanti sit ponderis,vt de re hac dubitare, hominis esse videatur, literario otio abutentis; quia tamen de singulis dubitare auctore Arist. non est inutile, examinanda propterea difficultas est quædam, quæ cauitatum vitia à numero morborum dissimilarium remouere conatur, est autem ista. Meatibus adstrictis, aut corruptis, non vitiantur dissimilares actiones, sed similares;nam impeditis vijs,non nutriūtur partes, non expurgantur genita excrementa, non demum potest allici aer, ad ventilandum calorem.Ergo dissimilares partes patiuntur nihil. Quare cauitatum vitium, similaribus partibus tribuendum, non inter dissimilares morbos recensendum.

Darem manus huic rationi, si esset verum assumptum,nunc vero illud certum est,vitiatis cauitatibus;dissimilarium partium actiones oblædi,non similarium; enim vero ni ex potorum vitio, aut intemperies aliqua inducatur, vt cum ex densatione fit febris, aut impeditur, ne alimentum ad partem nutriendam accedat,seu rarior fit facta, seu magis adstricta, semper eque bene cōcoquet,retinebit,& pellet. Contra verò,nullo alio inducto,partes dissimilares offendunt. Nēpè non poterunt illæ constringi aut distendi; nam non possunt duci in locum, qui est occupatus ab alio,daretur enim penetratio corporum, vt possint itaque partes distendi, & constringi, sunt necessariæ cauitates. Vt mittā alios vsus; At verò est hęc actio organica. Quare hę oblæduntur à vitio cauitatum immediatè: Similaribus partibus, tunc cauitatū vitia damnum inferunt, cum alium morbum similarem inducunt; inducunt autē aut aeris ingressum prohibendo, aut expurgationem excrementorum,aut alimoniæ transitum,ad partes,quæ debent nutriri. Quæ cum clara admodum,plura de ista,nequaquam dicenda,sed genera hæc in species diuidemus, ordientes à genere morbi in situ:

Morbi in situ species. Cap. IX.

DVas esse morbi in situ species voluit Gal. de diff. morb. 10. Auic. 2. prim.doct.1.cap.3.& Auerr.3.coll. c.14. alteram generis voce nominant, alteram morbum colligantiæ appellant, siuè societatis. Sic vocant eos affectus, vi quorum partes ob ineptam colligationem, ita impediuntur, vt nequeant ea ad loca extendi,aut contrahi, ad quæ debebant. Vnde vel omni motu destitutæ iacent, vel mouent se difficulter. Hinc putant morbo colligantiæ teneri eos omnes, quibus lingua plus iusto est alligata, aut penis fræno contractus: quo fit, vt illi non valeant loqui,lingua ad omnem oris partem se se mouere non valente: hi gignere nequeant,cum distorto pene à fræno, non possit tecta ad vterum feminis iaculatio fieri. Eadem censent teneri exulceratos digitos, & postea coalitu vnitos,vel labra: nec alio vult laborare Auic.palpebram, quæ correpta paralysi, attolli non potest.

Sed quantum hac in re conueniunt tantundem postea discrepare videntur; nam nec Gal.nec Auer. aliam speciem colligantiæ ponunt. Contra Auic. censet morbo pariter in colligantia, teneri manum,cum ita induratur,vt aperiri nō possit. Diuidit præterea Gal. morbos in situ in duas species, primam quarum vult fieri parte omnino à proprio loco recedente, alteram, quæ fit parte commota, aut sese in proprio loco commouente; nam volens exemplis declarare, qui nam sint morbi in situ, in positu inquit, vt sunt articulorum tum luxatio, tum commotio: cum tamen Auic.putet quatuor esse huiusmodi morbi species, primam quarum vult fieri parte omninò à proprio loco recedente, secundam ex

parte delapsa; tertiam parte in proprio loco tremulo quodam motu se se agitante: quartam se se mouere non valente, vt accidit prodagam patientibus, ob tophos in articulo genitos: disquirendum proinde, vtri rectius sentiant, nam, cum Auic. quædam addat, alterutrum dicere necesse est, aut Gal. fuisse diminutum, aut superfluo quædam addidisse Auic. quia verò id consequi non possumus, ni primum constet, quę sit natura morbi in situ, neque id sciri potest, ni primum declaretur, quis nam sit bonus partium situs: hinc ordiemur.

Partes nostri corporis, tunc rectè situatæ dicuntur, & dispositæ, cum in ea sunt sede, & ita alligatæ, vt commode valeant omnes functiones obire, quibus rectè obeundis sunt destinatæ. Ponimus cum Galeno, & medicis omnibus in ratione boni situs, alligationem optimam; nam cum non possint partes in locis proprijs consistere, ni alligentur, & coarticulentur, iure dicimus sic situari debere, & alligari, vt rectè obire valeant, propria munia: Vnde cum his rectè obeundis necessarium sit, vt quædam partes sic coarticulentur, vt possint distendi, contrahi, & circumuolui vt lingua, brachia, caput: aliæ infigi debeant contumaciter, numquam vt moueantur, vt dentes: si contingat eum in modum alligationem vitiari, vt sit admodum laxa, quę firma esse debebat, aut arcta, quæ laxa, ita vt motus impediantur, vitia hęc omnia, quæ vi prauæ alligationis contingunt, referentur ad situm. Quamobrem, cum dentes mobiles lędant ciborum attritionem, magnum linguæ frenum, loquelam, penis, generationem, iure isthæc omnia vitia, ad morbum in situ referentur: cumque distensio manus impedita à duritie, aut topho in articulis genito, non fiat vi malæ coarticulationis, aut quia pars à proprio recessit loco, sed vel à sicca intemperie indurante, aut cauitate à lapide impedita, malè Auic. huiusmodi vitia ad morbos in situ pertinere autumauit.

Propterea dicamus cum morbus in situ, ille affectus sit, vi cuius partes nequeunt aptè moueri, vel quia à proprio loco recessere, aut ob ineptam alligationem, duas esse præcipuas eius species, recessum à proprio loco, & alligationem ineptam: est hæc adhuc duplex, laxa & adstricta: à nimis laxa fit, vt dentes moueantur, ac nequeant propterea, aut mordere, aut atterere: ab eadem quoque, vt pendeat quandoque articulus: à stricta impeditur lingua à loquela, à recta seminis iaculatione penis fræno detentus.

Prior illa morbi species in situ, quæ fit ex recessu partis à propria sede, adhuc multas habet differentias, quarum vna desumitur a loco, versus quem mouetur commora particula; sumitur alia à causa prædicti recessus. Vnde cum pars recedens possit moueri sursum, deorsum, intus, extra, ante, retro: causa faciens, vt recedat, possit esse impulsus, tractio, circumuectio, laxitas, solutio continui, poterunt isthęc omnia in morbo in situ cõsiderari; cum n ea omnia medicus contẽplari debeat, & vt diuersas species tractare, quæ poscunt curationem diuersã, rectè faciet, qui hæc omnia distinxerit, quando affectus citati, pro causæ, locique differentia, diuersa & varia præsidia exposcunt. Nempè quæ extuberant, intus sunt impellendæ: extrahendæ, quæ intus se occuluere; deprimendæ partes elatæ: attollendæ depressæ: neque vno remedij genere procurandum id assequi, sed si pars quæ continebat, sit laxata, erit illi robur addendum, si disrupta aut quouis alio modo rescissa eadem fuerit, vnienda. Quod si à causa externa ortum habuit affectus, huic tantum abolendo vacandum, causa externa contempta.

Morbi in quantitate, tum continua, cum discreta species. Cap. X.

MOrbos, qui à quantitate vitiata cõtingunt, in duas species omnes diuidunt, alios nempè, qui fiunt à quantitate discreta, alios qui à continua ortum habent. Hos duplices esse docent vnanimiter omnes, alios, qui à quantitate fiunt aucta, alios qui à quantitate imminuta procedunt. Subdiuidit priorem Gal. vt constat ex exemplis, quæ adducit, in eum qui fit carnis, aut pinguedinis quantitate adaucta, & alium qui ex multo fit humore, seù fluxo aliunde, seù in eadem, & parte congesto. Morbum in imminuta quantitate, adhuc diuidunt in duas alias species; nam quidam fiunt cunctis corporis partibus secundum proportionẽ imminutis, vt phtysicis accidit: fiunt alij, particula aliqua mutilata, vel quia abscisa, aut quia putrefacta, vt cum superiores partes digiti, cancrena putrefactę decidunt. Hinc adducens lib. de diff. morb. exempla quantitatis adauctæ, in Priapismo exemplificat, hoc est tumore penis qui citrà aliquem Veneris appetitum contingit, & strumis, & eodem putat morbo laborasse Nicomachum Smyrnæum, qui in tantam molem excreuerat, vt ne moueri quidem posset, neque podicem sibi tangere, & illum, cui ita lingua intumuerat, vt non valeret illam, ad quãuis oris partem extendere, quod in multam, citra tamen aliquem dolorem, excreuisset molem. Easdem tribuunt species morbo in numero. Vnde quemdam morbum ponunt in numero adaucto imminuto alium, vt quinti digiti defectus. Subdiuidunt morbum in numero adaucto,

cto, in naturalem, & alium toto genere præter naturam. Prioris generis eſſe dicunt ſextum digitum, germenque in naribus, & vnguem in oculo. Poſterioris, eſſe ponit Gal. lib. de diff. morb. 8. lapidē in veſica, lumbricos, Aſcarides, grandinem, ſuffuſionem, hypopiam, pus, verrucarum genera, quas Græci Acrochordonas appellant, fauos, atheromata, ſteatomata, vitiligines, lepram, leucas, porros, & quæcumque in abſceſſibus reperiuntur. Addit, 14. meth. 18. pilorum defectum, nam volens tradere methodum curandi morbum in numero imminuto, & aucto, exercet illam in cura defluij capillorum, ac ſi defectus eorum morbum in imminuto numero conſtitueret, & quod non minus admirandum eſt, ij. meth. cap. 8. putredinem ponit pariter morbum eſſe in numero adaucto.

Sed quantum Gal. aſſentior in diuiſione. Quis enim poteſt negare, dari morbū in numero adaucto, imminuto, naturali, præter naturam? tantumdem damnare cogor exempla, quibus voluit declarare, qui nam ſint huiuſcemodi morbi; Quis enim dicet, putredinem eſſe morbum in numero adaucto, non cauſam morbi? eſſe morbum in imminuto numero, capillorū defluuium, negant multi, & ſymptoma in excretis, ab intemperie profectum, eſſe volunt. Vitiligo, lepra, vel eodem Gal. auctore, ſymptomata ſunt facultatis concoctricis, nec nomen morbi in numero merentur, ni dicere quoque placeat, laborantem catharro, teneri duplici morbo, in intemperie nempè, & morbo in numero, quando à quacumque intemperie, coctio vitiatur, & à vitiata coctione, praui humores gignuntur. Porros, fauos, ſteatomata, verrucarum genera omnia, morbos in numero dicere, non eſt adeo abſurdum. Aptius tamen, tumores dici, nullus puto negabit. ſextum digitū, morbum eſſe in numero adaucto, numquam affirmabo, non ſolum ob rationes Argenterij, quibus nec ſextum digitum, nec lapidem in veſica, morbum eſſe in aucto numero monſtrat, ſed quoniam, vt lib. 1. à nobis monſtratum fuit, nullus dari poteſt morbus à prima naſcentis hominis origine: vnde, & ſi admittam ego dari morbum in cauitate aucta, imminuta, numquam tamen, hac teneri dicam, qui ano imperforato naſcuntur, aut vteroclauſo, ni ponant iidem, amiſſas eſſe illas cauitates in vtero, formato iam fętu. Nec ſextum digitum, in aucto numero morbum placet dicere, aut excedentē dentem, ſi quidem tantum abeſt, vt aliquam actionem offendant, vt potius hi melius terant cibos, ſi in eadem ſerie, qua cæteri, ſit infixus: illi melius apprehendunt, aut fortius figunt pedem: lędet vterque exceſſus actionem, ſi ineptè dēs, & digitus, locentur, vt cum vnus dens ſuper alterum, aut ſub altero connaſcatur, vel digitus: connaſcens enim digitus ſuper alterum, extenſionem impedict: contractionem, ſi interiore parte manus, proſiliat: quemadmodum dens, qui parte oris interiore abundat, lædit linguam: qui in exteriore, lædit labia.

Sed dicas, leſio hæc non ob auctum numerum, ſed ob malum ſitum contingit: morbus ergo in malo ſitu potius debebit dici, non in numero adaucto.

Reſpondeo ita eſſe dicendum, ſi phyſice vellemus loqui; quoniam vero affectus hic eodem debet pacto curari, quemadmodum morbi alij in numero adaucto: propter hanc rationem rectius cum Galeno dicemus, eſſe huiuſmodi affectus morbos in numero adaucto, quam in ſitu mutato, & vitiato,

Non placet demum dicere, lapidem aut lumbricos eſſe morbos in numero; enimuero ſi vermes nos oblædunt, aut tetris halitibus, quos expirant, aut quia ſubtrahunt corpori alimentum, lapis vero eſt nobis noxæ, quia prohibet excretionem vrinę, aut quia prohibet aeris ingreſſum, vt lapis in pulmone genitus: aut quia grauat, vt cum in epate gignitur, aut quia carnem gingiuarum atterit, conſumitque, vt cum in dentibus naſcitur, cauſa morbi erit ſemper, numquam morbus. nam huius natura eſt, immediate lædere actiones, non excitato alio affectu præter naturam, Nec opinandum eſt aliter cum Turiſano, quia extracto lapide, mox vitium omne tollitur, quemadmodum poſito eodem, mox exurgit: aut quia non poſſumus aſſignare quiſnam morbus ſit, ſi morbum eſſe in numero negamus; ratio enim Thuriſani id tantum probat, eſſe lapidem cauſam coniunctam, morbi in cauitate: Vnde, & alijs facilè ſatisfacimus, ſi dicamus affectum quem veſica patitur, morbum eſſe in cauitate, & modo vrinæ excretionem oblædere, modo contractionē veſicæ, ita vt expellere non valeat, nunc capacitatem eiuſdem, ita vt nec multum vrinæ excipere valeat, neque ad certum tempus adſeruare. Vide Gentilem 2. 1. doctr. 1. cap. 3. Vegam 3. ar. med. con 19. Saluum ibidem, & Argenterium 1. de morb. gener. cap. 2.

Quid ergo ad Gal. fatebor illud ingenue, non eam adhibuiſſe in proponendis exemplis diligentiam, quam debebat: eſſe tamen hoc illi condonandum, nam vt mittam illud eſſe in more Medicis, eum affectum, morbum nuncupare, quo amoto, mox ęger conualeſcit: Ariſtoteles quoque, qui in re quaque apprimè accuratus fuit; exempla, vel Auerr. & Alex. teſtimonio non rarò contempſit.

Læſa

Læsæ vnitatis species.
Cap. XI.

Continui, seù cõtinuuatis, aut vnitatis solutiones, siuè soluta aut corrupta vnitas vox est à Galeno imposita ad significandum quamcumque continui diuisionem, seu fractura sit, seu caries, aut vulnus, vlcusque, quæ tamquam species sub ipso, veluti genere continentur: à Galeno inquam, nam quamquam varia nomina indidissent antiqui peculiaribus continui solutionibus, & dissolutam ossis vnitatem, fracturam, cariem, carnis, vulnus vlcusque vocarunt; nullus tamen ante Galenum, vt ipse met est auctor lib. de causis morb. 11. genus, sub quo continẽtur hæ variæ affectiones, proprio nomine insigniuit.

Quid continuum.

Continuum, vt constat ex Aristotele, illud est, cuius motus est vnus, quia vt idem alibi, eius partes vnico communi termino copulantur; erit itaque solutio continui, impotentia præter naturam dissimilarium partium ad bene operandum, ex continuitatis corruptione dependens, hoc est eius naturæ, à qua habent partes integrantes totum aliquod, vt vnico termino cõpulentur, & vnum propterea motum habeant.

Et morbus in vnitate soluta.

Obiectio.

Obijcies collisio, vt docet Galen. lib. de causis morb 11. & Medici omnes, reponitur inter species solutæ vnitatis: inter easdem numerat lib. de diff. morb. conuulsionem, & 4. meth. cap. 1. addidit anastomosin, & diapedesim: at in nullo horum affectuum soluitur continuitas, & ut ab anastomosi incipiam, & diapedesi, est anostomosis apertio cauitatum sensibilium, insensibilium diapedesis: vt autẽ nullus dicet vnitatem sacculi, ruptam esse, vbi aperitur, vel ex eiusdem poris liquor aliquis effluit guttatim: sic ineptè quisque faciet, qui venarum, aut alterius partis apertionem solutam dicet esse vnionem. Neque rectè dicitur conuulsionem, aut collisionem esse solutiones continui; nam conuulsio, vt scit quisque vel parum in medicina versatus, est symptoma, in actione motiua deprauata: & collisio, siuè elisio, vel vt 4. meteor. ait Arist. impressio, est migratio superfigiei, ex parte ad profundum, in qua quia quandoque remanet figura instrumenti impellentis, aut comprimentis, vocatur sedes, cum vero non remanet eadem instrumenti figura, simpliciter impressio dicenda. At hoc ipsum potest fieri citra aliquam continui solutionẽ, vt obseruamus in plumbo, ære, & alijs metallis nec nõ fouea, quæ in hydropicis, ex impressione, relinquitur, aut ex sigillo in cera. Quare aut inepte hi affectus inter species solutę vnitatis à Galeno reponũtur, aut erit solutio continui quid multò diuersum.

At quando non licet fingere esse aliud solutionem continui, videndum quomodo numerati affectus, sub ipsa reponuntur. Scire itaque oportet, impressionem repositam esse inter species solutæ vnitatis, quia etsi fieri possit, vt externa pars ad interiora impellatur, citrà aliquam solutionem vnitatis, quia tamen, aut sẽper, aut frequentissime accidit, vt à compressione, seu fiat in carne, siuè in osse, vnitas partis internæ corrumpatur, propterea Galenus huiusmodi vitium, inter solutæ vnitatis species collocauit.

Aliæ difficultates propositæ originẽ duxerunt, ex mala translatione; nam locus ille Galeni, qui sic solet passim scribi, *quæ verò echimosis græcè dicitur, plurimum vna cum contusione, ruptioneque incidit: est autem aliquando, vt ex oris vasorum apertione, quam anastomosim vocant, & ex ea, quæ à non nullis diapedesis dicitur, aliud vtique tunc solutæ continuitatis genus*: aduerterunt græcæ linguæ, & rei medicæ peritiores, præsertim verò Comes Mõtanus lib. 5. de morb. cap. 28. ita esse legẽdum, *diuersum vtique tunc à soluta continuitate genus.* Mala quoque traductio in causa fuit, cur multi reprehẽderint Galen. quod conuulsionem, solutionem cõtinui putarit esse, cum tamen nihil sit à mente Galeni alienum magis, quam credere in ea ipsum fuisse sententia, vt voluerit conuulsiuum motum, morbum esse in soluta vnitate; nam ipse de spasmate, hoc dicit, non de spasmo masculini generis; est autem spasmus conuulsio, spasma idem, quod latine diuulsio.

Quot sint eiusdem species.

Caput 2. quinti meth. ineptè adducitur ad monstrandum, voluisse Galen. anastomosim, & diapedesim esse species solutę vnitatis, non enim id modo aliquo somniauit Galen. sed cum proposuisset docere, quo pacto profluuium sanguinis sit compescendum, quod vulnerata vena, aut arteria accidit, subdit se velle quoque profluuij curationem prosequi, quod fit ijsdem partibus, aut apertis, aut rarefactis; tametsi rarefactio, & apertio sint affectus diuersi à soluta vnitate.

Constituta ergo huius morbi natura, sunt indagandæ species eiusdem; nam dissentire videntur in re hac Medici, & alij plures esse ponunt, pauciores alij; ne tamen empiricorum more procedamus, dicemus primum, qua methodo species istæ indagari debeant, mox quot sint illæ, dicemus.

Est mihi compertum, species solutæ vnitatis, à varijs causis, quæ vnitatem corrumpunt desumendas esse, non à diuersa parte, hoc morbo vexata; nam quę via nobis numerum intemperierum mõstrauit, & species, eadem erit nobis calcanda indagaturis species solutæ vnitatis.

tis. At verò tot esse species intemperierum, docent Medici omnes, quot modis poterit qualitatum proportio, ab vnius qualitatis excessu variari: vnde cum sexdecim modis posset fieri, vt amittatur prima qualitatum proportio, hinc sexdecim esse intemperies materiales, & immateriales communi omnium sententia conclusum: cumque ad decentem compositionem, nouissent Medici, quatuor necessaria esse, formationem congruam, numerum, quãtitatem, & situm, nos addidimus vnionem, hinc rectè collegerunt ijdem quatuor esse genera dissimilarium morborum: & quamquam rectè ijdem nouissent, non esse eodem modo, quamcumq; intemperiem curandam, nam alia conueniunt in opthalmia, in pleuriti alia: omisere nihilominus hanc differentiam, etsi in curatione magnam partis affectæ rationem habuerint. Idem ergo nobis indagaturis, species solutæ vnitatis, faciendum. Nempè missis differentijs, quę à parte affecta sumuntur, eas prosequemur, quę eliciũtur à causis. Propterea tot esse statuemus species huius affectus, quot sunt causæ varię, quę soluere continuum possunt: proinde videamus, quot nam illæ, nam ita consequemur propositum.

De numero causarum soluentium cõtinuum, non videtur sibi Galen. constare, nam 12. meth. cap. 7. tres affert dumtaxat, erosionem, contusionem, disruptionem, cum tamen lib. 5. cap. 2. vulnerationis pariter meminisset.

Sed haud secum pugnat; nam 12. meth. omisit illam tamquam claram numerauit contra: 5. meth. quæcumque continuitatem adimere poterant. Itaque erunt quatuor, quæ continuum corrumpere valent, erodentia, contundentia, disrumpentia, & vulnerantia, quod vel ex eodem Galeno verum esse constat; nam lib. art. med. cap. 80. hos quatuor esse ponit causarum fontes, quæ hunc affectum inferendi vim habent, neque alios adijcit, quamquam videatur adijcere, cum lib. de constitut. art. & de differen. morb. inter causas numerat pungentia, vulnerantia, secantia; nam & pungentia, & vulnerantia sub secantibus continentur; nimirum, si quæ secant, cuspide feriunt, & in partes profundiores se insinuant, pungentia dicentur: si laterum continuitatẽ dissoluant, secantia, vtraque tamen vulnerantia.

Cæterum si tot sunt species solutæ vnitatis, quot causæ specie diuersæ, quæ ipsam corrumpunt, quatuor esse species solutæ vnitatis, hinc apertè deducitur, erosionem nimirum, sectionem, distensionem, & contusionem: nec species erosionis modo aliquo sunt multiplicandæ, quia erosio ossis vocatur caries, carnis, & aliarum partium vlcus, quia ossis sectio dicitur fractio, carnis vulnus, nerui verò punctura. Nec distensio in plures subdiuidenda species est, quia carnis vnitatem corruptam à distensione, vulnus vocãt medici, si distendantur fibræ, spasma: nam si ob hãc causã multiplicari genera morborum deberent, hoc est pro multitudine partium affectarum, multæ inuehendæ essent differentiæ, & species inflamationum, quando inflammatio pleuræ, vocatur pleuritis, membranæ cerebri phrenitis, quod falsum. Quibus nuncupentur vocabulis, solutiones continui, in varijs corporis partibus excitatæ, si cupis scire, lege Manardum lib. 7. epist. 2.

Morborum differentiæ.
Cap. XII.

DVo facere hoc libro proposuimus, indagare nimirum morbi genera, & eiusdem differentias omnes. Absoluimus primum. Quare est modo consequens, vt de secundo tractemus. Vt tamen id methodo fiat, noto harum alias à morbi subiecto sumi, quod spectat ad morbi essentiam: alias à morbi accidentibus: sunt autem hæc septem numero, quantitas: qualitas, motus, tempus, terminus, ætas, modus generationis. Quare morbi differentias omnes ex octo fontibus hauriemus, à morbi subiecto, quantitate, qualitate, motu, tempore, termino, ætate, & modo generationis. Proinde dicemus morborum alios esse communes, qui multos simul inuadunt, sporadicos alios, qui separatim sparsimque homines apprehendunt, vt cum hunc febris, disenteria aliũ inuadit: communes item duplices, endemios, seù patrios & vernaculos, qui semper certo in loco grassantur, & epidemios, siuè vulgares, qui incerto anni tempore, inuadunt: qui adhuc duplices: perniciosi, siue pestilentes, aut non perniciosi, nam paucos occidunt, euadunt multi, qui generis nomen retinentes, epidemij simpliciter appellantur. Ad idem caput spectat diuisio illa, qua morbos in seniles diuidimus, & pueriles, in muliebres, & viriles, animales, & naturales. A quantitate quidam magni, alij parui. A qualitate quidam benigni, maligni alij: quidam contagiosi, alij nullum habent cõtagium; quidam similes, alij dissimiles. A termino quidam læthales, alij salubres, ponit Argenter. alios, qui nec læthales sunt neq; curantur. A tempore sumuntur duæ differentiæ, prout duplex tempus considerari potest in morbis, in quo fiunt, & quo perdurant. Quo circa quidam morbi sunt æstiui, alij hyemales, vernales, autumnales. Quidam nocturni, alij diurni. Quidam longi, quidam breues. A motu, quidam acuti, quidam non acuti: acuti insuper, aut exactè tales, aut ex decidentia

acuti:

acuti : exactè acuti adhuc triplices esse perhibentur, acuti, peracuti, & perperacuti.

A motu sumentes differentiam, dicimus insuper, quidam morbi sunt continui, intermittentes alij. Prioris generis sunt, qui hominem incessanter fatigant: posterioris, qui per temporum interualla affligũt, qui adhuc sunt duplices, nam bifariam repetere possunt, determinatis horis, & diebus, & ordinati dicuntur: incerto tempore, die, & appellantur erratici. Ordinatus insuper multiplex, nam vel singulis quibusque diebus repetit, & dicitur quotidianus: aut tertio quoque die, & tertianarius, aut quarto, & quartanarius appellatur. A modo generationis, quidã hęreditarij, acquisiti alij, quidã venefici, alij non venefici. Ab ætate morbi, aut sunt in principio, augmento, statu, aut declinatione: sunt demũ ijdem aut ficti, aut veri. Præter has differentias simplices, non agnosco alias: simplices inquam, nam dari multas alias complicatas non me latet. At quoniam quicumque simplices nouerit, nouerit hic idem com positas facile, volens illas omitto.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Sextus.
DE CAVSIS CVIVSQVE GENERIS morbi, & specierum.



Propositi ratio. Cap. I.



Vot sunt morborum genera, quot species, quæ continentur sub singulis generibus, lib. superiori mõstrauimus: indagandæ nunc causę, quæ & morbi genus producunt, & singulas species: cumque ea sit optimi ordinis ratio, vt à simplicioribus exordium fiat, primo dicam de causis, quę intemperiem gignunt, & vnamquamque intemperiem producunt: descendam secundò ad causas dissimilarium morborũ, agam demum de causis differentiarum, atq; hic erit finis disputationis propositæ.

Fiatne intemperies omnis ex intensione qualitatis. Cap. II.

Negant multi quia in multis febribus frigent homines, neque aer calidus, à quo febres frequẽter, est cordis calidior, non detentæ fuligines, obstructiones.

PArtem, quæ negat, suadent multa ac primum febris; nam cum omnium medicorum consensu sit intemperies calida, multoties videre est, non solum non intendi à febre calorem, sed imminui; nam in febre syncopali, tardiores sunt pulsus, & rariores: in multarum accessionum principio friget corpus: in malignis febribus, & ab interna factis inflammatione, interiora vruntur, exteriora frigent. Demum quauis ex febre morientes, spirant frigidum. Quare, &c.

Præterea, produnt omnes medici, & experientia passim id confirmat, fieri non raro febres ab aere calido: obstructione detinente fuligines, frigidi vacuatione humoris, cibi abstinentia: contra frigidę calido educto humore gignuntur, nam à copioso fluxu sanguinis, cachexia, hydrops. At neq; aer, nec fuligines habent vberiorem calorem, quam cor nostrum: nec vacuatio humoris frigidi potest calorem intendere, qua ratione fit, vt nec vacuatio humoris calidi possit frigiditatem producere. Proinde fateri par est, non omnem intemperiem, qualitatis intensione produci.

Ita Vgo Senensis, Gent. in extrau. & alij multi, quod confirmant, quia ad febrẽ inuehendã, id tãtum requiritur, vt scilicet igneus calor producatur; hęc .n. eius natura: at potest hic pduci citra aliquod augmentũ naturalis caloris, sed vel producendo qualitatem contrariam nostro, similem igneo, vt mordacitatem, acrimoniam; est enim calor noster natiuus, suauis, & dulcis: vel producendo igneum calorem, qui est distinctus specie à naturali, nam est illi contrarius, vnde hic adimi, ille seruari postulat, aut procluсto veneno, aut putredine. Quare &c.

Vacuatio praeterea humoris frigidi nõ gignit calorẽ, quia est causa priuatiua, nec vacuatio calidi frigiditatem.

Ve-

Verum tamen, si intemperiei naturam inspiciatur, nunquam fieri illa poterit, ni accipiat qualitas incrementum; etenim verò cum temperies sit certa quædam harmonia qualitatum primarum: intemperies ametria earumdem, non potest hæc aliter inuehi, nisi mutata illa qualitatum congerie, & harmonia: neque hæc mutari, ni qualitatum aliqua intendatur, remittatur contraria; nam quod Vgo contendit, posse id fieri, nō tantum mutatione primarum qualitatum, sed secundi ordinis, quia fit febris calore mordaciori reddito, reijcio; enimuero, vel hæc caloris diuersitas prouenit ratione subiecti, ferri enim calor est mordax. halituosus aquæ nec ita feruidus calor stupp æ:aur quoniam est intensior: Non potest primum habere locum in febre, nam cuiuscunque febris, cor est subiectum. Quare fiet mordacior, & qualitatem naturę aduersam acquiret, quia intenditur.

Gent. opinio ponens calorem igneum, diuersum esse specie à naturali, omnino absurda; destruitur enim vterq; ab ijsdem causis, scilicet quę refrigerant: ab ijsdem augentur: vnico sentiuntur tactu; nec si à diuersis principijs ortum ducant, est cur propterea diuersos esse diceres; nam neque ignis calor, specie diuersus est à calore, qui in aere; nam productus in aqua calor ab aere, conseruatur ab igne; & si quæ esset inter illos specifica differentia, non mutarentur symbola elementa facilius: nec aptiores esset ad contrahendam febrem calidi frigidis, iuuenes senibus.

Ad ea, quæ in contrarium. Dixit ad primum Trincau. quamquam partes externæ frigeant, adhuc febricitare duas ob causas: prima est, quia sunt de integritate totius. Quare cum totum corpus laboret, laborabunt, & ipsæ febre. secunda, quia partes illæ, quamquam frigidæ appareant, non sunt tamen omnino caloris expertes, alioquin non viuerent, est enim vita permansio caloris in humido. At calor ille non est naturalis, nam optimè ederet actiones. ergo igneus. Quare febrilis.

Et aduersarijs ita facis facimus.

Bone Deus, quantum docti viri, quandoque hallucinantur. Quis hoc diceret? pars hæc viuit, & malè. ergo læsum habet calorem naturalem: ergo habet eumdem adauctum, si potest lædi à calore, & à frigore, cur potius non imminutum esse dicemus? Quanto id probabilius: pars hæc male viuit: habet itaque calorem læsum: non per excessum, alioquin non frigeret. ergo per defectum.

Non minus malè occurrit Auic. dicit enim 1.4. tract. 2. c. 51. tractans de lypiria; *spargi per febrem quamcumque calorem in vniuersum corpus, ut sit quod illud impediat: quemadmodum*, ait, *diffinimus aquam frigidam, & humidam, & graue, quod semper discendit, cum sua natura vnumquodque dimissum fuerit.* Occurrit inquam male; nam cui repugnat essentialiter actus, repugnat aptitudo ad illum actum. Quare cum repugnet calidas esse partes extremas in lypiria, repugnabit, & aptitudo ad illas excalfaciendas.

Præstat ergo dicere, nam hoc probant argumenta in initio proposita, non esse febrem corporis vniuersi intemperiem, quod multi crediderunt, & malè, sed cordis dumtaxat: fieri tamen plerumque, vt corde præter naturam excalfacto, calor ille vniuerso communicetur; influit enim cor tamquam Sol calorem, in singulas partes; Quo circa, vt eo valéte, mitis est, & suauis totius corporis calor; sic cum extraneo calore exardescit, vniuersis partibus igneo communicato calore, corpus vniuersum ignescit. Cogita ita fieri in febre; vt per apoplexiam, syncopem, & vulnera cordis. Vt itaque per has affectiones vniuersum patitur corpus, corde tantum, & cerebro laborante: haud secus erit febris subiectum, Cor dumtaxat, quamquam pati vniuersum videatur. Vnde Gal. 6. ep. com. 1. t. 29. *Essentia febris est, non secundum Hipp. modo, atque optimos medicos. sed secundum omnium hominum consensum præter naturam calor, maximè quidem in totum animal effusus, seu minus, at in pluribus partibus, aut nobilissimis consistens.* Quod si totius corporis intemperiem quandoque esse dixit, ne dum quod per se fit in febre considerauit, sed & quæ per accidens fiunt explicauit. Ita Argen. tract. de febr. Vall. 5 contr. 18. Merc. Augen. & alij multi.

Febris non est intemperies calida totius, sed cordis.

Ad illud de frigida spiratione, putant multi id fieri, quia cor propè mortem frigida intemperie laborat: quod quamquam videatur esse Galen. mihi tamen non omninò satisfacit, nam alibi docuit; si quis in sinistrum cordis ventriculum, mortuo animali immittat digitum, adhuc calidissimum obseruari. Proinde dicerem; cor quouis tempore calidum expirare; refrigerari postea aerem illum, quia per frigida loca transit; nam & venti cum sint sua natura omnes calidi, adscititia tamen frigiditate à loco comparata, frigidissimi à nobis sentiuntur.

Spirant tamē cum proxima est mors frigidum, quia aer refrigeratur in via.

Difficultates secundo loco propositas, aut non viderunt Doctores, aut in earum solutione turpiter defecerunt, nam quod spectat ad febrem ex fame dixit Vall. 4. contr. 3. à fame febrem fieri, combustis à calore excrementis. Mercat. vacuatione humoris frigidi, febrem fieri affirmat, excalfacto à pharmaco corpore. Merctur. docet Diariam ab aere fieri, calfacto plus iusto capite reflexione radiorum. Quæ quis non reijciat? nam quantum ad Vall. si à combustis excrementis febris illa à fame, iam non diaria erit, sed humoralis. Præterea non potest corpus plures calo-

Quomodo febris à fame. adducitur Vallel. & reijcitur.

M ris

ris gradus excremento tribuere ijs, quos actu habet: at non comburebat antea. ergo nec postea id faciet, aut si comburi tunc temporis à calore excrementa contendere velis, doceas primum necesse est, vnde nàm plures gradus caloris conquisiuit. Est quoque reijciendum Mercat.

Quomodo calida fit intemperies, vacuato humore frigido.

iouentum dicentis, calidam intemperiem inuehi, vbi frigidus humor vacuatur, quia pharmaca excalfaciunt, nam idē cōtinget, si à natura vacuatio fiat. Quid dicet præterea de intemperie frigida ex spontanea sāguinis vacuatione suborta? Reijciēdus tandem Mercur. nam si hac tantum ratione nos aer calfaciat, vbi quis multum moretur in Sole illæso capite, non posset è mora in Sole, in febrem incurrere. Conabor propterea dilucidare singula.

Reijcitur Mercat.

Quomodo aer cor calfaciat.

Reijcitur Mercur.

Et multipliciter huic dif ficultati fit satis.

Primus modus dicendi.

Quod ergo spectat ad febrem ab aere calido, obstructione, & adstrictione, quæ illam inuehunt, detinēdo fuligines, & prohibendo aeri ingressum, à quo ventilatio, & refrigeratio, proponam multos modos soluendi hunc nodum alij postea seligāt. Dici primum posset ab aere, & fuliginibus, quamquam minus corde calidis, cor incalescere, quia vbi est passum dispositū valde, potest agens remissum, intensiorem effectum producere.

Secundus.

Dicere secundo potes, posse id fieri ab aere, & fuliginibus, quia intensio, non solum fit à gradibus maioribus, sed & ab eorumdem multitudine.

Tertius.

Dic tertio hæc, & alia posita in argumento, occasionaliter tantum, seù calidā, seù frigidam intemperiem inferre: per se inuehi ab elementis, quæ ad partis constitutionem coaluerunt. Nimirum, sunt in quacumque mixti parte, quatuor vocata elementa, retinentque proprias formas, quamquam habeant qualitates remissas. Vbi ergo à frigido e. g. aere, non remittitur portio illa ignea, quæ in corde: producet statim per emanationem, vlteriorem quemdam gradum caloris; naturalem ipsi, cōtrarium at cordi: Cumque copiosus sanguis è corpore effunditur, remoto prohibente calido, aquea frigidaq; hepatis portio, producens per emanationem aliquos frigiditatis gradus, frigidam intemperiem inuehit, vnde hydrops.

Quartus.

Quod si nolis admittere, elementa esse formaliter in mixto, dicere quarto potes intensionem illam fieri, à forma humoris, qui amoto contrario per emanationem plures gradus qualitatis sibi familiares producit.

Quintus.

Dic quinto, cum multa vacuatio sanguinis facta fuerit, refrigerari hepar ab alijs partibus frigidis nostri corporis, quod antea facere nullo pacto valebant, quia roboratum à sanguinis affluentia hepar, resistebat validius. Illud me auctore numquam affirmabis, intendi qualitatem à forma partis, vbi impedimentum de medio tollitur: & omninò improbo, quod malè quidam probarunt, cor e.g. vbi non impediatur ab aere frigido, reduci à propria forma ad maiorem calorem, ac propterea febrire, nam numquam emanatio potest esse proprio subiecto exitio: & quamquam genita ab animalis forma in virga vrinaria caruncula, aut lapis in renibus, in causa sit, cur suppressa postea vrina, intereat animal, non tamen probāt propterea, quod intendunt: primum, quia generatio carunculæ, non est emanatio. Secūdo quia fit vitio obiecti, nempè exuberantis sanguinis caro illa adaucta, viscidæ substantiæ, lapis. Tertio, quia caruncula, à vegetali fit facultate, damnum animali virtuti infertur, quæ quoniam magnum habet cum naturali consensum, hinc fit, vt per accidens postea, hæc quoque extinguatur.

Quæ calidam intemperiem inferant. Cap. III.

EGimus de causis intemperiei in vniuersum, nunc, quæ calidam faciunt indaganda. Gal. si de hac re consulatur, non satis sibi videtur constare; nam cap. 2. lib. de caus. morb. ab his posuit calidū morbum fieri, motu, putredine, vicinia rei calidæ, eiusdem prohibito effluuio, & alimentis calidis. Idem fere lib. 1. de diff. febr. c. 3. nam loco alimentorum calidorum, posuit mixtionem substantiæ calidæ. Tertio at ar. med. 5. enarrans ea omnia, à quibus necessario corpus nostrum alteratur, & patitur, ponit esse sex, aerem, cibum, & potum, somnum, & vigiliam, motum, & quietem, excreta, & retenta, animiq; accidentia, quæ postea primo de sanit. tuen. c. vlt. ad quatuor capita reduxit, scilicet assumenda, facienda, excernenda, nec non ad extrinsecus occurrentia. Hanc autem inconstantiam, quis non aduertit? hic ponit esse sex, ibi quinque, alibi quatuor: hic ait, quintam causam, esse alimenta calida, ibi affirmat esse substantiæ calidæ mixtionem.

Gal. in huius difficultatis decisione inconstans sibi videtur.

Neque hanc tantum ob causam dignus reprehendi, videtur Gal. sed quoniā multa omisit, multa superfluo addidit: omisit mœrorem, famem, vigiliam, cruditatem, calidorum retentionem, frigidorumque expulsionem, quas sæpissime affectus calidos concitare, 1. de feb. diff. scripsit.

Imminutus quandoque.

Superfluo addidit putredinem, nam vel non potest calidum excitare affectū, nam putrefacta frigent: aut si potest, sub vicinia rei calidæ continetur, aut perspiratione prohibita.

Interdum superfluus.

Damnat ob adducta Argen. Gal. & diminutum fuisse in recensendis, causis morbi calidi autumat, superfluum, inconstantem; inexhausta illa contradicendi libidine abreptus; nam quod nulla sit in Gal. incon-

Quocirca reprehenditur ab Arg. [illegible] que [illegible] constans.

inconstantia, intelliget facilè, quicumq; animi liuore deposito, diligenter ipsum perlegerit; enimuerò primo de san. tuen. proposuit fontes Galen. è quibus potest medicus petere causas omnes, quæ vtcumque morbum inuehere valent, & sanitatẽ deperditam inducere, idque sufficienter, vt ipsemet Argent. fatetur lib. 1. de caus. morb. c. 10. Lib. art. med. non indagauit in vniuersum causas quasq; morborum, sed illas, quę necessario occurrunt, obcedunt que, si quis ineptè ijs vtatur, sunt contra salubres, conseruantq; si opportune adhibeantur: vnde cum balnea, medicamenta, venena, & appensa vitari possint, nil mirũ si has causas omiserit quãdo necessariarum catalogum faciebat. In libro de causis morborum docet, quo pacto causæ illæ positæ calidum morbum inuehant, asseritque excitari à sex rebus non naturalibus morbum calidum, motu, putredine, prohibito effluuio, aut quia actu calida cum sint, plus equo approximantur nobis, vt cum plus iusto moramur in Sole.

Neque imminutum. Non esse diminutum, ex ijsdem deducitur, nam si lib. de caus. morb. docuit modum, quo sex res non naturales vocatæ, morbum calidũ inferunt, causas morbi calidi docuit alio in loco esse aerem, motum, & quietem, cibum, & potum, somnum, & vigiliam, excreta, & retenta, animique accidentia: nec mœrorem omisit, nec famem: non vigiliam, cruditatem, excrementorum frigidorum excretionem, calidorum retentionem; nam mœror sub animi accidentibus continetur: fames sub cibo, nam hic morbos infert, & quia multus, paucusque, & quoniam praua est qualitate affectus. Retentio, & vacuatio, sub excretis, & ijs, quæ præter naturam retinentur. An superfluo addidit putredinem? minimè verò; neque enim mens Gal. illa fuit, quam verba sonare videtur,

Non demum superfluus. sed quod bis à nobis est dictum, & nunc tertiò repetetur, acrem, & cõsimiles causas nos calfacere, aut quia detinent effluuium calidum, prohibentq; spirationẽ: aut quoniam ipse est calidus, viciniaque eamdem nobis qualitatem communicat: aut quoniam putredinem excitat, & hac via calorem. Nec tertiò debet reprehendi Gal. quod superfluo addat prohibitæ perspirationi putredinem, ac si necessariò sese comitentur; nam nec semper putredo à prohibita pendet perspiratione, neque hæc necessariò putredinem inuehit. viciniam rei calidę omittere fortasse Gal. poterat, cum omnis causa, vt agat, propinquitatem, & certam requirat distantiam, ob limitatam eius virtutem. Condonandum id tamen Galeno qui clarioris gratia doctrinæ, calidorum externorum contactum, viciniam appellare voluit. Quæ intus suscepta idem faciunt, mixtionem substantiæ calidæ, vel calida alimenta vocauit; hac voce medicamenta complectens, nedum simplices cibos, quando hic diuiditur in purum alimentum, & medicamentosum. Illud fortasse non indignum, quod sub examen reuocetur hoc loco, valeantne causæ positę hac via calorem intendere; nam quamquam experientia verum id esse doceat de motu, & si quæ est difficultas, alibi est explicata: an tamen putredine quidquam calidius fiat, dubium valde: primum, quia nõ rarò putredo ab ambiente frigido excitatur, nam multa putrescunt in alpibus puteis, & frigidissimis locis: frequenter putredo infertur ab aere, minus calido, quam humor putrescens: quæ demum putrescunt, à quauis causa id patiantur, euadunt frigida, nam fit exeunte calido, & vna cum ipso humido.

Id tamen dubium esse non diffiteor, sine putredo caloris causa. Nam multa à frigido ambiente putrescunt, aut minus calido.

Dedit manus Arch. Mercenarius huic argumento, & quæ putrescunt, frigida euadere docet. Quare nulla causa valebit per putredinem morbum calidum facere ex eius mente. Quæ falsa, nam quæ quam frigeant, quæ vltimatam sunt passa putredinem, vbi tamen incipiunt putrescere, calidiora euadere, experientia docet. Nam fimus, qui ex palea gignitur, est calidior palea, sanies sanguine, fœces crassiori parte chyli. At hæc omnia fiunt per putredinem.

Vnde non esse calida, quæ putrescũt Mercen. docet. falso tamen, si de putredine incipiente id dictum velit.

Putrescentia præterea, aut omnia, aut magna ex parte fœtent, & fermentantur; sunt autem fermentatio, & fœtor caloris inditia. Quare negat sensu comperta Mercen. dũm negat, calidiora fieri, quæ putrescunt. Confirmat idem modus generationis putredinis, tantum abest, vt probet Mercenarij sententiam; nam si putredo fit exhalante calore, nec potest exhalare, ni mixtum rarefiat, nec rarefieri, ni euadat calidius: necessariò hinc efficitur, vt quæ putrescere incipiunt, calidiora euadant, tametsi vbi illa consumata fuerit, & calidę partes omninò perspirarint, frigidum remaneat mixtum: vnde finis putredinis, Aristotele teste, cinis, & terra.

Generatio aceti, aliquod negotium nobis videtur facessere, cum enim gignatur ex vino per putredinem, est tamen vino, ex quo gignitur minus calidum; nam talsum esse, quod quidam existimarunt, frigidissimum esse, aut calidissimum, sufficienter monstratum à Galeno est lib. 1. simpl. Enimuero si extrema aliqua qualitas inesset aceto, numquam fuissent ita dubij medici de eius temperie. Quare cum sæpè dubitarint, calidũ ne sit, an frigidum, non erit idem, aut extremè calidum, aut frigidum. Secundò dictum ab ijsdem est esse acetum vinum mortuũ, hoc est (amice enim veterum dicta sunt interpetranda) veluti mortuum vinum; nam veluti in cadauere partes quædam sunt frigidę, calidæ aliæ, scilicet quæ concepere putredinem:

dinem : haud secus in aceto, partes quædam sunt frigidæ, nam destitutæ sunt natiuo vini calore, calidæ aliæ, calore adscititio per putredinem comparato. Nō itaque poterit summè calidum esse, aut summè frigidum, si partes quasdam calidas habet, habet alias frigidas.

Sed quomodo partes frigidas habet, si est per putredinem prognatum? An dicemus esse acetum, vere mortuum vinū, non putrefactum? aut potius vinum alteratum, & in ea mutatione amisisse vinum, vitalem quendam calorem elementari relicto: humidum aqueum, relicto eo, à quo fit partium vini continuatio quædam, vt Zabar. lib.3. de mixti gener. & interitu, & Bacc. qui lib. 1. de vino cap.13. Pytagoricam quamdam transmigrationem in aceti generatione agnoscit? minimè verò; nàm cum vinum, vbi degenerauit in acetum, numquam possit in pristinam naturā reduci, certum est inditium aliquam substantiæ propriæ iacturam passum esse, quæ cum non fuerit in anima vini, non enim est animatum, putrefactionem fuisse est reliquum dicere, nam hæc mistorū interitus est, & combustio, quemadmodum corruptio viuentium, mors à Philosophis dicitur.

At vnde frigiditas, si putrescentia euadunt calidiora? Respondeo quia acetum fit, ex prægressa putredine vini. Patet nā ex vino aliud est mixtum progenitum, vino quidem apparenter simile, reuera multum diuersum. At dictum, ab hac reddi mixta frigidiora, ex inchoata euadere calidiora. Quare &c.

Possumus secundo dicere, idem per putredinem fieri, quod per coctionē. Quare velut cocta calidiora euadunt si inspiciamus, quod per se fit à concoctione: at si effectus per accidens insequentes spectemus, non pauca fieri frigidiora dicendū, quia calore in concoctionem incumbente, contingit non rarò, partes quasdam calidiores exhalare: haud secus per putredinem. Quare statuendum cuncta, à putredine per se reddi calidiora, contingere tamen aliter quandoque per accidens, quia per accidens fit, vt mixto ebulliente, dum putrescere incipit, calidiores quędam particulæ perspirent. vnde intelligitur, cur lac cum putrescit acetosum euadat, fiant pariter fructus acetosi per putredinem. Vbi quæritur, vnde maior calor? vide caput sequens.

Sitnè alia causa morbi calidi præter dictas. Cap. IV.

Putat Vega ob has rationes.

PVtat Vega c.2. comm. in p. de diff febr. & à contractione calidæ substantiæ hoc est spirituum, plerumq; febrem fieri contendit has ob causas. Primum, quia adueniens catharro, & quibusq; alijs frigidis affectionibus iuuat nam concoquit, & digerit causam crassam & frigidā, à qua illæ affectiones. At non curaret, ni ex natiuo calido contracto, febris illa originem duceret; nam calor igneus corrūpit, non coquit, destruit non perficit, inducit morbos, non abijcit.

Secundo hoc suadet, quia febris fit, augeturque in suppuratione. at hæc fit à calore naturali contracto. Quare ab eodem febris.

Tertio, quia augetur ad augmentum caloris innati: nam in ipso ramificatur. suadet hoc demùm, quia anticipatio accessionum fit natura pugnam accelerante; quod si à natura, est accessio, à naturali calido contracto, fiet pariter febris.

Cæterum, quia videbat posse aliquem dicere, augeri febrem in suppuratione non quia calor contrahitur, sed quia contractus materias agitat, ideoque veluti à moto sterquilinio, vberiorem ad cor assurgere segetem putrescentium vaporū; nam & Gal. com.47. aphor. 2.par. incrementum febris, & dolorem, in hanc causā refert, & ab eadem causa fieri, vt accessio anticipet, contractione .s. calidi, putrem humorem citius agitantis. Probat deinde non posse à putredine febrem proficisci, quatuor ob causas: primum, quia multi putridis scatent succis, vt gallici, leprosi, & scabiosi, nec tamen febricitant: alij cōtra febricitant, à quibus sanguis omninò putus, & incorruptus extrahitur: secundo, quia augeretur febris adaucta putredine, & decrescente decresceret, quod falsum, siquidem putredo in statu est remissa, nam causa morbosa est concocta, & tamen febris est valida: exigua eadem in ijs qui sunt in mortis confinio, nam spirant frigidum, vigente putredine. Tertio, quia exigua est portio humoris putris, & in parte longè dissita à corde, vt cum extrema pars digiti panaritio laborat. Non posse demum ab humoris putredine febrem nasci probat, quia si humor ille tangatur, vix calidus esse sentietur.

Placuit eadem sententia Augenio, vt licet videre apud ipsum tom.1. epist. lib. 5. cp. 2. est tamen falsa, & propter hanc causam reijcienda, nam si à substantię calidæ contractione febris, cur non à timore rigore, qui post cibum accidit? Cur demum à meditatione non febricitamus, cū multò magis calidum sit contractum, quā in digiti vnius panaritio? — Et Augen. — At reijciendum ob has causas.

Hic mirum, quantum Vega angatur, vt hanc superet difficultatem, quod vel ex eo licet colligere, quod modo, hac via, modo illa euadere tentat; enimuerò nūc dicit, contractionem calidi, non esse principalem febris causam, sed sine qua non: modo docet esse causam maioritatis febris, non febris: dicit alias non cuiuscūque calidi contractionem esse causam febrit, sed calidi maioris, & aucti: quæ singula

gula falsa & reijcienda; equidem si contractio calidi esset causa, sine qua non febris, non posset fieri, citra ipsius contractionem, & tunc temporis febris augeretur, cum maior fieret calidi contractio. At in accessionis vigore, quo tempore est calor expansus, est calor febrilis maior. Præterea, quo sequatur effectus, non est satis causa sine qua non, sed causa per se est necessaria: cogetur itaque dicere, humoris putredinem esse causam per se febris, nam nulla alia occurrit.

Non minus falsò asseritur, causam esse maioritatis febris, nam eadem causa, quæ à principio dicitur producere, hæc eadem si perseueret agere, & validius, productum auget effectum, & causa adaugens vocatur; vnde à Philosophis dictum, esse augmentationem quamdam adgenerationem. Quare si calidæ substantiæ contractio, non est causa per se febrem producens, non poterit modo aliquo augere febrem. Confirmatur; nam in statu accessionis, cum calor vniuersus est expansus, multò maior est febris, quam in principio. Quare non erit caloris contractio causa adaugens febrem, aut si quandoque hoc fiet, per accidens fiet. Illud Vegæ damus, si substantia calidior febrili, ad internas partes contrahatur, febrem facere; at quæ nam substantia naturaliter calida, calidior esse poterit febrili? Nunquam itaque fieri putandum, vt à contracta calida substantia, febris aliquando oriatur.

Cum quia eorum rationes inualidæ.

Nec suadent oppositum coniecturæ Vegæ; concoctio enim vt primo argumento occurram, à calore fit naturali, hoc est dominante, & proprio, hoc est proportionato; nam cum debeat calor digerens vincere resistentiam eius, quod concoqui debet, neque possit vincere, ni superet: dominetur, necesse est calor, qui coctionẽ erit moliturus: at quoniam vbi multum excedat, nocet potius, cautè illud additũ, & proportionatum. Nunc verò proportionatum, & improportionatum, sunt ad aliquid. Quare poterit idem calor, qui febrilis est cordi, esse humoti proprius, et naturalis.

In suppuratione, concedimus augeri febrem, intendi dolores, à pure tamen dicimus fieri, à putredine: à contractione caloris, aut nullo modo, aut per accidẽs, quatenus contractus calor materia.n in abscessu contentam exagitat; vnde maior fiet, ad cor putrium vaporum delatio. Eodem fiet modo, anticipatio accessionũ, nempè à natura humotem agitante, ac propterea vapores ad cor iaculante: per se à putri vapore, aut humore.

Nec me mouent proposita aduersus hanc sententiam argumenta. Non primum, nam non quiuis humor putris, febrem inuehere est potis; sed à quo putres halitus, ad cor eleuantur; Vnde idcirco aliqui ex cutis adstrictione putrem in febrem incidunt, quia halitus putres detinentur, qui, ad cor deferuntur, antea verò, per patefactos cutis meatus perspitabant.

Possumus secundo negare, putres esse succos in gallicis. Nec nobis imponit sanguis ille albicans, & puri similis, qui ab illis extrahitur; pituitosus enim est, non purulentus, vt quidam malè existimant. Quod incorruptus quandoque educatur in febricitantibus, in causa esse potest, quia in alia est parte recondita humorũ putredo, ex alia vero extrahitur sanguis.

An nos vrget secundum argumentum? minimè verò; nam concedimus quidquid infert. Itaque admittimus, & febrem vigente morbo esse maiorem, & putredinẽ, vt lib. 4. dictum, & dicetur 7.

Concedimus pariter, in morientibus, cum summa est putredo, summam febrẽ esse; spirare tamen frigidũ, quia prodiens aer per frigida loca restrigoratur.

Quarta ratio maioris momenti; nam tertiæ satis fit, si dicatur, mitti vapores, & halitus ad cor distans; at si expendatur, illud tantum probat, nõ esse pus, aut humorem putrefactum, formali calore corde calidiorem: non probat tamen, quin virtualiter, saltim possit esse calidior. At vnde maior illa caliditas? in aerem hoc referunt quidam. Quia verò videbant ambientem, quandoq; esse frigidũ, quandoque calidum, duplicem dari statuunt putredinem, alteram à causa calida à frigida alteram.

At vnde maior ille calor in re putri? quorundam solutio Reijcitur.

Quos reijcio, quia quæ per putredinẽ corrumpuntur, in quatuor vocata elementa dissoluuntur: at frigus cuncta iungit: in illa, *euaporante calido, coeuaporat, quod vnà secum est humidum*: frigus condensando, quamcumque impedit euaporationem. Quare quæcumque putrescẽt, à calore putrescent. Quod si à frigido ambiente quædam corrumpi videmus, non corrumpuntur illa per putredinem, sed vel in aquam, vel terram vertentur. Vnde quemadmodum combustio, non est putredo, quia per hanc mixtum in sua principia resoluitur, combustione, multa elementa in ignem vertuntur: eadem ratione, non erit putredo, corruptio à frigido facta, quia à frigido, ignis, & aer, in aquam vertentur, aut terrã. Aut si fuerit dicta corruptio putrefactio, fiet ab ambiente frigido per accidens, per se à calido, nam frigus constringens, detinet perspirationes fuliginum, hę detentę, ac ambientis rationem sortitæ, proxima causa sunt putredinis. Semper ergo, si à calido ambiente putredo, quæ putrescunt, calida: proindeque fit, vt nihil habeat rationi aduersum Gal. sententia. At adhuc contendes: nam aer, à quo putredo ferè semper temperatus, nam admodum calidus exsiccatione, coercet putredinem: illud

ergo incrementum caloris in ijs, quę putrescunt, vnde nam? Enimuero quod Vega dicit, à quo Augen. calidiora fieri putrescentia, quia calor secretus à sicco, & in humidum transiliens ebullit, nequaquam satisfacit, nem vt quę videri potest, non acquiritur propterea maior aliquis gradus caloris, quamquam magis elucescat. Propterea dicerem, putredine secerni partes calidas à frigidis, illas postea obice remoto, maiorem comparare calorem: nam cum respondeant illæ proportione quadam elementis, veluti aqua statim ac remouetur ab igne, à propria forma ad propriam frigiditatem reducitur: sic partes illæ calidæ mixti, vbi fuerint vi putredinis à frigidioribus secretæ, maiorem vi propriæ formæ, comparant caliditatem. Instabit à quo separatio? Dic ab humiditate laxante, nam humiditas putredinis mater.

Reijcitur Vega.

Et vera solutio proponitur.

Intemperiei frigidæ causæ.
Cap. V.

Inuehũt hæc, quæ calorem corrumpunt.

Propterea videamus quot modis ignis corrumpitur.

Affertur Gal.

INtemperiem frigidam, illa eadem inuehunt, quæ calidam excitandi vim habent, nempe aer, & aliæ sex res non naturales vocatæ, nam quod ab his tantũ aitermur, lib. 2. monstratum. Inuehunt autem corrumpendo calorem: hunc ijsdẽ expugnant armis, quibus ignem. Proinde videamus quot modis corrũpitur ignis, nam hinc intelligemus, quo pacto causæ positæ calorem corrumpant, & consequenter frigidam intemperiem inferant. Censuit Gal. cap. 3. lib. de caus. morb. & c. 5. lib. de curation. per sang. miss. quatuor modis posse calorem corrumpi: extinctione, nam frigida ignem perimunt: defectu alimenti, nam subtractione olei flamma lucernæ marcescit: suffocatione, nam multa lignorum strues suffocat ignẽ, dissipatione, nam exigua lux à luce maiori disperditur. Quare & quatuor modis causæ illæ nõ naturales vocatæ, frigidam intemperiem inferent è Gal. sententia, extinguendo calorem, suffocando, dissipando, & alimoniam illi subtrahendo.

Et reijcitur.

At si est illud certum, caloris ruinam morbo frigido, ædificium struere, caloręq; corrumpi, quemadmodum ignis: cum hic duobus modis corrumpatur, extinctione nempè, & suffocatione, hac tantum via causæ positæ calorem corrumpent, & frigidam intemperiem gignent: aut quia frigiditate extinguent, aut quoniam suffocabunt. Non corrumpi ignem defectu alimenti, est clarissimum, quia ignis non alitur. Quod si defectu olei flamma lucernæ marcescit, idcircò marcescit, quia, flamma, & ignis quicumque ex combustili materia genitus, non est idem numero, sed per continuam quamdam propagationem conseruatur. Vnde quemadmodum nemo in eudem fluuium, bis potest ingredi, quia fluenti aquæ semper aliæ denuo succedit: sic nullus potest eamdem numero flammam bis tangere, quia, vt ait Philosophus lib. de mot. & vit. c. 5. *semper ignis perseuerat fiens, & fluenis fluminis instar, sed latet velocitas.*

Quare non habet ignis (quod falso multi sunt arbitrati, vt Gal. c. 3. l. de vtilit. resp.) duplicem motum, sursum alterum à propria forma, deorsum alterum, ratione alimenti; non enim eadem numero flamma, quæ vniuersam ceram candelę consumit, sed eadem dicitur per continuam quamdam propagationem. Itaque numquam eadem flamma numero descendet, sed quæ occupauerat partem supernam candelæ, eduxit ex ea nouam flammam, quæ in proximam materiam agens, educit aliam. Vbi ergo materia deficit, è qua possit præexistens ignis nouum ignẽ elicere, & per cõtinuatam generationem idem specie conseruari, vniuerso aeris elemento expositus, destruitur. Ab hoc itaque per se extinguitur, à defectu alimenti per accidens, & occasionaliter. Idem dicendum de flammula, quæ Soli ardenti exposita extinguitur: nempè subtrahit maior flamma minori materiam, è qua generando consimilem flammam per iugem propagationem, eadem specie cõseruabatur: propagatione itaque inhibita, quæ genita erat, ab aere, aut alia causa externa destruitur. Eodem modo necat grandis aura ignem, scilicet remouendo flammam à ligno, e. g. in quod agens consimilem flammam producebat, & hoc modo perennabat, nam expositu aeri, statim ab ipso perimitur. Quamquam dici posset à vero, qui frigidus est respectu ignis corrumpi. Quod si ignis non nutritur, non enim apponit sibi ligna, quamquam consimilem ignem ex illis progignat: nec mouetur deorsum, alimenti appetens, quod quidam turpiter hallucinati dixerunt, duobus tantum modis poterit ille perimi, à contrario nimirum, seu per extinctionem, & suffocationem: hac, quia priuatur motu ad supera loca: extinctione, quia frigus sibi aduersum. Quare, & nostrum calidum poterit bifariam perimi, extinctum nimirum, & suffocatum. Non tamen quodcumque, sed illa substantia calida, quæ spiritus influens vocatur à medicis; nam insitus in vnaquaq; particula calor, & quia insitus, & quoniam accidens, non potest hac, illac vagari. Quare nec suffocatione corrumpi, sed ab vno contrario perimi. Cœterum cum intemperies fiat qualitatum harmonia, & in particula existit variata, atq; hæc intendi possit ab vno simili, corrumpi per se ab vno contrario, ea tantum per se frigidam intemperiem valebunt inuchere, quæ per se poterunt calorem corrumpere: sunt autem hæc, quę per se valent nos in-

Vera sententia.

Vnde intemperiei frigidę causæ hauriuntur.

infrigidare. Quare à potu frigido, alimentis frigidis intemperies frigidæ. Verùtamen si nolimus sistere in ijs quæ per se valent id facere, sed causas omnes cōplecti, quæ quouis modo ad eius productionem concurrunt, cum hæc fieri possit defectu spirituum, nam ni continuo eorum influxu foueatur partium calor, mox ille imminuitur, augetur frigiditas: ac spiritus deficere possint, vel quia non gignuntur defectu materię, aut vitio partis: aut quoniam geniti, mitti nequeunt impedimento viarum, aut tandem, quia extinguuntur, aut suffocantur: duplices gignent frigidam intēperiem causæ, aliæ, quæ partis calorem per se destruentes, frigiditatem intendunt: aliæ, quę spiritus perimunt, quorum continuo influxu, partis cuiusque calor roboratur & glifcit: sunt autem & hæ duplices, aliæ quæ per se id faciunt, vt quæ extinguunt, aut suffocant: aliæ, quę per accidens, & occasionaliter, vt materiæ defectus.

Obiectio.

Sed est, quod obicem adhuc facit, & difficultatem, nam defectus spirituum est mera negatio; non itaq; poterit frigidam qualitatem producere. Quare neque intemperiem.

Card. affertur
Et reijcitur.
Vera solutio.

An dicemus, quod quandoq; Card. nō esse frigus qualitatem realem, sed meram caloris priuationem? minimè vero, nam intenditur, remittitur, agit, & sensum mouet frigiditas, quorum nihil priuationi potest cōuenire. Quomodo ergo ociū, longa inedia, magna obstructio, huius causa? dictum de re hac c. 2. huius libri, pete proinde locum illum, nam non sunt omnia vbique inculcanda, & repetenda inutiliter.

Intemperiei sicca, & humida causa. Cap. VI.

PErtractans de re ista Galen. 1. de sanit. tuen. 13. *Porro*, inquit, *siccitatem accidere faciunt, & qua valenter adstringunt, & qua pariter calfaciunt, & siccant, illa namque humorem exprimendo, & quā patebant contrahendo, constringendoque, ac densando: hac eliciendo per halitum humorem, siccitatem inducunt.* A Galeno desumens Argent. & medici omnes, scribunt fieri siccos morbos, aut alteratione, aut humiditatis resolutione. Excitant alterando quæcunque actu, aut potentia habent vim siccandi, vt motus immoderati, vigilia, curę, mœror, cibi salsi mordaces, acres, aer siccus, natatio in aquis aluminosis, & alia huiusmodi, quorum syluam reperies apud Galen. lib. de caus. morb. & Auic. 2. 3. d. 2. sum. 2. c. 3. & 4. & par. 1. cant. Exiccant humiditatem resoluendo, quæcumque faciunt plus corpus resolui, quam nutriatur, id quod nonnulla faciunt, bifariam insensibiliter, aut per vias sensibiles

Duplices causa faciunt siccam intemper. alterantia, & humidā substantiam resoluentia.
Priora duplicia, actu, & potentia.
Posteriora, quæ impediunt nutritionem; sunt autem triplicia, vacuantia, obstruentia, & quę intemperiem inducunt.

vacuando: nonnulla nutritionem prohibentia, qualia sunt, quæ obstruunt, quæq; partem nutriendam, ita intemperant, vt nequeat conuertere succū in substantiam propriam. Non discrepat ab his Aristot. dum 4. meteor. agit de causis exiccationis; nam quamquam siccari cuncta doceat, aut calfacta aut frigefacta; rem tamen magis declarans, statuit & calorem & frigus siccationem inferre calfaciendo: & calefactione cuncta in vapores vertendo. Quare proxima siccitatis causa ex Arist. humiditatis erit resolutio: huius calor adauctus, aut alius calor externus, aut frigus cogens internum, *Exiccantur*, inquit, *sicuti dictum est, omnia, aut calfacta, aut frigefacta & omnia calido, aut interiori, aut exteriori coeuaporare faciente humidum. Dico autem extra quidem, sicut qua elixantur, intra autem, quando ablato humido à caliditate, quam habet, consumptū fuerit, expirante.* Exiccari multa frigido cogente calorem, declarant frondes, & folia, quæ hyberno tempore exarescunt quamquam aliam huius facti causam tradat Mars. Cagn lib 1. var. obser. cap. 6.

A duplici itē causa intemperies humida.

Contra, humectant aliqua alterando: aliqua resolutionem impediendo. Prioris sunt generis, & medicamenta, & alimenta omnia, seù actu, seù potentia humida, quemadmodum est aqua calida dulcis super corpus affusa, vsus lactis, casei recentis, & piscium delectabilium par. 1. cant. posterioris sunt ocium corporis, animiq; securitas, vmbratilis vita, humiditatum restrictio.

Obiectio.

At dices, nulla est inter substantiam humidam, & calorem contrarietas: Quare neque actio. Non itaque calor humidam substātiam resoluet. Nec si id faciat, siccus propterea morbus produceretur, nam humidæ substantiæ resolutio merus est defectus. Quare non poterit siccitatē producere: ni dicas, siccitatem esse priuationem humoris, quod multi autumarunt, & falsò, quia siccitas agit, & per se à tactu sentitur. At facilè hæc soluuntur, nam calor non agit in humidis partes, qua humidæ sunt, sed quoniam frigiditatem aliquam adnexam habent: exiccat idem occasionaliter tantum, & per accidens: producit per se siccitatem ignis elementum, aut terræ, quæ formaliter in parte inexistunt, qua de re plura cap. 5. huius lib. subtraham propterea manum, nec plura dicam de causis morborum, qui in intemperie, nam ex notione simplicium, compositarum causæ innotescent. Accedemus itaque ad eos, qui in intemperie cum humoribus coniuncta, consistunt,

Intem-

Intemperiei cum humore coniunctæ seù tumorum causa. Cap. VII.

Est proxima tumoris causa, humoris collectio. Huius tres.

EST causa huius affectus, humorum collectio. Colliguntur humores, vel, quia plus iusto gignuntur à parte: aut quoniam non expurgantur: aut tertio, quia aliunde confluunt. Plus iusto gignuntur aut vitio obiecti, aliarumuè rerum non naturalium, aut ob propriam partis affectionem.

Generationis duæ.

Non expurgantur, aut vitio facultatis, aut quia viæ impeditæ. Fluunt aliunde, aut pulsi, aut tracti: pellunt partes, aut quoniam humorum copia grauantur, aut quia à praua qualitate infestantur; cum enim natura cuiq; parti sit insitum, vt sese tueatur, atque hanc ob causam tribuit cuique pellendi virtutem; cui dubium est, si quid eam infestat, conaturam, vt illud protrudat? Obseruamus hoc non rarò in hydropicis, & ijs qui à longo morbo resurgunt, nam vtrisque noctu pedes intumescunt, detumescunt mane, quod non aliud significat, quam currere aliunde humorem.

Huius tres, generatio, retentio, fluxio.

Generationis duæ, error externus, vitium cōctricis.

An ijdem trahātur? trahi docet à partibus Galen. cum calent, cum dolent, aut vacui vitandi desiderio allectę: negat Argen. nam si à vacuo tractio: vel fieret tanquam à causa principali, aut occasionaliter: non primum, nam est mera priuatio: nec dici potest, partes, quo vacuum vitent, humores allicere, foret enim necessum, vt sentiretur vacuum à partibus. Nec trahet dolor, nam irritat: quę autem irritant expultricē vim mouent ad agendum, non attractricem. Demum non potest hoc facere calor; nam humectata lintea, vbi igni admota exiccantur, non exiccantur humore ab igne attracto, sed eodem in halitum soluto: idemque vbi agit in ligna, haud trahit ad se ligna, sed vrit. Tandem, quod nec dolor, nec calor, aut vacuum id possint facere, hac ratione vniuersaliter cōcludit. Nihil trahit propter ipsum trahere, sed vt eo, quod trahit potiatur, 3. de facult. nat. Quare cum nulla intercedat familiaritas inter calorem, dolorem, & vacuum cum ipsis humoribus, nulla poterit à dolore, calore, aut vacuo attractio fieri. Cœterum, quia sensu docemur excalefactas partes, dolentesq; intumescere, vitandi vacui causa ascendere aquam, dicit ad calefactas partes humores currere, quia spatium amplius redditur, & rarefaciente calore, humores funduntur, quo fit, vt moti postea in excalfactum locum, tamquam ampliorem secedant: Dolentes intumescere, missis ad ipsam humoribus, non attractis. Nec trahit ait, cum vacuum vitari cupit, sed sponte propria in ipsam insinuari.

Fluxionis pulsio.

Pulsionis quoque duæ, qualitas, quantitas.

Num & tractio causa fluxionis? affirmat Gal. Negat Arg.

Cui nos ex parte annuimus.

Argent. consensit Ioub. 2. dec. parad. assentitur ex parte Vallesf. 7. lib. contr. cap. 3. Auega 2. lib. de diff. feb. & 2. art. med. neque ego alterius voti, sed partim annuo, partim abnuo. Placet illud Argen. quod multo antea Gent. 1. 1. d. 6. sum. vn. cap. 3. & Iac. de part. ibid. dolorem non trahere, nam quamquam sæpè dixerit Gal. dolorem trahere, dum tamen qua ratione fiat, vult explicare, non tam trahi doloris occasione docuit, quàm mitti à partibus; hæc enim cap. 2. 13. met. *Porrò in doloribus incipit quidē causa ab eo, quod affligitur, sed quidquid est phlegmones, superpositæ partes efficiunt.* & paulò post, *Vnum verò est ex ijs, quæ ipsam contristant, ipsa quæ dolorem excitat causa, quæcumque ea sit: hanc igitur reijcere dum properat, phlegmonem interdum in particula concitat; cum enim primis suis conatibus nihil profecit, vehementius aggressa. quod infestat expellere, sanguinis aliquid, & spiritus ex superpositis partibus, in affectam simul exprimit:* & 5. aphor. 53. *Est quædam*, inquit, *ratio communis, in quibus natura aliquid violenter excernit, vt sanguinis & spiritus impetus cōferatur quibus duobus, veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant, per vim expellit.*

Placet item, quod subdit de vacuo, tacito nomine, vt sui moris est à Gent. id desumens, & Iac. de part. humores vitandi vacui causa, non trahi, sed sponte propria confluere: non quia dato opposito, necessum foret, vt ait Arg. vt sentiretur vacuum à partibus; nam si id requiratur, nec succi poterunt in partem inanitam accurrere, ni prius sentiant vacuū, quod impossibile, sed ob rationem à Vallesf. propositam aduersus Christoph. Aueg. cit. loc. finge, inquit, æneam aliquam fistulam pueri bucca ad cœlum vsque produci, puerumq; inspirando allicere per fistulā aerem: certum est, attracto aere, succedere alium, & huic alium, non à vi pueri allectum, nam quæ tanta esse potest pueri efficacia? Quare sese insinuante; & fugientem aeris partem insequente.

Illud in Argent. displicet; dicit intumescere partes excalfactas, quia tenuiores redditi humores, & fluxiles magis, in locum vi caloris ampliorem redditum sese insinuant; nam etsi possint decliuem in partem insinuari, in superam conscendere nequaquam poterunt: contingit autem non rarò, vt ad calfactum caput humores assurgant. Quandoque ergo contingit, quod habet Argent. intumescit pars alias à calore, quia à calore dolet, aut debilior redditur: est autem ea lex naturæ, vt ad debiliorem partem, aut dolentem mittant aliæ succos, excrementaque. Et quamquam si hęc ratio obstat, nō minus deberent fluere humores ad refrigefactam partem, siccatam, quam ad excalfactam, contingit nihilominus, copiosius fluere ad partem excalfactam humores duas ob causas: altera est, quia vehemen-

Ex parte contradicimus.

mentiores à calore dolores: altera, quia quamquam inchat dolorem frigus, atq; hac ratione succos arcessere valeat, non accurrent tamen ea facilitate in dolentem particulam à frigiditate, quia hæc adstringit, ac propterea repellit, laxat calor. Atque hoc videtur mihi probabilius multo, quam quod dicit Valles. 7. contr. 3. scilicet quia hæc est natura caloris, vt trahat.

An mittet quandoque pars ad excalfactum locum, vt inhibeat vacuum, quod ex calore imminet resoluente? affirmant Arabes: negant alij, vt Valles. cit. loc. & iure, nam in parte inflammata, non est cur timeatur vacuum, cum patiatur multitudinem ob capacitatem vasorum, & tamen ad inflammatam partem, & copia turgidam accurrunt humores. Fit ergo tumor humore, aut cõgesto, aut fluente: congeritur aut vitio coctricis plus iusto gignentis excrementa, aut defectu expultricis non expurgantis, aut quia viæ sunt impeditæ. Fluit vel propria sponte, vt cum ad vacuum vitandum accurrit, aut missus à partibus: mittitur, vel vt det opẽ dolenti particulæ, vel vt liberentur molestia, quam humor quantitate infert, qualitate aut tota substantia.

An delabãtur humores parte ab ambientis frigiditate constricta? Ait Galen. Nos cum alijs negamus.

An delabentur quandoque, constricta parte à frigiditate ambientis, & constrictione expressis: quemadmodum cõpressa manu spongia, fluit aqua?

Respondeo. Si humor sit exprimendus ab externa aliqua parte nostri corporis, pars, quæ affirmat, videtur certissima; nam videmus passim flante Borea, extimas nostri corporis partes multum adstringi. At parte multum adstricta, facilè poterit quiuis humor in illa contentus exprimi. Quare poterit hac ratione ab externa parte nostri corporis fluxus humoris concitari. Confirmatur auctoritate Hippoc. nàm in lib. de locis in homine hæc habet: *fluxiones autem contingunt, & perfrigerata valdè carne, & concalefacta, & supertumefacta, propter frigus quidem fluxiones fiunt, cum capitis caro, & venæ distentæ fuerint, eaque carne in angustum propter horrorem coacta, ac elidente humorem, exprimunt. Simul etiam carnes ipsæ in angustum contractæ vicissim exprimunt, & capilli velut vndiquè simul vehementer compressi eriguntur. Hinc quod expressum fuerit, quocumque sors tulerit, fluit.*

An idem possit fieri, interna corporis parte à multo frigore adstricta, hoc controuersum, & dubium, de interna inquam de hac est dubitatio.

Affirmat 3. Aphor. 12. Gal. negat Lanc. & cum ipso Mercat. c. de catar. & merito; nam non potest tanta in viuente cerebro induci frigiditas, vt ipsum condenset: nam si posset, cur non potius pituita in cerebro existens conglaciabitur? cur non per soporosas quasdam affectiones, per quas multò magis friget cerebrum, quam in catarro, non apparent eædem fluxiones?

Hæc fortasse intuitus Massar. dixit, exempli causa hæc à Galeno dicta in aphor. nàm 6. epid commen. 7. tex. 1. aliã tradit causam cur Borea flante, fiant multi catharri. Quę fingit gratis, nàm in epidemijs docet, cur Borea flante, catharralis materia gignatur: in aphor. declarat, cur eadem genita, flante Borea descẽdat. Quid ergo? detrahenda ne fides experientiæ, quæ flante Borea, multos nasci catarros docet? minimè verò, sed alia experientiæ ratio assignanda, non tamen illa Lancij probanda, qui delapsus pituitosę substantiæ, calorem eliquantem, per antiparistasim auctum, agnoscit auctorem; nam antiparistasis, non nisi in robusto calore locum habet, modo debilia corpora in huiusmodi affectionem incurrunt. Dic ergo vigere, vbi flat Boreas catharros, quia irritata cerebri expultrix à frigido, aut roborata eadem, vt placuit Capiuac. muccosam substantiam in cerebro coacervatam expellit.

Obijcies, continetur vitrea pituita actu frigida in intestinis, & vsque adeò frigida, vt calido medicamento agitata non incaluerit Galeno teste 2. de loc. affect. cap. 5. Ergo eodem pacto cerebrum actu frigidum esse poterit.

Confirmatur, nàm sudor frigidus hac ratione fit quandoque, quia à refrigeratis prodit partibus. Non ergo à ratione alienum est credere, posse cerebrum paripacto refrigerari. Quare nihil officiet propositæ Galeni sententiæ prima ratio.

Nec secunda, nàm multò minus requiritur ad exprimendum, quàm ad conglaciandum. Vnde si multum intendatur frigiditas, congelabitur certè pituita, nõ exprimetur. Et certè, nisi hoc detur, negemus consequenter necesse est, posse ab externis partibus, vi frigiditatis comprimentis humorem aliquem exprimi.

Vbi vltimò quæritur, cur cerebro cum in modum refrigerato, non fiunt affectus soporosi, vt carus, Lethargus, apoplexia, fiat catharrus, facilè respondetur, quia apoplexia est morbus instrumentalis, non similaris: & in Lethargo, & caro, minus friget cerebrum, quàm in catharro, nàm in illis est febris, quæ non est in catharro.

His cùm putaret abundè satisfactum Mercat. Petrus Garsias in disput. super lib. de loc. affect. posse admitti censuit Galeni sententiam. Sed certè si rationes adductæ pensitentur exactè, non descendemus in hoc placitum; nàm, quod ad vitream pituitam, longè diuersa ratio eius est, ac partis, esto demus, posse excrementum aliquod in latibulis corporis abscon ditum, actu frigidum conseruari, quod nõ est adeò certum; potest enim frigida sentiri

N

tiri illa, quia ad partem collata minus habet caloris, non quòd multum frigiditatis actu illi insit. Neque suadent idem sudores frigidi, externæ enim partes refrigeratæ sunt in illo casu, non internę, aliàs sudoris materia nequaquam duci ad cutim potuisset.

Non est præterea satisfactum rationibus, nàm quantùm spectat ad primam, & si minus frigoris videatur requiri ad addensandam externam particulam, quàm ad congelandum humorem in eadem cõtentum: ad densandam tamen internam particulam eousque, vt præ nimia densitate excludatur humor, fortasse tantundẽ frigiditatis requiritur, quantum ad congelandum est necessarium; est enim congelatio addensatio quædam. Quare si tanta est frigiditas, vt valeat cerebrum addensare, valebit eadem conglaciare pituitam. Quod si dicas eandem rationem habere locum in partibus extimis, ac propterea fieri, vt neque ab externis particulis possit hac ratione excludi humor: negabo antecedens, nàm, vt diximus, minus frigiditatis requiritur ad addensationem externæ partis, quàm ad humoris congelationem: præsertim cùm humor ille, non solùm prosiliat à parte, frigiditate contracta expressus, sed ob impetum è frigido vento illi impressum, qui cùm nequeat imprimi internis partibus, non poterunt ab impetente aere constringi, & ab ijs postea humor reiectari.

Non soluit demùm vltimam rationem, esto enim minus frigeat cerebrum in caro, & lethargo, quàm catharro: cur cerebro addensato à frigore, non dormimus continuo in catharro? nàm si sufficit minor ntemperies, propter quid maior nõ facit hoc ipsum? Curuè non incurrimus in apoplexiam; nam quod negat, id fiari, quia est apoplexia instrumẽtalis affectus, gratis negat, quando addensatio pariter morbus est instrumentalis, scribitq; Gal. corpus maximè pati in apoplexia, ventres minus. Cæterum, quia ad curandum dexterè catharrum, nihil refert scire, quo pacto externa frigiditas illum inferat, nã quouis modo id faciat, semper vigebit calfaciendi indicatio, propterea non immorabor amplius in re ista.

Aequalis, inaequalisue intemperiei causæ. Cap. VIII.

QVid sit nomine æqualis, inæqualisuè intemperiei intelligendum, non admodum patet. Quare ne æquiuocatio pariat difficultatem, id primum declarabimus, secundo causas.

Vocat nonnumquam Gal. inæqualem intemperiem, quæ ex contrarijs constat qualitatibus calida, e.g. & frigida; sic febrem lypiriam inæqualem dicit esse intemperiem, quia eodem tempore à contrarijs causis agentibus alteratur corpus, hoc est fit calidius, frigidiusuè. *Etsi*, inquit lib. de diff. morb. c.6. *nullo modo fieri posse videatur, vt ab vtrisque simul lædatur corpus, hoc est vna calidum efficiatur, & frigidum, humidumque, & siccum, plusquam naturæ sit opportunum, tamen hoc ipsum contingit, & merito distemperantia inæqualis appellatur*; & lib. 6. de sanit. tuen. cum statuisset docere, vt corrigendi sint status vitiosi, diuisis ijs in æquales, & inæquales, & prioribus emendatis intemperiebus, pertractat postea, vt sunt custodiendi, qui renum calculo, aut vitijs articulorum vna cùm macie laborant: vt conseruandi qui partium infernarum occasione affectu capitis vitioso tenentur, quæ omnes contrariæ affectiones sunt, non vnica, & simplex. Vocat alias inæqualem intemperiem, temperamentum quoddam naturale, præternaturali commixtũ, nam cap. 5. lib. de inęq. intemp. cũ docuisset quid sis inæqualis, atq; insuper vellet declarare, qualiter se habeat corpus, quod ad hãc intẽperiem rẽdit. *Porrò* inquit *terminus mutationis est, cuiusq; particulæ functionis læsio, ad quem vsque terminum omnis alterationis latitudo via est in id, quod præter naturam est, veluti mixtum commune ac medium quoddam ex contrarijs vtrisque compositum, ipso naturali prorsus affectu, & eo qui iam planè est præter naturam*. Vocauit tertio inæqualem intemperiem, quæ in partibus eius, quod alteratur corporis, non est æqualiter insita; nam lib de inæq intemp. cap. 1. ait. *Quod autem huiusmodi intemperies ab æqualibus eò distent, quod in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter non insit, id clarè liquet*.

Hinc factæ sũt variæ de natura inęqualis, æqualisuè intemperiei medicorum sententiæ. Putarunt quidam esse intemperiem inæqualem, ametriam ex contrarijs intemperiebus coalescentem, vt lypiriæ febres, & horrificæ omnes. Hanc tribuit Barch. Galen. motus ex locis primo loco adductis, at vt falsam impugnat. *Variæ de natura æqualis intemperiei, & inæqualis sententiæ.* *Prima opinio*

Voluerunt alij, esse temperamentum commixtum ex naturali, & præter naturam: est Barc. quem postea sequutus est Leonard. Fuchs. putans esse Gal. ob loca secundo loco adducta. *Secunda Barch. Fuchs.*

Dicunt alij esse inæqualem intemperiem, quæ in partibus nostri corporis nõ æqualiter inest: æqualem, quæ æqualiter. Quoniam verò hæc ęqualitas poterat esse arithmetica, & proportionalis, subdũt non esse arithmeticam, nam non ad eumdem gradum qualitatis per hanc intemperiem partes omnes ducuntur, sed seruata partis cuiusque proportione. Nimirum quanto in corpore bene constituto, cor est calidius hepate, & hepar renibus, tanto in hectica febre laborante, quam- *Tertia.*

quam

quam incalescăt partes omnes, maiorem habent calorem cor, & alia membra calida, cæteris quæ minus calida existunt. Tenent hanc sententiam Vallef. lib. de inæq.intemp. in princ. Com.Mont.2.lib. de morb. cap.25. & seq.

Sententia Auct.

Ego si liberè licet proferre, quid de re ista sentiam, puto primum Barceli & Fuchs. sententiam esse omninò falsam; nam,vt omittam,quod mixtio hæc intemperierum est fictitium quoddam commentum,vt multis monstrauit Comes Mont. cit. loc. est eam ob causam potissimum explodenda, quia intemperies hæc inæqualis,est morbosa. Quare abolenda, quod magno ęgrotantis detrimento fieret, si ex naturali,& præter naturam composita esset. Nnn differret præterea ab inæquali æqualis; nam quamuis sit mutata per hanc naturalis temperies, non est tamen omnino destructa; cur ergo non dicemus eamdem esse ex naturali temperie,& præternaturali compositam?

Puto secundo, non esse inęqualem intemperiem, quæ toti corpori (si totius est corporis) inæqualiter inest, æqualem vero, quæ partium proportione seruata æqualiter inest: nam hinc fieret,vt febres omnes putres, intemperies essent æquales. Quod si dicas,non satis esse ad ęqualem intemperiem, vt partes omnes ęqualiter mutentur,sed vt sint mutatæ, adhuc implicaberis; nam neque per hecticam febrem partes omnes ęquè sunt calfactę. Quare non esset hac ratione febris hectica ęqualis intemperies. An dices inæqualem intemperiem esse, per quam corpus contrarias affectiones patitur? neque hoc acceptandum; nam hæc duplex potius est intemperies,quam vna,& inęqualis: patet, quia non vna est pars, quæ frigus, & calorem vna simul persentit. Et quamuis lib. de inæq. intemp. & alibi dicat Galen. nullam esse particulam, quę vtrumque,& calorem, & frigus vua simul non sentiat, interpretandum id tamen de parte sensibili: itaque eadem est particula sensibilis, quæ secundum diuersas insensibiles partes caliditatem sentit,& frigiditatem, quod docuit Aristot. 27. par. probl 2. dicens, ***Simile quiddam contingit epialam patientibus, qui simul rigent & sitiunt, non enim idem locus neque ibidem refrigeratur, & calefit*** . Quid proinde inęqualis intemperies? nulla alia, iuxta meā sententiam,quam quæ inęqualem motum habet: imò iuxta Gal. placitum; nam 2. aphor. 23. ***Dico***, inquit, ***inæquales habere motus eos, qui aliquot diebus vehementes fuerunt: postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti, continuitatem acceperunt***. Variatur autem morbus, quia causa varia: perseuerat semper eodē modo, quia causa eadem. Pendet ergo æqualis intemperies à causa facta, à fiente inæqualis. Quare idem intemperies facta, quod æqualis fiens,quod inęqualis, & de re hac hæc satis, modo ad alia.

Caussæ.

Organici morbi causæ, ac primum vitiatæ figuræ. Cap. IX.

EXpositis causis similarium morborū, est modò ordini proposito consonum, vt de causis dissimilarium pertractemus. Deprauatæ structuræ causa est, vitiata partium, ex quibus organum coalescit propo tio. Componunt instrumentum similares particulæ, exiguntque ad illam absoluendam formationem decentem, numerum, quantitatem, situm, & continuitatem. Formationis nomine comprehendimus figuram superficiem, cauitatem, & soliditatem. Quæcumque ergo formationem corrumpunt,numerum variant, quantitatem aut augent, aut minuunt, situm mutant, aut continuitatem dissoluunt, illa omnia in causa erunt morbosi instrumenti. Videamus proinde, quænam formationem deprauant, & alia, quæ ad fabricam instrumenti concurrunt, nam hinc causas organici morbi eliciemus. Quia verò formationis nomine figuram, superficiem, cauitatemque complectimur,agemus primo de causis vitiatæ figuræ, tum reliqua prosequemur: & quoniam figuræ vitia sunt duplicia, alia quæ à primo formationis exordio sunt contracta, alia quæ fiunt cōceptu efformato,prioribus omissis,tamquam à nostro instituto alienis, nō enim sunt illa vitia morbi, vt 1. lib. monstrauimus,de secundis agemus.

Structura vitiata causæ.

Proximæ causæ vitiatæ figuræ sex numero existūt: prima est situs mutatus partium: secunda numerus auctus,aut imminutus: tertia quantitas aucta,aut deficiēs: quarta vulnera: quinta cauitates obsęsę: sexta motus. Proximas,dixi, & immediatas: nam quāquam multę alię eādem deturpent,id faciunt,aliquam harū excitando. Itaq; aer,cibus,& potus,somnusq; & vigilia remotæ causæ sunt morbosæ figuræ: at proximæ illæ. Nimirū calidus aer corrumpit figuram carnes absumēdo,& pinguedinem: eodem modo hoc faciunt vigilia somnus, excreta, & retenta animiq; accidentia. Nec secus quies,& ocium; nam vbi nec sanguis, nec spiritus deducuntur ad partem, contabescit. Vitiari figuram proximè à causis positis, quis nō videt? enimuero vbi nasus desideratur, imminuitur, aut erescit plus iusto,mutat situm,cauitas eiusdem comprimitur, aut maior redditur, vulneratur: vel cæcus intelliget pulchèrrimam faciem deturpati, & bonas animantis actiones oblædi. Neque est, qui ignoret ob motus intempestiuos deprauari figuram; nam puerorum crura,cum nimis tempestiuè ad motum coguntur, his ad interiora, illis ad

Causæ vitiatę figuræ.

N 2 exte,

tiri illa, quia ad partem collata minus habet caloris, non quòd multum frigiditatis actu illi insit. Neque suadent idem sudores frigidi, externæ enim partes refrigeratæ sunt in illo casu, non internę, aliàs sudoris materia nequaquam duci ad cutim potuisset.

Non est præterea satisfactum rationibus, nàm quantùm spectat ad primam, & si minus frigoris videatur requiri ad addensandam externam particulam, quàm ad congelandum humorem in eadem cõtentum: ad densandam tamen internam particulam eousque, vt præ nimia densitate excludatur humor, fortasse tantundē frigiditatis requiritur, quantum ad congelandum est necessarium; est enim congelatio addensatio quædam. Quare si tanta est frigiditas, vt valeat cerebrum addensare, valebit eadem conglaciare pituitam. Quod si dicas eandem rationem habere locum in partibus extimis, ac propterea fieri, vt neque ab externis particulis possit hac ratione excludi humor: negabo antecedens, nàm, vt diximus, minus frigiditatis requiritur ad addensationem externæ partis, quàm ad humoris congelationem: præsertim cùm humor ille, non solùm prosiliat à parte, frigiditate contracta expressus, sed ob impetum è frigido vento illi impressum, qui cùm nequeat imprimi internis partibus, non poterunt ab impetente aere constringi, & ab ijs postea humor reiectari.

Non soluit demùm vltimam rationem, esto enim minus frigeat cerebrum in caro, & lethargo, quàm catharro: cur cerebro addensato à frigore, non dormimus continuo in catharro? nàm si sufficit minor intemperies, propter quid maior nō facit hoc ipsum? Curuè non incurrimus in apoplexiam; nam quod negat, id fiari, quia est apoplexia instrumētalis affectus, gratis negat, quando addensatio pariter morbus est instrumentalis, scribitq; Gal. corpus maximè pati in apoplexia, ventres minus. Cæterum, quia ad curandum dexterè catharrum, nihil refert scire, quo pacto externa frigiditas illum inferat, nā quouis modo id faciat, semper vigebit calfaciendi indicatio, propterea non immorabor amplius in re ista.

Aequalis, inæqualisue intemperiei causæ. Cap. VIII.

QVid sit nomine æqualis, inæqualisuè intemperiei intelligendum, non admodum patet. Quare ne æquiuocatio pariat difficultatem, id primum declarabimus, secundo causas.

Vocat nonnumquam Gal. inæqualem intemperiem, quæ ex contrarijs constat qualitatibus calida, e.g. & frigida; sic febrem lypitiam inæqualem dicit esse intemperiem, quia eodem tempore à contrarijs causis agentibus alteratur corpus, hoc est fit calidius, frigidiusuè. *Etsi*, inquit lib. de diff. morb. c.6. *nullo modo fieri posse videatur, vt ab vtrisque simul lædatur corpus, hoc est vna calidum efficiatur, & frigidum, humidumque, & siccum, plusquam naturæ sit opportunum, tamen hoc ipsum contingit, & merito distemperantia inæqualis appellatur*; & lib. 6. de sanit. tuen. cum statuisset docere, vt corrigendi sint status vitiosi, diuisis ijs in æquales, & inæquales, & prioribus emendatis intemperiebus, pertractat postea, vt sunt custodiendi, qui renum calculo, aut vitijs articulorum vna cùm macie laborant: vt conseruandi qui partium infernarum occasione affectu capitis vitioso tenentur, quæ omnes contrariæ affectiones sunt, non vnica, & simplex. Vocat alias inæqualem intemperiem, temperamentum quoddam naturale, præternaturali commixtū, nam cap. 5. lib. de inęq. intemp. cū docuisset quid sis inæqualis, atq; insuper vellet declarare, qualiter se habeat corpus, quod ad hāc intēperiem tēdit. *Porrò* inquit *terminus mutationis est, cuiusq; particulæ functionis læsio, ad quem vsque terminum omnis alterationis latitudo via est in id, quod præter naturam est, veluti mixtum commune ac medium quoddam ex contrarijs vtrisque compositum, ipsi naturali prorsus affectu, & eo qui iam plane est præter naturam*. Vocauit tertio inæqualem intemperiem, quæ in partibus eius, quod alteratur corporis, non est æqualiter insita; nam lib. de inæq. intemp. cap. 1. ait. *Quod autem huiusmodi intemperies ab æqualibus eo distent, quod in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualites non insit, id clarè liquet.*

Hinc factæ sūt variæ de natura inęqualis, æqualisuè intemperiei medicorum sententiæ. Putarunt quidam esse intemperiem inæqualem, at etiam ex contrarijs intemperiebus coalescentem, vt lypiriæ febres, & horrificæ omnes. Hanc tribuit Barch. Galen. motus ex locis primo loco adductis, at vt falsam impugnat. *Variæ de natura æqualis intemperiei, & inæqualis sententiæ.* *Prima opinio*

Voluerunt alij, esse temperamentum commixtum ex naturali, & præter naturam: est Barc. quem postea sequutus est Leonard. Fuchs. putans esse Gal. ob loca secundo loco adducta. *Secunda Barch. Fuchs.*

Dicunt alij esse inæqualem intemperiem, quæ in partibus nostri corporis nō æqualiter inest: æqualem, quæ æqualiter. Quoniam verò hæc ęqualitas poterat esse arithmetica, & proportionalis, subdūt non esse arithmeticam, nam non ad eumdem gradum qualitatis per hanc intemperiem partes omnes ducuntur, sed seruata partis cuiusque proportione. Nimirum quanto in corpore bene constituto, cor est calidius hepate, & hepar renibus, tanto in hectica febre laborante, quam- *Tertia.*

quam

quam incalescāt partes omnes, maiorem habent calorem cor, & alia membra calida, cæteris quæ minus calida existunt. Tenent hanc sententiam Vallesf. lib. de inæq.intemp. in princ. Com.Mont.2.lib. de morb. cap.25. & seq.

Sententia Auct. Ego si liberè licet proferre, quid de re illa sentiam, puto primum Barceli & Fuchsf. sententiam esse omninò falsam; nam,vt omittam,quod mixtio hæc intem perierum est fictitium quoddam cōmentum,vt multis monstrauit Comes Mont. cit. loc. est eam ob causam potissimum explodenda, quia intemperies hæc inæqualis,est morbosa. Quare abolenda, quod magno ęgrotantis detrimento fieret, si ex naturali,& præter naturam com posita esset. Non differret prætetea ab inæquali æqualis; nam quamuis sit mutata per hanc naturalis temperies, non est tamen omnino destructa; cur ergo non dicemus eamdem esse ex naturali temperie,& præternaturali compositam?

Puto secundo, non esse inęqualem intempetiem, quæ toti corpori (si totius est corporis) inæqualiter inest,æqualem vero, quæ partium proportione seruata æqualiter inest: nam hinc fieret,vt febres omnes putres, intemperies essent æquales. Quod si dicas,non satis esse ad ęqualem intemperiem, vt partes omnes ęqualiter mutentur,sed vt sint mutatæ, adhuc implicaberis; nam neque per hecticam febrem partes omnes ęquè sunt calfactę. Quare non esset hac ratione febris hectica ęqualis intemperies. An dices inæqualem intemperiem esse, per quam corpus contrarias affectiones patitur? neque hoc acceptandum; nam hæc duplex potius est intemperies,quam vna,& inęqualis: patet, quia non vna est pars, quæ frigus, & calorem vna simul persentit. Et quamuis lib. de inæq. intemp. & alibi dicat Galen. nullam esse particulam, quę vtrumque,& calorem, & frigus vna simul non sentiat, interpretandum id tamen de parte sensibili: itaque eadem est particula sensibilis, quæ secundum diuersas in-

Causa. sensibiles partes caliditatem sentit,& frigiditatem, quod docuit Aristot. 27. par. probl 2. dicens, ***Simile quiddam contingit epialam patientibus, qui simul rigent & sitiunt, non enim idem locus neque ibidem refrigeratur, & calefit.*** Quid proinde inęqualis intemperies? nulla alia, iuxta meā sententiam,quam quæ inęqualēm motum habet: imò iuxta Gal. placitum; nam 2. aphor. 23. ***Dico***, inquit, ***inæquales habere motus eos, qui aliquot diebus vehementes fuerunt: postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti, continuitatem acceperunt.*** Variatur autem morbus, quia causa varia: perseuerat semper eodē modo, quia causa eadem. Pendet ergo æqualis intemperies à causa facta,a fiente inæqualis. Quare idem intemperies facta, quod æqualis fiens,quod inęqualis, & de re hac hæc satis, modò ad alia.

Organici morbi causæ, ac primum vitiatæ figuræ. Cap. IX.

Structura vitiatæ causa. Expositis causis similarium morborū, est modò ordini proposito consonum, vt de causis dissimilarium pertractemus. Deprauatæ structuræ causa est, vitiata partium, ex quibus organum coalescit propo tio. Componunt instrumentum similares particulæ, exiguntque ad illam absoluendam formationem decentem, numerum, quantitatem, situm, & continuitatem. Formationis nomine comprehendimus figuram superficiem, cauitatem, & soliditatem. Quæcumque ergo formationem corrum punt,numerum variant, quantitatem aut augent, aut minuunt, situm mutant, aut continuitatem dissoluunt, illa omnia in causa erunt morbosi instrumenti. Videamus proinde, quænam formationem deprauant, & alia, quæ ad fabricam instrumenti concurrunt, nam hinc causas organici morbi eliciemus. Quia verò formationis nomine figuram, superficiem, cauitatemque complectimur,agemus primo de causis vitiatæ figuræ, tum reliqua prosequemur: & quoniam figuræ vitia sunt duplicia, alia quæ à primo formationis exordio sunt contracta, alia quæ sunt cōceptu efformato,prioribus omissis,tamquam à nostro instituto alienis, nō enim sunt illa vitia morbi, vt 1. lib. monstrauimus,de secundis agemus.

Causæ vitiatæ figuræ. Proximæ causæ vitiatæ figuræ sex numero existūt: prima est situs mutatus partium:secunda numerus auctus,aut imminutus:tertia quantitas aucta,aut deficiēs: quarta vulnera: quinta cauitates oblęsę: sexta motus. Proximas,dixi, & immediatas:nam quāquam multę alię eādem detur pent,id faciunt,aliquam harū excitando. Itaq; aer,cibus,& potus,somnusq; & vigilia remotæ causæ sunt morbosæ figuræ: at proximæ illæ. Nimirū calidus aer corrumpit figuram carnes absumēdo,& pinguedinem: eodem modo hoc faciunt vigilia somnus, excreta, & retenta. animiq; accidentia. Nec secus quies,& ocium; nam vbi nec sanguis, nec spiritus deducuntur ad partem, contabescit. Vitiari figuram proximè à causis positis, quis nō videt? enimuero vbi nasus desideratur, imminuitur, aut erescit plus iusto,mutat situm,cauitas eiusdem comprimitur, aut maior redditur, vulneratur: vel cæcus intelliget pulcherrimam faciem deturpari, & bonas animantis actiones oblædi. Neque est, qui ignoret ob motus intempestiuos deprauari figuram; nam puero rum crura,cum nimis tempestiuè ad motum coguntur, his ad interiora, illis ad

N 2 exte,

exteriora flectuntur. Num quantitas mutata idem facere valeat, præbet occasionē dubitandi Galen nam lib de diff. morb. 9. scribit, differre morbos in magnitudine à morbis in numero: quia naturali membrorūm figura constante, magnitudo deprauatur. At tollitur facilè scrupulus, si dicamus, distinguere Galenum morbos in numero, ab ijs qui in magnitudine: quia cum hoc potest (vt cum exiguum est vitium) seruari figura: necessario at morbi in numero deprauant illam, quia semper deficiente digito, aut abundante, mala manus figura.

Quæstio.

Resolutio.

Læsarum cauitatum causæ.
Cap. X.

Reprehenditur Arg.

PErquirens Argen. 3. lib. de caus. morb. cap. 10. causas, quæ cauitatem partiū, & earumdem soliditatem corrumpunt, inuehitur, vt sui moris est, in Gal. eumq; reprehendit, quod cum plura essent in cauitatibus vitia, quandoque enim plures fiunt, desiderantur alias, percurrat tātum causas, à quibus meatus adstringuntur, vel dilatantur. Quare ne idem illi vitium obijceretur, docet primum, cur plures cauitates fiunt, aut pauciores, cur factæ latiores euadant, aut angustiores. Sed dum optimam methodum profitetur seruare Arg. à vera methodo docendi declinat; nam aut vult inquirere, cur plures, aut pauciores fiunt cauitates, dum homo formatur, aut postquam est efformatus: si, primum iam transilit fines propositos, nam cum proposuisset causas morbi indagare, qui in cauitate, haud debebat cōnati vitij causas indagare, cum nullus detur morbus à prima hominis nascentis origine. Quod si docere cupiat, cur postquam est formatus homo, quasdam cauitates amittat, iam id attigit Galen. nam tradens causas, quæ cauitates lædunt, lib. de caus. morb. *Cauitates, ait, quæ partibus corporis insunt, & earum meatus, ob eas, quas subiecimus causas, corrumpi, vel lædi contingit.* Tandem si velit Gal. reprehendere, quod scribere omiserit, cur efformato homine, multæ de nouo cauitates fiant, quod ipse fecit, multo æquius est, vt ipse reprehendatur; nam cauitates illæ, quæ in homine efformato contingunt, fistulæ sunt, & vlcera: quis autem illum medicum probet, qui propositis causis cauitatum læsarum, ad vlcerum causas digrediatur? Sequentes propterea Gal. id tantum docebimus, cur quædam cauitates latiores, aliæ angustiores euadant: cumque hæ sint duplices insensibiles aliæ, vt meatus, sensibiles aliæ, quę generis nomen retinentes, cauitates dicuntur, loquemur de causis, quæ vtramq; vitiant, ne quid sit, quod desideres.

Dilatant meatus, cauitatemque, quæcumque calfaciendi vim habent; qua tamen meatus aperiunt, rarefacientia dicuntur, & affectus meatuum rarefactio: quę cauitates dilatant aperientia, vnde affectus productus, apertio vocabitur. Eamdem vim habent laxantia, distendentia, partiumque operatio: sic videmus vasa ob nimiam humiditatem relaxata hiare: vterum cum fœtus est grandior, distensione augeri, eumdemque frequenti gestatione & coitu dilatari magis. Addit Galen. quem sequutus est Auic. expultricis virtutis immoderatum motum, & contentricis imbecillitatem: quæ vltima causa quamquam non videatur esse diuersa à laxantibus, hæc enim contentricem imbecillam reddunt, nihilominus quia multoties est illa prostrata, neque à laxantibus, sed à defectu spirituum rectè docet Galen. reddi cauitates maiores à distendentibus, aperientibus, operatione, immoderato motu expultricis, ab imbecillitate contentricis, quæ fit, vel proprio instrumento plus iusto humectato, aut defectu spirituum.

Veræ causæ proponuntur.

Ex his potest quis intelligere, qui fit, vt meatus tollantur, aut minores euadāt, scilicet, contringūtur meatus ob ea, quæ densandi vim habent, vt à frigore externo: ab adstringentibus, vt aqua aluminosa: ab exiccantibus, vt Solis feruore. Efficiunt hoc idem obstruentia, vt patet. Fiunt item cauitates minores multas ob causas; quandoque minores euadunt ob coalitum: sic vlceratis partibus solet caro quandoque ita excrescere, vt vniantur partes, quæ antea distabant, & cauitates omnino obcæcentur. Fiunt secundo minores ob compressionem, vt patet vbi cauo corpori apponitur graue: est tertio huius affectus causa subsidentia. Obseruatur hoc, cum summa humiditate diffluunt partes cauæ, aut priuantur ijs humoribus, à quibus antea latera distendebantur, vt cum emisso oleo vtres subsidunt. Quarta causa est angustia: sic vbi in canali vrinario, aut caro excrescit, aut lapis in renibus, aut vesica gignuntur, minor redditur cauitas. Est quinta causa oblaesæ cauitatis obstructio, huius causa succi viscosi, aut multi, vt exemplo multorum hominum portam obstruentium probat. 8. met. Galen. Quare poterit à bili quoque obstructio fieri; nam quamquam acredinem habeat, & mordacitatē, qua ratione valet deobstruere; quia tamen potest eadem crassiuscula gigni, & in multa copia: poterit eadem ratione, qua est multa, obstructionem progignere. Scribit tandem Galen. imminui cauitatem à contētricis facultatis robore: & quidem si ea laxata, fiunt cauitates maiores, vbi eadem viget, fient illæ minores.

Addit Argent. contractionem à siccantibus; nam vetularum mammæ, & pudenda ob Venerem intermissam minuuntur: addit

Et in Argentē etiam inuehimur.

addit excursionem & malam partium figuram, seu situm; nam alui excrementis præcluditur via, cum intestina à suis dimota sedibus delabuntur ad scrotum. Sed superfluo, nam contractio, quæ à siccantibus, reducitur ad subsidētiam; enim verò fiunt minores mammæ vetularum, & intermissa Venere pudenda, non tam quia exiccantur, quam defectu spirituū, & sanguinis; quia ob omissum exercitiū, non adcurrunt ad partes prædictas: vbi autem partes cauæ inaniuntur, subsident. Malus partis situs reducitur ad compressionem, nam compressio intestino ab alia nostri corporis parte, non patet aditus fæcibus. Hæc si considerasset Ludouic. Merc. non recessisset lib. 2. de ind. à Gal. & tacitè Argent. adhæsisset. In vniuersum itaque, quę cauitates imminuunt, sūt coalitus, compressio, subsidētia, angustia, obstructio, & immodicum robur retentricis: aut si magis propriè loqui velis, causæ quæcumq; cauitates imminuunt vel hoc faciunt comprimendo, vel angustando, aut obstruendo, aut producendo coalitum inter latera partis cauę, aut tollendo ea, quæ latera faciebant dilatare, aut retentricis robur intendendo.

Morbi in asperitate, & lenitate causæ. Cap. XI.

Quid asperum, bene.

ASperum est quod inæqualem habet partium positionem, hoc est quasdam eminentes depressas alias: Lene cōtra partes omnes habet æquali superficie dispositas. Hinc putarunt multi grauissimi viri, nihil aliud esse asperitatem, & lenitatem, quàm positionem partiū: dant aliud alij asperitati, & lenitati, nàm volūt, qualitates quasdam esse secundi ordinis dictas, ex partium positione resultantes. Quicquid tamen de re hac sentiatur, nàm eius decisio nihil confert ad resolutionē eius, quod indagamus, est illud certum, morbum in asperitate, & lenitate, tunc fieri, cùm asperum euadit, quod lene esse debebat, aut lene, quod expediebat esse asperum, atquè vtrumque fieri positione partium sic mutata, vt ex mutatione illa sensibiliter partes oblædantur. Itaque si inueniamus qui fiat, vt cōstituta hęc partium positio, sic mutetur, vt quæ rectè erant locatæ, inæqualem modo situm occupent, aut quæ ita erant dispositæ, vt eminerent quædam, deprimerentur alię, æqualiter modo se habeant illæ omnes, mox causæ asperitatis, & lenitatis patebunt. Ne tamen in equiuoco laboremus, placet illud ante omnia adnotare, cùm fieri possit, vt à prima fœtus formatione quædam partes, quæ lenes debebant esse, euadant asperæ, aut asperæ, quæ lenes, potest item accidere, fœtu formato superficiem à natura inductam mutari, & aliam diuersam comparari: non esse præsentis instituti quęrere, fiat ne à formatrice facultate asperitas, & lenitas, an ab alteratrice, qua de re quædam Comes Mont. 4. de morb. cap. 8. nàm vt toties dictum, vitia illa non sunt morbi: est modo animus indagare, morbosę asperitatis, lenitatisque causas. Quare eius asperitatis, & lenitatis, quæ formato iam fœtui aduenit. Quæremus ergo, qui factum est, vt oculi cornea v.g. quę lenis erat, & tersa, euaserit aspera: vterus, qui asper, ac propterea ad semen continendum aptus, asperitatem amiserit, vnde sterilitas: ventriculus, & intestina, quæ aspera, ac propterea commoda superficie prędita ad cibum continendū, sint leuigata, vel dentes, quos asperos esse expediebat ad atterendum cibum, sint modo lenes facti, vnde attritioni inutiles, nàm & molas vt Galen. 11. de vsu par. 8. cùm fuerint contritæ, & leuigatę, rursus excindunt artifices, & exasperant.

Quid morbus in superficie aspera.

Quæ huius causæ.

Qui qualitates esse arbitrantur secundi ordinis, fateantur, necesse est, asperitatem, & lenitatem nasci à primis qualitatibus: à qua tamen qualitate, asperitas fiat, à qua lenitas, non inueni apud aliquem. Occurrit quandoque Galen. hac de re sobriè satis disputans: sed bone Deus, quam varia sententia, quam discordi, nàm 6. epid. com. 2. tex. 14. à frigida intemperie, asperitatem induci autumauit, eā ductus experientia, quia aer admodum frigidus inspiratus, interdum faucium, quandoque asperiæ arteriæ loca exasperat. Voluit aliàs à siccitate hanc inferri, nàm cap. 17. 2. de simpl. fac. tussim fieri docuit exiccata exasperataue, quæ in arteria est membrana: & lib. art med. cap. 68. *lenitas, ait, arteriæ, moderatam sequitur temperaturam, asperitas verò siccitatem.* lib. demum de caus. morb. cap. 7. *exasperantur autem*, ait, *quæ prius erant lenia, & leuigantur, quæ prius erant aspera, illa quidem ab acredine humorum, aut medicaminum abstersa, hæc verò à pingui humiditate, aut lento humore irrigata*, vbi, vt vides, nullam facit intemperiei mentionem.

Gal. in re ista varius.

At si examinentur hæc exactè, constat sibi Galenus; nàm lib. de caus. morb. immediatas, & proximas causas asperitatis, & lenitatis vitiatæ adduxit, remotas alibi: aut dicas lib. de caus. morb. proximam rationem causandi innuisse, causas alibi proposuisse; cùm enim calleret Galenus, quoties plures causæ totales, & diuersæ eumdem producunt effectum, in illius productionem influere sub vnica formali ratione causandi, erat consonum rationi, vt quando experientia edoctus didicerat, & à siccitate, & frigiditate asperitatē induci, declararet lib. de caus. morb. qua ratione, à qualitatibus vsq; adeò diuersis idem posset effectus prouenire, quod pariter fecerat, de causis morbi ca-

Conciliatur.

lidi

lidi disputans,& aliorum. Nempè haud dixit calidum morbum fieri ab aere, aut alijs rebus non naturalibus,sed rationem quoq; qua intemperiem quamque inuehunt, declarauit.

Cæterum,quod asperitas fiat ab acredine humorum,& à quauis alia causa,quę erodendi vim habet, quia notum erat, omisit probare. Quare neque illud demonstrandum erat, lenitatem fieri,à pingui humore,lentoque,in poris imbibito, quia contrariorum effectuum, sunt contrariæ causæ; cumque nouisset idem sicca, mira vi abstergendi esse prædita, vnde & exasperandi facultate insignita: frigus pariter mordax esse, adstringere, & corrugare partes nostri corporis:rectè idem alibi docuit,& à frigiditate,& siccitate, asperitatem induci, tametsi ea in re diminutus videatur, quod nullibi causas omnes adsperitatis adduxit, seù remotas queras, seù proximas; nam si proximas diligenter inquiras, facilè inuenias, non esse vnam humoris,aut medicaminis acrimoniam, sed corrugationem, seù adstrictionem, ex quo fit, vt multoties frigus asperitatem inducat. Est pariter huius causa humor per leuem superficiem inęqualiter dispersus, vt vocis raucedo nos docet, quæ ab humore à capite delapso ortum habet. Itaque multo plures videntur causæ proximæ aspetitatis. Remotæ, quoque multæ sese offerunt; non enim tantum exiccantia occurrunt, & frigus,sed calfacientia,nàm & Solis calor immoderatus exasperat cutim,ni quis velit contendere, non fieri hæc à Sole, aut quauis alia re calida, quia calefacit, sed quia calfaciendo humiditatem resoluit, & exiccat, vnde & exasperat. Non dicet hoc tamen me auctore,nam si siccitas qua ratione inæqualiter humidam substātiam resoluit, est sufficiens causa asperitatis, atque hæc inest calori, non erit eidem vis exasperandi deneganda. Quare dicamus asperitatem proximè ab inęqualitate proficisci: illam fieri à re acri erodente ab humore inęqualiter dispersò,calore inęqualiter resoluente, siccitate, frigiditate adstringente,& corrugante.

Obiectio. Sed dices, si à primis qualitatibus hi affectus, cur non dicimus asperitatem, & lenitatem morbos in intemperie esse?

Sol. Vt solueret hunc nodum Fernel. neganit asperitatem, & lenitatem à primis qualitatibus fieri, & à materia nasci autumauit: Vnde putauit secundo,asperitatem,& lenitatem morbos esse in mala materia, quod quia alias consutatum à nobis est, dicamus, non esse hos affectus ad intemperiem reuocandos, quamquam ab intemperie nascātur,quia lęditur partium operatio,non quia calfactæ,siccatę, aut humectatæ, sed quoniam partes quæ ęqualiter dispositę erant, inęqualem modo superficiem obtinent. Quare cùm ab illo affectus preter naturam constituatur in genere morbi, vi cuius habet, vt lędat, cum lędat nos asperitas, quia exasperat, non sub conceptu formali siccitatis, caloris,aut frigiditatis, morbus asperitatis est vocandus; equidem si morbi quicumque vitio primarum qualitatum inducti, intemperies essent, vlcera quoque, nàm & hęc à calore frigiditate;& siccitate sæpissimè,morbi in intemperie deberent dici,quod tamen nullus est ausus affirmare.

Atque hinc potest intelligi secundo, cur huiusmodi affectus, & si ab erosione ortum habeant, non reponuntur inter species solutę vnitatis. Nempè adeò exiguum est,quod vi causę erodentis est ablatum, vt non lędat ob vnitatem solutā, aut quantitatis defectum,sed ob vitiatam superficiem.

At vereor ne in scyllam incidam, dum cupio vitare carybdim; nàm si in eo genere morbi est quiuis affectus reponendus, vi cuius lędit, cùm lędat asperitas, lenitasque ob situm mutatum, siquidem quę ęqualiter erant dispositæ, situm postea occupant inęqualem, aut contra, erit asperitas, atque lenitas morbus in situ, non in superficie.

Torsit hęc difficultas Iac.de Part. propterea conatus est bifariam illi satisfacere. Dicit primum, non esse asperitatem, & lenitatem morbos in situ, quia hic fit ex sola partium positione mutata: habet asperitas, lenitasque vitiatam qualitatem quamdam annexam, ex mala partium positione resultantem. Dicit secundò non esse in asperitate, & lenitate verè partes mutatas,mutari in situ.

Sed neutra solutio satisfacit: non prima,quia incertum admodum est,an dicat aspetitas qualitatem aliquam præter illā partium positionem: & certe si sensum velimus attendere, nil aliud esse ille docet. Nec si consulere velis rationem,inuenies aliquam, quę qualitatis illius inuehat necessitatem. Pręterea adhuc volunt medici multi, ex situ mutato prauam quamdam dispositionem consurgere. Quare eadem prorsus erit ratio.

Non satisfacit secunda, nàm non docet, qua ratione differat, mutata illa partium positio in asperitate, & lenitate ab ea, quæ à morbo in situ vitiato procedit. At tenebatur id doeere, declarare, non silentio inuoluere.

Propterea dicamus non esse asperitatem, et lenitatem morbos situs, quia & si in vtroque affectu naturalis positio partium sit mutata, aliter tamen est mutata ex morbo in situ, aliter ab asperitate. Nèpe per morbum in situ mutantur partes secundum profunditatem: ex asperitate, & lenitate secundum superficiem,indeq; factum, vt huiusmodi affectus,morbus in superficie dicatur.

Quan-

Quantitatis auctæ, & imminutæ causæ. Cap. XII.

ACcretio, vt communis est omnium Philosophorum consensus, fit maiori quantitate acquisita, ea, quæ ante erat dissoluta: fit maior vbi multum est alimentum, & facultas, quę assimilat robusta cap. 9. lib. de caus. morb. Quare fiet decretio, vbi minus reficitur, quam est dissipatum. Patet, nàm directè opponitur augmentationi, at hęc fit cùm plus restauratur, quàm deperditur. Quare fiet extenuatio, cùm minus parti cuique adijcitur, plus verò detrahitur. Confirmatur, nam in ijs, qui extenuantur, cutis primum laxatur, mox contrahit rugas auctore Hipp. 6. epid. 3. 29. At laxatur vacuata substantia distendentt, vt obseruamus in sacco, & vtre inanitis: procedente deinde vlterius causa exiccante, siccatur cutis etiam, nedum caro subiecta dissoluitur, vnde rugæ: contrà vbi pinguescimus comparata carne, & pinguedine, replentur spatia inania, vnde cutis distenditur. Rectè proinde Hispani; las mujeres, que engordan con los años, gozan de dos moçedades: rectèque nostræ mulieres: La carne grassa sempre luce. Videamus modo qui fiat, vt minus deperdito restauretur, ita enim res hæc absoluetur.

Contingit minus adijci tres ob causas, quoniam dissoluentes causæ plus æquo dissoluunt, aut quoniam reponentes minus iusto restaurant, aut tertiò, quia dissoluentes valentius agunt, & restaurantes debilius. Priores sunt duplices: dissipant aliæ per insensibilem halitùm, vt calida quæque. Extenuant aliæ sensibiliter vacuando, vnde à fluxibus, fistulis, & diuturnis vlceribus tabes. Posteriores sunt adhuc duplices, seù bifariam fit, vt reponatur minus, aut culpa alimenti, quia deficit, aut vitio facultatū, quod multiplex, vel enim est in atractrice, vel in retentrice, coctrice, aut expultrice. Ob primam causam, in summa rerum omnium annona contabescimus. Patimur idem secundo in prostrata appetentia, & in vermium cohorte, aut generatione lati vermis, nàm ab illis subtrahitur alimentum. Frequentius eadē corripimur per cachexiam, hydropesim, & summam ventriculi imbecillitatem, nā in hac non chylificat bene ventriculus: in illis non rectè epar sanguificat. Hinc cachectici, hydropici, tabidi, & à frigida stomachi intemperie tabes. Propterea à moderato exercitio multi pinguescūt, coctrice, & attractice roborata: à multo extenuamur duas ob causas, & quia calor multus multum discutit, & quia à multo labore facultas coctrix prosternitur: vnde quia quies calidiori naturæ conducit, frigidiori exercitium: illi à quiete pinguescunt, à motu isti: mulieres æstate bene se habent, contra pueri emaciantur. Sed quamquam à coctrice vitiata frequenter tabes, fit tamen frequentissime eadem vitio expultricis, nam ab alui fluxione frequentissime tabes, menstruorum, seminis, multisque sudoribus, & diuturnis vlceribus.

Demùm quod ab vtrisque causis fiat tabes, declarant abundè febres hecticæ, pulmonis, renum & vesicæ vlcera, eorūdem & epatis putredo. Nam idem calor præter naturam qui dissipat, labefactat calorem naturalem, quo fit, vt ad coquendum reddatur ineptus.

Cœterum, quia lib. superiori species morbi in quantitate indagantes statuimus, Gal. & alios sequuti, morbum in imminuta quantitate, non solum eum dici, qui fit parte quauis secundum proportionem mutata, vt in hecticis passim obseruamus, sed mutilationem non integri digiti e.g. seù partis ipsius, morbum quoque in imminuta quantitate esse diximus, sunt modo huius affectus causæ proponendæ, quæ obuię, & omnium sētentia ratæ; docent enim omnes, ac primùm Gal. huiusmodi affectum fieri à quatuor causarum generibus, sectione, vstione, erosione, & putredine. Ab his causis fieri dictum morbum, res est vsque adeo explorata, & comperta, vt omninò ocio literario abuterer, si in re hac demonstranda tempus frustra contererem. Vnde, quia & illud pariter manifestum est, ab ijsdem causis, diutius tamen corpori inhærentibus, aut vehementioribus fieri morbum in numero imminuto, quemadmodum auctus, ab ijsdem fit causis, à quibus morbus in aucta quantitate, nullus expectet propterea, vt vitiati numeri causas afferamus.

Morbi in situ causæ. Cap. XIII.

MOrbum in situ duas species habere cap. 10. lib. de morb. gen. à nobis dictum, malam nimirum colligantiam, hue est nimis laxam, adstrictamue, & recessum partis à propria sede. Quare & vitiatę colligantiæ causæ sunt tradendæ, & recessus à proprio loco.

Causę vtriusque conspicuæ, nam laxā colligantiam, humida intemperies facit, nimis strictam, sicca, aut coalitus. Obuiæ quoque causæ morbi in situ. Nempè fit ille quandoque partium continentium vitio: fit aliàs, quia partes contentæ causarum violentia, à propria sede deturbātur. Partes alijs continendis dicatæ, ob duas causas solent à suo munere deficere, aut quia laxantur ab humida intemperie,

rie, aut quoniam earum continuitas soluitur. Vndè quemadmodum, quæ continentur in sacculo, laxato sacco, aut rupto, ob eam, quam habent grauitatem insitam delabuntur: haud secus partibus nostri corporis accidit. Hinc ligamentis vteri laxatis procidit vterus: laxato, aut rupto sphinctiri, intestinum rectum: ab domine eadem vitia patiente, omentum, intestinaque ad scrotum descendunt, inguina, aut vmbilicum, vnde variæ hernię species consurgunt. Soluitur continuitas ob quatuor causas erosionem, contusionem, dirruptionem, & sectionem, frequentissime tamen ob disruptionem: vnde quia clamores validi disrumpendi vim habent, compressiones, conatus ad eleuanda pondera, saltus, & motus quicumque inordinati, & validi, à clamoribus, validisque conatibus, morbus iste frequenter: Cumque plorent frequentissimè pueri, cantent religiosi, comprimantur multum mulieres ad fœtum excludendum, hę hernia, aut vteri prolapsu laborant, illa religiosi, & pueri: licet illis ęgrotandi in causa sit cantus, ploratus pueris. Sed & alia causa est magis frequens, scilicet, quę inducit morbum in situ nulla noxa continentibus partibus inflicta, sed contentis è propria sede exturbatis. Exturbantur autem interdum à causa interna, facit idem multoties causa externa. Causa interna detrudens, aut est flatus, aut est humor cauitatem replens, aut musculorum contractio, nam à conuulsione, non rarò morbus in situ. Causæ externę omnes, quotquot huiusmodi affectum possunt gignere, sub motu inordinato continentur; nàm quoties mutāt situm ob causam externam, vel mutant quia trahuntur intus extra, aut quia impelluntur, aut contorquentur. At tractio, pulsio, & contorsio, motus sunt. Quare inordinatus motus erit causa huius affectus. Sub his autem, cùm casus cōtineantur saltus, percussiones, à saltu, percussionibus, morbus iste sæpissimè.

Continuitatis solutæ causæ. Cap. XIV.

Causas solutæ continuitatis quatuor esse supra diximus, erosionem nempe, contusionem, sectionem, & disruptionem. Nunc sigillatim quælibet examināda, nàm exacta illorum inquisitio, non solum conducit cognoscendis causis, quæ possint quouis modo vnitatem dissoluere, sed ad inueniendas eiusdem differentias, quam maximè confert, quando illæ à causa sumuntur. Est quoque huius rei cognitio præuidendo euentui vlcerum, & eorumdem curationi rectè instituendę magni emolumenti. Propterea id agemus.

Commendatur hæc disputatio.

Erosio, ita dicta, quia exesio quædam est, similis narium erosioni, quæ rosio à latinis vocatur: à causa fit, quæ erodendi vim habet, quæ cùm quandoque in nobis ortum habeat, alias admoueatur, duplices erunt causæ exedentes, altera externa, vt leptica medicamenta, contagiū, vt docent vlcera gallica, necnon phtysis, altera interna, quæ multiplex: nàm cum facultate erodendi, sint ea omnia prædita, quæ vel acria sunt, vel salsa, nitrosa, aut amara, atque hæ qualitates sanguini insint corrupto, saniei, bili, pituitæ salsę, & humori melancolico adusto, ab his omnibus partes contingit erodi, sanie nempe, vt apparet in abscessibus, in quibus detenta quandoque, miros facit anfractus, & cuniculos: bili, vt docent aphtę, herpes multiplex, pituita salsa, nam ab hac vlcera squammosa, & crustosa ortum habent: Fit demum à sanguine melancolico adusto, & feruente, nàm ab hoc oritur anthrax, carbo, vel carbunculus, vlcus nempè, crustosum, cùm circumstantium partium inflammatione.

Et quatuor causæ afferūtur.

Vulnerantia ea sunt, quæ incidendi vim habent, & ad secandum sunt apta. Quamobrem cùm dictam facultatem, nonnisi externa instrumenta habere possint, non nisi ab externa causa vulnus poterit infligi. Proindeque rectè à Galeno dictum lib. de const. art. cap. 6. ea ratione ab vlcere differre vulnus, quia hoc fit à causa externa ab interna vlcus.

Quæ contundendo soluunt continuitatem, dura illa sunt, & grauia, irruuntque extrinsecus: huiusmodi sunt lignū, lapis, casus ab alto interram, lapidem, aut aliam rem quampiam duram, siquidē nihil refert, ex lapidis ne ictu, pars aliqua sit contusa, an corpus cadens in lapidem, terram, aut aliam rem quamque duram impingat. Inducunt verò hunc affectum bifariam. Interdum ita feriunt, vt pars contusa in se cœdat: accidit autē hoc cùm partes fuerint molles: alias, quia ita sunt duræ, vt in se cedere nequeant, disrumpuntur, eamque ob causā vocantur hæc interdum contundentia, vt cum e. g. partem in se cedere faciunt, quandoque frangentia, vt cum eiusdem continuitatem ex toto dissoluunt. Ergo quia idem instrumentum brachium e. g. feriens, inuenire potest in osse resistentiam, nō in carne, poterit vnico ictu carnem contundere, os contra frangere.

Tendentia, vt vox ipsa docet, ea sunt, quæ distendendo rumpunt continuitatem. Tensionem autem inducunt, quę replendi vim habent. Sunt hæc multiplicia calfacientia nempè refrigerantia, assumpta, retenta. Inducunt tensionem calfacientia bifariam, liquando humores, attenuando, & vapores gigendo. Refrigerantia, cohibendo excrementorum effluuium, constringendo partem eo vsque ne-

nequeat vt facilè distendi. Hinc phtysis verno potissimum tempore, & autumno: nempè vtroque tempore multus sanguis coacetuatur. Vere fusione: Autumno retentione calidi effluuij, & duritie venarum, quo fit vt distendi vasa non possint, ac propterea rumpantur. Ex his patet, eamdem facultatem habere retenta præter naturam, nam si refrigerantia retinendo in causa sunt, cur rumpatur cõtinuitas, multo facilius idem retẽta pręstabunt. Ab assumptis repleri plus iusto vasa, ac propterea frequenter disrumpi, vsque adeo certum est, vt declaratione non indigeat. Quemadmodum neque illud est cur probetur, præter has causas, violentum quoque motum distensionem facere frequenter: vt in vniuersum duæ sint proximæ causæ tẽsionis, & propterea solutionis continui, vehementes quidam motus, & violenti, & replentia, quæ quadruplicia, assumpta, retenta calfacientia, & refrigerantia.

Communis morbi causa.
Cap. XV.

Communis morbus à causa communi, scilicet a qua, aut aere. Endemius tamen a causa certa. Ab inconstãti epidemicus. A quanam pestis?

COmmunes morbi, communi à causa ortum habent, 2. de nat. hum. Cum autem possit esse hæc duplex, aer, & aqua, nam victu eodem nõ possunt multi multo tempore vti, à vitiato aere, aut aqua, morbi quicumque communes. Endemij tamen, ab aere, aut aqua, situs, & regionis causa vitiatis: ab ijsdem epidemij, mutatis tamen à causis præter naturam. Quo fit, vt epidemici morbi sint incerti, constantes endemici, quia à certa endemicus morbus causa, & fixa, ab incerta epidemicus, & inconstanti dependet. Cæterum, quia bifariam potest aer à causis præter naturam permutari, in qualitatibus, & substantia, vnde alterari, & corrũpi: mutatio item in qualitatibus potest esse duplex, occulta, & manifesta hæc adhuc duplex composita, & simplex & vnaquæque multiplex: dubitatio est, vtra ex his mutationibus, morbum epidemicum facit, & præcipuè perniciosum, pestem nuncupatum, accidentalis nè mutatio, an substantialis, occulta, an manifesta, calida, frigida, an sicca; nam quod endemicus non fiat ab aere, aut aqua corruptis, compertissimum; enimuero vbi aut aer, aut aqua corrumpitur, sic sæuiunt in genus humanum, vt pauci, aut nulli supersint, qui possint quouis, anno cõsimilem pati affectionem.

Putant quidã ab aere alterato posse inuehi.

Putant multi, accidentalem mutationem esse satis quamuis de specie, nõ admodum conueniant. Frigidam, & humidam docẽt esse multi, ad id inducti, quod viderint igne illam curari ab Hipp. Calidam, & humidam alij, quia hæc præ cęteris ad inferendam putredinem est apta, dixitque Galen. 2. de temp. 4. mutationem ad calidum, & humidum esse pestiferam. Contendunt alij à simplici intemperie calida posse pestem induci, nam 1. de different. febr. 4. *Contingit*, inquit, *quãdoque præcedere solam ambientis caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, vt Thucidides inquit.* ita Mercur. tract. de febr. pest. Comes Mont. l. 3. de morb. c. 3.

Alij non nisi a putredine eiusdem.

Vult Altim. tract. de febr. pest. c. 4. nequaquam sufficere aeris alterationem ad pestem inferendam, sed vt putrescat aer, necessarium esse.

A qualitate venenata Fern.

Est tandem quarta quorumdam sententia, qui aiunt, pestis causam, haud esse intemperiem aliquam aeris aut eiusdem putredinem, sed venenatam quamdam qualitatem, & abditam cœlitus ipsi immissam, quæ vnà cum eo ad cor delata, cor viscus nobilissimum inficit, quo fit, vt agminatim vires omnes cadant. Quia vero cœli omnes vniformi motu continuo circumuoluuntur, subdit, haud fieri qualitatem illam Solis motu, alioquin quouis anno peste laboraremus, sed ex vario syderum aspectu produci; ita vt quemadmodum ab aspectibus, serenitates, tempestates, & pluuię, sic morbosæ constitutiones, & salubres Erit itaque, secundum hos pestilentia, communis morbus, occulta à qualitate, malignaque dependens, syderum commixtione producta. Cæterum, quia longa obseruatione didicerant, præcedere vt plurimum pestes, intemperatum cœlum, inęqualia tempora, easque regiones illi obnoxias esse, quæ putres vapores excipiunt: inter homines rursus, eos maximè lædi, qui calidi sunt, & humidi, qui multis scatent humoribus, qui laxo sunt corpore, & intemperantes: minime affici, qui sunt frigidi, & sicci, qui paucos habent humores, & bonos, suspicari, vt facilè quispiã posset, ex aeris putredine, cor inficiente, & humores illam fieri subdunt, quod hęc omnia ad pestem præparant, nequaquam excitant, sed sola illa qualitas infert. Ita Fern. 2. de abditis rer. caus. Argent. & alij multi his, vt patet suasi rationibus.

Hos ob causas.

Irrepit plerumque pestis ita latenter, nullas, vt sui notas prodat: in ijs regionibus: quæ nullis sunt infectæ vaporibus, hyeme, æstate, autumno, quolibet anni tempore, tempestate quacumque, & cęlo vtcumque se habente, sereno, turbido, procelloso, tranquillo. Qui ergo fieri potest, vt à putredine pestis, aut manifesta intemperie? Post hæc, tam immaniter sæuit illa interdum, vt vniuersum penè orbem occupet, & regiones omnino tẽperie dissitas. Scribit Iac. de Part. ea peste, quæ inchoauit anno 1345. dimidiam ferè partem mũdi extinctam fuisse. Tradunt alij 1528. tertiam orbis partem peste absumptam. Quomodo potuit in tam dissita loca putredo serpere? afficeret

præterea æquè cuncta animantia; nam, vt aer, spiritu ductus æquè omnes tuetur, sic vbi à putrida illuuie inficitur, omni animãtium generi, æquè perniciosus euadit. At nulla est pestis, quæ cunctis sit infensa. Insuper, qui excitantur morbi ex succorum putredine, produnt sui notas in pulsibus, & vrinis: sunt in hac febre, & pulsus, & vrinæ laudabiles: iuuantur purgatione putres, & missione sanguinis: solis pestilentes antidotis. Quid quod hæc est duplex, putrida, & hectica? Num fiet hectica solidis cordis partibus putrefactis haud dicet hoc quispiã. Quare ab abdita qualitate, & venenata pestis omnis.

Non. distinguimus. Quid in tanta auctorum diuersitate? profecto si quæ in peste contingunt, non possent in causam manifestam redigi, adhærerem Fern. Cum vero pestis causa non semper lateat, non video cur ad occultas causas velimus confugere, quod nil aliud est, quam rei ignorationem fateri, & magnam Philosophiæ inurere notam. Quia ergo interdum latet pestilentiæ causa, patet alias, quandoque ab abdita qualitate fieri affirmo pestem, quandoque manifestam agnosco: hanc agnosco, cum euentuum ratio tradi potest: confugio ad abditam, cum manifesta causa non occurrit. Est autem manifesta hęc causa quandoque putredo, quandoque intemperies, non quęcumque, sed vel calida, vel calida, & humida; nam quãquam mutatio quęuis aeris noxia, non tamen omnis pestilens, sed quæ ingentem valet concitare putredinem. Est autem hęc calida, & humida, aut calida tantum. Cum valida est pestis, quę belluę instar depopulatur omnes, ab aeris putredine, aut venenata eiusdem qualitate pendebit: at cum est illa leuis, satis fuerit illi excitandæ intemperies. Fern. qui semper abditam qualitatem causatur, & venenatam occurrimus facilè; fit inquit plerumque pestis, citra aliquam aeris intemperiem putredinem &c. quid proinde hinc deducis Ferneli? non aliud certè, nisi quandoque pestem citra putredinem fieri, quamquam si quis tergiuersari vellet, posset; posset enim dicere, alibi putruisse aerem, indeque pestis semina translata, vbi aer serenus, non nubilosus, non humidus: lege quęso Gal. 1. de diff. feb. 4. namque ibi monet pestem eam Atheniēsibus accidisse, quia ex Aethiopia quædam fluxerant putredinis semina? præterea ex pestilentibus febribus priuatis, potest putredo aeri communicari. Quare poterit putrescere aer, quamquam nulla putredinis signa in eo præcesserint. Quod subdit, non posse eodem tempore, vniuersum aerē putredine infici; fateor, ac propterea numquam est visum, eodem tempore, orbem vniuersum peste laborasse.

Et Fern. rationibus sic satisfacimus.

Tertia ratio, in qua quærit, cur putris aer animantibus omnibus non noceat: facilem habet explicationem; nam si loquamur de piscibus, nullum hi aerem inspirant, vnde 8. de hist. animal. cap. 19. & 20. peste capi non posse pisces autumat Philosophus, quia si caperentur, aut esset propter aerem, aut propter aquam. At maris aqua numquam putrescit: nũquam aerem inspirant pisces. Si percunctetur, cur cuncta animantia, quę incolunt terram, aeremque continuo attrahunt, non capiantur peste, est problema difficilius: nam, vt dicebat Senec. 6. q. nat. cap. 26. tres ob causas facilius bruta peste deberent capi. Prima est, quia aerem liberaliter attrahunt: secunda, quia aquis indiscriminatim vtuntur, nec sciunt quas fugiant, quas eligere debeant: tertia, quia demissis capitibus, terram intuētur, quo fit, vt halitus terreos omnium facillimè attrahant. Verumtamen si recordemur eorum, quę scripsit Philosophus, & Hippoc. facile traditur ratio problematis. Hippocr. lib. de flat. *Sed est, inquit fortasse, qui dicat, at quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? cui ego sic responderem. Differt corpus a corpore, natura a natura, nutrimentum à nutrimento; non enim omnium animantium generi eadem, aut non conferunt, aut commoda sunt, sed sunt alia alijs magis conuenientia.* Quando igitur aer huiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur, homines ægrotabunt: Bruta, cum brutis non conuenit. *Ergo* inquit Fer. *necesse est fatearis malignam hãc esse putredinem, quæ huic præcipue, & illi aduersetur: id autem quid aliud est, quam venenum tota substantia, non manifesta qualitate infensum?* Porro si valet hæc consequentia, febres omnes putres malignæ erunt, nam modo bilim putredo, modo sanguinem corripit: immo erit quæuis causa morbosa maligna, nam quęlibet causa, ni sit efficacissima, quosdam tantum offendit, alios dimittit incolumes. Demũ malignus morbus est, qui vehementiora infert symptomata, quam suæ naturæ conueniat: Ineptè ergo, quia non omnibus nocet, malignam esse putredinem infert. Quæ quarto argumento adducebãtur, examinabuntur partim sequenti libro, partim vbi agemus de cura morbi maligni, & pestilentis.

An a contagio possit fieri pestis. Illud tamen non omittam, fieri nec ne possit morbus iste communis per contagium, hoc est per communicationem ab vno in alterum. Quoniam vero est hoc contagium triplex, prout tripliciter communicatio ista potest fieri: vel immediatè per contactum mathematicum, vel mediatè, idque dupliciter, aut medijs vestibus, & dicitur contagium per fomitem, aut medio aere, & dicitur contagiũ ad distans: aduerte, non verti in contro-

uer-

uersam, an possit fieri pestis à contagio ad fomitem, aut ad contactum innocuo aere, nam numquam videtur posse accidere, vt quæ fomitem contagij seruant, contrectentur à multis, multique propterea afficiantur: eadem ratione monstratur, non posse fieri à contagio per contactum. Adde quod cum in peste cor afficiatur, habet enim febrem adnexam, nec vmquam cor peste correpti, possit cor sani hominis tactu mathematico attingere, nulla pestis vi contagij per contactum,inuehi modo aliquo poterit. Controuersia est, an possit à contagio ad distans,deferente aere quidem morbi semina, eius tamen naturæ, quæ mox dissoluuntur,ni excipiantur, enimuero, vt vnicuique est notum, tetri halitus, qui aeri communicantur, & per aerem humanis corporibus,duplicis sunt naturæ: sunt quidam lenti,& crassi,sunt alij similes vaporibus, qui ex Agnani fouea, aut alia,in qua triticum diù fuit conclusum. A prioribus halitibus pestem fieri certum: an à posterioribus possit eadem inuehi,dubium: vnde cum morbi ab huiusmodi halitibus inflicti dicantur induci per contagium, vt patet cum pthysicus,aut ophtalmicus alium inficit, quærimus an eadem ratione possit fieri pestis. Qua in re,etsi vario modo opinatum fit à Doctoribus,affirmantibus alijs, alijs partem,quæ negat sequentibus: nec negem difficile esse, tot prauos vapores ab infectis corporibus expiratos, non inficere aerem: autumo tamen ab hoc contagio posse morbum communem profisci, nam anno 1594. fuit Nola patria mea pestiferis febribus afflicta, eumque in modum vexata, nullus vt non ęgrotarit,pauci ex ęgrotis euaserit: at qui Nolam petebant, nec tamen cum ægrotis versabantur, petebant innocuè: vicini quoque vt bi pagi, nullum sensere incōmodum: sensissent autem,si ab infectione aeris,morbi illi; nam perlatus ad loca vicina à ventis aer,vicina loca infecisset. A contagio itaque febres illæ, & quoniam alter alterum sibi proximum inficiebat, hic postea alium: vt propterea non possim non damnare medicos eius temporis, qui vt afflictæ vrbi opem darent, ad proximum Cicalæ montem ægros relegatunt, & pecudum instar in ligneis casulis concluserunt, nam quæ aderant nō erant capaces; enimuero si non habebat ortum ab aere morbus ille,quorsum mutare solum iusserunt? & si ad vitandum contagium, illud expediebat, vt singuli separatim discumberent: quo spiritu acti dispersos in varijs domibus, vnica concluseere domuncula? Sed quorsum infælicissimi anni memoriam refrico, & patrias comminiscor ęrumnas? subtraho proinde manum,& finem huic capiti impono,

Affirmatus.

Et ab hac causa Nolanam pestem anni 1594. factam volumus.

Venenati morbi causæ.
Cap. XVI.

EST venenatus morbus, affectus præter naturam, primò & per se lędēs, corporis humani actiones à veneno in corpore genito, assumpto, vel admoto productus. Prioribus particulis conuenit hic morbus cum alijs,hac vltima differt: propterea erit explicanda, vt explicetur huius morbi natura, quando primo huius operis libro abundè,est dictum de alijs.

Quid morbus venenosus.

Quid venenum.

Quicumque de veneno hucusque scripsere, in hac re conueniunt, veneno humanam naturam confertim corrumpi: vnde cum gallica lues, aut nullo modo corrumpat,vel nequeat id facere cōfertim, verè venenum Lues Gallica non erit,vt Capiuac.cap.2.tractat.de venen.

Quod nostrā naturam proprietate quādam confertim corrūpit.

Naturæ autem nomine,formam intellige,non hanc,& materiam,vt Mercurial. qui materiam quoque euerti à veneno putauit,cap.5.tractat.de venen.quia humor,membra, & spiritus, quæ sunt corporis humani materia, veneni vi destruuntur: siquidem,vt cuique,vel parum in physicis versato constat, sunt hæc corpora habentia naturam, non natura. Sed cum confertim,& subito corrumpi possimus,vulnere cordi inflicto, suffocatione,seu laqueo,seū angina inducta,aut humore in capite asperæ arteriæ impacto, aut apoplexia: addunt, non quidquid confertim, nostram deuastat naturam, venenum esse,sed quod tota substantia nobis aduersa hoc facit: occultam qualitatem vocāt alij,alij virtualem proprietatem. Cumque male affecto corde,subitæ mortes fiant, longissimæ hepate, & quauis parte naturali laborante, medio modo cerebro patiente, cor esse cuiusq; morbi venenati subiectum, concludunt, nam tametsi vesica à cantaridibus, à lepore marino pulmones afficiantur,ni tamen cordis morsus patiatur languens, fastidia,syncopes, refrigerationes, vireśque confertim collabantur, nunquam dicemus hominem, morbo venenoso teneri. At hæc fieri nequeunt, ni cor patiatur: hoc ergo pati in quouis veneno dicendum: & hominem lethaliter affici, nam corde perniciosa affecto qualitate, mors sequatur vt plurimum, est necesse. Quare erit suo ingenio venenum, humanæ naturæ corruptiuum.

Naturæ nomine formā intelligendo hanc & materiam vt Mercur.

Quare cor in veneno quouis patitur.

Nec obstat,quod scribunt multi, quosdam nutritos veneno; nam aut non est venenum respectu illius, cum hoc sit ad aliquid,quemadmodum cibus: aut quod alij putant,fabulosum, quando ea ratione differt à veneno alimentum, quia hoc vincitur,vincit illud,& superat naturam nostram. Aut dic in veneno, cum hete-

Nec eo nutriri modo aliquo possumus.

rogeneam habeat naturam, eſſe portionē alimentitiam, venenoſam aliam, ac illa nutriri, non poſteriori: nec necari, ſed in excrementum abire, quod ſi excernat, ſalubrem vitam deget corpus illud, nec afficiet aliud: ſi detineatur, poterit alios contagione inficere venenato excremento, tametſi ipſum nihil patiatur, vt experimur quotidie in Gallicis mulieribus, quæ cum belle valere videantur, & valeant benè, inficiunt nihilominus alios. Atque hucuſque conueniunt omnes, nēpè veneno humanam naturam confertim corrumpi. Quid tamen ſit, ſubſtantia nē, an qualitas, de hoc litigant.

An mixtum an qualitas.

Negat Mercur. qualitatem eſſe quatuor ob cauſas: Prima eſt, quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Secunda, quia eſt venenum contrarium alimento. Quare in eodem erit prędicamento ſubſtantiæ in quo alimentum: Tertio, quia ſcribit Galen. eſſe medicinam quamdam tota, vt aiunt, ſubſtantia aduerſam nobis, vt patet ex ſecundo de acut. 13.3. de temp 4.6. epidem. com 6. tex. 5. ac demum, quia adſunt, & abſunt à ſubiecto venena, citra corruptionem ſubiecti. Cæterum, quia videbat venenum eſſe noſtræ naturæ, quā maximè aduerſum, intendique, & remitti, vnde quædam venena necant citius, faciunt alia id tardius, quæ procul abeſſe à natura ſubſtantiæ, eſt certiſſimum, ſubdit cum ſimplicio, hæc conuenire veneno, non ſecus ac ſubſtātiæ, qualitatum nimirum ratione. Idem Euſtach. Rud.

Mixtum eſſe vult. Mercur.

Putat contra Capiuac. qualitatem eſſe duabus, vt patet, experientijs motus, Baſiliſci nempè, & piſcis illius, ſeu ſerpentis, quem referunt multi, ſi haſta à piſcatore percutiatur, ſtuporem manui piſcatoris inferre, nulla à Baſiliſco, aut piſce tranſmiſſa ſubſtantia, ſed qualitate dumtaxat communicata: qui, ſi id demonſtraſſet, expugnaſſet profectò cōtrariam ſententiam, & eam, quę docet, qualitatem eſſe venenum, demonſtraſſet: at gratis illud affirmat. Quare ſi negetur, iure quodam negabitur; equidem quiſnam Deus reuelauit, nullos è Baſiliſci oculis, ſpiritus venenatos effundi, nullos à piſce halitus mitti? Quid ergo? mixtum eſſe venenum dicemus cum Mercur. an qualitatem? Si quis putet venenum forma propria necare neceſſe eſt fateatur mixtum eſſe; nam cum nequeat forma à materia ſeparari, non poterit illa alicubi eſſe, quin materiam comitem ſibi adſciſcat: at vbi materia, & forma ſunt ſimul vnitæ, eſt ibi mixtum. Quare mixtum erit venenum. Quod ſi per qualitatem aliquam virtualem venenum necare cenſeat, eamque non propagari, inſtar primarum, ſed vna cum tenui ſubſtantia diffundi, mixtum pariter dicet venenum eſſe. At ſi exiſtimet, nullam repugnantiā inuoluere, quominus venefica qualitas, primarum more communicetur, qualitatem eſſe venenum, dicet hic conſequenter. Vtro modo contingat, difficile eſt diuinare: illud certum, venenum, vt plurimum vna cum ſubſtātia diffundi, quod inde colligitur apertè, quia ſi fiat fortis alligatio ſupra partem commorſam, impeditur nè venenum ad cor repat. An ſemper fiat hoc modo, illud dubium: dubium inquam, nam nulla eſt ratio, quæ monſtret id fieri non poſſe, nam quas affert Mercur. quis non facilè eludat? enim verò, quamquam actiones ſubſtantiales ſint ſuppoſitorum, accidentales tamen, à qualitatibus fieri poſſe, putāt communiter omnes, ſuadentque experientia caloris aquæ inhærentis, qui illam corrumpit nullo ab aqua auxilio mendicato, alioquin eſſet ſibimet exitio aqua. Quod dicit, venenum eſſe alimento contrarium, & conſequenter in eodem prædicamento ſubſtantiæ, ni amice interpretetur, & hoc modo, alimentum tranſmutatur à nobis, venenum vincit potius, tantum abeſt vt à nobis vincatur, omnino falſum eſt, eſſe inuicem contraria, nam vnum non pugnat aduerſus alterum. Quare diuerſam potius habebunt naturam, quàm contrariam. At eſto verè ſint contraria; quid aliud inde efficitur, niſi, vt ratione ſubſtrati, & fundamenti, in cathegoria ſubſtantiæ collocentur? Ex Galen. loco adducto, id habemus, venena nō agere aduerſus cor, calore e.g. aut frigiditate, alioquin ignis, & glacies eſſent venena, ſed qualitate quadam virtuali, aut vniuerſa earum congerie, quam cum ad miſti ſubſtantiam pertinere voluerit, nā eſſe carnis, nil aliud eſt, quàm carnis temperamentum 1. de vſu part. 9. dicere venena tota ſubſtantia agere, idem eſt, ac dicere, venena vniuerſa temperie, ſeu qualitatum congerie nobis aduerſari.

Qualitatem Capiu.

Nos verumque dici poſſe ſtatuimus ſ. mixtum, & qualitatem eſſe.

Vltima ratio, non minus officit ipſi, quā nobis, ſi quod habet robur; nam quandoque venena non occidunt: ſunt itaque in ſubiecto, & ab eodem abſunt citrà aliquam ſubiecti corruptionem. Quare erūt ſaltim illa venena tunc temporis qualitates. Præterea diffinitio illa accidentis, eſt explicanda de iis quæ nullo modo conducunt ad conſeruandam proprij ſubiecti conſtitutionem, aut deſtruendā, vt colores, ſapores, motus, quies, alioquin morbos omnes pernicioſos, ſubſtātiam eſſe fateri oporteret, quod cum, vel ipſo auctore, ſit falſiſſimum, qualitatem eſſe venenum, non eſt negandum. Cum verò poſſit eſſe hæc duplex, intentionalis nimirum, & realis, intentionalem non eſſe, conſtat clarè ex iis, quæ lib. 2. ſunt dicta; nam ibi monſtratum, ſpeciem, hunc tantum vſum habere, repræſentare nimirum, potentiæ obiectum. Realis itaque fuerit: ſed cum hæc poſſit eſſe, prima aliqua qualitas, aut virtualis, quę mixtionem

Non intentionalem, ſed realem.

nem primarum, aut mixti formam insequitur, hæc erit venenum : vnde intelligere hinc licet, venenosum morbum, esse intemperiem cordis perniciosam, à qualitate nobis omnino aduersa, productam.

An in nobis genita, an admota vel stapedibus.

Gignetur autem hæc qualitas, interdum in nobis : extra alias genita, nobis communicabitur, vel quia bibetur venenum, aut quia deuorabitur, aut quia inspiratur. Produci hoc vltimo modo venenosos morbos, nullus dubitauit. Quare omnes docent si naribus, aut auribus, aut cuiuis parti corporis nudæ applicetur, posse à veneno admoto, perniciosam illam qualitatem cordi communicari. An intus gigni possit, an admotum e.g. stapedibus possit inde ad cor vsque insinuari, hoc dubiũ. Affirmat hoc secundũ Gent. 6.4.tr.1.cap.1. nam quidam calcata aranea, perijt. Negat primum Mercur. quia verò videbat oppositum placuisse Galen.6.de loc.affec.cap.5. Respondet, posse gigni, quid simile veneno, nempe humorem citò humanæ naturæ destructiuum, atque hoc voluisse Galenum, verum venenum nequaquam. Nam neque à calore natiuo illud fieri potest, quippe qui conseruat, neque à calore præter naturam, nam tantus concipi nequit in viuente.

Negat primũ Merc. Gent. admittit vtrũque.

Ab vtroque ego recedo; & Gent.

Ab vtrisque cogor ego recedere, nam quamquam nullam inuoluat repugnantiam sententia Gent. quemadmodũ non est cur neges, arte aurum effici posse; nihilominus, quemadmodum nullus huc usque verum aurum confecit : sic nulla poterit arte huiusmodi venenum produci ; calidissimum enim necesse est esse : at hoc aeri expositum dissoluetur, aut si quas vires seruabit, ea potius ratione occidet, quia per os, nares, & oculos ad cor se insinuat, non rectà per pedes. Vide Delrium l.3. disquis. sect. 2. q.4. pag. 34. Adde, si quis velit hoc admouere, valentissima antidoto indiget, ne à veneno oblædatur: at quam hoc facilè dictu, tantũdem impossibile est arte comparare idẽ centeo de venenis, quę per epistolas exhibentur, nempè, esto nihil repugnet id moliri, vt tamen quis id assequi possit, non credo.

Et a Merc.

Recedo secundo à Mercur. nam si nullo veneno exhibito, eadem quandoque symptomata accidunt patienti, quæ venenatis. Cur venenum in eo genitum fuisse negabimus? enim verò, quod spectat ad eius rationem, facilè soluitur, si dicamus, gigni calorem illum à causa externa, nam ab externo ambiente putredo, à qua postea venenum. Pręterea multo minor gradus qualitatis requiritur, vt forma inducatur in materia, quam vt conseruetur, vt patet de aere, qui in loco modicè frigido in aquam concrescit. Quare esto, non esset summus calor in nobis, poterit nihilominus corrupto excremento forma veneni introduci, & ab illa postea, vlterior gradus qualitatis manare. Demum non lædit nos venenũ primis qualitatibus. Quare, quamquam non sit in nobis summus ille calor, poterit nihilominus, qualitas venenata produci.

Cuius veneni causæ indagandæ, & quæ.

Sed quamquam detur, & internum venenum, & externum, non est modo animus de causis interni disputare, nam de re ista cap. seq. sed de eo, quod propriè venenum vocatur. Quare de causis externi, non tamen quauis, non enim de forma, aut materia veneni, nam hæc aliud mixtum est seu integrum, vt vegetalia multa, mineralia, succi, & animalia venenosa, seu corruptum, & putrefactum, vt triticum : forma varia, prout varia est elementorum miscella. Effectrix causa, natura, nam quæ fiunt ab arte, actiua passiuis admouendo fiunt. Quare erit illud certum, aliquem habere vsum venena, cum agat ob finem natura. Inquirens ergo id tantum, quod est medicorum, indagabimus, vnde est, quod confertim venenum nos perimit, quoue dirigente, cor semper petat.

Cur venena confertim nos occidunt.

Sol.

Ac primus quidem nudus breui expeditur, enimuero, si à contrario corruptio, quod maximè aduersum erit, id ad corrumpendum valebit multum. Huiusmodi cum sit venenũ, nil mirum, si ab eo confestim corrumpimur.

Obiectio.

Obijcies, est ignis actiuitatis maioris multo. Cur ergo ab exiguo scorpionis veneno, multo peius afficimur, quã ab igne? An id fieri dicemus, quia forma agunt venena : est autem inter formam veneni, & animalis maior contrarietas, quam inter ignem, & animal? At nullos dari morbos in forma lib.5. à nobis monstratum.

Sol. aliorum affertur, & reijcitur.

Ponitur vera.

Dic proinde illud fieri, quia magis valet ad destruendam vitam animalis venenum, quam ignis; enimuero, si aliæ multæ qualitates magis vigent in mixtis, quam in elementis, vnde plumbum est terra grauius, & ferrum calfactum vehementius calfacit, quam ignis stuppa. Cur non poterit vis destructiua animalis, maior esse in veneno, quam in igne?

Affertur alia.

Dic secundo citius necari animal à veneno, quam ab ignis scintilla, quia venenatus vapor cor petit, scintilla partes extimas corporis. Nunc quid mirum est, si plus lædamur ab illo, quam ab igne?

Quomodo venenum cor petat.

Secundus nodus difficilior, nam cum trifariam possit fieri, vt venenum ad cor deferatur, vel tractum à corde, aut proprio ingenio delatum, aut à cæteris partibus detrusum : nullus modus dicendi hic locum habere videtur. Non primus: nam omnis tractio fit gratia fruitionis : modo cor à veneno destruitur. Ne propria sponte venenum in cor irruat, sua impedietur natura, nam animantium rã tum est, suopte impetu ad locum præstitu-

tu-

tutum moueri: non demum contingere hoc poterit, reliquis corporis partibus venenum ad cor deponentibus, nam vt mittam experientiam, quæ refragatur, obstat lex naturæ, quæ certo statuit, vt ad debiliorem quamque particulam sẽper fiat confluxio: nunc verò, aut numquam, aut rarò continget, vt cor fit omnium debilissimum.

Sol.1. An dices, hoc fieri, iugi quadam propagatione qualitate venefica cordi communicata? At rarò venenum sic diffunditur: nec si continuo ita fieret, tolleretur proposita ambiguitas: adhuc enim quęro. Qui fit, vt cordi potius, quam alijs partibus communicetur venenum. 2.Sol. An recurremus in analogiam illam, & abditã huius euentus causam? nam ita fit, cum quæritur, cur cantarides, illæsis cæteris partibus, vesicam exulcerant, Lepus marinus pulmones? enim verò, quæ causa tradi potest, cur vapores elati à pulmone vlcerato, pulmonem tantum alterius exulcerent, opthalmicus oculos inspicientis inficiat, & pestes multæ quibusdam animantibus sint infensæ, innocuæ alijs: quædam pueros dumtaxat offendãt, aliæ debacchentur in viros, mulieribus omissis, ac si indignum censeant, cum imbecilli sexu decertare. Reijcitur. Sed vt mittam, sic nihil doceri, tacitè potius ignorantiam nostram accusari: adhuc remanet explicandum, quomodo venenum à brachio ad cor vsque diffunditur. Si recta semper deferretur, posset quidem à propria vaporis leuitate hoc fieri: vt à brachio ad cor deuehatur, leuitas profecto facere nequaquam poterit. 3.Mercur. Nec placet, quod dixit Mercur. infici spiritus à veneno eosque infectos, & ad cor remeantes, propriam illi communicare infectionẽ. Primum, quia spiritus, ni contrahantur ab anima versus cor, nequaquam versus cor mouebuntur, solet autem anima in timore contrahere. 4.Auct. Dicerem propterea, trahi à corde venenum, per accidens tamen; enim verò cum ad sui tutelam alliciat aerem per arterias omnes, quæ sunt disseminatæ per partes nostri corporis: quemadmodum respiratione, nedum aerem allicit, sed quæcumque cum aere sũt admixta, haud secus, vbi ope arteriarum, ad se aerem attrahit, attrahit vna simul quicquid est permixtum cum aere. Vnde cum contingat quandoque, vt cum aere venenum sit permixtum, non est cur miremur, si à corde per accidens trahatur. Videor absoluisse propositam difficultatem, propterea plura non addam.

Morbi maligni causæ.
Cap. XVII.

Quid malignitas. QVid sit malignus morbus, non admodum constat inter medicinæ Doctores: propterea id explicabimus primum: dicemus secundo quæ causæ illius. Malignitas est vox imposita ad significandum, simulatam quamdam hominum probitatem, latentem vero malitiã, & occultam: itaque illi homines propriè dicuntur maligni, qui cum pręseferant speciem probitatis, sunt tamen pessimi. huiusmodi erant Pharisæi, quia vt dicebat Christus Saluator noster, sub vestimentis ouium, erant lupi rapaces. Ab his postea est hoc nomen translatum ad morbos, & dicuntur maligni, quia quemadmodum dantur homines proditores, qui ficta beneuolentia, nos incautos inuadunt, & imparatos offendunt: ita dantur quidam morbi, qui cum prauitatis, aut pestilentis naturæ nil admodum pręferant, mire tamen insito perurunt veneno. Proinde, vt illi dicuntur maligni, ita & huius generis morbi: & quo pacto vix possumus euadere ab ijs, qui aliud mente occultant, promunt aliud: haud secus medici, vix possunt vitare, quin à malignis morbis decipiantur, quippè aspectu mites videntur, cum plurimum tamen habeant difficultatis, vt benè norunt, quicumque praxi diligenter dederunt operam. Propter hanc rationem vocauit fortasse Paulus parua vlcera, in cicatricem tamen vix coeuntia, maligna, Celsus mala, alij malefica, alij Telesia quando hoc morbi genere præcipue Telephas conflictatus fuit; alij Chyronia, vt quæ Chyronis, medicæ artis experientissimi opẽ requirunt, propterea quod cum citam, & certam salutem promittant, numquam tamen curationem suscipiunt. Neque alio respiciens vocauit Poeta Lunæ lucem malignam dicens.

Quale sub incerta Lunæ sub luce maligna.

Nisi quia promittens, quemadmodum lux Solis, qui est dator vitæ salutem, & vitam, aliud facto præbet; lædit enim, & multas affectiones inuehit. Si ergo illud malignum est, quod bonitatem simulans est malum, sequitur manifestè ex dictis, malignum morbum eum propriè dici, qui vehementiora infert symptomata, quam suæ naturę conueniant, vt si e.g. sit febris, quę primo intuitu appareat placida, & benigna: deinde mire nos torqueat: aut sit exiguum vlcus, quod citam, & certam curationem promittens, nunquam tamen coalescat: dicentur morbi isti maligni, quia vehementiora inferunt accidentia, quam eorum naturæ conueniant; non enim est exigui vlceris, febrisque pusillæ ita pertinaciter corpori inhærere, vt hominem, aut maximè vrgeant, aut occidant.

Cæterum quia possunt hoc facere morbi, vel ratione partis, in qua existũt, Morbi maligni duplices. vel ratione causæ, à qua excitantur, sequitur ex hoc, duplices esse malignos mor-

morbos : alios ratione propriæ causæ effectricis, alios ratione partis affectæ; sic tendonum, & articulorum vlcera, maligna vocauit Galen. quia ratione partis, in qua exiltunt, difficilem curationem recipiunt, & l. de cris. cap. 16. definiens malignum morbum, cum dixit, qui omnibus ritè factis, nil iuuatur laborans. Hăc perhibent fere omnes esse morbi maligni naturam : nec aliud est opinatus Gal. cum dixit, malignum morbum esse, qui cum vitæ periculum minetur, spem tamen salutis non adimit, sed hoc ipsum innuere voluit. Nimirum considerans. Gal. heterogeneitatem huius morbi, nūc enim mitis apparet, & salubris, modo necem præsentaneam minatur, ad huius morbi inconstantiam respiciens dixit, esse morbum malignum, qui cum vitæ periculum minetur, spem tamen salutis non adimit, quia ratione qua mitis apparet, promittit salutem : ratione, qua prauus, vitæ maxime imminet. Et quamuis hoc in alijs morbis possit reperiri, potest tamen ab illis separari, à maligno nequaquam. Quare hæc erit eius natura, vt ficta mansuetudine lædat.

Obiectio. Obijcies, morbus malignus est agens naturale : semper ergo pro suæ potentiæ ratione aget : non ergo mansuetudinem finget, non simulabit benignitatem, neque vt aiunt, mel ore geret, fel corde, & venenum : est hoc voluntarij agentis, quod suę spontis est, & in agendo liberū. Quare videtur hoc potius, vt rem libere fatear, medicorum figmentum, vel vt adscribant sibi diuinandi artem, vel vt eorū ignorantiæ, cum deluduntur à morbo, aliquem mantellum quærant.

Resp. At re vera non fingunt, comminiscuntur nihil; nam multa sunt, quæ ne dum morbos latere posse docent in corpore nostro, sed & venena. Scribit Theoph. lib. 9. de hist. plant. cap. 16. aconitum venenum, ita suo tempore parari consueuisse, vt datum hominibus, certo quodam tempore occideret. Scribit Hip. l. de inter. aff. latere quosdam morbos in humanis corporibus per quatuordecim annos. Refert Alb. Mag. lib. de animal. se vidisse hominem, qui duodecimo anno post morsum acceptum tentatus est hydrophobia. Sed ne ineptus sum, qui aliunde quæro, quod domi nascitur, non ne lues gallica potest esse clarissimum huius rei argumentum ? Quod si in multis alijs id accidit, non est cur profecto negemus, posse idem à morbo maligno fieri.

Quomodo morbi, & venena latere possint. At quomodo? si est necessarium agens? Scio multos dicere, perterrefactam naturam non aggredi pugnam: vbi autem nulla est pugna, nulla elucent symptomata. At sunt nugæ; primo quia naturam cognoscentem faciunt : secundo quia esto ageret libere, non propterea ab agēdo desisteret, quia vt rectè. Thucidides admonet, vbi nulla est euadendi spes, satius est omnino desperata salute aliquid agere, quam ignauorum more, certo perire.

Gal. l. 3. ep. com. 3. t. 5. admirans, qua ratione factum sit, vt veneno fere similis humor sit in phrenitico illo genitus, qui momento postea eum de medio sustulit : mirabile enim est, vt hi morbi gignantur, & homines optime sanos subito inuadant dicit, quod quemadmodum commorsi à cane rabido, non statim cōcepti veneni notas prębent, sed latet virus, quo vsque longa actione adauctum, repētinam postea mortem inferat : haud secus latet morbifica causa, quousque illud incrementum assumat, vt morbum violentissimum faciat. Non itaque, vt subita est morbi generatio, ita & causæ generatio est subita, sed hæc per paulatinam actionem magnopere adaucta, morbum magnum extemplo producit. Huic consimile est, quod dixit Hip. *morbi non statim ac apparent, statim fiunt*: quod traducens elegantissimus Fet. ~~scripsit sæpe~~ *morbus repente emergit in lucem, cuius causa sensim radices egerat.*

At liceat mihi amice à Galen. percontari, vnde est quod virus canis rabidi nō sentitur, quousque non est multum adauctum? An quia interea non agit? at est virus illud causa naturalis, & debitè passo approximatum. An quia insensibiliter agit? estque ea actio ita exigua, & parua, nequeat, vt præ exiguitate sub sensum cadere? Sit ita, at rationi consonum modo esset, vt causa hæc paulatim increscens, antea quam summum illud attingeret, sui notas præberet. Vnde ergo fit, vt occulta tamdiu lateat, quo vsque longa actione adaucta, repentinum postea interitum afferat ? Dubitatio aduersus Gal.

Non persentiri interea dices, quia augetur sic repente, vt necet, & interitum afferat. At repugnat hoc naturali Philosophiæ, quæ docet, numquam perueniri ad extremum, non pertransito medio. Quare acquiret per gradus augmentum virus illud : deberet ergo hoc tempore dignosci à medico, & ab ægro sentiri. Op. Auctoris. Præstat proinde aliter cum Gal. dictum problema dissoluere. Examinans Gal. 19. aphot. 2. par. quid causæ est cur in prædicendis acutorum euentibus, errent quandoque medici, id fieri dixit, ob subitam in iudicatione permutationem, quæ sequitur naturam humorum, qui ex vno loco conferuntur in alium. Nimirum verè acuti morbi ex tenuibus, & calidis succis ortum habent : hi naturam vexantes dispelluntur: fit proinde, vt quēadmodum nobili è parte in infimam detrusi afferant insperatam salutem : ita ex ignobili loco delapsi in nobilissimum inopinatam subinferant mortem. Cæterum quia incertus est hic humorum motus,

in-

incertus quoque erit acutorum euentus. Quod dixit Galen. de morbis acutis, illud idem poterimus dicere de malignis, scilicet, humor ille malignus, vbi in ignobili resideat loco, nulla infert symptomata: at cum adauctus, ita vrget naturam, vt ad expulsionem inuitet, detruditur ad nobile viscus: proindequè fit, vt qui antea vix lædere poterat, ratione postea loci, repentinæ fit causa internicionis.

Hinc potest dissolui problema, vnde est quod à pharmaco sæuiant non rarò morbi, scilicet in causa est humoris cõmotio, & eiusdem delapsus ad nobilissimam partem. Quo circa multo rectius dicerent, quibus hoc infortunium accidit, factum esse prauum morbum à pharmaco, non manifestari eiusdem malitiam. Huic rationi, quam mox dedimus si placeat addere primam Galen. dici potest, quod quemadmodum sunt quidam morbi, qui statim ac incipiunt, & vigent, & florent, propterea, quod causa illos faciens mouetur velociter: ita possunt causæ illæ, tametsi antea erant insensibiles, breui temporis spatio tantum incrementum accipere, vt interitum afferant. Vide Galen. l. 1. de loc. aff. vbi guttæ cadentis exemplo hoc declarat, & comprobat.

2. causa.

Sed est hæc causa communis maligno morbo, & acuto illa propria, quę petitur à causis maligni morbi, s. malignus morbus non fit ab ea solum causa, a qua alij omnes eiusdem generis, sed pręter communem in qua conuenit illi cum alijs, addit aliud peculiare, vt e.g. in vlcere simplici, nil aliud fingere est præter solutionem continui, at vlcus malignum præter hanc, habet intemperiem annexam; hęc enim alimento corrupto, & in humorem erodentem conuerso, in causa est, vt quidquid erat prius vnitum, dissoluatur confestim. Vehementiora itaque symptomata infert, quia cum posset, exigua magnitudine eius inspecta, citò curari, redditur tamen ob intemperiem adiunctam insanabile. Malignæ item febres non fiunt ex simplici putredine humorum, sed ex venenata qualitate, aut ex veneno genito ab insigni putredine humorum. Maiora ergò accidentia quam febris naturæ conueniunt, non à putredine, hac enim conuenit illi cum cæteris febribus, sed à veneno: ab hoc inexpectatæ illæ mortes, & repentinæ. Nempè putat medicus triumphasse de febre, vbi compressam videt humorum putredinē, euanuisse symptomata, & licet prostratā esse intelligat ex pugna præcedenti naturam, quia tamen pugnam omnem cessasse censet, hinc canit triumphum, fallitur que, nam vrgens venenata qualitas prostratam naturam, breui illam extinguit. Est & alia causa huius euentus, quæ vt intelligatur, scire oportet, ex vehemēti putredine venenum gigni, quamobrē febris, quæ primum ex simplici putrefactione erat genita, habet postea progrediente putredine duas causas, putredinem nempe, & venenum. Quare, quę antea videbatur contemnenda, mox ob venenum, exitiosa euadit.

3. causa.

Contagiosi morbi causa.
Cap. XVIII.

Quid contagium.

Ab vno alteri communicata infectio.

HAbent contagium morbi pestilentes: iure itaque disputationem de causis morbi maligni, & pestis, hæc de contagio sequitur. Est contagium, vt docent communiter omnes ab vno alteri communicata infectio. Infectionis nomine haud intelligimus morbum, vel symptoma, nam cum sint hæc accidentia, non possunt hinc inde migrare, nec deferri ab alio in sit animatum. At fit contagium ægro infectionem quandoque communicante per halitus, semen, sanguinem menstruum: communicatur alias à veste, vt cum quis vestem scabiosi indutus incurrit in scabiem, aut parietem vt c. 14 Leuit. Communicatur rectio à muliere e.g. gallica, nullo adhuc morbo detenta. Quare nec morbus, nec symptoma contagione communicabitur, sed causa morbi. Nempe vt agat infectus in sanum requiritur contactus mathematicus aut physicus.

Huius nomine causam intelligimus.

Quare potest vnus infici, non alius.

Hinc, cum sit illa de genere relatiuorum, & quæ morbosa est vni, non officit alteri, poterit mulier lue nondum vexata, viro cum quo rem habet, luem communicare: hic torqueri mille malorum generibus, inculpata illa frui valetudine. Nimirum, vt vetulę expirantes vapores virulentos, necant pueros, ipsis bene valentibus, quia teneriores cum sint, non valent ita resistere, vt vetulæ: haud secus, quia imbecillior esse potest iuuenis, fæmella infecta valida, poterit robusta hæc mulier seminarijs suis resistere, ac benè valere, cedere iuuenis, ac propterea dolere.

Est autem causa, quę communicatur qualitas, non substantia, aut quantitas.

Cum autem causa hæc multiplex esse possit, substantia nimirum, & accidens, hoc item quantitas, qualitas: non est quantitas, quæ communicatur per contagium; hæc enim à principio ortum habet: non est pręterea actiua. Quare non poterit similem quantitatem producere. Hinc fit, vt nequè substantia esse illa possit, cum nequeat substantia immediatè agere: erit itaquè qualitas, non spiritualis, hoc est species; nam hanc nihil reale posse producere, supra est à nobis monstratum, ergò materialis. Occulta ne, an manifesta? quæuis, dummodo agendi vim habeat; occultam communicari quandoque, docent pestilentes febres, quę ex ve-

Tam occulta quam manifesta.

venenata occultam habent qualitatem; enim verò vbi Sortes febri pestilenti correptus, consimilem Platoni communicat, communicat illam, causa febris diffusa: at febris à venenata erat orta qualitate. Quare occulta est qualitas, quæ communicatur quandoque. Est alias eadem manifesta (quidquid Fracast. putat, qui nescio quo spiritu ductus, impropriam esse censet hanc contagionem) cum tamen verè illi contagionis diffinitio côueniat, quæ est ab vno alteri communicata infectio: vnde neque illud affirmare vererer, domum, quæ vicinæ incendio ardet con flagrare contagio. Cæterum cum hæc qualitas possit communicari bifariam, vel producta simili per partem post partem, vel eadem vna cum substantia transmissa, secundo hoc modo fit communicatio, non primo; nam communicatio primo modo facta, longiori inducitur tempore, nec poterit ventis impediri, aut iuuari. Erit ergo contagium, communicata substantia, quæ si qualitatis prauæ sibi inhęrentis habet vim producendi affectionem consimilem.

Communicatur tamen substantia transmissa.

Est hoc vehiculum duplex, crassum tenue: crassa est substantia deferens contagionis causam in illis affectibus, qui iure hæreditario nobis accidunt; cuiusmodi sunt variolæ, morbilli, arthritis, podagra, lues gallica, lepra epilepsia; etenim vel est sanguis, aut semen, à quo proles sic redditur intemperata, vitiosos vt congerat succos. parsque alia ità languida, vt congestos excipiat vnde arthritis, podagra, melâcholia. Tenuissima est substantia, nam sensum omnem effugit, quæ nobis in lucem iam editis seminaria côtagij defert. Quare tenuis vapor. Hinc cum calida tantum euaporent, frigus cuncta cohibeat, & denset, calidi tantum affectus nobis iam editis possunt communicari: à parentibus calidi, & frigidi. Vnde affertur lux Arist. qui 7. pat. prob. 4. docet à morbosis, nos facilius infici, non conualescere à sanis, quia est sanitas quies. morbus motio: vult dicere Arist. id circo, male nos affici à morbis, quia per morbos agitantur humores, magna autem commotione facta, multi attollûtur vapores, qui quoniam praui, facilè proximos quosque inficiunt: contra sanitas, quia est quies, nam cum decentè habeant, tum intet se, cum ad corpus proportionem humores, nulla est pugna. Quare neque commotio aliqua; non ita communicantur similes qualitates. Quare neque ita commodè sani afficiemur à sanis quantum malè à morbosis. Hinc quod scribunt, puellam illam nutritam na pello, quoscumque ad se accedentes, & osculantes infecisse, necasse, tetro communicato vapore, aut non admittendum, aut si admittatur, hoc factû, quia frigidum illud venenum, vi caloris puellæ communicabatur. Insuper quia hæc communicatio, bifariam potest fieri. aut immediatè, aut medio aere, velte, re quaque molli, raræquè testuræ, fit vt tres dentur contagij differentiæ, per côtactum vna, per fomitem alia, alia demû addistans: est autem, quæ fit tenui illa substantia à corpore, per intermedium aerem communicata. Cumque nequeat qualitas vel efficacissima similem momento producere, sed quod commune est omni causę agenti, mora habet opus, nec detineri queat, ni adhæreat, non adhærere, nisi aliqualem habeat crassitiem, & lètorem, alioquin varijs actis iniurijs expositum, breui extingueretur, cum tamen seminaria contagij ad multos annos videamus seruari, non solum in vestibus, sed quod admirationem parit non exiguam in aere ipso: duo habeat necesse est seminarium quodque contagij, lentorem nimirum, & acutiem; hanc vt sese insinuet in abditas nostri corporis partes, illam vt adhæreat, resistatque contrarijs. Hæc cum reperiantur frequenter in ijs, quæ putrescunt, adest enim euaporatio ratione caloris, & ob eamdem causam acuties; reperiatur pariter lentor in crassa, & profunda putredine, sût vt plurimum morbi à putredine contagiosi: cumque insignis in peste putredo, sunt pestilentes affectus, quam maxime contagiosi, vt 1. sec. prob. 7. Non tamen à putredine sola contagium, vt Fracast. placuit, nam si contagium est ab vno alteri communicata infectio, cum hæc côm-nicetur à parentibus proli, multo latius patet series contagiosorum affectuum: nec putredo sola, vt ipse putauit, contagionis causa, sed causa quæquè noxia communicabilis, dum habeat lentorem, & acutiem Cæterum, cum sint hęc seminaria crassa: magis, minus acuta obtusa: fit propterea, vt quædam in internas partes facilè sese insinuent, vt seminaria pestis, hæreant alia cuti, nec vltra feruntur, vt scabies: crassiora alia, ni discindatur cutis, numquam communicantur, vt rabidi canis venenum: quo fortasse fit, vt ante quadragesimam diem, non sese prodat in lucem.

Quæ substantia deferens est duplex crassa, & tenuis.

Quare, & calidi affectus & frigidi possunt communicari, hi in conceptione tantum: illi adhuc nobis editis.

Dilucidatur Arist.

Communicatur vtraq. substantia, aut mediatè, aut immediatè. Hinc triplex contagium.

Quodcumq. tamen semen contagij, duas debet conditiones habere.

Hinc morbi a putredine, vt plurimum contagiosi.

At non est ab hac tantum contagium.

Sed à quauis causa communicabili, quæ tamen acutiem habeat & lentorem.

Coroll.

Acuti morbi causæ.
Cap. XIX.

Est acutum, si Arist. in re hac consulamus Platonem, & Gal. quod mouetur velociter, nam vocamus acutum ensem, ingenium. sonum. quia ille cito penetrat, hoc citò inuenit media, quibus cuncta demonstret, sonum, quia mouet celeriter auditum. Erunt proinde illi morbi acuti, qui velociter sua tempora transeunt. Gal. 6. ep. com. 1. t. 29. expones verba illa *aliæ vero febres acutæ* ait, eam au-

Quid acutũ.

Quid morbus acutus.

autem dispositionem acutæ, de caliditate celeriter manui occurrente, summque ipsius velocem motum ostendente, te intelligere opus est, quemadmodum subdit, *acutos morbos dicimus, quicumque propria tempora vsque in finem velociter transeunt*: & 2. de dieb. decr. cap. 1. *multis* inquit *nominibus est laudandus Archig. qui non numero dierum, sed & natura acutos morbos iudicabat*. Non itaque acutus est morbus, qui cito terminatur, alioquin idem esset acutus, & breuis, sed qui citò finitur, quia velociter mouetur ad finem. Ergo si citius moueatur formica ab angulo huius domus ad alium, quam ego Roma Neapolim, non dicemus propterea velocius motam esse formicam, quia quamquam citius hęc iter peregit suum, non tamen æquale spatium pertransiuit: motus autem velocitas in hoc consistit, vt scilicet multum spatium, breui temporis intercapedine transeatur, vt 4 phys 96. Ar. Cæterũ quia multum breui pertransiri non potest, ni mobile magnitudinem habeat (qua enim ratione imbecillum mouebitur citò?) sit vt duo ad morbum acutũ requirantur, alterum vt terminetur cito: alterum vt magnitudinem habeat 2 aph. 19. *Acuti morbi præter id quod celeriter iudicatur, statim etiam magnitudinem habent*: cumque nil possit cito ab vno statu, ad alium mutari, ni aliqua violentia accedat, erant acuti omnes violenti 1. probl. 6. & periculosi, quia vt dixit Hip. *non suffert natura repentinas mutationes*: & *plurimum calfacere, refrigerare, humectare, siccare, malum; quia omne nimis naturæ inimicum*. Hinc laudat 2. de dieb. decr. 12. Archig. qui diffiniuit acutum, cui motus velox, & subita pericula adueniunt. Vt non possim propterea non mirari quosdam, qui putant noluisse Galen. hanc esse naturã morbi acuti, quia dixit quandoque, celeritatem motus esse accidens acuti morbi, loquens fortasse de acuto in vniuersum, quod comprehendit acutos ex decidentia.

At dices: multi sunt acuti à crasso humore, qui moueri celeriter numquam potest. Non itaque celeritas motus erit de essentia acuti. Ita censet Petrus Sal. lib. 1. de morb. in Hipp. Dicit itaque cum bifariam possit fieri, vt celeriter morbi iudicentur, vel quia breue est spatium percurrendum, aut quoniam celeriter illud omne percurritur: non terminari celeriter acutos, quia moueantur celeriter, nam crassus humor, & tenax, à quo Apoplexia, non potest hoc facere: sed quia breues sunt termini constituti acutis, nam intra quatuordecim dies terminantur. Posuerunt alij, acuti essentiam in impetu causarum agentium. Et malè vtrique: atque Salius quidem, quia confundit cum acutó morbum breuem: & isti, quia fateantur necesse est, quod negant; nam ad impetum causarum agentium, necessariò sequitur cita iudicatio, & motus celeritas; docens enim Gal. 2. aphor. 23. cur quod dicebat Hip. acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur, refert hoc in casuum magnitudinem dicens, *Quod vero sit necessarium ab morborum magnitudinem, & casuum vehementiam, vel cito vires prosterni, adeo vt homo moriatur, vel ad noxiorum humorum excretiones excitatas, si modo, quos inuaserint exuperent, bonam sequi indicationem: sin autem exuperentur malam: vnicuique manifestum est. Propterea igitur fieri non potest, vt in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis.* Quod si durum videatur asserere, humorem crassum, frigidumue, celeriter ad finem moueri: scias non properare celeriter, qua crassus est, & frigidus: sed quoniam ob principem partem male affectam, grauia symptomata infert. Nec te turbet, quod obstrepit Salius dicens, ex hoc fieri, magnus vt morbus euadat, non acutus: nam ex hac magnitudine casuum, celer motus, & morbus acutus: ex hac inquam, nam quod non quæuis magnitudo morbi, acutiem faciat: docent hecticæ febres, & hydropisis, quæ & magnitudinem habent, & protrahuntur in longum: ni dicere placeat, non esse affectus positos vere magnos, quià non pollent actiuitate, sed resistentia, nec vehementia nocent, sed diuturna vexatione occidunt. Vide Argen. cap. 7. l. de diff. morb. Ex his potest quisque intelligere, acutos morbos ab ijs tantum posse excitari, quæ multum valet agendo. Quamobrem cùm calidi humores, & feruidi vi agendi pelleant, calor enim inter omnes qualitates est valde actuosus: fient vere acuti morbi, a succis calidioribus, tenuibus, & mordicantibus: huiusmodi cum sit genus omne bilis, recte est ab Anaxagora dictum, vt refert 4 de part. cap. 2. Arist. fel esse causam omnium acutorum morborum: quamquam in eo recipiendus non sit, quia non rectè docuit, qua ratione, fel huiusmodi morbos inferat) rectèque ab Arist. ibidem est dictum fellis vacuitatem, vitæ diuturnitatem afferre; nam quæ felle carent, optimum gignunt sanguinem, nullo amarore conspersum. Quare nec morbis corripientur acutis, qui vitæ humanę potissimum sunt infensi, & infesti; quoniam vero possunt nos vrgere humores nedum calore multo, & qualitate hac manifesta, sed venenata, & occulta, vt malignæ quæcũque affectiones: copia, vt cum à multis repente suffocamur: vrgere item possunt, quia in partem principem decumbunt, deducitur hinc acutorum causam, non tantum esse calidos succos, sed & alium quemcumque, duasque dari propterea species acutorum, ratione loci nimirum, vt apoplexia, & soporosę capitis

Qui velociter sua tempora transit.

Nõ qui breuiter terminantur.

Quare est idem magnus.

Et violentus.

Obiectio.

Petrus Sal.

Aliorum opinio.

Reijciuntur omnino.

Acuti causæ.

tis affectiones,& vere acutos: sic autem appello eos,qui ratione causæ,acuti euasere; Cumque eadem nocere bifariam possint,aut ratione copiæ, aut ratione prauæ,& malignæ qualitatis, fient morbi acuti interdum ab humore maligno, quicumque sit ille, quandoque à copia humorum,quamquam ijdem non sint calidi: fiunt tertio tales ratione loci, seu partis laborantis. Si ergo ea est morbi acuti natura, vt velociter moueatur ad finem: mouetur celeriter, ob magnitudinem morbi, casuumque sæuitiem, videamus,quæ morbum magnum faciunt, nam ita completa erit disputatio de causis acuti morbi, ac simul explicabimus causas magni morbi,paruique.

Magni, paruique morbi causę. Cap. XX.

Quid morbus magnus Quotoplex. Morbus magnus ille proprie est,qui vehementer,& maxime lędit actiones; vt enim illud esse calidum dicimus, quod calefacit:id maximè calidum,quod maximè calefacit:eodem pacto, cum de ratione morbi sit actiones lædere: qui maximè lædet actiones, is morbus magnus dicetur. Prosternuntur interdum actiones,quia nobilissima quæpiam nostri corporis pars, prostrata iacet, vt cor, Iecur,& cerebrum,aut alia pars,quę cum principibus habet consensionem; videmus enim non semel ægros animo deficere, non tam primario affectu cordis, quam ventriculi vitio. Læduntur multum alias, quia est morbus sua natura magnus: alias quia malignus: Quod si tribus ex causis maximè actiones læduntur, nempe à morbo sua natura magno, maligno,& ratione loci, in quo existit: triplicem ob causam fiet, vt vitia omnia grauia reddantur, & magna; vel propter afflictæ partis præstantiam: vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod sunt cacohetes 4. met. 6. Nec sibi contradicit dum 7. met. 12. scribit, fieri morbum magnum,aut læsæ actionis prestantia, aut propria affectus magnitudine, & læsa facultate, quæ totum corpus gubernat; non enim agit hoc loco Galen. de magnitudine morbi: nec docet fontes,ex quibus morbi magni, magnitudinem propriam nancicuntur; sed vt bene animaduertit Salius lib. 1. de morb. in Hipp. Massar. disp. de sang. miss. tradit methodum in complicatis affectibus seruandam: docetque, quod vbi à quopiam affectuum periculum instat, ad id, quod vrget, primum dirigi curantis consilium debet: explicans subinde hac vrgentiam, & fontes ex quibus desumitur,subdit, *atque in eo quidem curationis consilio,quod ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendenda est: ea triplex est, alia, quæ ex actionis præstantia spectatur, alia, quæ ex propria affectus essentia, & tertia præter has,quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat æstimatur.* Itaque non tam fontes magnitudinis morbi hoc loco proposuit, quam vrgentiæ: quæ cum consistat in magnitudine passionis à morbo profectæ,dicit hanc magnitudinem ex triplici fonte hauriendam esse, à læsæ actionis præstantia: vnde si plures morbi complicentur, ex quibus facultates principaliter corpus nostrum regentes, labefactentur: maior erit vrgentia ex parte illius affectus, quia lædit actiones vitales, quam qui animales, quia præstantior est facultatis vitalis actio: secundo dicit desumi à magnitudine affectus: quamobrem si magnus sit morbus, qui facultatem cerebri offendat, minor vero, qui lędit vitalem cordis,hoc casu maior erit vrgentia ex parte affectus animalem facultatem lædentis,quam vitalem. Tertius inquit vrgentiæ scopus desumitur ex læsione facultatis, quæ læsum corpus gubernat;nam si multi complicentur affectus,qui omnes facultates lædant, maiorque sequatur læsio ex ea, quę corpus vniuersum gubernat, cuiusmodi est naturalis facultas, ad hæc dirigi debet curantis intentio, nam hac periclitante, nec vitalis, nec animalis facultas, consistere potest.

Ratio. (margin note beside "quod sunt cacohetes")

Obiectio. Obstrepet fortasse aliquis dicens, multoties partem principem lędi, nec propterea fieri morbum magnum, vt manifestè apparet in diaria: obstrepet item alius,quia morbi malignitatem, vna cum magnitudine eiusdem confundimus, cũ tamen omnino distincta hæc esse docuerit Gal. 3. de cris. 4.

Solutio. Quibus facilè est satisfacere,quidquid dixerit, Argen.nam quod spectat ad primum,nõ dicit Galen. quoties pars principalis afficitur, morbum magnum progigni,sed interdum magnum euadere asserit, quia pars principalis affecta, vt exiguum vlcus cordi inflictum, idcirco magnum est,quia cordi inflictum. Est autem manifestum,propositionem indefinitam, pro particulari supponere. Quod pertinet ad locum de cris. est sciendum, cũ magnitudo morbi trifariam fiat, à propria essentia,loco, & malignitate, Galen. intentionem eo loci esse, docere illud: differre morbum malignum à magno, ratione propriæ essentiæ, quia quandoque paruæ febres ratione propriæ essentiæ, sunt valdè malignę: at non vult Galen. malignitatem differre à magnitudine in genere, quia quandocunque morbus est malignus, is semper est magnus quia magnopere lædit actiones. Triplex ergo cum sit morbus magnus, secundum propriam essentiam,quia malignus,aut quoniam in parte principe: hunc inferent Causæ. quæcunque partem principem lędunt:

malignum, malignitatis causæ, quę sunt vel intemperies partis corrumpentis sanguinem, quo fit, vt vlcus coalescere nequeat, vnde vlcera maligna: vel venenata qualitas,& occulta vi nobis infensa, vnde febres malignæ. Tertiam morbi magni speciem ratione proprię essentię, producent causæ omnes,quæ morbum producere valent, dum tamen magnitudine comparata,vehementer corpus nostrum affligant: atque hæc de huc puncto.

Breuis, longique morbi causæ. Cap. XXI.

Reprenditur Ar.

DOrmitauit in re hac Argen nec causam longi morbi, aut breuis modo aliquo vidit. *Est porro,inquit,vna, & communis breuitatis, & longitudinis causa, quæ ex celeritate,tarditateque motus sumitur; qui enim celeriter mouentur morbi, citò ad finem suum perueniunt: qui verò tardius, necessariò longiores euadunt.*

Quo nihil potuit fingi absurdius; nam multi,cum moueantur lentè,citius ad finem perueniunt alijs, qui mouentur celerius, si spatium sit maius; vt si moueatur formica à principio palmaris tabulæ ad finem vsque, citius motum suum absoluet, quam qui mutatis ad celeritatem equis Roma contendat Neapolim. Præterea differentia, qua motus in breuem, & longum diuiditur,est desumpta à tempore,in quo durat, atque prout magis, minusuè durat, breuis dicetur, aut longus: celer autem motus,& tardus, haud respicit tempus durationis tantum, sed & spatium, quod percurrit mobile: itaque si breui tempore mobile multum spatium percurrat,mouetur celeriter: si paucum multo tempore, tarde. Dicere ergo, morbum breuem fieri à motus celeritate, à tarditate longum, est motus differentias confundere.

Et Gal. sententia laudatur.

Tetigit rem acut Galen. quicquid hic garriat Argen.nam non vidit locum,vbi de re hac ex professo, & in vniuersum tractabat.Est autem cap.18.lib.de const. art. vbi hæc habet, *Itaque sanitatem, & morbum, non ex alijs meditationibus præsentiat medicus,quam ex morbi, & naturæ robore exacte cognoscendo: ex iisdem verò, & terminum vtriusque inueniet; in propinquo enim morbi solutio erit, cum bene valuerit facultas: sin fuerit imbecillior, morbus autem validior,mors maturabit. Præscriptionis verò tempus iudicat magnitudo excessus.* Breuis itaque morbi causa,nulla alia fuerit,nisi improportio facultatis ad morbum: longi, æqua morbi affligentis, & naturę aduersus morbum pugnantis,vis, & proportio. Cogita naturam, & morbum esse veluti duos luctatores. Quemadmodum ergo, vbi alter est altero validior,primis ferè complexibus, prosternit alterum: haud secus cito debellabitur morbus, si vires naturæ longè excedant: quamprimum succumbet ęger, si sit morbus natura vehementior: & quęadmodum longa erit inuicem colluctantium pugna, si ambo æquæ valeant: sic longam puta fore ægritudinem, vbi æquales fuerint vires morbi, & naturæ. Quod si alias Gal. humorum crassitiem, obstructionem,hyemem,in causa esse putet morbi longi, ne turberis: nam illic in vniuersum diuturni morbi causam proposuit: ad crassitiem recurrit,vbi de lõgitudine peculiarium morborum pertractat.

Hinc intelligitur, cur coctiones celeritatem iudicij portendant, securitatẽque salubrem: cur hyemales morbi, vt plurimum longi, breuiores æstiui: nimirum coctiones celeritatem monstrant iudicij, quia vbi causa est cocta, est eiecta. Quare non poterit diù esse molesta: hyemales morbi sunt longi.quia non sũt humores liquati,sunt crassi,non resoluũtur. Sed de re hac proprio loco dicemus plura. Problema.

Continui morbi causæ, & intermittentis. Cap. XXII.

Quid morbus continuus, quid intermittens.

COntinui morbi nomine, cum intelligunt omnes medici, qui ex quo hominem primum corripit, numquam dimittit, antea quam ex toto soluatur: intermittentem, qui hominem quibusdã horis affligit,alijs dimittit incolumem. Continui itaque morbi, & intermittentis causas indagare, nil aliud est, quam quęrere qui fiat,vt quidam morbus quousque non abijciatur omnino, citra vllã inter capedinem hominem lacesset: contra alij per temporum interualla, quasi vires resumpturi quiescunt, dein repetunt pugnam. Fit hoc quandoque ab ipsa causę natura; nam quædam suapte natura,continuum semper morbum,sunt aptæ natę inferre, vt soluentia continuum, deprauantia figuram,lędentia superficiem,mutantia situm:āt alias à contumacia causæ:hanc facit radicatio,qualitas,quantitas,locus: hunc ad continuitatem multum cõducere,intelliget quisque,qui ignis naturam, cum quo maximã habet analogiam febris, in qua hanc differentiam medici obseruant potissimum, attentè consideraueri, scilicet, vt calor angusto in loco conclusus perdurat: expirat vbi domus vndique patula ventilatur: ita febres quædam continuæ, donec dissoluantur,perseuerant. intermittant aliæ, quia harum materia in loco perspirabili contenta, dissoluitur facilè: continuarum causa, in loco imperspirabili conclusa asseruatur diutius, facit Giust.

idem

idem qualitas, nam veluti ex stuppa, aut palea accensus ignis, statim extinguitur, durat at diu, qui ex quercinis lignis est genitus: haud secus, quæ in crassa hæret materia qualitas, contumaciter hærens, continuo infestat: dissoluitur at statim, quæ à bili producitur, quia bilis ipsa resoluitur: sic insuper, vbi multa est materia conbustilis, multo perdurat tempore ignis, breui extinguitur, vbi pauca; nam cum perseueret idem iugi propagatione, nec propagari possit, ni adsit materia, non poterit continuus esse morbus, qui ex pauca materia. Demum quod radicatio causæ faciat ad morbi cuiusque continuitatem, manifestum est, nam quę pertinaciter hærent, suntque infixa, vecte quasi opus habent, vt extrudantur. hærentia itaque productum effectum fouebunt, & continuo seruabunt.

Causæ exacerbationũ.

Qui autem fiat, vt eorum affectuum, qui continuò affligunt, alij nullam vsque ad iudicium mutationem recipiant: habeant alij exacerbationes quasdam, & remissiones manifestas: vnde quidam morbi continentes vocantur à Latinis, sunt alij continui: examinarunt quamplures respectu febrium; nam quicumque de febribus scripsere, scripsere ijdem de synochi causis: in vniuersum attigit ferè nullus: ni tamen fallor, duæ sunt huius affectus causæ: altera est conditio causæ, quæ eam habet naturam, vt non possit dissolui, & aucta possea, nouos insultus facere. Huiusmodi sunt enumerata à nobis paulò supra, soluentia continuum, mutantia situm, & alia: altera continentis causa est, materiæ vbertas, siquidem tanta esse potest, & ita apta ad morbum inferendum, vt quamquam à natura continuo resoluatur, quia tamen antea quam illa dissipetur, tantumdem suggeritur, fit affectus continens. Continui, hoc est habentis exacerbationes, causas tradidit cumulatè Galen. 2. de diff. feb. vlt. Et quidem, occurrit illa facile, si aduertamus, quę accidunt ijs, qui affectu periodico laborant. Videre est, vbi pedum, capitis, & cuiuscumque alterius partis dolor acuitur, calidiorem fieri dolentem partem, rubram, intumescere: deinde paulatim declinante accessione, tumorem, calorem, ruborem imminui. Fiet itaque per accessiones noua in parte male affecta succorum, aut vaporum collectio; neque enim est alia causa, à qua possint illa symptomata fieri. Quare si inueniamus, cur nam vapores, aut succi fuerint in parte congesti, erit periodorum ratio adinuenta. Congeruntur vitio eiusdem partis dolentis quandoque, quę quia malè affecta, malum sibi cacat, vt turdus. Est autem mala hęc affectio, aut intemperies, cuius vitio malè celebrans coctionem, multa excrementa gignit, vel non valens expellere, multa congerit: non valet autem, vel vitio proprio, aut quia viæ impeditæ. Congeruntur secundo, quia aliunde fluunt, fluunt autem, aut tracti vi caloris, & doloris, aut transmissi: mittũtur, quia molesti partibus, vel multitudine, vel qualitate, vel substantia: pro qua re altius desumpto principio scire oportet, quatuor esse facultates in nostro corpore, tractricem, retentricem, coctricem, & expultricem: quæ tametsi in vẽtre inferiori ita obseruentur, vt ibi dumtaxat esse videantur, vt in quo coctiones maximè aguntur, & excretiones: nihilominus reliquæ omnes particulæ pellunt à se inutilia, trahunt vtilia, amplexantur, & coquunt. Vbi hæ functiones rectè fiant, rectè animal valet: ægrotat vbi quæpiam peccat, vt cum coctrix non coquit, vitioque proprio, vel obiecti multa excrementa gignuntur; nam si in eadẽ, & parte permaneant, nec detrudantur alio, quia expultrix debilis, quia excrementa crassa, quia viæ impeditę, aut quoniam validiores cæterę partes recipere nequeant, ibidem morbum excitabunt. At si pars illa, ita vt natura statuit, excrementitiam illam materiam in aliam mittat, illę in aliam, donec in debiliorem cõfluxus fiat, quæ alibi mittere nequeat, in illa morbosum affectum concitabit. Ordinatum, & certum, si certa illa series causarum non mutetur; inordinatam, si causæ illæ intendantur, remittantur. Hinc quia varij ex sanguinis putredine gignũtur humores, nam ipse putrescens partim flaua bilis efficitur, partim atra, mirum non est, si in varias formas transmutatus, varias, & multas faciat morborum figuras, vt bene Galen 2 de diff. febr. vlt. cumque eamdem humorum multiplicitatem ferre soleat Autumnus, ob varias, quas nobis inæqualitas temporis affectiones communicat, hinc varij autumno morbi. Varios item patiuntur intemperatè viuentes; nempè idcirco morbi inordinati sunt dicti, & erratici, quia ab erratis potissimum ortum habent.

Affertur alia causa. & multa problemata soluuntur.

Fit alias accessio nulla humorum congestione de nouo facta, sed conatu naturæ, vel procurantis concoquere congestum humorem, ni sit malus prorsus, vel è confinio corporis expellere, si ad naturę comptum reduci, nequaquam possit. Primam partem veram esse suadet generatio puris; fiunt enim in eius generatione dolores, & febres, non quia humor aliquis nocuus trahatur ad partem tumefactam, aut aliunde mittatur, sed quia in humoris congesti coctionem incumbit natura: Cumque certis quibosdam horis, incumbat magis, exacerbantur certis quibusdam horis dolores, & febres. Ob eamdem causam exacerbantur gallici dolores sub vesperam, nẽpè contractis tunc temporis ad partes internas spiritibus vacat natura magis

mor-

morbificæ causæ coctioni: vt autem in generatione puris, dolores, & febres fic in quacumque alia coctione. Quare est quandoque causa accessionis, conatus naturæ procurantis coquere humorem congestum. Fit eadem, conante natura expellere, quod est noxium, siquidem redeunt dolores nephriticis & partus, nō quia excluso fœtu, alius excludendus superfit, aut quoniam lapillo præexistenti accessit alius, sed quia natura denuo extrudere tentat, quod primo congressu assequi non potuit.

Confirmant idem affectiones hystericæ à retento semine; enimuero torquētur illę multoties in dies, non quia noua materia seminalis accessit, licet quandoque ab hac causa exacerbatio, sed quoniā molitur natura è confinio corporis expellere morbosam causam, quam primo congressu expellere non potuit. Causa autem noxia, quo magis mouetur, magis nocet, vnde prouerbio dicitur. Noli mouere camerinam, noli irritare crabrones.

Ex his redditur ratio illius problematis, cur quędam febres diuturnæ omnem quandoque euacuationem contemnant, cedant eidem recentes affectus. Ratio est, quia horum accessiones fiunt ab humorum affluxu plerumque, illæ ab humore imbibito, & in parte incuneato. Obedit autem humor motus vacuationi cuicumque, cōtemnit eamdem impactus, & imbibitus.

Obijcies, natura se agens debitè admotum passo semper agit, & quantum potest; agit enim pro ratione potentiæ, non pro ratione indigentiæ, vt facultas pulsatilis, & voluntaria: semper itaque causæ morbosæ concoctionem molietur, & in expulsionem eiusdem semper eadem continuò incumbet. Quare non fiet quandoque noua accessio ex conatu naturæ in coctionem, aut expulsionem rei noxię incumbentis.

Respondeo, verum esse antecedens, & semper secundùm vltimum posse suum, naturam agere: Quia verò agit eadem spirituum opera, qui non semper æquali copia suppetunt, & robore, sed quandoque deficiunt, sunt alias multi: propterea fit, vt per quasdam horas valenter coquat, & expellat, non alijs. Vnde quia per somnum, & tenebras contrahuntur spiritus ad partes internas, idcirco in somno melius coctiones, quęcumque celebrantur, vnde & dolores denuo regignuntur. Quod si potest quibusdam horis natura magis, mirus alijs, poterit dubio procul omni naturæ conatus ad cōcoquendum, aut pellendum, in causa esse accessionum.

Desideraret aliquis fortasse, vt aliqua nunc de typis febrium afferrem, quia vero hæc disputatio spectat ad tractatum de febribus, propterea plura addere non placet.



AN

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Septimus.
DE DIGNOSCENDO MORBO, ſeu de ſignis.



Conſilij ratio. Cap. I.



MOrbi natura explicata, eiuſdem generibus, ſpeciebus, & differentijs perluſtratis, eſſet iam modò reliquum, vt rationem curandi propoſitos affectus ſubderemus. Quoniam verò nonnulli ita latitant, vt ni induſtria aliqua accedat, quà ſeſe prodant in lucem, nulla poſſunt vi expugnari: alij ita ſunt contumaces, exitioſi, vt quamquam noſcantur, omnem tamen curationem reſpuant, & medeiam: propter hanc rationem, ne operam quandoque perdamus, & ea infamemus pręſidia, quę multis fuere ſaluti: ne medici operatio, ſit veluti iaculatio cœci, agemus primū de dignoſcendo morbo, ſeu de ſignis: docebimus ſecundo quia via, quaue arte poſſint morbi euentus prænoſci: curationi tertiò accingemur. Sed ne quis negligentię nos accuſet, quod multa omiſerimus ſigna, quæ poterant morbum indigitare, alia fruſtra adducantur, hanc propter cauſam à fontibus ſignorum ordiemur.

Quot fontes ſignorum. Cap. II.

Tres eſſe docuit lib. art. med. Galen.

TRes eſſe docet Gal. lib. art. med. 9. eſſentialiter inhærentia, neceſſariò conſequentia, operationes, & caſus. *Horum*, inquit, *dignotiones ſumuntur ab ijs, quæ ſecundùm eſſentiæ rationem inſunt, à neceſſario conſequentibus operationibus, caſibuſque, quæ propriè accidentia vocamus.* Dignoſci ſalubria, inſalubria, & neutra corpora ex ijs, quæ eorum eſſentiam, ſeu naturam comitantur, & complent, certiſſimum: nam febrem ex calore dignoſcimus: inflammationem ex calore, rubore, tumore: partium ſimilarium naturam, ex quatuor qualitatum harmonia: ſanitatem organicarum, ex bona ſimilarium conſtitutione. Quare cum ſpectet calor ad febris eſſentiam: tumor, rubor, & alia, inflammationem conſtituant: natura ſimilarium ſit temperies, diſſimilarium formatio, atque ex his, illa cognoſcantur: nulli dubium erit, poſſe corpora ſana, ægra, neutra dignoſci ab ijs, quæ ſecundū eſſentiæ rationem, illis inſunt. Et operationibus, nam, vt Saluator noſter, ex operibus eorum cognoſcetis eos. Nec eſt, quod dubitemus, an caſus, hoc eſt excreta, & retenta, qualitateſq; mutatæ poſſint eſſe morborum inditia; nam ex pallore, icteritiam: ex rubore genarum, pulmoniam: ex duritie pulſus, inflammationem: ex ſapore amaro, excreta, retentaque bili, bilioſam febrem conijcimus. Quare erūt in vniuerſum quantum ex hoc loco colligitur, duo fontes ſignorum, eſſentialiter nempe inhærentia, & neceſſario conſequentia, quæ ſunt tria actiones læſæ, excreta, & retenta qualitateſque mutatę. Non licet tamen ex quibuſcumq; id colligere, ſed ijs, quæ neceſſario conſequuntur operationibus, caſibuſque; nam niger color ex mora in Sole, rubor à verecundia, pallor a timore, mores à philoſophię habitu, aut religione inducti: haud valent corporis diſpoſitionem monſtrare; nec excreta vitioſa ob errorem externum indicabunt aliquam intemperiem ventriculi; nam cum non teneatur valdè ſanus ventriculus quamcumque alimenti quantitatem coquere, omnē qualitatem euincere: non oſtendet crudum excrementū vitio obiecti, intemperatum eſſe quoquo pacto ventriculum, ſed naturalem quamdam impotentiam. Quæ neceſſariò itaque ſequuntur accidentia, & quæ ſecundum eſſentiæ rationem inſunt, hæc tantū ſignificandi vim habent.

Aliud alibi cenſuiſſe videtur.

Secus tamen ſentiendum videtur, cum ſi eundem Gal. alibi conſulamus, tum ſi rationem ſpectemus; nam 1. de loc. aff. 5. non à neceſſariò conſequentibus, ſed ab ijs, quę per accidens morbos ſequuntur, pateficri docet. *Hæc*, inquit, *ſola ſunt affectuum propria ſigna, quæ per accidens ipſos ſequuntur*: & declarans vlterius, quæ ſunt iſta, ſubdit, eſſe excretorum ſpeciem, do-

loris

loris proprietatem', propria accidentia, & loci naturam, & cap. 80. lib. art med. horum omnium oblitus, *ex tumore*, inquit, *dolore, operationum læsione, aut excrementorum differentia, sumentur indicia:* silentio obuolens affectus corporis, & diuidens à læsa operatione dolorem, cum tamen sit tristis sensatio. Impugnat secundò hanc sententiam ratio, nam si ab essentialiter inhærẽtibus possent peti indicia, quæ morbum indigitent: esset idem signũ, & signatum, occultum, & manifestum. Præterea nos multa cognoscimus ex caussis, vt ex igne calorem, & ex robore facultatum, aut morbi, futuram diuinamus salutem, & mortem. Quare &c.

Hinc Argent. inconstantiæ ipsum reprehendit. Et quia imminutum.

Reprehendit propter hæc Argent. Gal. & inconstantiæ accusat, nam quoties de eadem re loquitur, toties sententiam mutat. Dicit insuper, esse imminutum, nam signa à causis, omittit, cum tamen ad dignoscendum morbum, petamus signa non rarò à iuuantibus, & nocentibus: ab ea, quæ vagatur constitutione, à causis demum prægressis; nam morbum esse calidum conijcimus ex vita, ætate, & temperie calidis; vnde 1. epid. comm. 3. t. 1. *Morbos dignoscimus, docti ex communi omnium, & propria natura.* & paulò infra, *ex singulari cœli statu, singulis locis, consuetudine, ex victus ratione, vitæ genere, cuiusque ætate, &c.*

At certè neq; est inconstans

Sed certè, neq; inconstans, aut varius Gal. nec diminutus hoc loco. Non inconstans, nam quod spectat ad locum 1. de loc. aff. multi emẽdant tex. & in hunc modum legunt. *Ea ergo sola sunt affectuum propria signa, quæ non per aliquod accidens, ipsos sequuntur.* Quod si emendare nõ placeat, potes secundò dicere cum Vall. & Vega cit. loc. quod illa symptomata verè morbum indicant, quæ morbum, secundum aliquid, quod accidit ipsi, sequũtur; nam ructus nidorosus sequitur calidam intemperiem ventriculi, secundum hoc, quod ei accidit, quia accidit intemperiei, vt sit in ventriculo, aut alia parte corporis: dolor item pungitiuus, est signum pleuritidis, secundum hoc, quod accidit, quia accidens est inflammationi, excitari in latere. Quod pertinet ad alium locum eiusdem libri, scire oportet, aliud fuisse propositum Gal in lib. art. med. aliud in lib. de loc. aff. Docet illic, qua ratione possit quispiam noscere, esse partem in vniuersum, bene aut male affectam: in lib. de loc. aff. determinatam partem indagat, atq; idcirco dicit ex doloris proprietate dignosci; quia quamquam dolor monstret, non bene se habere partem, quæ tamen pars ægrotet, non monstrat, facit at hoc doloris proprietas, quia pungitiuus indicat membranam dolere, grauatiuus renes. Dicit item excretorum speciem: quia mutata excrementa ægrotare partem aliquam monstrant: at excretorum species determinatã particulam quia arenulæ, lapis: vel vesicam, vel renes affligi indicant: ramenta, intestina: fæces ex vulnerato abdomine prodeuntes, vulnus intestinorum. Quod addit loci naturam idem significare, hoc modo interpetrare cum Valles. Partis affectæ natura, negatiuè morbum indicat: hoc est indicat quod nõ est; nam cum quidam morbi, non nisi quibusdam partibus accidere possint, verum erit dicere: non sunt affecti renes, vesica, colon: non ergo potest esse hic morbus lapis.

In expositione tertij loci adducti, hallucinatur non parum Sanctorus; putat enim id à Galen. omissum, quia non valent mutatæ qualitates partes internas monstrare: ac si non nosceremus ex genarum rubedine, pulmoniam, & ex colore flauo, hepar esse obstructum, aut inflammatum; quod prçuidens fortasse, aliam huius facti comminiscitur causam dicens, omissas fuisse à Gal. qualitates mutatas, quia numquam mutari hæ possunt, nisi exiens, aut retentum immodice, permutetur: quod etiam falsum, nam vt 5. lib. dictum, à sola humiditate, aut siccitate fit pars mollis, & dura. Quamquam nec si id verum, tolleret difficultatem propterea; nam neque excreta, aut retenta fieri possunt citra actionum læsionem. Quare si ratio obstet, non debebat meminisse Gal. excretionis.

Censet Valles. omissas fuisse mutatas qualitates, quia hæ per accidens partem male affectam indigitant. Quod neq; acceptandum, quia rubedo genarum per se affectum demonstrat, & partem affectam. Nimius ero si singulas expositiones velim afferre, & reijcere. Quare, vt rem absoluam dico, non omisisse Gal. qualitates mutatas, sed nomine tumoris, complexũ fuisse, vt hic sit sensus germanus illius loci, *secundum vero eamdem proportionem in alijs accidit partibus: nam ex tumore,* hoc est qualitate mutata: *Dolore, & excretionum differentia sumentur indicia.* Est hic modus loquendi valde familiaris Hippocr. quem hic fuisse imitatum Gal pro certo habeo. Habuit illud in more Hipp. vno exemplo particulari, dogma quoddam vniuersale docere. Sic 2. Aph. 1. volens docere moriturum ęgrotum, qui non iuuatur ab ijs, quæ iuuandi vim habent, exemplo quodam particulari dogma hoc vniuersale proponit dicens. *In quo morbo somnus laborem facit, mortale:* & volens insuper declarare, omne nimium esse naturæ inimicum, declarat hoc exemplo particulari proposito dicens. *Somnus, & vigilia vtraque, si modum excesserint, malũ.* Hipp. imitatus Gal. c 80. art. med. & docere volens, partem internam malè affectã dignosci, ex actione læsa, excretis, & retentis, & qualitate mutata: dicit dignosci ex tumore, qui est symptoma in quali-

tate

tate mutata : ex dolore, ſcilicet læſione operationum, & exeretionum differentijs. Non itaque inconſtans Gal.

Neque immi-nutus.

Neque ineptè facit, inditia ſumens ab ijs, quæ comitantur eſſentiam; nam alia ratione eſt morbus occultus, alia ſeſe prodit in lucē: latent qualitates, prout ametriam faciunt, & improportionem: patēt, prout eędem mouent tactum, vt benè Turiſ. 2. art. med.

Num diminutus ? aſſirmat Argent. negant alij, quos ſequimur. At quid quod omittit ſigna à cauſis ? quidam hoc tactū rentur, quia inſtitutum Galen. in d. lib. non erat tradere modum dignoſcendi morbos, ſed corpus ſanum dumtaxat. Quos reijcit communis ſchola Doctorū: & ratio, nam ſana etiam corpora, qualia ſint, cognoſcuntur ex ijs, quæ iuuant, & lædunt, maiori, & minori reſiſtentia quibuſdam cauſis. Dicunt alij, vt Salu. non meminiſſe ſignorum, quæ à cauſis, quia mens Gal. 2. lib. erat de ſignis agere, acturus poſtea de cauſis 3. lib. Qui neq; placēt; nam cum cauſæ pręgreſſæ, & ſigni, & cauſæ rationem habeant : quid obſtabat, quominus 2. lib. ageret de illis, prout ſignificandi vim habent : in tertio, prout cauſandi ſubeūt rationem ? Capiuac. cap. de Ophtalmia, reducit ſigna, quæ à cauſis ad ea, quæ ab eſſentialiter inhærentibus capiuntur: quod, vt fieri poſſit, nequaquam video. Dicerem proinde non meminiſſe ſignorum, quæ à cauſis ſumuntur illo loco Gal. quia non faciunt certam coniecturam, vt cap. 4. latè demonſtrabimus, inquirebat autem certa ſigna. Quidquid tamen ſit de loco Gal. eſt illud rata omnium ſententia habendum, ſigna omnia ſumi à cauſis prægreſſis, à morbo producto, ab ijs, quæ morbum neceſſario ſequuntur : ſunt autem tria, actiones læſæ, excreta, & retenta, qualitateſque mutatæ. Qua ratione id conſequi poſſimus, cap. ſeq. dicemus.

Qua ratione ex dictis ſignis poſsit noſcere morbum medicus. Cap. III.

TRes eſſe fontes ſignorum, cauſas, eſſentialiter hœrentia morbo, & eundem neceſſariò ſequentia, ſupra dictum. Nunc qua ratione id facere valeant dicta ſigna, præſenti diſcutiendum capite eſt; & vt à cauſis ordiar, cum ſit hæc duplex interna externa, videndum primò eſt, valeat nec ne omnis indigitare morbum, an quædam tantum : diſcutiemus ſecundo hoc idem de alijs. Quantum ſpectat ad primum. Argent. lib. 1. de ſign. cap. 5. ab omnibus cauſis ſigna petenda docet : idem Capiuac. citato loco, & malè; nam cum ſigna e.g. tertianę inquirimus, inquirimus ſigna febris, quæ à bili producitur; nam ſi conſtaret nobis, fieri à bili, extra venas ſtagnante, iam nobis conſtaret, affectum illum eſſe tertianam.

Poſſit ne quauis cauſa morbum indicare

Putat Arg. & Capiuac. & male.

Dicerem propterea, non poſſe peti ſigna, niſi à cauſis prægreſſis, non naturalibus, & naturalibus. Si quis itaque calida victus ratione vſus fuerit, idemque temperamenti ſit calidi, exercitatus, iracundus, habitus gracilis, curis deditus, ætate iuuenis: hunc, ſi quando in febrem incidat, bilioſa teneri, ſuſpicare; nam cum à ſimilibus facilè permutemur, bilioſo morbo, bilioſum: pituitoſo, pituitoſum corripi, eſt frequentiſſimum. Hinc 2. de diff. febr. 5. tractans de quartana. *Neceſſe eſt*, inquit, *hanc febrem antecedere, quæcumque atram aggregant bilem in vitæ exercitijs, ac totius victus ratione, & temporis ſtatu, & parte anni, ac regione. Sic & laborantis naturam, & ætatem atra bili abundare.* Quod ſi primo progn. 4. ſcripſit Galen. præſentionem præteritorum, ſoli medico vtilem eſſe: ſcias aliud eſſe commemorare, aliud præſentire. Hoc ſoli medico confert, quia ſeu futura præſcat, ſeù præterita, æquo pacto diuinat, & magnam diuinãdo acquirit gloriam : at cōmemorare præterita eſt proficuum ægro, quia præteritorum commemoratione, in morbi notitiam ducimur: ſic ex congreſſu cum muliere gallica, gallicum hominem eſſe ſuſpicamur: ex erratis in Venere, virtutem eſſe debilem, ac propterea venæ ſectioni parcimus, & ex cauſis, quę febrem grauem inferendi vim habent, prauam eſſe febrem diuinamus. Iuuat itaque ad dignoſcendos morbos, vt tertianam, cauſas prægreſſas inſpicere, quæ bilim e.g. potuerunt congerere: à bili, quæ eſt cauſa tertianæ, numquam ſigna petemus.

Nam cauſæ externæ tantummodo cõducunt.

Nec quæ ſecundum eſſentiæ rationem inſunt, morbum omnem indigitant, ſed eum qui eſt in parte externa. Vnde 2. art. med. 78. & 79. *Quæcunque in præſenti ægra ſunt corpora, & ſenſibus quidem ſubiacentia, cognoſcere oportet mutatione horum, quæ ſecundum naturam ijs in magnitudine, figura, colore, & numero: non apparentia verò, vniuerſaliter oportet quidem diſcere ſecundum læſiones operationum, egeſtionibus, doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut quibuſdã horum, aut omnibus*: ſic pleuritim, non dignoſcimus ex colore, aut tumore, ſed ophtalmiam. Poſſunt tamen actiones læſæ morbum omnem oſtendere, ſiuè internum, ſiuè externum: cumque trifariam poſſint illæ ſenſibiliter lædi, aut diminutè, aut ablatè, aut deprauatè: quocumque modo lædantur, morbum monſtrant.

Quæ eſſentialiter inſunt quomodo morbum monſtrant.

Monſtrant item morbum excreta multis modis. Declarat ipſum primò varia rei excretæ natura. Monſtrat hoc ſecundò, rei excretæ quantitas, tum continua, cum diſcreta. Monſtrat hoc tertio modus excernendi. Monſtrat hoc quarto locus, per quem res reiectatur : tempus

Excreta quomodo, idem faciunt.

excretionis, morem potius morbi indicat, quàm eiusdem naturam.

Esse hoc verum, inde apertè constat, quia excretio vitiata, à vitiata pendeat actione necesse est; at vitiata sensibiliter actio, non nisi à morbo potest proficisci. Quare cum possit excretio esse vitiosa, ac propterea damnanda, vel qualitate, vel quantitate, vel modo, vel loco, potest mala excretio vtcumque fit mala, morbum indigitare. Sed quoniam constabit hoc clarius, si proposito exemplo hoc declaremus, age id faciamus. Propone ante oculos tibi alimentum omnino impermutatum per sedem excretum, lyenteriam corpus sic affectum pati, hoc est summam ventriculi imbecillitatem, mox intelliges; siquidem tanta est caloris naturalis miseria, vt alimentum mutare nequaquam potuerit. Quod si idem mutatum extruditur, & in chylum conuersum, iam vel arguet venarum, quæ meseraicæ dicuntur obstructionem, aut summam facultatis trahentis, quæ in epate, imbecillitatē, quo fit, vt non attrahat, aut bilis affluxum ad ventriculum, nàm vt ab illa molestia liberetur, effundit vna cum bili, & ipsum chylum non rarò ventriculus: vel demū erit chylus corruptus, ac propterea tanquam inutilis reiectatur.

Contemplare secundò, excretionem sanguinis per sedem, nàm si similis sit loturæ carnis, frigidæ intemperiei Iocinoris est index: si niger, & lucidus calidæ. Quid si excernatur caro pinguedo, aut pili? Arguet illa colliquationem. Quare & vehementem affectum calidum: casus pilorum, aut tabitatem cutis immodicam, aut humorem salsum eorum radices corrodentem. Excreta bilis, epatis incendiū monstrat. Melancolia, eiusdem intemperiem, aut impotentiam lienis ad fugendum. Itaque cùm quandoque excernatur alimentum, alias pars, quandoque excrementum, & hæc omnia morbum indicant, potest varia eorum, quæ excernuntur natura, morbum significare.

Significat idem excretæ rei quantitas, nam multæ feces malū ventriculi aut epatis affectionem demonstrant, & propriè frigidam intemperiem, à qua fit, vt nequeat fugi quicquid vtile est in alimento. Exigua copia earumdem, feruorem epatis indicat, summamque intestinorum siccitatem. Sic multa vrina, frigidam stomachi, & epatis intemperiem arguit, aut validam renum attractricem. Quare summum calorem. Exigua summum in epate incendium, ac propterea maximè reformidant hoc symptoma medici in febre ardente. Sic sanguis pauca copia excretus, & idem liquidus, ac serosus, rarefactionis venarum est index: Multus apertionem arguit, aut disruptionem.

Valere eodem numerum excretionum cui dubium? frequens enim mictio, aut retentricis prostratæ vesicæ est argumētum, aut expultricis eiusdem ab vrinæ acrimonia irritatæ, vlcere, pure, lapide, Rara, sensum, obtusum, aut extinctum, expultricem debilem, aut magnam mentis distractionem, quæ vrinæ molestiam non sentit.

Potest quoque ex excernendi modo affectionis natura quoquo pacto colligi, nā si extrudantur feces e.g. cum strepitu, flatuosam affectionem denunciat, vnde & frigidam ventris inferioris intemperiem.

Nec contemnenda est contemplatio loci, per quem materia excernitur, nam vbi menstrua ad partes supernas assurgunt, & per nares e.g. fluunt, aut per os vomitu reiectantur, ab alterutra causa necesse est fieri, scilicet aut venarum obstructione, quæ in vtero, aut summum arguit sanguinis calorem, à quo irritata natura, coeca, & suarum partium oblita, per partes supernas effundit, quod ad vterum mittere debebat. Probant eamdem assertionem feces per os reiectatæ in iliaca. Nempè vbi hoc accidit, certum est argumentum aut inflammationis cōtractæ in intestinis, aut alterius causæ cauitatem impedientis.

Ostendunt tandem morbum qualitates mutatæ penes eatum differētias; nam cum mutari possint qualitates visiuæ, vt cum pars alba fit rubra, aut pallida: aut in auditu, vt cum fenitue sibilus in aure: in gustu, vt cum cuncta amara dijudicat: olfactiua, vt cum tetrum odorem sentimus: constat has omnes esse morbi indicia; nam genarum rubedo, pulmonis: flauus color, icteritiam, rugitus ventris eiusdem intemperiem, malus odor putredinem. Quod si quis ex eorum sit numero, qui cum ne olus quidem citra auctoritatem, velit emere, auctoritatem desideret: non deerit Galen. qui tractat de signis futuræ ægritudinis c. 82. lib. art. med. hæc adducit, *At quæ*, inquit, *futuram præsagiunt ægritudinem, hæc eadem si augeantur, præsentem ostendunt*. Constat itaque hæc omnia morbum hisce omnibus modis indigitare posse, ac propterea teneri medicum in his exerceri, quo habitum sibi comparet ad omnem affectum dignoscendum. Et qualitates mutatæ.

De dignitate signorum.
Cap. IV.

Qvicunque sunt, vel parum in medicina exercitati, obseruarunt non raro, non semper concinere signa, quæ ex tribus illis fontibus hauriūtur. Enim verò frequenter videmus, decrepitum, ociosum, algente hyeme, febre acuta, corripi: & media estate industrios homines, calidos, & calido victui assueros, in fri- Quanā signa digniora sint ab essentia, tempore, an ab actionibus?

frigidum incurrere affectum: videmus inſuper calere quoſdam, nulla fere læſa actione, vt ſi ſigna omnia inſpicias, implicatus omnino hæreas, nec certi quicquã valeas affirmare: nam calor febrem indicat; ſanum eſſe, rectè obitæ actiones, aut parum à ſtatu naturali aberrantes. Cui ergo fidendum magis, calori ne aucto, in quo febris eſſentia, an actionibus non immutatis? nam quod argumentum ſumptum à cauſis prægreſſis, ſit omnium infirmum, communis eſt ſententia, quam mox probabimus.

Aſſertur Auicen. & reijcitur.

Actionibus læſis primas eſſe deferendas ſuadet Auic. nam 1.2.1.d.3.c.1. *Signa*, inquit, *ſumpta ab operationibus eſſe prima, & maximè perduratiua*. Suadet idem ratio; nam non raro videmus febricitare homines, cum nullo tamen teneantur calore. Vnde ad dignoſcendam febrem iubent medici, vt non tantum, quæ propria febris ſunt attendamus, ſed & communia quædam ſymptomata, nam vbi nõ eſt cauſa, in quam licet illa referre, reijciemus in febrem latentem, quod nequaquam conſulerent, ſi maior eſſet fides calori habenda, in quo febris eſſentia, quam ſymptomatis, quæ ab alia cauſa poſſunt proficiſci.

Contraria probatur.

Tenent alij digniora eſſe ſigna, quæ ab eſſentialiter inhærentibus deſumuntur, quam quę ab alijs fontibus. Ita Hali 2.ar. med. Turiſ. Sclan. Forl. ibid. & a.1.d.3. & in eodem loco Gent. Iac. de part. *Et iſta*, inquit Hali, *ſigna, quæ ab eſſentialiter inhærentibus capiuntur, ſunt neceſſariæ verificationis, & ſecunda ſumpta ex operationibus, ſunt apparentis veritatis, & tertia ſunt multoties veridica*. Probant hoc, quia ſi quis erret in cibo, & potu, nequeat vt benè coquere, actiones habebit oblæſas citra aliquem affectum ſtomachi. Vnde falletur facilè medicus, ſi læſa coctione inductus, & excrementis mutatis, intemperatum eſſe ventriculum doceat: numquam at decipi poterit, vbi indicia appareant, quæ morbo eſſentialiter hæreant, quia non poteſt ſeiungi ab eo, cuius eſſentiam neceſſariò comitatur. Quare erunt hęc alijs digniora.

Non tamen ob hanc cauſam.

Sed illam.

Sed quamquam rectè hi ſentiant, malè tamen propriam ſententiam ſuadent: primum quia etiam ſigna, quæ ab eſſentia ſumuntur, mutari poſſunt, & citra aliquem morbum apparere; etenim poteſt quis calidior fieri ab ira, aut Sole, ita vt febricitare videatur, cum tamen febre non teneatur: ſecundo quia comparatio non fit inter actiones læſas ratione obiecti, & vera ſigna ab eſſentia deſumpta, ſed difficultas eſt poſita paritate: cui occurrentes dicimus, primas partes deberi ſignis, quæ ab eſſentia ſumuntur: ſecundas ſymptomatis, vltimas ijs, quæ à cauſis extrinſecis petuntur. Primum dictum ſuadetur, quia læſa actio, id tantum oſtendit, morbo teneri animal: qua tamen morbi ſpecie laboret, haud oſtendit, quod ſigna petita ab eſſentia faciunt: vt læſus e. g. motus brachij, oblæſum eſſe brachium monſtrat: an tamen ſit luxatum, an inflammatum, an nequeat moueri, nihil eo patiente, ſed vel quoniam febricitat homo: aut quoniam cerebrum malè affectum, non eam gignit ſpirituum copiam, quæ brachio mouendo ſufficiat: haud oſtendit: oſtendunt at ſigna, quæ ab ijs, quæ eſſentiæ morbi adhærent, ſumũtur. Quamobrem cum ex læſione actionum, id tantum habeamus, brachium ſcilicet non benè ſe habere; ex ſignis verò luxationis, aut tumoris eſſentialibus, & luxatum eſſe brachium, & inflammatum: cui dubium eſſe poterit modo, quin digniora ſint ſigna, quæ à morbi eſſentia, quam quæ ex læſione brachij, non ſe valentis mouere, ſumebantur? Ad Auicen dicimus loqui ipſum de ſignis morborum occultorum, qui cum dignoſci nequeant ex ijs, quæ ſecundum eſſentiæ rationem inſunt, debetur primus locus actionibus lęſis. Secundum dictum perſuadetur, quia quãquam cauſæ agendi vim habeant, & ſimilem ſibi ſemper effectum producant: non tamen agere queunt, ni ſubiectum ſit aptè diſpoſitum, vnde fallax eſt illud argumentum: eſt moratus in Sole: ergo febricitat: coiuit cum infecta; tenetur itaque lue: eſt ſenex & frigidus: ergo frigido affectu laborat. cauſæ præterea diuerſos producunt effectus, pro diuerſitate ſubiecti, in quod agunt: vnde calor interdum calefacit, interdum reſoluendo refrigerat, alias calfaciendo eliquat, & tumorem producit. Quare fallax argumentum illud, neque admodum certum: hæc cauſa eſt prægreſſa. Quare hoc morbo laborat Sortes: certiora, quæ à ſymptomatis, aut eſſentialiter inhærentibus.

Et Auic. explicatur.

Signa à cauſa externa incerta.

Quæ ſymptomata, certiora, indicia.

Cœterum, quia ſymptomatum tria ſunt genera, læſæ nempè actiones, excreta, & retenta, qualitates mutatæ: petes inſuper, quęnam ſunt certiora ad morbos dignoſcendos indicia, quę ex actionũ lęſione ſumuntur, an quę ab excretis, & retentis, aut qualitate mutata? id autem quęrimus in ijs morbis, in quibus habet vtrumque ſignum locum. Quare, vt punctus difficultatis eluceſcat magis, quæritur, quodnam ſignum ad dignoſcendas febres putri ab humore excitatas, magis valeat, pulſus actio lęſa, an excrementa, vt vrina mutata? ad dignoſcendas, inquã, febres, putres, nam ad prędicendam ſalutem, aut mortem, vtrum valeat magis, diſputabitur alibi: modo illud: vtrum ſignũ certius monſtret putrem febrem: ac breuiter ſtatuo, primas eſſe pulſui deferendas, nam etiam cum coctione vrinę, adeſt febris, quę nulla eſſe intelligitur, vbi nullum ſit vitium in pulſu.

Morbi in vniuersum nota. Cap. V.

DVo crura necessaria esse medico, methodum, & exercitationem, dixit non semel Galen.& rectè nam quemadmodum altero crurum deficiente, claudicat homo: haud secus medicus, vbi aut ignorat methodum, aut non est idem circa particularia exercitatus: non poterit non aberrare idem in suis operibus. Ne itaque nobis morborum naturam indagantibus, idem accidat, exercebimus modo propositam methodum, vt intelligat quisque, & hos esse fontes signorum, ad quos medicus recurrere debet, quo latentes affectus, partes affectis, & causas exploret: neque alios præter positos fingi posse: cumque ea sit optimæ methodi natura, vt ab vniuersalioribus orsi, ad minus vniuersalia progrediamur, propter hanc rationem proponam primo morbi in vniuersum indicia, secundo morbi similaris, organici, & cæterorum omnium.

Quantum spectat ad primum, cum dignoscantur quæcunque latent ex causis prægressis, ex ijs, quæ secundum essentiæ rationem insunt, & symptomatis, quæ morbum necessario sequuntur: intelliget ex hoc facilè quisque, cum morbi natura sit recessus à proprio, & naturali statu, sequantur morbum necessariò symptomata, quæ sunt læsæ actiones, excreta, & retenta, qualitatesque mutatæ: dignosci in vniuersum morbum, ex causis morbosis prægressis, recessu à proprio, & naturali statu, læsione actionum, excrementorum vitio, & affectibus corporis mutatis. Hipp. 1. epid. com. 3. t. 1 *Morbos dignoscimus, tum communi omnium natura, cũ propria cuiusque d ẽli*: atque hinc primo progn. dixit, *Considerare oportet ægri faciem, sit ne bene valentium similis*: cumque similitudo attendi possit, vel cum ipso sano, vel cum cæteris, *In primis* inquit, *ægri faciem specta, an sanorum faciei, præcipue autem sui ipsius similis sit*, nam cum morbus non sit recessus à communi omnium hominum natura, sed à propria, exactius morbus per recessum à propria natura noscetur, quam per dissimilitudinem, quam cum alijs habet. Hinc cum partes affectas sanis comparat, non alienas, sed eius, qui ægrotat: spectandas esse consuluit: vnde 1. de offic. t. 1. Galen. *Spiritus itidem cum crepitu, mentis alienationem, aut dolorem significat, si in eo sit, qui m id facere audiente aliquo puderet: sed si nullam præsentium rationem haberet, nihil is penitus ostenderet.* At quoniam non semper occurrimus ijs, quos de facie antea noueramus, propter hanc rationem iubet Hipp. vt ægri faciem non solum cum propria conferamus, sed & cum communi, quia *morbos dignoscimus ex communi hominum natura, & propria cuiusque docti*.

Præterea ex vniuerso, & singulari cœli statu, singulis locis, ex consuetudine, ex victus ratione, ex vitæ genere, ætate cuiusque, hoc est ex causis. Et quidem, posse hinc sumi morbi indicium, constat inde, vt alia multa omittam, quia ex congressu cum muliere infecta, gallicum esse hominem suspicamur: ex valido ictu, percussione valida, fractum esse craneum: ex decubitu cum scabioso scabiosum: & natum ex phtysico, quauis causa, vel leui accedente, ne in phtysim incurrat, veremur. Ad idem valere symptomata, constat inde, quia symptoma non nisi à morbo. Id tamen diligenter videndum, symptoma, vt sit; nam, vt lib. 3. dictum, non quæuis læsa actio, excretio, qualitasque mutata, symptoma meretur dici, sed quæ sunt præter naturam; nam, ni id distinguat, ægros, quosdam esse censebunt, cum bene valeant: nostramque, & Galeni determinationem calumniabuntur, cum tamen inconcussæ sit veritatis decretum illud, sanos sanas edere actiones, vitiatas ægros.

Similaris morbi, & organici, calidi, frigidi, cum humore, & citra humorem indicia. Cap. VI.

CVm partis similaris natura sit temperies: dissimilaris, accommodata compositio, dignoscetur similarium morbus ex recessu, à qualitate aliqua excedēre facto: dissimilaris recessu pariter facto à numero aucto, aut imminuto partium, quantitate abundante, vel deficiente, situ mutato, cauitate adstricta, aut dilatata plus iusto, vnitate soluta. Valent ad idē causæ, quæ in generationem affectus quoquo pacto influunt; nam si alteratione primarum qualitatum patiatur corpus, pro certo habendum, affectum illum esse similarem; nam quamquam caloris, & frigiditatis externę occasione, exoriantur tumores, vlcera, asperitates, cauitates adstrictæ, laxatæ, & alij affectus, quos ad partes organicas spectare est certum; habent tamen intemperiem adiunctam; nempe à capitis immoderato calore, humorum fluxio, ab hac tumor: à frigiditate asperitas, adstrictio, quæ ad dissimilares particulas pertinet. *Similaris morbus agnoscitur ex recessu facto à qualitate.*

Colligunt hoc tertio quidam ex modo generationis. Quare aiunt, si subitum habuit morbus ortum, idemque est confestim abolitus, non potest modo aliquo intemperies esse; nam tertio de loc. aff. cap. 7. epilepsiam non posse ab intempe- *Et à causis Non ex modo generationis.*

rie

rie fieri,ea ratione concluſit,quia ſubito fit, & ſubito aboletur. At errant, ſi de quacumque intemperie id affirment;nam aqua tenuis,& omnium optima, citò refrigeratur,& caleſcit:eaſdem mutationes ſubitas tenuis aer,& ſpiritus patiuntur: vnde docuit Gal. 12. met. ab intemperie poſſe ſyncopem fieri. Quare ita limitanda propoſitio Gal. Non poteſt ſicca intemperies citò fieri,& citò aboleri,Quare non fiet epilepſia ab inanitione, quia exiguam habet actiuitatem humiditas, magnam reſiſtentiam ſiccitas: at ſi loquamur de intemperie calida, aut frigida, poterunt hæ ſubito gigni,abigique, quia vtriuſque actiuitas eſt maior, reſiſtentia minor: pręſertim,ſi ſint inducendæ in iis, quę tenuis ſubſtantiæ, vt ſpiritus. Vnde eneruatur Argent. ratio, qua putauit,monſtraſſe aduerſus Gal.non poſſe ſyncopem ab intemperie fieri; nam non eſt cuique intemperiei denegatum,ne ſubito fiat,& tollatur, ſed ſiccæ dumtaxat.

Neque ex operationum læſione.

Num,& ab operationum læſione idem addiſcere liceat? affirmant quidam: negant alij multi, qui rem iſtam exactius perpenderunt,vt Hali 2.ar.med. Forl. & Salu. ibid. Com. Mont. lib. 1. de morb. enimuero febris, quæ ſimilarium partiũ eſt affectus offendit inceſſum, qui ad partes organicas ſpectat: nec mirum, nam cum partes organicæ, quo bene ſe habeant, neceſſariò poſtulent, vt ſimilares bene valeant,nullus eſt, qui non videat, poſſe actiones organicas oblædi, ſimilaris particulæ vitio: & è conuerſo, poterunt ſimilares actiones lædi, diſſimilaribus læſis: ſic vbi cauitates ſunt impeditæ,ita vt alimentum permeare nequeat, læditur nutritio, partium ſimilarium actio. Quare non valet modo aliquo dicere, actio ſimilaris eſt lęſa. Quare morbus eſt ſimilaris,quia mala nutritio,à cauitate oblæſa: neque illud affirmandum ab aliquo,eſt actio organica læſa. Quare eſt morbus organicus,quia à febre,vitiatus inceſſus. Poſſumus tamen ex negatione læſionis actionis ſimilaris, ſimilarē affectum dignoſcere,& organicum, propterea quod nulla actio organica eſt viriata Quare vera erit iſta conſequentia, nulla eſt actio ſimilaris læſa. Quare nullus eſt morbus ſimilaris: nulla actio organica eſt viriata, nullus ergo organicus morbus.

An ſit intemperies calida, an frigida. cauſæ monſtrabunt pregreſſæ.

Cuius autem qualitatis exceſſu,ſit introducta intemperies, morbus organicus: id & cauſæ prægreſſæ manifeſtum facient, & qui conſequuntur affectus. Quare vbi calidus aer,cibuſuè, potuſuè, immoderatus motus, vigilia excedens, excreta frigida, calida aliqua euacuatio cohibita,curę multæ,præceſſerint: pręceſſerit morbus, aut principia viſcera ad calidam intemperiem delabuntur, calidum eſſe affectum ſuſpicare, præſertim ſi effectus,qui morbum ſequuntur, non niſi à calore, poſſunt ortum habere, vt calor à tactu perceptus, rubor, vigilia,ſitis,excreta calida:contra frigidum eſſe morbum autuma, ſi quę ſunt poſita, contrario modo ſe habeant: ſic vbi affectus vſu calidorum minuitur, humidum frigidumq.eſſe puta:caue tamen ne accidentalis impreſſio te decipiat, vt bene Auic.aduertit tract.1.cap.2.

Non ex ſpecie actionis læſæ, nam a quauis qualitate deprauatur actio.

Docent idem dignoſcere alij ex ſpecie læſæ actionis. Quare dicunt, ſi imminuta ſit actio aut abolita, quæuis intemperies poterit eſſe, nam vt vulgatum eſt apud medicos, omnis immodica intemperies deſtruit actionem; at ſi fuerit eadem deprauata,non poterit ab intemperie frigida ortum ducere, quia cum ſit frigus inimicum naturæ, cunctaquè hæbetet,& torpida reddat:imminuet adaucta frigiditas quacumque actiones, aut omnino corrumpet,deprauabit numquã. Ita Auic.1.3.tract.1. cap 6. de ſignis cerebri, & *Sermo* inquit *vniuerſalis in ſignificationibus operationum eſt, quod ipſarum diminutio, & deſtructio fiunt propter frigus, & groſſitiem ſpiritus ex humiditate: & non fiunt ex caliditate, niſi magnificetur, & perueniat ad hoc,vt deijcias virtutem. Permutatio autem,& quæ motui comparantur, fiunt ex caliditate, & fiunt ex ſiccitate.* Eodem modo ſentiunt practici omnes, cap. de melanc. & Philoſophi etiam.

Etiam à frigore.

Sed quamquam hæc ſententia communis ſit omnium,meo tamen ſenſu, eſt illa falſa. Si enim imminuit, corrumpitque ſemper frigiditas, deprauat numquam: aut eſt,quia frigiditas nullo pacto ad rei productionem per ſe concurrit,& res quemadmodum ſe habet ad eſſe, ita & ad operari,vnde ſi non dependet ab illa in eſſe,nec in operando pendebit: Aut id colligitur à poſteriori, quia eſt frigus paralyticum faciens, vt loquar cũ Auic. At conſtat vtrumque falſum eſſe:ac primum quidem, quia ſi frigus non niſi per accidens ad mixti generationem concurrit,vt eſt opinatus Auic 1. 1.d.6.cap. 3.Gent. Iac. de par. ibid. Vall. 5 contr. cap.11.Auer.4.meteor. Merc Zab. Pōp. ibid.Valleſ. & eſt expreſſa Ariſt dicentis ibid. *Eſt efficiens frigus, tamquam corrumpens*: vel per accidens dicitur concurrere, quia concurrit temperando calorem,vt Auer. aut quoniam diſponit materiam,hoc eſt,vnit ſiccum cum humido, facitque partes conſtare, vt Merc. aut propter vtramque cauſam, vt putauit cit.loc. Gent. At quocumque modo explicetur hæc ſententia, eſt falſa: & quidem, quod non concurrat frigiditas temperando calorem,patet, quia refrigerando concurreret: at terminando, munus explet ſuum auctore Ariſt. Et quoniam dominatur paſſiuis. Habebit itaque locum in generatione frigiditas,propterea

quod

quod disponit materiam ad formam excipiendam; enim vero vbi sit facta comminutio, commodius fiet vnio sicci cum humido à frigiditate, omnia in vnum cogente, quàm à calore separante, quæ sunt diuersi generis: concurret ergo ad formam educendam, nam idem est agens educens formam, & disponens materiam.

Dices verum id esse, vbi forma educẽda non excedit disponentis virtutem, vt patet in animæ rationalis creatione; nẽpe disponitur materia ab homine: forma creatur à Deo. Nunc verò quamquam disponat frigiditas, non tamen conducit, aut instrumentaliter, aut principaliter ad formam educendam, quia excedit hic effectus frigiditatis virtutem.

At certè hoc gratis dicitur; nam frigiditas, actiua qualitas est, & à principio interno fluit, quia ad seruandam intemperiem non minus conducit, quàm calor: vnde quod Arist. dixit, frigidum corrumpere, & mortificare, de immoderato frigore explicandum, aut de eodem collato ad calorem, vt bene Concil. diff. 61. & Forl. super 1. Auic. Nam secundo de gen. anim. cap. 4. *Quemadmodum* inquit, *quæ ab arte efficiuntur, per instrumenta efficiuntur, sed verius dixeris per motum eorum, quæ artis operatio est, ars autem forma eorum, quæ efficienter est in alio: sic a facultate siue virtute animæ vegetabilis, agitur, vt quæ in animalibus ipsis, & plantis vis eadem efficit incrementum, & eadem caliditate, & frigiditate quasi instrumentis*. Atque hinc colligitur modo argumentum aduersus citatos Doctores: res, vt se habet ad esse, ita ad operari, sed est per se frigiditas necessaria ad esse. Quare & ad operari.

Neque affirmandum oppositum, quia à posteriori colligimus, frigus cuncta hæbetare, & mortificare, nam si id obstet, quominus posse deprauare dicamus, negandum id quoque de calore; nam & calor etiam vbi intendatur, imminuit actionem, vt docet loc. cit. Auic. & experientia in febricitãtibus, qui cum calore abũdent, scatent nihilominus crudis succis. Præterea non est verum, frigiditatem motui cuicumque aduersam esse; nam quemadmodum mouet calor à centro ad circumferentiam, & separat, quæ varij generis, dissoluitque: sic frigus mouet à circumferentia ad centrum, & omnia vnit. Adde & experientias, nam deliriũ in valdè senibus, fit à debilitate, hęc autẽ potest à frigiditateq; vbi excedat, oriri. Quare, & ab hac quandoque actionis deprauatio. Quod ergo dixit Auic. est verum, vt plurimum, vt notat ibidem Gẽt. proinde incertum est signum à specie læsę actionis desumptum, non tamen cõtemnendum, vbi alia accedant, quę frigidę causæ attestantur.

An vero sit intemperies cum præsentia materiæ, an nullam habeat adiunctam mineram: & num in eadem & parte gignatur humor, an alibi genitus ad ipsam mittatur, inquisitione dignum; nam vbi humor est, præter in temperiem, de expurgatione cogitandum, accedendum deinde ad intemperiem: & vbi pars, quę afficitur, illa eadem humorem gignit, huic tantum admouenda remedia: at quando altera humorem progignit, altera humorem genitum excipit, vtrique medendum.

Quantum spectat ad primum, cognosces illud morbi natura perspecta, & eiusdem ætate, enimuero sunt, qui necessario postulant humoris consortium: nõ admittunt alij; quia immateriales, vt febris hectica: diuturnę item intemperies adiiciunt humorem: sic enim cerebrum vbi diu intemperie frigida laborauit, pituitosi humoris colluuiem congerit, vnde medici, vbi illam curandam suscipiũt, expurgato primum à frigida materia capite, ea exhibent decocta, quæ, exiccandi vim habent, & calfaciendi. An habeat humorem comitem, morbi natura monstrabit, & ætas eiusdem.

At si hoc verum, cur non idem hectica laborantibus accidit? an quia calidissimum corpus cuncta in halitum discutit, qua ratione fit, vt idem extenuetur? an dicendum congerere pariter hecticos humores calidos, ac propterea fieri, vt ante lactis exhibitionem, expurgent illos medici, ne lac ab humoribus calidis corrumpatur?

Quantum pertinet ad secundum, num gignatur in parte, quæ patitur, humor, an alibi genitus mittatur postea ad ipsam: disces primum ex partium sympathia; dantur enim quædam, quę mutuo sibi affectiones communicant, vt caput, & stomachus: sunt quæ nullum habent consortium: considerare secundo oportet numerum male affectarum partium, nam si vna tantum laboret, cœteræ rectè valeant: nulla esse hic potest suspicio morbi, vitio alterius partis facti: contra si duæ, aut plures afficiantur. Sed ne in re hac facile hallucineris, duo insuper considerare oportet: primum nùm verè valeat pars altera, cum qua patiens habet consensionem, an videatur sana, cum tamen laboret. Considerandum secundo est, nũ possit illa materia, à qua morbus, gigni in parte, cum qua est consensus, nã si nequeat, non poterit ab illa pati. Ergo vbi ventriculus, aut vomat bilim aut melancholiam, haud arbitrandum, vitio capitis vomitum illum fieri, quod bilem, aut melancholiam plus iusto progignens, eamque ad ventriculum mittens, in causa esset postea continui vomitus; nullus enim talis humor in capite gigni solet, sed flaua bilis in hepate, melancholia, aut in hepate, aut quod frequentius coacervatur multa vitio lienis, non expurgantis: at quando, & cerebrum, & stomachus

Num vero sit per consensum noscet primum ex partium sympathia.

Numero malè affectarum partium.

pi-

pituito si humoris sunt sentina, ab hoc ad cerebrum flatus, & continui vapores: à cerebro ad ventriculum pituita labetur. Distinguunt alij hos affectus ex continuitate, & intermittentia. Quare dicunt, vbi per essentiam pars laboret, affectum esse continuum; vbi eadem consensione patiatur, intermittere. Addunt exacerbari eumdem cum pars, cuius cõsensione est ortus, affligitur: minui, vbi eadem melius se habet. Sed primum signum, tamquam falsum reijcio, alterum tamquam vanum contemno; falsum siquidem est, affectum, qui ex consensu, intermittentem esse: continuum, qui per essentiam; nam cum nihil impediat, quin à ventriculo ad caput fumi continuo ascendant: neque est, quod prohibeat, quin qui capitis vitio progignitur humor, & dolorem propterea procreat, dissoluatur, nondum alio genito: poterit quandoque affectus, qui fit principaliter parte patiente, esse intermittens, continuus verò, qui fit eadem per consensum, vt aiunt, laborante. falsum itaque hoc inditium: inutile aliud; nam cum magna fit inter partes quascumque conspiratio, & vt dicebat Hipp. conduxus vnus, fit vt quacumque parte malè affecta, coafficiatur alia: mutuoque sibi omnes facultates respondent. Potest ergo ex affectu e.g. intestini, exacerbari dolor capitis, tum ob causam aliatam; cum quia prostrata pars (prosternitur autem vbi vniuersum corpus afficitur) multo magis læditur ab eadem causa, quamquam nullum incrementum assumpsit, quam vbi erat robusta. Prioribus itaque fidendum indicijs. Cœterum quia succi, qui morbos ciendi vim habent, multi, & varij, proque varia eorum conditione, varia indicantur remedia, examinandum modo, qua ratione possit id noscere medicus. Quoniam vero, caput hoc ad decentem peruenit magnitudinem, sequenti illud fiet.

Peccantium humorum indicia.
Cap. VII.

MAgni id scire momenti, nàm quamquam venæ sectio conueniat quandoque, cùm alij succi à sanguine abundant, sanguine tamen potissimum abundante, est ex vsu: quemadmodum cachochimiæ, purgatio est oportuna, Quomodo autem hæc rectè administrabis, exuberantis sanguinis notis incompertis, nec dum exploratis indicijs cachochimiæ? propterea cùm maximè referat purgationem rectè administrare, conducatq. multum opportunè sanguinem mittere, & in re tanti momenti non hallucinari, conabimur breuiter persequi succorum exuberantium indicia.

Redundantes humores dignosces facilè, si ad fontes signorum supra à nobis propositos recurras. Nempe mox intelliges vter succus exuberet, calidus ne, an frigidus, sanguis, bilis, an pituita, vel melancolia, si contempleris ea, quæ cuique succo secundum essentię rationem insunt, causas, quæ singulos solent coaceruare, necnon effectus, affectusuè, qui ijs abundantibus in nostro corpore fiút. i. cum bilis colore sit flauo, sapore amara: sanguis colore ruber, sapore dulcis: pituita alia insipida, alia salsa, acida: austera melancolia: cui dubium esse poterit, ne alius à bili humor in ore ventriculi exundet, ore amaricante, alius à pituita salsa, salsedinem percipiente ægrotante; alius à melancolia, vbi austerum persentiat saporem? Cumque experientia passim doceat, colores similes efflorescere humoribus, ni intro regurgitauerint, poterit hinc quisque addiscere, vbi bilis abundat, flauo faciem affundi colore, ac potissimum oculos: nigricare eamdem melancolia redundante: cùm pituita excellit, albicare: cum dominatur sanguis roseo colore suffundi. Monet tamen Hip. certum hoc esse indiciũ, ni humores intro recurrerint: solent autem recurrere, vel à frigiditate aeris repulsi, vel timore, aut tristitia contracti, quemadmodum accurrunt foras in ira, pudore, exercitio, & aestu.

Quia vero accidere potest: contingit autem frequenter, vt humores in abditis nostri corporis partibus ita recondantur, nullo vt pacto liceat, vel eorum colorem obseruare, aut saporem sentire: fit quoque & illud non raro, vt os amaricet, alio tamen succo in venis abundante, cõsulenda propterea erunt alia signa, quæ eorum abundantiam valeant docere: ac primum reuocandæ in memoriam causæ sunt, quæ valent congerere singulos: & inde cùm aliæ harum sint externæ, sunt autem harum genera quatuor, vt docuit Gal. lib. 1. de san. tuen. cap. 10. quæ assumuntur, quæ fiunt, quæ excernuntur, quę extrinsecus admouentur: Sunt aliæ internæ, quæ adhuc multæ, temperies nẽpè, ætas, sexus, habitus corporis, isthæc omnia erunt contemplanda, vt in humoris redundantis notitiam ducamur, assũpta nimirum, quæ fiunt, quæ excernuntur, quæquè extrinsecus admouentur, temperies, ætas, sexus, & habitus corporis.

Contemplare primum assumpta, hoc est cibos, potus, medicamenta; nàm si hæc calida fuerint, & bilis feracia: mox suspicio insurget bilis exuberantis. Vide secundo, quæ fiunt: horum nomine intellige motus omnes cùm animi, tum corporis, somnum, vigiliamquè, nam & eorum contemplatio, non parum conducit fini consequendo; siquidem mul-

tum

tum vigilare, crebra, grauiaque accidentia animi, motusque immoderati, calidos succos congerere solent: frigidos eosque crassos ocium, somnus multus, & alta rerum omnium quies.

Vide tertio, quæ excernuntur, nàm si sint biliosa, seù extrudantur per vomitum, seù seponantur ad aluum, bilis dominium ostendent.

Vide quatto admota, quorum nomine, nedum aer est intelligendus, sed & balnea, vnctiones, emplastra, periapta, & alia huius generis appensa; nàm cùm magnam hæc habeant vim immutandi nostram naturam, prout hęc calida erũt: frigida, humida, sicca, dicemus varios succos redundare. Tempore itaque æstiuo, regione calida, loco calido bilim abundare dices: pituitam hyeme, & frigida anni constitutione locoque ad frigidum inclinante, & humidum.

Sed quamquam hæc valeant multum ad inquirendos succos, qui redundant, certiorem tamen faciunt coniecturam causæ internæ; nescio enim qui fiat, vt frigida alimenta in bilim, & alios succos calidos calidi, seù natura, seu quoniam febriunt, facili quodam negotio conuertant: vnde videmus, vbi intemperies aliqua est contracta, quæ altas fixit radices, nullo posse ingenio euelli, arte nulla extirpari. Erunt itaque potiora illa signa, quæ ab his causis desumuntur; nàm in vniuersum, certum est illud, & inconcussũ, vt ita dicam, veritatis, calidi eparis homines, ætate iuuenes, sexu viros, habitu graciles, coaceruare succos calidos: contra, quibus epar est frigidum, quæ sexu mulieres, ętate senes, habitu crassæ, frigidos solent congerere humores.

Cœterum, quia inter os, & offam multa cadunt, non licebit propterea perpetuò à potentia inferre actum; nam multa non raro occurrere solent; quæ aut omninò impediunt, ne prodat in lucem effectus, aut saltem retardant: erunt propterea actiones corporis, & passiones cõtemplandæ; nàm cùm varietatem suscipiant non mediocrem, pro varia humorum exuberantia, nihil æquè humoris cuiusque excessum demonstrare valebit. Vnde cum actiones omnes naturales, vitales, animales, sensitrices, motiuę principes internæ, externę, somnus, somnia, mores, mutata humorum vel inter se, vel ad corpus proportione, mutationem suscipiant: actiones hę mutatæ, & affectus corporis exurgentes, humorum excessum, defectumque indicabunt; siquidem vbi bilis abundat, celerior euadit pulsus, & crebrior: promptè, & facilè irascimur: sed quia vix nobis constamus, & quæ modò placebant, mox incipiunt displicere: conceptam mox iram, deponimus statim: vigiles quoque nos eadem reddit, & si quandoque per ipsam dormire licebit, torquebit nos tunc temporis non minus; pugnabimus enim dormientes, & ardens ad vindictam animus somniabit prælia, & cædes. Contra, vbi pituita redundat somnus multus obrepit, vigilare impotentes, somniabimus aquam, flumina, pluuias, niuem: nullanos sitis torquebit: spuemus multum; nec minus pigri reddemur ad motum, quam ad coquendum ventriculus pituita refertus. Mediam sanguis cum naturam habeat, nam calidus humidus, symptomata similia ijs inferet, quæ à bili, pituitaque inferri solent; somniculosos itaque reddit homines, & quia oneri cor pori, ad motum pigros: sed quia calidus idem, neque adeo erunt impotentes ad motum, vt phlegmatici, neque tantumdem somno delectabuntur: coctiones faciliores obibunt, somniabunt sanguinis fluxum, natare in sanguine, hortos, prataque virentia.

Inducet melancolia vigilias multas sollicitudines, flatus multos, præsertim in hypocondrijs, nam pessumdato ex vigilijs calore ventriculi, multos congeret crudos succos. Quid si mores spectemus? vix dici potest, quanta in illis, ex varia humorum redundantia, obseruetur varietas: nam à melancholia tristitia, lætitia à sanguine, ira à bili, torpor animi, & corporis, à pituita: metus à cholera nigra, à flaua furor, & audax ad omnia animus.

Ad eumdem fontem pertinent morbi, & symptomata, si quæ corpus affligunt: bilim enim tertiana, & febres ardentes: pituitam soporosi affectus: sanguinem febris continens, humorem melancholicum, melancholia redundare docebit. Bilim breuis accessio monstrat, longam excitat pituita, & melancholia. Quare & symptomata, quæ à bili, breui abiguntur, longiori tempore affligunt, quę à pituita, aut melancholia ortum ducunt. Omnia itaque hæc consideranda, vt in redundantium humorum notitiam perueniamus: nempè quæ secundũ, essentiam cuique insunt, causas, quæ singulos congerere valent, & affectus, quos singuli inferre solent, vt apertè habetur ex Auic. c. 1. doc. 3. cap. 7. Auer. 3. Collig. cap. 10. 11. 12. & 13. Galen. 1. aphor. 2. 4. aphor. 2. 4. de san. tuend. c. 4. & lib. de mul titud. & alibi passim.

At petes, si tot sunt, & tanta, quæ humoris cuiusque redundantiam ostendere possunt: cur Hippocrates vir in re medica oculatissimus, hęc tantùm contemplari iussit, vt rem hanc consequamur, regionem, ętatem, & morbos; docès enim aphor. 2. 1. sect. qualisnam esse debeat vacuatio, *si talia*, inquit, *purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*, quod probat argumento à simili, quia in perturbationibus ventris, & spontinis vomi-

mitibus, vbi humor peccans educitur, nõ pro eo alius, melius ęgrotantes ſe habẽt. Poſt hęc quia viderat, poſſe aliquem quęrere quibus poſſet indicijs ſuccum peccantem dignoſcere, *inſpicere*, ſubdit, *oportet regionem, anni tempus, ætatem, & morbos.*

Solutio. An dicemus non doceri hoc ab Hipp. illo aphor.? monere potius, vt in purgatione facienda, nedum humorem, qui peccat ſpectemus, ſed & anni tempus, nàm vt idem 4. aphor. *ſub cane, & ante canem difficiles ſunt purgationes.* Regionem, quia calidam incolentes, aut frigidam, magna non ferũt preſidia? ętatem, quia pueri ob eam, quam habent inſitam vacuationem, diſſlantur facillimè 9. meth. 17. Minimè verò, nàm dicit Hipp. *inſpicere itaque oportet*: nunc verò ſi id doceret Hipp. quod eſt arbitratus Oribas., haud apponeret illud itaque ſiue ergo, nàm nullo pacto ex pręmiſſis inferri id poſſet. Quid ergo? Dicemus ne, diminutum fuiſſe in rę iſta Hippocratem? neque iſtud: Non tamen ſuperfluo illa à nobis adduntur; nàm cum illud in more habeat Hipp. vt vniuerſalia pręcepta exemplo declaret, nomine regionis & temporis, res omnes non naturales intelligit, vt ars aut vitę inſtitutum cibus, & potus, motus, & quies, totius demum vitę ante actę ratio. Nomine ętatis ſexum, temperamentum, habitum corporis, & alia quæcumq; homini naturaliter inſunt: quemadmodum nomine morbi comprehendit quicquid pręter naturam accidere poteſt, vt hic ſit germanus ſenſus illorum verborum. Inſpicere itaquè oportet, vt cognoſcas quinam ſuccus redundet, & hunc, qui moleſtat euacues, non pro eo alium, res naturales, vt ętatem, non naturales, vt regionẽ, & anni tempus, & res pręter naturam, vt morbos, nàm ex naturalibus, non naturalibus, & rebus pręter naturam, redundantis humoris indicia capi poſſunt. Sed ne quis reprehendendi occaſionem hinc iterum ſumat, quando humores non tantùm ex cauſis redundare cognoſcimus, ſed & ex effectibus, vt dictum, aduertat inſuper, quod quemadmodum rerum pręter naturam nomine, morbos, cauſas morborũ, & ſymptomata, quę morbum ſequuntur intellexit Hippoc. ſic rerum naturalium nomine, non tantùm naturales cauſas, quę humores vtcumque producendi vim habent comprehenſas volumus, ſed & effectus quoquè, cum ab humore in corpore inductos, tùm formam eiuſdem, & temperiem conſequentes. Putarem eſſe ad exitum, propoſitam diſputationem deductam, ni quędam difficultatem haberent non contemnendam. Propterea ſit prima dubitatio.

Valeant ne ſomnia humorem redundantem monſtrare.
Cap. VIII.

OMnem fidem ſomnijs detrahebant Epicurei; contemnebat eadem Diog. Cynicus, nec quicquam eſſe homine ſtultius exiſtimabat, vbi ſomniorum interpretes inſpiciebat. Leuit. quoq; 19. *non augurabimini*, inquit, *neque obſeruabitis ſomnia.* Vana etiam eſſe monſtrat experiẽtia, nam de ijs plerumque rebus ſomnia contingunt, quibus mens noſtra in vigilia admodum intenta fuit, & vt Actius, *multas curas ſequuntur omnia*, vnde Lucr. lib. 4. ſui poem. — Negant Epicurei.

In ſomnis eadem plerumque videmus obire:
Cauſidicos cauſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis, degere bellum:
Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhęret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati:

Nam vt acutiſſimè ſcripſit, quandoque Nyſſenus lib. de hominis opificio, ſunt ſomnia ſimilia cytharæ, cuius fides, ceſſante manus impulſu, adhuc modicum extrema motione trepidant, ac tinniunt.

Contra Stoici, tantam ſomnijs fidem adhibuerunt, & quibuſcumque alijs diuinationum generibus, nullum vt eſſe contemnendum putarint. Mediam tenuere viam Platonici, Peripatetici, Theologi, Medici; nam quædam obſeruarunt, contemnunt alia. Obſeruant naturalia ſomnia medici, & ex illis præſentem ſtatum corporis, & futurum conijciunt. Attendunt ad ea Theologi, quæ à Deo, bonis, maliſque Angelis immittuntur, quo caueant, quæ animabus perniciem afferre poſſunt, proſequantur vtilia; ſolet enim non raro in ſomnis Deus eorum, quæ ſcire, aut facere expedit, nos monere: contemnunt vtrique animalia ſomnia. Sed ne latius euagetur oratio, & à propoſitæ difficultatis terminis, licentiæ ventis deducatur, contrahentes vela, & eo redeuntes, vnde nauis ſoluta, dicimus poſſe medicum obſeruatis ęgrotantiũ ſomnijs, ſuccorum redundantiam dignoſcere. Docuit id in primis Hippo. lib. de inſomn. & Gal. Auicen. lib. 1. fen. 2. doc. 3. cap. 7. & eius expoſitores ibidem, Auerr. 4. coll. 13. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. & 6. Fern. lib. 2. de ſign. cap. 11. Valleſ. lib. de Sacr. Philoſ. cap. 30. Delrius lib. 3. diſquiſit. mag. cap. 3. quæſt. 6. Fracaſt. lib. 2. de in-

Credunt Stoici.

Mediam tenuere alij viam.

Deciſio.

intellect. Conimbr. lib. de insomn. cap. 5. est demum communis omnium Doctorū sententia, quam comprobant experientiæ multæ, quibus fidem negare omninò temerarium, præsertim cùm neque ratio desit, quę hanc assertionem veram esse suadet; nam vt benè D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. & 6. omnis effectus potest esse signum causæ, à qua producitur: sic fumus ignem indicat, iris serenitatem, quia ab igne fumus, & ab eadem causa, à qua iris, serenitas: Cumq; longa obseruatione sit compertum, imminente pluuia, coruos, crocitare, coaxare ranas prægaudio, alia animantia præ timore fugere, quia eadem causa, quæ pluuiam in esse materiali producit, comproducit aliquid proportionale in ranis, coruo, alijsuè animalibus: hac obseruatione moti dicimus, canglorem ranarum, crocitationem coruorum, pluuiam futuram potèdere; scilicet quia eadem corpora cælestia, quæ pluuiam producunt, præcausant hos effectus in hisce animalibus secundùm proportionem, quas si exactè calleremus, possemus multa prædicere, nàm vt notat Caietan. ibid. ex harum proportionum cognitione diuinant futura, somniorum interpretes. Nunc verò experientia compertum est, redundante semine, venerea somnia nos turbare; exuberante bili, somniare cędes bella, rixas incendia: scatente corpore sanguine, lęta quæquè imaginationi obuersari: occurrere fluminum, niuium, & aquarum cogitationem, cùm multa est in corpore pituita: cùm seges est melancoliæ cooremiscimus in somno, pauemus, & tristia quæq; obuersantur. Quare poterimus somniorum conditione obseruata, redundantiam humorum cognoscere. Quoniam verò nondum dictum, qua ratione fiat, vt pro succorum variorum copia, varia hæc somnia fiant, aggrediamur id facere, à somnij natura exorsi.

Quid somnium. Est somnium, visum in somno factum, vel vt Fracastor. dicit 2. de intellect. est vigilia sensuum internorum feriantibus in somno externis: qua ratione differt à viso delirantium, qui per vigiliam ea videre putant, & facere, quæ sani in somno faciunt, cogitantque. Quid internorum sensuum nomine intelligi debeat, an sensus communis, an omnes, non est cur hic disputemus. *Quæ somnij causa.* Quicumque tamen sit ille, à specie intus adseruata excitatur; nam hę tantum excitandi vim habent cognoscentes virtutes: excitant autem, quia vehementes, non sinunt animam ociari: sunt autem validę, vel quia recentes, vnde quidam narrant in somno quæcumque vigilantes egerunt: Aut est validior species, quia validius fuit ab imaginatione apprehensa, nam pro varietate apprehēsionis, fit maior & minor impressio in memoria: vnde quia quę cupiuntur, aut maximè timentur, apprehenduntur fortiter; hinc est, quod de ijs potissimum somniamus, quæ aut concupimus ardenter, aut vehementer timemus. Iam verò possunt huiusmodi species à redundante humore excitari, & prout redundantia est varia sic has, aut illas species mouere. Quare possunt somnia ab humoribus fieri, & varia variam redūdantiam monstrare. Probatur minor, nam abundante bili, tale quid cordi accidit, & vniuerso corpori, quod & per iram, nempè exarsio circa cor, & sanguinis feruor. Quare cōsequentur ad hæc ea omnia, quę ad iram: nempè desiderium vindictæ. Quare, & phantasia armorum, pugnæ, cędis, sanguinis, & aliorum huiusmodi. Abundante melancholia, tristitia quædam infertur partibus: ab hac species excitantur consimiles asseruatæ in memoria: hinc mortis, & aliorum metus: hinc tristia semper somnia, & de ijs, quæ timētur potissimum, vnde!

vigil elapsas quærit auarus opes.

Contra abundante sanguine, contraria qualitas tactiua producitur, ac propterea iucundarum rerum species excitantur; hinc somnia à sanguine iucunda, & læta. Quare rectè Hippoc. censuit desipientias, quæ cum risu, securiores esse, quia vt ait Gal. in com. signum est, illas à sanguine excitari. Salubriores autem morbi qui à sanguine.

At dices, nonne tactus afficitur à redūdante humore æque noctè, ac die. Vnde ergo est, quod abundantes semine, somniamus venerea, & inter choros versamur puellarum continuò: non eadem cogitamus vigilantes? *Obiectio.* respondeo, & vigilantes, & dormientes à semine retento sollicitari ad Venerem, vt passim experiuntur, castam qui vitam degunt: moueri tamen *Solutio.* magis dormientes, nam eadem rationem habet ad vigiliam somnus, quam nox ad diem, lux ad tenebras, ad clamores silentium. At verò constat profunda noctè, & cunctis silentibus, strepitus quoscumque audiri, & vel exiguos, vidcri magnos duas ob causas. Prima est, quia vbi vigilant externi sensus, imaginatio, quæ semper cum sensu coniuncta, ab aliorum sensilium aut magnitudine distrahitur, aut potentia: secunda, quia vbi multæ in organo recipiuntur figuræ, obscurāt aliæ alias. Quare semper cogitabit attentius anima per somnū, quam in vigilia, & passiones minimas dormiens maiores iudicabit, quam vigilans. Vnde coniici exactius potest ex somnijs redundantia humoris, quam fortasse ex alijs signis.

Ad rationes in initio propositas. Quæ sunt initio proposita, vera sunt de somnijs animalibus: sed ne fallaris, nō statim, ac quis cędes, ignem, & arma somniat, hunc bili scatere credas, sed cum nulla causa externa pręcesit, à qua dicta somnia fieri potuere: nec vbi quis venerea somniat hunc semine turgere puta, sed

ſed vbi nulla fœda conuerſatio præceſſit, non impuri ſermones, aut mulierum contactus, non ob ſcæna item deſideria; nam non minus verè, quam eleganter Claud. in præfat. 6. lib.

Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno, reddit amica quies.
Venator, defeſſa thoro cum membra reponit.
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis, meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat nauita merces,
Et vigil elapſas, quærit auarus opes.
Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris,
Irriguus gelido, pocula fonte ſopor:
Me quoque muſarum ſtudium, ſub nocte ſilenti
Artibus aſſiduis, ſollicitare ſolet.
Namque poli media ſtellantis in arce videbar,
Ante pedes ſummi, carmina ferre Iouis.

Redeant præterea ſomnia; neq; enim vlla ratio eſt, cur vbi eadem copia humorum, eadem diſpoſitio corporis, non eadem obueniant. Quare vbi ſemel appareant, neque aliqua eſt facta vacuatio, nō vlla mutatio: nulla eſt eorum ratio habenda à medicis, quia nō ab humoribus, ſed aliunde ortum habuere. Neque obſerua quæcumque redeunt, ſed iterata, & placido ſomno facta. non vbi à multis, craſſiſque vaporibus internæ potentiæ turbantur: tunc enim veluti in agitata aqua multæ, & diſtortæ imagines fiunt: ſic in turbato ſomno, ſomnia nulla certa, conſpicua nulla. Nihil itaque facienda, quæ à crapula; nam & hanc ob cauſam, vt matutina obſeruentur, præcipiunt cūcti, nempè cum celebrata eſt coctio, nullę à tumultuantibus vaporibus cibi, ſpecies agitantur, & intus contracta anima, vt quidpiam meditaturi ſe in domo concludunt, perſpicacius cuncta conſultat.

Poſſint ne varij mores, humorum redundantiam monſtrare.
Cap. IX.

Argum. pro parte negatiua.

PArs quę negat, amplectenda videtur; nam aut mores, vt multi autumarunt, ſunt ſupernorum orbium effectus, & ex varia cęli configuratione, ſub qua quis eſt conceptus aut natus, bonus fit, & improbus, luxurioſus, & caſtus ebrioſus, & temperatus: aut quod Chriſip. dixit, referente Plutarco. *nulla eſt intemperantia, nulla fraus, cuius non ſit Iuppiter architectus:* aut quod verum, ab humana libertate, mores omnes dependent, & vnuſquiſque volens bonus, aut malus euadit, alioquin, neque pęna eſſent coercēdi mali, nec premijs boni alliciendi, ſi nolens quis peccaret, aut bene ageret. Nullum itaque locum cum habeant in re iſta humores, nullum poterunt medici humorum redundantium ſignum, à moribus ſumere. Confirmatur, nam ſi quæ notæ hinc ſumi poſſent, eſſent e. g. bilioſi ad iram proni, pituitoſi ad ignauiam: melancholia redundantes meticuloſi & triſtes: ſanguinei lęti: Secus tamen fieri experimur; ſiquidem mulieres frigidi temperamenti alioquin, ſunt iracundæ: moroſi ſenes, & ob eādem cauſam ad iram prompti: pituitam non facere ad mores, dixerunt multi: melancholia, ſi triſtes reddit homines, & meticuloſos, erunt eadem ratione ſanguinei meticuloſi, & triſtes; nam & hi ſcatent melancholia, cum ſit fœx ſanguinis, quam multam neceſſe eſt eſſe, vbi multus ſit ſanguis.

Aſſirmamus nihilominus.

Aſſirmant tamen viri omnes docti, ac primum Hipp. lib. de aer. aq. & loc. Ptolom. lib. 2. apoth. probantque, quia pro climatum diuerſitate, varios habent mores homines: aſſirmat idem in Timoeo Plato, duplici vt patet ratione inductus; primum, quia quo ſicciora ſunt animantia, eo prudentiora, vnde illud, *Anima ſicca ſapientiſſima*: Secundo quia pro varia ætatum mutatione, variantur mores: vnde alios habent pueri mores, alios ſenes. Ariſt. in Phyſiogn. *Quoniam*, inquit, *& animæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundum ſe ipſas, non ſunt impaſſibiles à corporis moribus: hoc autem manifeſtum fit valdè in ebrietatibus, & ægritudinibus: multum enim alteratæ videntur animæ à paſſionibus: & è contrario vtrique animæ paſſionibus, corpus compati manifeſtum ſit, & per amores, & timores, triſtitias, delectati nes. Amplius autem in natura factis, magis vtique quis inſpiciet, quod ſic ſe habeant ad inuicem, & corpus, & anima, vt plurimarum ad inuicem paſſionum cauſæ fiant. Numquam autem animal tale factum eſt, quod formam quidem haberet alterius animalis, animam vero alterius, ſed ſemper eiuſdemmet corpus, & animam, vt neceſſarium ſit conſequi ad tale corpus talem animam. Amplius autem ex ſciente affectiones circa vnumquodque animalium ex forma poſſunt conſiderari, & equites equos, & venatores canes. Quod ſi hæc vera ſunt, ſemper autem vera ſunt, erit vtique phyſiognomizare.* Et lib. 2. de part. ex varia ſanguinis natura, mores in animalibus differre ſcribit, vnde exanguia timidiora ſanguinem habentibus: taurum vero & aprum iracundos, & fortes, quoniam eorum ſanguis eſt feruentiſſimus.

Et rationibus pro parte aduerſa ſatiſfacimus.

Galenus demum tot experientijs, & auctoritatibus lib. quod anim. mores hoc confirmauit, nihil vt amplius addi poſſit. Ne tamen etres, & poſita pro ratione dubitandi facili negotio diſſoluas; aduertas quæſo, quod cum de moribus loqui

possimus bifariam, vel quoad aptitudinem, & naturalem potentiam: vel quoad habitum, seu actum: secundum primam acceptionem nobis natura inesse, secundum habitum nequaquam, quia hi ab actibus, actus à voluntate libera exercentur. Ex physiognomia itaque astrologia, & alijs diuinationum generibus edocti, possumus quidem inclinationes cuiusque diuinare, propensiones dignoscere; habitus, aut actus nequaquam, nam à libera hi hominis voluntate. Vnde neque vana moralis philosophia, quę morum correctioni incumbit: nec leges iniustæ, quæ puniunt facinorosos, bonos attollunt honoribus: pœnis malos, à malo coercent: propositis proemijs omnes ad virtutes alliciunt: quia quamquam aptitudines à natura, non est tamen necessarium, vt pro ratione aptitudinis operemur, sed in nobis est illi contraniti, obedire; enimuero cum naturaliter simus risibiles, flemus tamen. Hinc Socrates fuit omnium mortalium optimus, cum tamen ad vitia quæque natura propensus esset, quod ne ipse quidem Phylemoni affirmanti negauit, *& in hæc omnia, inquit, incidissem, ni me amor philosophiæ detinuisset*. Quare calidi quique, & biliosi, iracundi, & cum Galen. lib. art. med. cap. 29. affirmo. *Quod si in caliditate multum cor excesserit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adsunt*.

Obiectio. Quorumdam solutio. At quid quod mulieres potissimum sunt iracundæ? & 1. epid. com. 2. t. 78. scriptum, esse iracundos frigidi temperamenti? Quidam vt diffidentia hæc loca conciliarent, aliud dicunt, est ira, aliud iracundia: & aliud irasci, aliud iratum esse: quemadmodum aliud est luxuriosum esse, & ebriosum, & aliud ebrium fieri. Sunt iracundi prompti ad irascendum: sed qua facilitate irascuntur, eadem iram conceptam deponunt. At irati non concoquunt iram. Quo posito dicunt, iracundiam esse signum frigidi temperamenti, at non iram.

Reijcitur. Quod non placet primum, quia Gal. ponit furibundam iracundiam signum esse calidissimi cordis, non iram: Secundò, quia iracundia in eos potissimum cadit, auctoritate Arist. 2. Reth. qui tenui, quadam bili, eaque calidiuscula fcatent; hæc enim citò accenditur, accensaque dissoluitur. Quare dum propriam esse inquiunt temperamenti frigidi iracundiam, manifestè Arist. & Galeno reluctantur: imò experientię, si quidem experimur melancholicos frigidos, & siccos, quales sunt senes, diù seruare in corde maleuolentiam, deinde dolo, & astu vindictam sumere, quod fortasse respiciens Arist. 2. Rethor. cap. 13. iras senum imbecillas vocauit, ex quo paulò postea infert, si quas faciunt iniurias, magis propter malitiam, quam propter contumeliam facere. Rectius Vallef. & Vega docent, iracundiam æque facilè in frigido corde calidovè excitari; nam cum iracundiæ causa sit debilitas, vndè pueri, mulieres, senes, infirmi quique irascuntur facilius, quam viri, quam sani, quam læti: sintque debiles calidi corde, & frigidi, nam vtrique intemperati: irascentur vtrique faciliter: cū hoc tamen discrimine, quod vbi irascuntur calidi, simul etiam sunt temerarij, & nihil non aggrediuntur per imprudentiam: at frigidi, quamquam irascantur, aut nihil audent, aut nihil apertè aggrediuntur. Hinc Galenus, non simplicem iram calidissimi cordis inditum esse dixit, sed furiosam, temeritatique adiunctam. Et Veg. & Vallef. adhærentur.

Cur à debilitate iracundia. At petes vlterius, cur à debilitate iracundia? Duæ sunt causæ: finalis altera, altera efficiens: illa quidem, nam ira vt 2. Reth. 2. docet Arist. est libido cum dolore speratæ punitionis propter apparentem negligentiam, vel in se, vel in suorum quempiam, contra id quod oportebat; illa itaque animalia irę sunt exposita magis, quę contemptibiliora: talia autem quæ debilia: est & alia causa effectrix, nā quæ debilia, internam habent irascendi causam, quia à prauis vaporibus irritantur continuò. Quare vt mota, præcipitantur facilius, sic quę initium irascendi intus habent, in furiam nullo negotio aguntur.

Intemperiei æqualis, & inæqualis inditia. Cap. X.

AEQualem intemperiem vnico hoc signo, ab inęquali distingues, quia dolent, hac laborantes, carent dolore quicumque ęquali intemperie afficiuntur. Galenus lib. de inęquali intemperie cap. 6. ergo inquit toto hoc tempore corpus incalescens, pro modo alterationis etiam ad portionem sentit dolorem: cum verò omnes solidæ corporis particulæ excalfactæ ad absolutionem iam sunt, eiusmodi febrem hecticam Gręci vocant, seu non amplius iam in humoribus, & spiritibus, sed in corporibus ijs, quæ habitus rationem habent comprehensam. Hęc doloris est expers, putantque qui ea febricitant omninò se febre carere. Galeno ita experientia suffragatur, vt omninò temerarium sit de re hac dubitare, causa tamen euentus silentio obuoluenda non est, nam ita dilucidabitur magis intemperiei æqualis, inęqualisuè natura. Quoniam verò doloris causa ignorata, non possumus propositum assequi, hinc ordiemur; quod eo libentius facio, quia hęc disputatio, nō solum difficultati propositæ enodandę, sed & quamplurimis alijs dissoluendis conducit, estque non minus iucunda, quam fructuosa.

Est

Dolor eſt triſtis ſenſatio non qualitas.

Eſt dolor formaliter rei contriſtantis ſenſatio: hæc inquam; nam quod Conciliat. dixit qualitatem eſſe Gent. 2. 1. doc. 2. cap. 19. Fern. lib. de ſympt. 6. Argent. Veg. & alij, moleſtiam quandam ex triſtis obiecti perceptione profectam, reijcio: ac Conc. quidem, quia ſenſatio, cum ſit actio immanens, nihil à ſe diſtinctum producit: & alios, tùm ob cauſam poſitam, cum quia moleſtia huiuſmodi, non eſt aliud, quam triſtis ſenſatio. Quare affirmant imprudenter, quod negare ſtatuerant. Erunt proinde doloris cauſę illæ eædem, quæ ſenſationis: Quamobrē cum fiat ſenſatio ab obiecto, & potentia, duæ erunt doloris cauſæ, facultas, nimirum ſentiens, & obiectum. Cumque dolor, vt lib. 3. eſt à nobis monſtratum, ad ſolum tactum pertineat, excitabitur dolor, ab ijs, quæ tactum mouendi vim habent, hoc eſt à primis, ſecundiſque qualitatibus. Quoniam verò non eſt dolor in vniuerſum ſenſatio, ſed triſtis, ſeu obiecti contriſtātis, efficient poſita obiecta dolorem, cum fuerint illa improportionata, & organo tactus nequaquam cōueniunt. Vnde quia proportio, & improportio ſunt de genere relatiuorum, & multa conueniunt, vni, quæ alterum deſtruunt; hinc dolet quandoque Sortes, à quibus bene afficitur Plato. Quid verò requiratur in cauſa, vt improportionata dicatur eſſe, hoc dubium fuit iam diù, & ad hodiernam, vſque diem eſt controuerſum.

Aut moleſtia ex triſti ſenſatione profecta.

Improportionatio eiuſdem obiecti.

Corollarium.

Quid requiritur, vt ſit improportionatum? Auerr.

Auerr. 3. coll. 31. id requirit in cauſa, quo improportionata dicatur eſſe, & dolorifica, vt intemperiem inferat, neque diuiſionem continui, niſi propter alterationem adiunctam, dolorem inferre; nam quod ſenſationem facere non poteſt, nec dolorem excitare valebit: Quare cum ſolutio continui ſit commune ſenſile, quod abſque proprio ſentiri non poteſt, non niſi per proprium poterit dolorem inferre.

Galeniſtæ & alij.

Galeniſtæ in varias iuere ſententias; nam quamquam paſſim dicat Galenus, & à ſolutione continui, & intemperie dolorem fieri, vt licet apud ipſum videre lib. 2. art. m, cap. 88. ſecundum ſectionem Turiſ. 12. meth. cap. 7. primo de cauſ. ſymp. cap. 6. quia tamen doccre aggreſſus 4. de ſimplic. 2. quo pacto qualitates dolorem inducant, ab illis id fieri ſtatuit, quia vel mordicant, vel diſtendune, laxant, aut adſtringunt, & lib. de inæqu. intemp. laudauit Hipp. quod dixerit, morbum quemcunque vlcus eſſe: ab vna ſolutione continui dolorem cieri, quidam Galeni aſſeclæ autumarunt. Amplexati ſunt alij vtramque, & ab intemperie, & à ſolutione dolorem, poſſe excitari affirmarunt. Eſt horum Dux Auic. 2. p. doc. 2. ſumm. 2. cap. 19. Sectatores quamplurimi, non ſolum Auicenniſtæ, ſed & qui Galeni doctrinam profitentur, vt Vall. 5. contr. 4. Turiſ. citat. loco. Augen. Mercur. & è Philoſophis multi.

Neque ego aliter ſentiendum puto. Quare omninò exiſtimandum eſt, ex vehementi obiecti tactilis improportione dolorem fieri: huiuſmodi autem eſſe, quod vel ſoluit continuum, vel intemperiem inuehit. Fieri dolorem à tactili obiecto, vbi ſoluat continuum, docuit ante omnes Hipp. dum morbum omnem vlcus eſſe autumauit: Ariſt. ſect. problem. 26. & 6. Topic. vbi dolorem per cauſam diffiniens, diſtenſionem eſſe dixit, aut ſeparationem partium natura coniunctarum. Galen. mille in loc. ſchola demū omnis: namque nec Auerr. ipſe negare eſt auſus, alioquin ſenſibus negaſſet fidē: finxit tamen ſoluentia continuum dolorem inducere, non quia ſoluunt, ſed quoniam ſolutione intemperiem inferunt, quod cōſtat pluribus eſſe falſum, ac primum, quia motus ille localis, non eſt adeò vehemens, vt intemperiem valeat inferre: Secundo, quia ſi intemperiem aliquā inueheret, eſſet illa calida; eſt enim motus cauſa caloris: at fit dolor etiam ſi quis vbi æſtuet, frigidiſſimo cultro ſecetur: & pueri vbi virgis cæduntur, quanto magis calent, eo minus dolent: eſſet demum ſolutio quæuis continui compoſitus morbus.

Nos intemp. & ſolutionem continui cēſemus eſſe.

Neque Auerr. ratio eſt alicuius momenti; Primum, quia incertum admodū eſt, num ſenſile commune indigeat proprio, vt ſentiatur, & apud me certum nō indigere. Secundo, quia non dicimus nos ſolutionem continui eſſe cauſam doloris, ſed obiectum tactile improportionatum diſſoluens: poteſt autem mouere hoc tactum.

Et Auer. ita ſatisfacimus.

At dices, obiectum hoc ratione qua ſoluit continuum, non eſt ſenſile. Quare neque hac ratione, eſt potis excitare dolorem. Negat conſequentiam, & inde Mund. vt refert Gent. q. 44. in extrauag. Nam nec figura turpis abſque colore cadere ſub viſum poteſt, & nihilominus non cauſat turpis figura dolorem, ratione coloris. Poteſt itaque improportionatum obiectum, vbi ſoluat continuum, dolorem inferre.

Poteſt idem facere vbi intemperiem inuehat eſto continuum nō ſoluat (quāquam neget poſſe vnquam id fieri Vall.) nam vt benè Auic. à quo alij, dum natura alteratur, & corrumpitur, tunc dolores; At verò alteratur deſtruiturue per intemperiem, etiam ſi continuitas nullo modo ſoluatur. Quare, &c. Præterea ni ex intemperie fiat quandoque dolor, nō poſſet dolor vnquam intendi. Probatur, quia huius intenſio pendet ex cauſæ intenſione. Nunc vero ſolutio continui nō poteſt fieri maior intenſiuè, ſed extenſiuè tantummodò. Quare, &c.

Con-

Confirmatur quia multoties dolent ægrotantes, cum nullam tamen mordicationem persentiant, tensionem, solutionem. Quare quemadmodum à solutione dolorem excitari autumamus, quia nulla apparet intemperies, cum quis acu pungitur, eadem ratione cum sit medicus artifex sensatus, vbi citra euidentem solutionem continui, aliquem dolere obseruet, à sola intemperie dolere affirmare tenetur.

Obiectio.

Obijcies, si ab intemperie dolor, doleret thorax ardente febre correpti, quando hic feruet potissimum. Prætetea si dolor fit ex subita & confertim facta mutatione, cum subito fieri nequeat intemperies, numquam intemperies poterit causare dolorem.

Coegit prima ratio Argent. secunda alios, vt negarent ab intemperie posse excitari dolorem: apud me neutra est tāti momenti; Non illa Argenterij; Nam cum remittatur statim thoracis calor ab aere, recta ad ipsum delato, perspiretque multò facilius, quam calor renum, & capitis: hinc fit, vt non doleat thorax dolentibus renibus, atque capite. Non turbat secūdo altera ratio primum, quia intemperies calida, frigidaque, vt supra à nobis est dictum, potest subito fieri, atque tolli. Galenique sententia de sicca, & humida intemperie vera est, in vniuersum falsa. Secundò, quia quamquam intemperies secundum omnem suam latitudinem, citò fieri non posset, posset tamen secundum quosdam gradus, à quibus habet, vt sit præter naturam, citò fieri: Quare, & causare dolorem. Obiecti ergo improportio, siuè ab intemperie fiat, siuè à solutione continui, dolorem ciere est potis.

Est ne condolentia, doloris causa ponenda? nequaquam.

Num, & condolentia? nequaquam, nam quod quidam credunt à specie intentionali fieri: reiectum à nobis est lib. 2. c. 12. Nec obstat dolere partem remotam quãdoque rectè valente proxima, vt cum laboranti ventriculo, condolet caput: dolentibus costis, iugulum, aut hypocondria: collo vesicæ, glans præcipuè; potest enim id fieri primum agitatis, per dolorem vaporibus, aut humoribus, & in remotam partem delatis, ibique detẽtis, non in proxima: Possunt secundo proximæ partes causæ tendenti cedere, non remotæ, vnde harum continuitas solui, illæsis proximis. Non tamen quouis modo facta solutio, aut intemperies dolorem inuehit, sed confertim, sed celeriter: probat istud Gal. cap. 6. lib. de caus. symp. quia *quod sensim, & paulatim fit, sensum latet*: Vnde si quis sensim pedem immergat in frigidam, non dolet: riget tamen, si repentè se se in mare proijciat: & ætatiuæ mutationes, non sunt molestæ, cum tamen distet multum à pueritia senectus: neque aliam ob causam calor, & frigus vehementes inferre dolores solent, siccitas, & humiditas, vel nullum, vel admodum leuem; nēpè, quia qualitates illæ, cum sint actuosæ, possunt celeriter permutare naturam: nequeunt idem facere humiditas, siccitasue ob minimam, quam habent actiuitatem. Ne tamen decipiatis, nota eam mutationem sensim factam excitando dolori esse ineptam, quæ ita sensim fit, vt non cadat sub sensum: & eam celeritatem requiri, quæ facit, vt alteratio sentiatur. Quare omninò decipitur Argent. dum putet hoc dogma Galeni confutasse, quia esto sensim patti vlceratæ acus admoueatur, ciet dolorem; nam cum solutio illa sentiatur, non fit sensim.

Nec quæuis solutio, aut intemp. dolorem inuehet, sed quæ fit subito.

Præter has causas, nulla alia ponenda.

Est ne alia præter propositas, doloris causa? negant tacitè omnes: suadet ratio; nam si dolor à causa corrumpente naturam: fiet dolor à morbo quocumque, quando quiuis morbus naturam corrumpit.

Defecit Turis. in solutione huius nodi; dicit enim 2. art. med. 88. idcirco magnitudine, figuraque vitiata, non posse cieri dolorem, quia non nisi intentionaliter in tactum se imprimunt: quod quis non reijciet? enimuero quamquam quantitas quantitatem consimilem non producat in organo tactus, producit tamen compressionem quamdam, quæ est motus realis: vnde qua ratione solutio cōtinui, quæ motus est quidam sub tactum cadit, eadem ratione sentire poterat tactus magnitudinem auctam. Propterea dicendum, non posse ab alijs morbis dolorem cieri, quia quamquam morbus omnis sit præter naturam, non tamen quidquid præter naturam est, id omne valet dolorem inferre, sed quod confertim illam corrumpit, ita vt possit ab ipsa sentiri: nunc vero quidam morbi non cadunt sub sensum, vt quantitas imminuta, & cauitas, nam puræ negationes sunt, quas intellectu cognosci quamplures graues Philosophi demonstrant. Aucta quantitas, numerus, repleta cauitas, dislocatio, esto sentiantur, non nisi motu producto sentiuntur. Quare non erunt aliæ doloris causæ præter positas.

Cur refrigerati accedentes ad ignem dolēt magis.

Cur intemperies facta doloris expers.

Est tamen adhuc quod suspiceris: nam si naturam corrumpens est causa doloris, cur vbi refrigerari accedunt ad ignē, maiorem propè radices vnguium, dolorem persentiunt? Cur intemperies facta doloris expers? Cur cum continua sit inter partes nostri corporis actio, & reactio, nullus tamen dolor percipitur: et si confertim facta corruptio, dolorifica. cur secus in solutione continui accidit? nimirum quanto fit illa citius, eo minorem dolorem infert?

Cur nullus à mutua partiũ actione dolor.

Primi problematis ratio non vna assignatur ab omnibus. Censet Vallesius maioris doloris causam, in inæqualem

in-

intemperiem eſſe teferendam. Nempè opinatur ex actione caloris, contrarium intemperiem induci. Duo autem contraria vehementiaque, dum partem ſibiectam oppugnant, dolorem ingeminant.

Quod reijcio; nam antequam ignis calidam intemperiem inuehat, videtur dolor intendi. Secundo quia dolet à fri-
Vallef. Mercat. Alij. giditate,non à calore. Quare & Mercur. eadem ob cauſas reijciendus qui dolorẽ intendi dixit, eo quod contraria intemperies producitur. Alij eam aucti doloris c. uſam comm niſcuntur, quia ad vnguium radices frigus vnitum, magis vrget. At cur eſt vnitum? An quia hoſtis aduentum præſentit?quibus notis?quaſi ſentiente? ſed tribuamus illi ſenſum, ſi placet,dic modo, quibus pedibus qualitates hinc inde commigrant?

Gal. Aphro.3. prob 44. Melius Galenus,qui 12.Meth.7.id fieri putat, *Quia natura à repentinis laceſſitur:* quamquam neptè aptè; doleret enim fatigatus,ſi ſtatim à labore quieti ſe traderet,fameſcens ſi ſtatim comederet, ſi biberet ſtatim ſiti enectus.

Dices,& eſt expoſitio Vegæ 2. de loc. aff.ſect.1.non omnem repentinam mutationem eſſe aduerſam naturæ, ſed eam, qua lapſus facti,& habituales mutantur; nam cum ſint illi in naturam conuerſi, vbi hos permutes,naturam permutas:at lapſus recentes, quique nondum obcalluerunt hos quantocius corriges eo curabis iucundius Ergo ſub.iit, quia refrigerati, frigiditatem in habitu contraxerunt,nam & paucis diebus, vt Galenus eſt auctor.1.pror.tex.33 ex phreniti hecticum iliudque calidum intemperamẽtum capiti eſt impreſſum; hinc dolent admotione contrarij reducentis confeſtim,non dolent fatigati, nec ſitientes. Probarem,ni falſum eſſe crederem refrigeratos illos habituali intemperie frigida teneri; non enim dolerent: Ar dolẽt priùs,quam igni admoueantur,quamquã poſtea dolor intendatur.

Auct. opin. Iuuat proinde dicere, idcircò augeri dolorem,quia recuperat calfacta e.g. manus temperiem,ſine qua, aut nullo modo ſentire, aut obtuſè ſentire tactus ſolet: hac autem reſtituta,moleſtiorem indicat frigiditatem,quam pauló antea ſentiebat minorem. Hanc eſſe euentus cauſam, nõ mutationem repentè factam, aut aliquid aliud,patet inde, quia etiam ſi in ſinum tepentem quis manum inijciat, & ſenſim frigiditatem deponat, dolorem perſentit:& ſtupidum crus,vbi moueri incipit, magis dolet, quamquam frigeat minus: combuſtuſque digitus in ſe frigidam merſus dolet magis, frigida illi reſtituente temperiem.

2. Probl. In ſecundi ſolutione, cuius cauſa hæc omnia præmiſimus, laborarunt, quamplures;maior tamen pars cenſet,idcircò non dolere, qui facta intemperie tenentur,vt hectici, quia eſt natura mutata: *quibus autem natura corrumpitur, ijs dolores contingunt:* Ita Auic. Turiſ,Valleſ. Mercur.& alij. Quos reijcio; nam habet febris hectica gradus, & poteſt incipiens in augmentum progredi: Quare intendi. Non ergo omnino natura mutata. 3. Probl. Quod ſi eſſet, quomodo eadem viueret. Non ergo ſentitur dolor in hectica, quia ſenſim agit,& lentè, quod autem fit paulatim, ſub ſenſum non cadit. Eadem ex cauſa fit, ne cum dolorẽ fiant actio, & reactio partium: nempè quia exigua, Cur minor dolor a cita ſolutione cõtinui. quia conſueta. Cur autem à conſuetis minus afficiamur lib. decimo dicetur. 4. Probl. Neque aliud in cauſa eſt, cur confeſtim Vide Alex. 4. prob 77.&1.& p.118. facta ſolutione minus doleamus,niſi quia velociſſimus motus latet ſenſum, neque enim lentus dumtaxat motus vt ... nomomis ſub ſenſum non cadit, ſed & qui velociſſimus malè ab ipſo obſeruatur. Eadem ex cauſa dolemus magis noctu, die minus, nempè vacat tunc magis anima,nullo ab obiecto diſtracta. Vnde quia qui improuisò inuaduntur,apprehendũt diſcrimen eſſe multo maius. hinc timent magis,dolentque ex quouis,vel leui ictu, tantum valet ad augendum dolorem aduertentia. Quare tunc iacula præuiſa minus feriunt,cum ijs præuiſis,aduerſus ipſa munimur: verumtamen,ſi ſpes nulla affulgeat,geminatur dolor: ſed vt tamdem ad principale propoſitum reuertamur, non videtur exactè ſecunda difficultas diſcuſſa; nam vt docet Auicenna citato loco,maior eſt calor in hectica, quam in tertiana,poteſtque probari,quia hectici calor valentius reſiſtit, quam quæuis alia febris: vnde cùm id fieri nequeat diuerſitate ſubiecti; ſiunt enim febres omnes malè affecto corde,reliquũ eſt dicere, maiorem illam reſiſtentiam ab intenſiori gradu caloris proficiſci. Sed de re hac quia lib.10. diſputabimus, his propterea caput iſtud claudetur.

Vlcerum internorum inditia.
Cap. XI.

Adduximus indicia intempetiei cuiuſque,nunc proferenda in mediũ, quæ monſtrant vlcera interna, hæc, inquam, nam vbi externæ partes ſunt vulneratæ, ſenſu noſcimus, quo relicto ſi quis alia conſulat,quæ id declarent, omninò ſtultus ocio litterario abutitur. Cæterum quia ſoluta partium internarũ vnitas inducitur quandoque vi cauſæ internæ,& vlcus vocatur, ne quid deſideretur, docebimus quibus notis poſſimus dignoſcere penetrantia vulnera quibus indicijs partium internarum vlcera.

Dignoſcitur vterque affectus,quemadmo-

modum, & cęteri omnes à causis inferentibus morbum, necnon ab effectibus, seu symptomatis, quæ morbum sequuntur.

Dignoscitur hic affectus ex causis & symptomatis.

Sic vbi robusta à causa morbus suam duxit originem, verentur maxime Medici, ne internarum partium vnitas sit soluta: quo circa docens Celsus lib. 8. cap. 4. cognoscere, an sit fracta caluaria, an cutis tantum discissa, *& protinus*, inquit, *considerandum est lapide, ligno, an ferro, an alio telo percussum sit & hoc, ipso leui, aspero, mediocri, an vastiore: vehementer, an leniter, quia quo mitior ictus fuit, eo facilius, os ei restitisse credibile est*. Eodem spectat argumentũ desumptum à parte determinata, cui vulnus inflictum, nam vbi extenuata, aut imbecillior, vulnerata fuerit, cum nullam ferè resistendi vim habeat, facilè telum in interiores particulas sese insinuauit. Hinc percussis temporibus, timent maximè Medici de fractura caluariæ: Neque aliam ob causam verentur, nè sit vlcus in pulmone contractum, cum longo tempore acris destillatio salsa, & amara ad pulmones incubuit.

Ab his tamen certior signũ sumetur.

Monstrant tamen efficacius idem symptomata, quæ hos affectus sequuntur; nam quamquam causæ illæ necessariò agant, non possumus tamen certò conijcere, quanta fuerit efficacia earum, & robur, quanta resistentia partis vulneratæ: Vnde potest ex causis prægressis coniectura aliqua sumi, certum tamen reddunt iudicium, quæ sequuntur symptomata, seù actiones sint læsæ, seù excreta, & retenta seù qualitates mutatæ; enimuerò quis amplius hæreat, nè sint vulnerata intestina, si excrementa prodeant, vel ramenta? ventriculi vnitatem solutam chylo exeunte? arteriam discissam, sanguine prodeunte per saltus? & in vniuersum, vlcus esse in partibus internis dignoscitur, cum pus, aut sputo excernitur, aut deijcitur, aut per vias vrinarum emingitur, ni tamen inflammatio aliqua in abscessum conuersa præcesserit. Nè tamen decipiaris, aduerte primo, simillimam esse pituitam puri, non absimilem chylum. Quare antequam rem in angusto essẽ dicas, id diligenter perpende, ne vel eius salutem desperes, qui mox conualescet, aut eum saluum esse credas, quem mox morbus abripiet.

Quomodo distinguitur pus à pituita.

Distinguunt autem pituitam à pure duo signa, fœtor nempè, & descensus in aqua. Nempè si quod excernitur, grauiter illud olet iniectum carbonibus (nulla enim res aut benè, aut malè olida olet, ni incalescat) pus esse docent; pituitam si nullum habeat fætorẽ: vnde 5. aphor. 11. *Quicumq; tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, grauiter olèt iniectum carbonibus, & capilli a capite defluunt lethale*. Quoniã verò, vt refert Cardanus ibidem, expuit ipse valdè fœtidam pituitam innoxiè, nõ solum est in sputo attendendum, an fœteat, sed & illud inspicere oportet, an coniectum in vas aqua marina plenum, ima petat vasis, an contra supernatet; supernatat enim pituita, delabitur ad ima purulẽta materia. Ratio discriminis est, quia inclusa in pituita substantia aerea, suspendit illam: contra pus, quia aut nihil aeris continet, aut exiguum quid, à propria grauitate detrusum, ad vasis fundum descendit. Aduerte insuper, non esse quoties supernatat sputum, mox metum omnem ex animo abijciendum, formidandum contra statim ac idem descendisse obseruatur; descendit enim quandoque pituita roncocta, supernatat purulenta materia; contingit autem hoc cũ est illa permista cum pituita: vndè quemadmodum homo in aquam proiectus, si ab alio suspensus detineatur, nõ submergitur: haud secus, supernatat pus quandoque à pituita suspensum. Propterea erit sputum in aquam proiectum, seù supernatet, siuè hæreat fundo specillo agitandum, atque illud obseruare, an diuidatur facilè, an hæreat; hæret enim phlegma compactum, nec dissoluitur: dissecatur facilè in partes purulenta materia. Diuiso præterea sputo, quod supernatabat si quam habebat admixtam particulam puris, separata à phlegmate mox in aquam descendet.

Pus an certũ indicium partis vlceratæ.

Petes est ne pus excretum, certum internæ partis vlceratæ indiciũ? Affirment necesse est, qui docent, à parte vlcerata tantum pus gigni posse; quoniã vero in inflammata parte contentus sanguis, adhuc suppuratur: suppurari item docent alij sanguinem, dum putrescit in venis cùm 6. aph. 20. scribatur, *si in ventrem sanguis præter naturam effundatur, necesse est suppurari*, & ego obseruaui magnam puris copiam per dies, & menses per os reiectatam ab V. I. P. Donato Antonio Fina Ostunensi, & conualuisse, cum tamen hæc excretio sequuta esset post sanguinis, & multi reiectationem per os cum tussi, essetque idem promptus & paratus ad tabem, probabile esse signum censeo, non esse certum, & indubitatum.

Communiter affirmant.

Nos negamus.

Aduerte tamen, esto nulla in principio elucescant symptomata, non esse propterea affectum contemnandum, nam multoties pus ob suam crassitiem hærens, nõ excernitur: vnde simplex esse destillatio censebitur, cùm tamen sit vlcus in pulmone contractum: & frequenter vulnera, quæ certam promittebant salutem, inexpectatam mortem intulerunt; aut quoniam internæ partes valent primis diebus resistere, nequeunt postea: aut quoniam ichor, seu alia materia è venis in cerebri substantiam effusa, ac tempore progrediente corrupta, per putrefactionem acquirit malitiam: vnde quæ antea nihil facessebat negotij, inexpectatam postea mortem affert. Monstrarem id multis exemplis, ni esset abundè id factum à multis, nec reliquisset Hippocr. clarum

huius

huius rei teſtimonium, qui ſe à futuris deceptum ingenue fatetur, *more, vt ait Celſus, magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium, nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt: magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio. præcipueq; in eo miniſterio, quod vtilitatis, cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante eſt deceptus.*

Læſarum cauitatum indicia. *Cap. XII.*

CAuitates omnes, quæcumque ſint illæ, ſeu ſenſibiles, ſeu inſenſibiles, quę meatus dicuntur, nullam obeunt functionem, vſum habent dumtaxat, eſt autem continere excrementa, quæ ex coctione reſultant: ſeruare alimenta, deferre ad nutriendas ſingulas animantis particulas; deſeruiunt tandem ad procreandos ſpiritus deuehendoſque, hique ſunt vſui, tum ad obeundas vitales actiones, cum animales. Nempè vitales ſpiritus, qui in cordis vẽtriculis, velut in quadam fucina elaborantur, ad vniuerſum corpus per arterias diffuſi, fouent inſitum partium calorem: animales per neruos, tanquam per tot funiculos deriuati, dant parti cuicumq; vt ſentiat moueaturque. Vbi ergo plus iuſto cauitas aliqua imminuitur, aut ex toto deperditur, aut motus ſenſuſq; imminuetur, amittetur, aut animi deliquium homo patietur, pulſus priuationem, caloriſque natiui, refrigerationem, aut nutrietur prauè, alimento meare non valente, faſtidiumque perſentiet indicibile, vt obſeruamus quotidie in ijs, qui melancholia, hypocondriaca vocata tenentur; aut demum excrementa cohibita, varios eoſque exitiales affectus inducent. Hęc ſequi neceſſariò ad hunc affectum, notius eſt, quam vt aliqua egeat probatione. & cui dubium. læſa cordis, aut arteriarum cauitate, pulſandi actionem vitiari, deficere? aut quis eſt rei medicæ ita rudis, qui ignoret, vbi ventriculi cerebri anguſtiores euadunt, epilepſiam naſci, apoplexiam: paraliſim, neruorum, ſeu meatibus, ſeu cauitatibus læſis? Nam quod inteſtinorum cauitate impedita, nequeaut deſcendere fæces, non emingi vrina, cauitate vel renum, vel veſicæ, aut vreterum impedita, vel rudes homines non ignorant. Eſt tamen hoc cautè intelligendum. Quare ſcias, velim, non ſtatim ac hæc ſymptomata elucent, mox proferendum, eſſe cauitates vitiatas; nam interdum nõ deuehitur chylus ad hepar, quia adeo eſt hepatis vis debilitata, vt allicere chylum non poſſit, nam eandem ob cauſam vrina ad renes, non ſolet traduci, vnde vrina ſupprimitur: tunc itaq; in vijs eſſe vitium dicito, cum nullum eſſe agnoſcitur in facultate trahente, pellente, aut ſentiente; ſciunt enim omnes ad quamcumque excretionem obeundã, quæ non ſit ex toto naturalis, harum omnium facultatum concurſum, neceſſarium eſſe. Dignoſces idem ſecundo ex cauſis pręgreſſis: Vnde ſi quis multum, gelidumque potarit, ocioſam vitam duxit, vel aliqua conſueta vacuatio cohibita fuerit, non eſt dubitandum; præſertim, ſi craſſa, & pituitoſa materia ſit detenta, ne huius cauitates ſint imminutæ. Quale autem ſit vitium cauitatis, an anguſtia, coalitus, ſubſidentia, obſtructio, ex cauſis pręgreſſis agnoſces. Vnde cum naſcatur coalitus ex vlcere, ex vacuatione immodica ſubſidentia, ex tumore compreſſio, à craſſis ſuccis obſtructio, ab occurſu frigidæ, adſtrictio, prout varia eſt cauſa prægreſſa, ſic varium eſſe vitium conijcito. Adderem indicia cauitatis laxatæ, ni cognito altero contrariorum, alterum innoteſceret. *Signa peculiaris vitij cauitatum.*

Morbi venenati indicia. *Cap. XIII.*

DVplicia ſunt ſigna venenati morbi; alia, quæ ipſum in genere monſtrant, ſunt alia, quæ varias ſpecies morbi venenati indicant. Quare, cum cognoſcere vtrumque ſit neceſſarium admodum, primo primum docebimus, mox de ſecundo loquemur.

Venenatum eſſe morbum docet Capiuac. noſcere ex anſietate, indicibili faſtidio ſtomachi, inquietudine, deliquio, ſyncope, nec ſatis aptè meo ſenſu; nam fieri hęc poſſunt ab humore ventriculum vellicante. Præterea non à quouis veneno poſſunt oriri illa ſymptomata, ſed à calido tantum, & exurente: frigida, longè diuerſa inuehunt accidentia. Quare non hęc veneni in vniuerſum ſymptomata, & ij rectius, qui docent venenum in vniuerſum cognoſci, ex repentina virium collapſione, cum nulla tamen immodica vacuatio præceſſerit, non ſummi dolores, vigiliæ, aut aliud, quod vires proſternendi vim habeat. Hoc certum eſſe veneni in vniuerſum inditium, licet inde conijcere, quod paſſim videmus, è morſu venenati cuinſque animalis mox, vel robuſtiſſimi hominis vires omnes fatiſcere. Nec aliter cenſuit Gal. nam 3. epidem. com. 3. tex. 57. putauit phreniticum illum trium dierum ſpatio extinctum, nõ phreniti, ſed virulentia ſuccorum peremptũ, ac ſi non potuiſſet aliunde mors adeò inopinata proficiſci. Secundum inditium eſſe poteſt liuor totius corporis, aut maculæ nigræ apparentes poſt mortem: enimuerò quodcumque venenum læthale, aut frigidam habet qualitatem adnexam, aut calidam: at quæuis poterit, aut *Primum ſignum, caſus virium ſubitus ſine cauſa manifeſta.* *2. liuor.*

S liui-

liuidum reddere corpus, aut nigris infi- cere maculis, vt docet quotidiana experientia. Quare &c.

Tertium.

Addunt alij idem posse cognosci, si fugiant aues, & bruta à cadaueribus, aut si à morsu cadauerum malè afficiantur. Quare si aut cuncta hæc obserues in homine, aut quædam, quam maximè verendum, ne sit veneno extinctus.

Calidi notæ.

An calido, an frigido, ex hisce dignosces: si inueniatur erosio in faucibus, aut quauis alia parte oris, aut in ventriculo, aut intestinis: si siti fuerit afflictus, dolore ventriculi, aut intestinorum: si pili manum conuellentem sequantur, pro certo habendum, calido fuisse languentem veneno extinctum.

Frigidi.

Contra, si sopor eum oppressit, vix vt possit expergisci, si torpeat idem, frigido ille perijt veneno.

Exhibiti intus geniti.

An verò sit intus genitum, an externum, aptè docet Galen. dignoscere 6. de loc. affec. cap. 5. ex prægressis; enimuerò si quis optimè sanus moriatur repentè, suspicandū maximè est, ne vi externæ causæ maleficæ succubuerit, præsertim si aliæ coniecturæ accedant, vt esus rei similis veneno, si dormiuerit in loco, in quo venenata animalia solebant degere, si demum præcesserint minæ, aut odium malefici. At si idem malè sanus improbo nutriebatur victu, nec vllum seruabat ordinem in aliqua sex rerum nō naturalium, hic idē repente moriatur, cū paulò antea bellè videretur valere, exhibito veneno nō venenato succo intus genito perijt. Quodnā sit venenum seu admotum, seu exhibitum, aut quo animali fuerit venenatus commorsus, aut pestilenti eius halitu venenatus, & num planta aliqua fuerit, cuius vmbra lætalis, an bestia aliqua, an minerale, non est huius loci inuestigare, sed eius, qui peculiarem de singulis disputationem instituit.

Maligni morbi indicia.
Cap. XIV.

MOrbus malignus, vt est communis medicorum sententia, aut vlcus est, aut intemperies. proinde docebimus quibus notis malignum vlcus, quibus rerum inditijs in intemperiei malignæ notitiam peruenire possimus.

Maligni vlceris notæ.

Dignoscemus primum ex ijs, quæ vlceratæ partis intemperiem monstrant, quod qua ratione consequi possit medicus, abundè ni fallor à nobis supra est dictum.

Malignæ intemperiei indicia duo.

Malignam febrem dignosces à causis prægressis, & affectibus, qui ipsam sequuntur.

Causæ.

Quamobrem si eæ inuexerint febrem, quæ venenatam qualitatem producere valent, suspicio non parua est habenda, ne quæ inde ortum duxit febris, sit mali moris. Vnde cum causæ malignorum affectuum sint corrupta alimenta, potus putris, & vitiosus, coinquinatus aer à putribus vaporibus è cœno, cadaueribus, aquis stagnantibus corruptisq; eleuatis, & ipsi admixtis: fit & summa humorum putredo, huius autem potissima causa, immoderata venus, accidentia animi vehementia; exolutis enim hinc viribus, in summā abeant corruptelam succi, necesse est: vix fieri potest, quin quæ inde febris habuit ortum, non sit mali moris. Hinc post summam rerum annonam: hinc post eluuionem, pestilentes febres: & iure suspectæ sunt medicis febres illæ omnes, quæ iter facientes corripiunt: nam cum hi, vt plurimum malas aquas potare cogantur, prauis vti alimentis, aerem vitiatum spirare, exutantur à Sole, incalescant à motu, & puluere, atque hæ singulæ possunt prauos morbos inferre, summam putrescentiam in succis excitare, vehementissimum iunctæ excitabunt affectum.

1. coroll.
2. coroll.

Nec absque causa reformidant, vbi eadem ex contagio habuerit ortum, nam febres omnes contagiosæ mali moris. Conducit ad idem cognoscendū contemplari symptomata: quæ quamquam varia, nullum tamen efficacius id indigitat, quam subita virium, & confertim facta concisio; enimuerò si fiunt febres hæ à venenata qualitate, cum putredine iuncta, aut à solo veneno: & hoc hausto, videmus confestim vires omnes collabi, erit subita collapsio virium potissimum signum huius febris.

3. coroll.

Et symptomata.

Colligitur id expressè ex Gal. 3. epidem. com. 13. ægr. 4. scribit enim non perijsse phreniticum immanitate phrenitis ante quartum diem, sed virulentia succorum (quamquam Valles. non admodum placeat) ac si hac tantum causa possent vires fatiscere agminatim. Vt propterea liceat mirari eundem Gal. qui in historia Pythionis improbabile censet, vt à primo quis diu, ita sit imbecillus resolutis viribus, vt tremat. Quoniam verò nec venena quæcunque statim vires destruunt, sed pro maiori, minoriuè vi deleteria citius, tardiusuè necant, sunt contemplanda alia, quæ morbi prauitatem demonstrant. Recensent huius generis multa medici, quæ ad tria capita redigi possunt commodè, excreta, qualitates mutatas actiones læsas. In excretis considero sudorem, vomitum, deiectiones, maculas per vniuersum corpus, siuè exanthemata, sanguinis stillam, & vrinas. Vrinæ malignarum febrium, quamquam sint variæ, & in quibusdam tenues, in alijs crassæ: in his nigræ, in illis rubræ, & flauæ obseruontur: propriæ tamen illarum sunt colliquatiuæ, fœtidæ, ni tamen ex pure id proueniat; sunt & vrinæ laudabiles, optimæque. Auic. 1. 4. tract. 4. cap. 1. tractans de signis pestilentis febris, ait, *& non alteratur pulsus, & aqua magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens velociter, & hæsitant medici in esse eius.* Gal. 3. de præsag.

ex

ex pulf. cap. 3. de eadem re faciens sermonem, *& vt rem*, inquit, *difficiliorem faciam, ne ex vrina quidem petere in eiusmodi affectibus firmam notitiam semper licet, sed est etiam fere anceps colore, & sedimento similis naturali: sexcentos tales in pestilentia diuturna conspeximus*, vnde est illud vulgatum apud medicos, vrina bona, pulsus bonus, & æger tendit ad mortem. Et quamquam non videntes quidam, quo pacto possit quispiam febre putri correptus interire cum laudabili pulsu, & vrina, dixerint signum hoc esse verū de febre pestilenti hectica, atque huc videtur inclinare Galen. cit. loc. nihilominus, quia cōstat ex ijs, quæ à nobis supra sunt dicta de causis maligni morbi, posse id quoque contingere in febre putri humorali, commune esse signum hoc affirmamus cuicumque febri malignæ. Monstrant idem sudores, & vacuationes quæcumq; multis modis, Primum ratione temporis. Secundo quantitatis: monstrat id tertio qualitas excretorum. Temporis quidem, vt si morbi initio quicquam vacuetur; *nihil enim tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum; quæ præter naturam sunt in corpore dispositionis* 4. aph. 22. vnde Hip. *decretoria non statim appareant*. Ratione quantitatis, vt si exigua fuerit vacuatio. Quare sudatiunculæ, stillæ, rigor in morbi initio, peximum: & in vniuersum dicebat Gal. 2 proret. 47. *Excerni pauca in agris, est vnū ex signis, quæ toto genere prauitatem habent, nam alterum duorum monstrant, vel quod non queunt tolerari ob copiam, ab affectis affundantur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit superflua excernere, sed nequit*. Possunt eadem vacuationes malignitatem monstrare sua qualitate, vt si nigra sint, quæ excernuntur, liuida, æruginosa, fœtida, frigida, nam vt Hipp. *sudores frigidi in acuta febre mortem*. Alterum symptomatum genus, quod idē indigitat, est qualitatum mutatarum eo. hots, visilium, olfactilium, tactilium: illud quidem, nam si mutata facies, & sanè dissimilis circa initia appareat, neque vlla causa externa præcessit, quæ ita illam mutare potuerit, manifestum erit venenatæ qualitatis inditium. Conducit eodem nō parum, tactiles qualitates obseruare nam secundo progn. quarto. *Si caput, manus, ac pedes frigeant, ventre lateribusque calentibus, malum*. Nec contemnendæ olfactiles qualitates: vnde Auic. de signis febris *& plurimi*, inquit, *quorum anhelitus fœtet ex istis, & ex primis moriuntur, nam putredo est iam confirmata in corde*. Monstrant idē actiones læsę naturales, animales, vitales, de quibus, quia ita exactè Hipp. nihil vt supra, propterea nè faculam Soli addam, his claudo hoc caput.

Magni, paruique morbi indicia. Cap. XV.

Magnum esse morbum dignosces ex magnitudine symptomatum; nam vt morbum symptomata, sic magnum morbum magna, accidentia declarant; eū tamen magnum, & paruum sint de genere ad aliquid, ne referas magna, aut exigua symptomata ad naturam genericam, aut specificam, sed propriam, & indiuidualem. Itaque velut illa ametria morbus dicitur, quæ est, præter naturam particularem; sic illa symptomata dicentur magna, quæ multum à propria natura Sortis recedunt. Quare, vt multæ causæ vni sunt morbosæ, salubres alteri: sic multi morbi, & symptomata, quæ respectu vnius sunt magna, sunt contemnenda in alio. Calor e.g. exurens, incompescibilis sitis in iuuene calido, aut nullum morbi, aut non magni morbi prębebit inditium: at vbi idem calor, sitis eadem senem frigidum vexet, non tantum febrem indicant, sed & magnam. *Quid magnus morbus.* *Quomodo dignoscatur ex magnitudine symptomatū.*

Dignosces secundo idem ex causis, quę ipsum intulere: nempè si sint vehementes, non poterit non magnus esse effectus productus, cum causa naturalis agat pro ratione potentiæ: non poterit non exiguus esse, si illæ debiles fuerint, nam cum nequeat effectus excedere virtutem agentis, non potest debilis causa, morbum vehementem inferre. Sunt causæ morbi magni duplicis generis, effectrices nimirum, & materiales; effectrices sunt validæ, & robustæ bifariam, aut propriæ, vt aiunt, essentiæ ratione, aut propter caehoethiam: sic exiguus humor, venenatæ tamen naturæ, vehementia solet inferre symptomata, grauiaque; nam quāquam si copiam spectes, sit contemnendus, mirè tamen nos vrget prauitate naturę. Materialis causa morbi magni, interdum est pars princeps, quandoque subiectum imbecillum, & languidum: est demum robustum, & validum, si tamen fuerit à morbo prostratum. Fieri morbū magnum quandoque, si pars præcipua fuerit affecta, notius est, quàm vt aliqua monstratione indigeat, nam leue vulnus cordi inflictum, repentinam, & subitam mortem infert. Nec quis dubitabit eumdem magnum non semel euadere, si languido inhęreat subiecto, nam hanc ob causam in senio confectis, nullus est, vel exiguus affectus, qui non facessat negotium. *Causarum efficacium.* *Materialis.*

Quod verò sit magnus quoq; morbus, qui robustum prostrauit subiectum: quis non fatebitur? Enimuerò, vt imbecilles homines à paruis sæpè occasionibus sic, vt offendantur; sic firmi, & robusti non nisi à validis possunt deijci. Contradictoria

ctoria dicet quispiam, me scribere, nam modo doceo, morbum magnum euadere, si languidum, & effœtum iam subiectum afficiat, mox subdo, vehementem eundem censendum esse, si robustum prostrarit, cum tamen nulla sit contradictio; nam ille morbus magnus erit respectiuè, & magnus magnitudine, vt aiunt ad vires: hic absolutè vehemens, quippe qui non senio confectum, aut imbecillum propria natura prostrauit, sed robustum, & fortè: ergo vt intelligas, an magno teneatur homo morbo, an exiguo, symptomatum magnitudinem considerare est necesse, vehementiam effectricum causarum, seu illam nanciscantur ex copia, siue ex qualitate, seu aliunde validam agendi vim mutuarint. Inspice tertio subiectum, morbo affectum, an Princeps sit, an ignobile, an debile, robustum, nam his perpensis facilè consequeris propositum.

Morbi continui, intermittentis celeris tardi, breuis, longi indicia. Cap. XVI.

INtermittentem morbum continuum, ordinatum, erraticum dignoscet facile quisque; nam vbi nunquam homo vindicatur à morbo, quousque soluatur, est morbus continuus. Intermittens, vbi deserit quandoque ægrotantem, deinde iterum redit: qui si eadem hora repetat, die, hebdomada, mense, anno, erit ordinatus: si contrarium accidat, inordinatus. Tarditatem, & celeritatem eiusdem, perspecta causa, à qua oritur assequeris, nam calidæ causæ celeriter mouentur ad finē: lento at incedunt gradu frigidæ, pituitosæ, crassæ: cœteris tamen paribus, nam vbi pituita sit in ventriculis, cerebri, acutiorem ciet morbum, quam bilis in venis accensa.

Longi breuisque morbi indicia sunt. Morbi.

An sit longus, an breuis, ex quatuor docuit dignoscere Hipp. ex morbo, anni tempore, circuituum incrementis, & ijs, quæ mox apparent: *accessiones* inquit 1. aphor. 12. *& constitutiones, morbi indicabūt, anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus fiūt, siue per maiora interualla: sed & ex his, quæ mox apparent inditia sumuntur.* vide Auic. 4. tr. 1. c. 4.

Quomodo declaretur.

Indicant morbi breuē, aut longam constitutionem primo per sui essentiam, nam diaria 24. horis terminatur, septem circuitibus tertiana: ad multos menses solet prorogari quartana. Ostendit idem causa morbi effectrix, nam calidi morbi, aut frigidi, citius ad finem properant, quam sicci, aut humidi; nam si vincere debeant naturam, cum sint imagendo debiliores, vincent tardius: tardeque pariter à natura vincentur, quia etsi parū valeant agendo, multū tamen resistūt.

Valet ad idem causa materialis cuiusque: nam citius ad finem properant, qui calidas partes obsident, raras, & principes: tardius vbi fiant in ignobili parte, densa, & frigida. Hinc citò terminatur apoplexia, tardè paralysis, quia illa fit malè affecto cerebro, hæc patientibus neruis. secundo de cris. ij. *humor*, inquit, *illud etiam significabit, numquid morbus diù durabit, an cito finietur: nam si humor pituitosus extiterit, necessariò diuturnus erit: longe verò magis, si atræ bilis naturam afferat. Atsi ad flauam bilem pertinebit, non erit diuturnus: sic & locus patiens, qui quidem multo motu exercetur, calidusque est, ac rarus, & principatum gerit, acutiorem morbum futurum portendit. Qui vero & motu non est continuo, ad longius tempus debere extendi significat.* Hinc morbi, qui senes corripiunt, magna ex parte comitantur ad mortem: vlcera crurum difficilius curantur, facilius capitis primo prob. 15. lapis vesicæ omnem medelam contemnit, & ob eādem causam febres phtisicæ, lege 3. progn. 28. Confert tandem, eodem morbi quantitatem pendere; nam hinc quoque an longa, an breuis futura sit constitutio, diuinare licebit, quamquam non satis constat apud Galen. vter citius terminetur, magnus, an paruus, etsi certum sit magnū quoad vires cito terminari ad malum; nam 2. aph. 23. *ob morbi magnitudinem, casuumque vehementiam* dicebat *necesse est, aut cito vires prosterni, ac proinde hominem mori, aut noxiorum humorum acrimonia irritatam naturam, cito eos propellere, bonamque sequi iudicationem indeque salutem.* 3. vero progn. com. 3. & 2. de cris. affectus breues iudicari dixit ex paruitate symptomatū, quę quidē paruos morbos sequuntur: dat rationem, *siquidem placidissimos morbos natura, & ars facillime quodam negotio superant, magnos difficilius*: equidem si victoria fit à proportione maioris inæqualitatis: quanto fuerit morbo natura validior, eo citius ipsum superabit. Quare vbi morbus exiguus fuerit, & natura valens, tūc quam citissimè morbus terminabitur ad salutem, quemadmodum quam citissimū, inferet exitium magnus morbus, & perniciosus.

Dices, verum esse assumptum, vbi fuerint cętera paria: quia verò aduersus magnum morbum, & magna symptomata inferentem, insurgit natura, contemnit contra eadem exiguum morbum: propterea fit, vt terminetur ille quam citissimè, prorogetur exiguus.

At nullam esse hanc fugam, inde apertè colligitur, quia non omnis morbus expulsione sedatur, sed multi sola coctione vincuntur. Quamobrem in his saltem, qui paulatina debent coctione vinci, deberent saltem exigui morbi statim terminari, cùm calor naturalis, à quo coctio procedit, indiscriminatim agat in obiectum

ctum quodcumque.

Propterea dicimus, semper morbum quemcumque, si exiguus sit citius fore vt terminetur, quàm magnus; nam vt benè dictum, quantò minor est pasii resistentia (minor autem est in minori, nam in maiori quanto, est maior virtus) eo citius assimilabitur: cæteris tamen paribus. Itaquè si in eodem subiecto excitetur morbus à libra bilis, alius ab vncia, hic citius debellabitur, ille tardius. Quod si aliter fieri experiamur quandoque, idcirco illud accidit, quia exiguus ille morbus fit à causa, quæ licet parum valeat agendo, pollet tamen eximia vi resistendi, nam fit à crasso, & viscido humore, ad cuius coctionem longa eget mora natura: quo fortasse respiciens Celsus dicebat, *circumspecti medici est lentam febrem, excitata acuta curare*. Contra maior fit ab humore, qui vi agandi pollet, quamquam resistēdi potentiam, quam minimam habeat.

Anni tempora. Ostendunt idem secundò anni tempora, nàm hyeme abundat pituita crassa, viscida, tenax, frigida, humida: excellit æstate bilis, calida, sicca, tenuis: scatemus verno tempore sanguine, melancholia per autumnum. At verò morbi à pituita excitati, aut à melancolico succo, sunt diuturni: terminantur breui calidi, sicci, quique à bili excitantur. Quamobrem cùm per varia anni tempora varij succi abundent, & pro diuersa, & varia succorum natura, varij morbi fiant, longi, breues, monstrabunt anni tempora breuem, longamque constitutionem. Hinc 2. aph. 25. *æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales verò longæ, & maxime quæ hyemem attingunt*.

Eandem vim congerendorum humorum cùm habeat regio, temperies habitus corporis, ætas, victus, vitæque ratio, conducet hæc inspicere, vt qualis fit morbi constitutio videamus. Neque est cur vereamur hoc affirmare, quia tacuit illud Hipp. fuit enim hoc proprium illius viri, vt exemplo particulari vniuersale theorema declaret.

Circuituum incrementa. Addit tertio, *& circuituum successiua incrementa*. At quid in his considerandum, quo constitutionem futuram præcognoscamus? illud primum auctore Gal. in com. & 1. de cris. num multum accessiones anticipent, aut postponant, nam vbi magna fiat, aut anticipatio, aut postpositio, hoc declinare, illud morbi in augmentum tendentis, est certum inditium. Magna dicitur, nam si parum anticipet, aut postponat, consequetur hoc potius naturam morbi; dantur enim morbi quidam anticipantes, alij postponentes, vnde 2. c. 1. lib. de cris. *Plusquam ratio exigit vel anticipare, vel subsequi, alterum incrementi, alterum declinationis inditium est: simpliciter autem anticipare, aut subsequi neutrius*. Iubet quoque Galen. vt accessionum vehementiam pariter contempemur; nam vbi maior accessio, in augmentum: vbi simplicior fit, & minor, euidenter in declinationem abire demonstrat, eandem indicat breuitas: augmentum, si perduret diutius, & ex Auic. Longitudo longum, breuis breuem. Considerant præter hæc alij in accessionibus num ordinate repetant, an erratico quodammodo apprehēdant; nam ex hoc posse idem cognosci docent omnes, quamquam non satis conueniunt, quæ breuiorem commonstrent.

Ordinatæ accessiones an longum morbum portendant. Gal. Galen. vbi ordinatæ fuerint accessiones, longum fore morbum dicit, quia à firma causa, & stabili fiunt: quæ autem fixa sūt, magnam vim demolientem exposcunt; quæ longo tempore, & per auxilia fortiora comparatur. Trahit in eamdem sententiam Hipp. nam aphor. 30. 4. parti scripsit, iudicium habere difficile, vbi eadem hora febris redeat, quacumque dimiserit hominem. Contra Argent. breuiores esse morbos contendit, qui accessiones habent ordinatas; quia quod firmatum est, facilius à natura vincitur; neque aliam ob causam subdit, erraticæ febres sunt longissimæ, nisi quia à vagante humore excitantur. Locum Hip. ita explicat, si ita fiant accessiones, vt sequēs ptiorem excipiat, iudicium est difficile, quia multi sunt humores, qui nouam succendunt periodum, priori adhuc nō resoluta, virtusque ex accessionibus mutuo succedentibus prosternetur. Arg.

Sed quidquid fit de sensu huius aphorismi pro certo habendum, ordinatas accessiones monstrare longitudinem morbi: nam ordo, siue obseruetur in actionibus, quæ secundum naturam obeuntur, siue in ijs, quæ sunt præter naturam, semper robur causarum demōstrat: quanto autem robustior causa morbum faciens est, eo difficilius superatur. Quare morbus longior fiet. Ad Argent. dic. non quidquid est fixum, à natura facilius coquitur, sed quod fixum est, quia retinetur, id facilius vincitur: modo crassus, & tenax sponte adhæret sua. Quamquam neque si in vniuersum sit vera propositio illa, quicquid fixum superatur facilius, statueretur propterea sententia Argen. quia illud verum, vbi cœtera omnia sint paria: vt bilis quiescens, facilius coquitur, quam eadem mota: at bilis mota facilius quoque vincetur, quam pituita quiescens, vel melancholia. Quod addit de erraticis febribus, non est ad propositum; nam illæ non sunt longæ, quia à vaga cientur materia, sed quoniam à varijs concitantur humoribus, varij autem succi difficulter coquuntur. Cœterum quia potest idem humor, prout tenuior, vel crassior, prout facilius, vel tardius accenditur, nunc citius moueri, nunc tardius eadem die, aduertere diligenter oportet, paroxismos ordinatos dici, non

fo-

ſolum vbi eadem hora repetant, ſed qui æqua proportione, aut anticipant, aut poſtponunt, vt ſi hodie hora prima, cras ſecunda, poſtridie tertia, quarta tandem die, quarta hora acceſſio inuadat, ordinati dicuntur.

Et; mox apparentia.

Monſtrant tandem conſtitutionem mox apparentia, quod vt ita eſſe facilè quiſque intelligat, animaduertat neceſſe eſt, ſigna eſſe duplicia pathogmomonica quædam, ſunt alia mox apparentia. Comitantur illa continuò morbum (ni ſit cauſa potentior, quæ impediat) & vnà cum ipſo connaſcuntur, definuntque eodem extincto. Contra alia producto iam morbo, citius, tardius in lucem emergunt, eamque ob cauſam vocantur mox apparentia à medicis, quæ Galenus ſubdiuidit, in ſigna critica, ſalutis, & mortis, coctionis, & cruditatis. Et quidem quod ſigna ſalutis, & mortis, poſt apparere ſoleant, nullus eſt adeò Tyro in medica facultate, qui non ſit ſæpiſſimè expertus, nam paſſim obſeruamus, multos morbos vſque adeò exiguos eſſe in ſui exortu, vt videantur omninò contemnendi, cùm tamen poſtea multum faceſſant negotij. Decretoria quoque prope ſtatum ſolent apparere, & eodem tempore eluceſcere coctio: ſola cruditas à morbi vſque initio obſeruatur, vt propterea non videam cur Galen. dixerit, hanc poſt apparere. Sed mox omnis tolletur difficultas, ſi dicas, cruditatem eſſe duplicem, aliam priuatiuam, aliam negatiuam. Primo modo crudi ſunt humores, qui actu nondum ſunt cocti, habent tamen aptitudinem quamdam, vt coquantur. Contra alij ſunt vſque adeo feri, vt continuò frenum naturæ detrectent: itaque neque actu ſunt cocti, nec ſpes aliqua eſt, fore vt coqui poſſint. Hæc ergo cruditas, quia & actû coctionis excludit, & potentiam, vocatur à me cruditas negatiua, Priuatiua alia, quia priuatio negat actum tantum: negatio præter actum, potentiam quoque excludit: cruditas illa priuatiua, eſt in morbi principio: at negatiua poſt apparet; nàm poſtquam in augmento tentauit natura coquere, & non potuit, tūc dicimus, coqui non poſſe, vnde apparent ſigna indigeſtionis, ait Auic. ac propterea rectè à Galen. dictum eſt ſigna coctionis, & cruditatis negatiuæ, eſſe ſigna poſt apparentia.

Cruditas quo modo poſt apparere dicatur.

Cœterum quod hæc ſigna mox apparentia indicare valeant, ſit nè morbus diuturnus, an breuis, nullus eſt, qui negat; nam vbi ſigna ſalutis elucent, argumento eſt viciſſe naturam: apparentibus contra ſignis mortis, naturam victam eſſe, neceſſe eſt fateamur. At vtrumque oſtendit, ſeù ad mortem, ſeù ad ſalutem, breui morbum terminatum iri. Quare poterimus ex his ſignis, morbi conſtitutionem coniectari: quemadmodum vbi æquo Marte vtrinque certatur, longa erit pugna. Critica quoque ſigna naturam indicant cum morbo pugnare: ipſa autem valenter cum morbo pugnante, aut vincat neceſſe eſt, aut ſuccumbat. Quare, & hæc indicabunt morbi futurã conſtitutionem. Confirmatur quia iudicantia citam afferunt ſalutem: non iudicantia, aut mortes, aut difficile iuditium.

Conducere eodem ſigna concoctionis, & cruditatis, cui dubium? enimuero ſi ſputa, vt ait Hipp. circa initia morbi apparentia morbum breuiant, ſi verò poſtea appareant, producunt, & in vniuerſum, *coctiones celeritatem iuditij portendũt, ſecuritatemque ſalubrem, cruda verò, & incocta, aut in malos abſceſſus conuerſa, recidiuam, longitudinem, mortem*, nemo eſt, qui non facile ex his intelligat, concoctionis ſigna, & cruditatis, conſtitutionem morbi indicare: longiorem, breuiorem prout citius, tardius poſt morbi exordia eluceſcent; habent enim morbi tempora quamdam interſe proportionem, quòtoque eorum principium eſt longius, eo tardius reliqua tempora percurrent. Videor rem hanc declaraſſe, propterea aliud caput aggrediar.

Quibus notis quatuor morbi tempora diſtinguantur.
Cap. XVII.

QVo intuendum, vt quatuor morbi tempora noſcat medicus, non admodum conſtat. Quidam morbos ſalubres ex ſignis coctionis, & cruditatis diſtinguunt, ex ſignis perniciosis inſalubres. Dicunt itaque morbi ſalubris principium eſſe, in quo nondum ſigna euidẽtia coctionis apparent: augmentum, in quo apparent, ſtatum vbi perfectè obſeruantur. Contra incipientis inſalubris indicium, in quo ſigna pernicioſa, non dum appareuere: augmentum, cum apparere incipiunt: ſtatum, in quo perfectè eluceſcunt. Vt ita ſentirent, ſunt moti auctoritate Auic. 1. 4. c. 3. & Gal lib. de tot. morb. temp. c. 3. qui cum docuiſſet tempora in febribus, inflammat onibus, & vlceribus, ex coctione, & cruditate excrementorum diſtingui, ſubdit tandem. *Qua propter nullus morborum qui ſoluuntur eſt, qui non quatuor hæc tempora percurrat, non tamen ex quodam alio, quam cruditatis, & coctionis ſignis, quæ ex excrementis comprehenduntur cognitio ipſorum conſtat.*

Excoctione, & cruditate acceperunt quidam ſigna temporum.

Non tamen acceptandum eſt; nam luxatio habet quatuor tempora, atque eius principium eſt, vbi os incipit à ſua ſede moueri: augmentum, vbi creſcit receſſus: ſtatus, vbi amplius non poteſt recedere, declinatio cum os, quod receſ-

Male tamen quia nō ſunt hæc ſigna communia omnibus.

ſe-

ſtrat, reponi incipit. Canitas præterea à lapide impedita, habet pari pacto quatuor tempora, atque huius morbi initiũ, eſt, vbi lapis e. g. collum veſicæ ingreditur, augmentum cum magis propellitur, ſtatus cum eſt vehementer detruſus, declinatio, vbi à collo veſicæ repellitur. Habet & vulnus ſimplex hæc tempora, & hecticæ, vt lib. 4. huius operis eſt à nobis monſtratum. Habet eadem podagra, chyragra: & tamen in nullo horum licet, aut coctionem fingere, aut cruditatem. Quare ſumma fatuitas eſt, cuiuſque morbi tempora, ex vna coctione, & cruditate diſtinguere.

Malè pariter cenſent, qui ex anticipatione & poſtpoſitione hoc indagant.

Eadem ratione reijciũtur, qui vt refert 1. de criſ. 2. Gal. ex anticipatione, & poſtpoſitione acceſſionum, tempora, quæ in morbis ſunt diſtinguebant; nam non habent morbi quicumque acceſſiones: nec ſi haberent, recte ex anticipatione, & poſtpoſitione diſtingueres, vt mox dicetur.

Nec apte diſtinguuntur ex numero dierum aut menſium.

Non poſſunt item diſtingui ex numero dierum, aut menſium; nam quemadmodum animantium ætates, nulla certa lege, aut definito numero annorũ metiũtur, ſed alijs citius tardius aduenire experimur, quia tametſi ex certa, & ineuitabili calidi in humid actione fiantũ, poteſt tamen citius, tardiuſuè humidum à calore exiccari: eodem modo non ſunt morborum tempora, certo dierum numero præfinita, quia alij vnico die, ad morbi vſque vigorem perueniunt, cum alij ne fiant quidem, vt latè Gal. cap. 2. 3. & 4 1. l. de criſ. & eſt communis omnium medicorum conſenſus. Qua ergo ratione tempora hæc diſtinguentur? ex augmento & decremento ſymptomatum. Probatur hoc primum ex Auic. dicente 2. 1. doct. 1. cap. 7. *& hora principij eſt tempus, in quo ægritudo apparet, & eius ſimilantur diſpoſitiones, & ueque apparet in ea augmentum eius: & hora augmenti eſt, in qua ægritudinis manifeſtatur vehementia, & hora ſtatus eſt hora, in qua ægritudo in omnibus ſuis partibus ſecundum vnam manet diſpoſitionem: & hora declinationis eſt tempus, in quo eius apparet diminutio, & quanto plus procedit, eius memoratio, eſt magis manifeſta:* probatur ſecundo ex Gal. nam lib. ad Trhaſ. cap. 37. *tempora* inquit *morborum ex tali quadam cauſæ motione indicantur*, & poſt pauca: *ſi motio, quæ prius nulla erat in nobis, ineſſe incipiat, cumque conſtiterit nos vexet, huiuſmodi motionem principium morbi appellamus: ſi motiones imminuantur, declinationem.* Quare quod dixit lib. de totius morbi temporibus, ita interpretandum, *non tamen ex quodam alio, quam cruditatis, & coctionis ſignis quæ ex excrementis deprehenduntur*, cognitio certa euidens, & manifeſta *ipſorum conſtat*. Nempè, etſi accidentium varietas, varia morbi tempora monſtrare valeat, nihilominus, quia contingit non raro, vt accidentia iſta, nõ aduertentibus nobis fiant, hinc manifeſta ſigna proponens Gal. dixit, eſſe quæ ex coctione, & cruditate excrementorũ ſumuntur: Ad hoc reducitur ſignum aliud ex anticipatione, & poſtpoſitione acceſſionum deſumptum: nam non omnẽ anticipationem, augmenti notam, dixit eſſe Gal. nec poſtpoſitionem quamcumque indicare declinationem, ſed anticipatio cum vehementia, augmentum: poſtpoſitio cum remiſſione, indicat declinationem. Quare eodem id recidit, & eſt idem ac dicere, dignoſci hæc tempora ex augmento, & remiſſione ſymptomatũ: nempe, vt dixit Hip. *circa principia, & fines ſunt omnia debiliora, in ſtatu vero fortiora.*

Obiectio.

At dices, morbus in ſtatu eſt euictus, cauſa concocta, vnde in ſtatu poſitus æger, proximior eſt ſanitati, quam per morbi initia. Non ergo poteſt in ſtatu, morbus eſſe ſummus. Quare nec vehementiora accidentia. Confirmatur, quia cauſa naturalis agit quantum poteſt a principio: producet ergo tunc temporis quicquid poteſt, non in ſtatu. Adde demum, quod quiuis motus violentus debilior eſt in progreſſu, quam in principio.

Gentil.

Gent. q. 33. in extrauag. & alij, qui cum ipſo opinantur, morbum maiorem eſſe in ſtatu, quam in principio, ac poſſe quandoque vna ſimul coniungi putredinem ſummam cum ſumma coctione, mirum eſt, quantum ſe torqueant, quo doceant, qua ratione poſſit quandoque id fieri, nã quod oppoſitum contingat non ratò per accidens, ipſemet fatetur, aſſeritque minorem eſſe morbum vbi conſiſtat, quã in initio, quoties materia morbum faciẽs non ſeruatur ad vnicam expulſionem. Secundo idem contingere aſſerit, vbi motus eſt humor de nobili loco ad ignobilem. Tertio vbi per coctionem ita craſſeſcit materia, vt non poſſit tanta copia vaporum ad cor mitti. Docet quarto minorem eſſe morbum in ſtatu, quam in principio quoties tenuis pars humoris euanuit, relicta craſſa. Ergo aiunt ſũmus eſt morbus, ſumma ſymptomata in ſtatu, quamquam ſit ille euictus, cauſa cocta, quia locus ille Gal *Digeſtio facit ceſſare putredinem*, ita interpretandus: digeſtio facit, ne cauſa antecedens tranſeat in coniunctam: aut facit ceſſare putredinem in cauſa antecedente, cui debetur digeſtio, non in coniuncta, ita Mund n. aut facit ceſſare putredinem, quia prohibet, ne talis fiat, qualis cadauerum, ita Thadeus, excogitauit alia Gent. quę quia lib. 4. adduximus, & reiecimus, non ſunt hic inutiliter repetenda.

Turiſ.

Turiſ. contra, cum non poſſet videre, quo pacto victo morbo, cauſa cocta, poſſint ſumma apparere ſymptomata, alia digreſſus via ſtatuit 3. art. med. 32. quod

cum

cum triplex possit maioritas spectari in morbo, ratione sui, causæ, & symptomatum, quæ vel sint vera, vel impropria a pugna morbi, & naturæ profecta: non esse morbum maximum in vigore, ratione sui, nam est euictus, non ratione causæ, nam concocta, non ratione symptomatum verorum, quę ab vno morbo oriuntur, nam si hic debellatus, causa cocta, quo pacto possunt vigere symptomata? summum ergo esse dicit ratione symptomatum communium, quæ pugnam morbi, & naturæ sequuntur, & videtur esse sententia Galen. nam exponens aph. illum, *Circa principia, & fines omnia imbecilliora, in statu fortiora, oportet* inquit *adijcere symptomata, nam de his Hip. dictionem attulit vniuersalem, dispositio siquidem, ex qua hæc generantur, quam & morbum nominamus, non omnino, dum morbus consistit, est fortior, verum in his, qui saluari debent, melior multo, quam in morbi principio.* Quare si Turis. sententia arrideat, facile solues difficultatem propositam. Quod si probabiliorem censeas eorum sententiam qui, quo tempore coctus est humor, putant esse maiorem, dices, si me audies, non eamdem humoris partem summè esse coctam, & putrem. nam numquam id fieri posse lib. quarto monstratum, sed proximam causam morbi summe putrē esse remotam coctam, atque hac ratione vera erit vtraque propositio. Morbum vbi consistat, summa habere symptomata, ipsumque pariter summum esse, & illam: morbi statum dignosci ex signis manifestæ coctionis.

Cui adhærendum.

Morborum veneficorum indicia. Cap. XVIII.

CVm morbi nullam curationem admittant, ni noscantur, nullius erit frugis monstrasse, dari morbos veneficos, ni doceamus modo, quibus illi inditijs sese prodant in lucem. Ergo cum morbus veneficus dicatur ille, qui vi Demonis ex pacto inito cum Mago, Magique opera infertur, eorum modo morborum trademus notas, qui Dœmonis opera inuehuntur: non vt cumque, nam quamquam multa fuerit patientissimus Iob à Dœmone passus, quia tamen non est passus illa Magi inuocantis opera, nullo dicitur maleficio correptus, sed eorum, qui à Dęmone proximè, à Mago quatenus sollicitat Dęmonem, inuehuntur. Cęterum, quia torquet homines bifariam Dæmon, interdum illos vexat, admouens actiua passiuis, qua ratione genus omne morborum potis est excitare: quandoque affligit homines immediatè, vt cum hanc pellit partem, illā trahit, vtramque contorquet, & distrahit, atque hæc patientes, dicantur obsessi, priores pati affectus veneficos: ne quid desideretur, & obsessorum, & morborum veneficorum trademus indicia; enimuero cum nullus morbus sit chronicus, quem veneficum esse vulgus non facile credat, fæmellæ potissimum, ac alij multi, turpe admodum est, medicum in omnimoda huius rei ignoratione versari: nec parum languenti incommodum; nam quemadmodum morbi, qui à causa externa fouentur, numquam curantur, ni causa fouens primum abigatur: sic numquam morbos hosce extirpabis: si proximæ tantum causæ morbi vacaueris, nulla fouentis Dęmonis habita ratione: vt propterea reijciendus omnino sit Auic. qui hanc tractationem tamquam inutilem cap. de melanch. ea ratione reiecit, *quia non curamus Dæmonium*; esto enim nequeat physicis ille remedijs abigi, poterit tamen medicus auxilio à Theologo mutuato, id consequi, quod faciet numquam, ni illud prænoscat.

Quid morbus veneficus.

Quotuplex.

Cuiusque indicia tradentur duas ob causas.

Auic. reiectus.

Declarant obsessos isthæc omnia certò: eorum quæ sunt acta secretò enarratio, loqui varijs linguis, cum rudes antea essent, aut alios ignota antea ipsis lingua loquentes intelligere, de rebus arduis subtiliter disputare. Horrere ad Sacerdotis contactum, contremiscere ad vocem: agitari, clamare, ingemiscere, cum Sanctorum reliquiæ ipsis suspendūtur: vix faciunt probabilem coniecturā; nam cum sint ita affecti melancholici, quorum imaginatio vehemens, cum apprehendunt fore, vt magis torqueantur à Dæmone, cum recitantur preces, suspenduntur reliquiæ, potest facile vi imaginationis vehementis agitari, torqueri, concuti. Diuinare futura, naturæ vires excedit; proinde erit diuinatio futurorum, certum obsessorum inditium; si tamen sic affecti colliment vt plurimum, nam quamquam nequeat Dęmon certò præuidere futura, potest tamen ob insignem, quam habet rerum omnium cognitionem, multa futura conijcere. Vide D. Tho.

Quæ monstrant obsessos.

Quæ signa inutilia.

Quæ diuinatio obsessos indicet.

Verumtamen, si bis, semel sic affecti diuinent, frequenter autem fallantur, aut fallant, melancholici erunt non obsessi; nam, vt feriunt quandoque, qui multa mittunt iacula, quamquam sagittandi artem non calleant: sic multa effundentes, vt ægiptiæ mulierculæ, quandoque diuinant.

At quoniam sunt non pauci, qui huius euentus causam aliam, eamque longe diuersam esse putant, examinanda eorum dicta sunt, ne de re ista legislatorum more agere videamur: ac primum explodenda est Ioannis Huartes opinio, qui lib. Hispano sermone conscripto, & inscripto, examen de ingegni scire vnumquemque putauit, non quia eorum omnium reminiscatur, quæ à prima animæ

Aduersus Huartem velitatio.

cuiuſque origine illi fuerant concreata: nec quoniam ſenſitiuam aliquam præhabet cognitionem, ex qua poſtea multas concluſiones deducat, vt Ariſt. 2. poſt. ſed quia eam habet quiſque temperiem, quæ commoda, vt cognoſcat, & ſciat. Vnde, quia ex varijs morbis fit, vt quidā aptam nanciſcantur temperiem, vt quædam ſciantur, noſcantur, alij amittant; hinc fit, vt quidam rudes ſanitatis tempore, docti per morbos euadant, alij docti ægrotantes, omnium pęnè rerum fuerunt obliti. Antecedens probat, quia vegetalis anima, cum nihil vmquam ſit expiſcata per ſenſus, nullos enim habet, neque ab vllo vmquam edocta fuerit, ſcit ſuccum pro nutriendis partibus idoneum, trahere, retinere, & inutilia quæque pellere: eademque admirandum illud formationis opus, inchoat, & ad ſummam perfectionem perducit, nullo alio Doctore, à temperie, id docente: vnde quia hæc, ætate progrediente mutatur, fit propterea, vt quæ iuuenis cuncta illa opera, mira dexteritate præſtabat, ſeneſcens poſtea deperditum reſarcire dentem non valeat, & quod maxime deplorandum eſt, non potis reſarcire deperditum, vnde lex illa ineuirabilis mortis: ex eadem cauſa fit, vt ex duobus canibus ex ijſdem parentibus ortis, alter ſit apprimè aptus venationi, ineptus alter: vt hœdus, cum multa illa alimenta apponuntur, lac vnum ſeligat: vt demum quidam, ſtatim ac in hanc lucem prodiere, locuti fuerint, poſtea quaſi rerum obliti tacuerint, vt refert Ariſt. 9. ſect. probl. 27. nempè amiſere eam temperiem, quæ ad rectè loquendum erat accommodata.

At quæ tam ſubitæ mutationis cauſa? equidem ſi in vtero nugatus fuiſſet infans ille, nil mirum ſi taceret, ex vtero emiſſus, magna enim mutatio eſt ab vteri tępore ad ambientem hunc frigidum, ad lac, è ſanguine: at puer ille extra vterum eſt locutus. Prætetea ſi a temperie, loquela, doctrina, ſcientia, non poſſet idem homo varia idiomata addiſcere, cum nequeat idem cerebrum, varias ſimul ſortiri temperies. Demum, quis non reformidet aſſerere, intelligere plantas? Affirmarunt quidam, diſcurrere bruta: plantas vi intelligendi, donauit nullus: & iure; nam quamquam admirer earum opera, quæ ita terræ radices infigunt, ſugūt, ramos explicant, folia exponunt, flores promunt, & fructus, nihil vt ad gratam pulchritudinem gratius aſpectui occurrat: haud tamen propterea intelligo, illa omnia fieri à planta cognoſcente: carent enim notitia finis, & ita ordinatè agunt, quia ab alia excellentiori cauſa, & ſuperiori, hoc eſt à naturæ opifice Deo, qui rerum omnium fines cognitione complectitur, & ad eos obtinendos propenſionem dedit, & vires, diriguntur. Vnde quo pacto ſagitta, licet ſui motus ignara, in ſcopum tendit, quia à iaculante dirigitur: & gregarijs militibus ad conſequendam victoriam, id tantum ſatis, vt Imperatoris, cuius ductu reguntur, mandata exequantur: ſic poterunt bruta, plantæ, & ſingula, quæque in proprium finem tendente, neque ab eo aberrare, quia ad eos obtinendos propenſionem quamdam à ſui ortus initio habuere, & à Datore Deo diriguntur: atque hoc eſt quod dicunt Philoſophi, *opus naturæ eſt opus Intelligentiæ*, quia à Deo, quaſi diuinę artis inſtrumentum mouetur, & artifici ratione dirigitur. Neque eſt aliud inſtinctus, quam quædam naturalis impreſſio à Deo iniecta, tamquam auxilium quoddam naturale, quo Deus vna cum illis ad adminiſtrandas eorum functiones, peculiari quodam modo concurrit, non ſecus ac cum homine facit, dum actiones quaſdam promit, quæ naturæ omnis facultatem excedunt.

Rectius philoſophati ij, qui ab humore melancholico cuncta illa opera prodire autumarunt: nam melancholici omnes, qui à ſpiritu malo obſidentur: eductaque melancholia nihil eorum faciunt, quæ antea præſtabant, ac tunc maximè valent diuinando, cum maiori tenentur melancholia, vt de Marco Syracuſano refert Ar. 30. ſect. prob. 1. Quamquam neque hi admittendi, nam non poſſunt docere, quo pacto id ab humore melancholico poſſit fieri; aut enim cum Plat. dicent, vbi anima melancholiæ opera è ſenſuum commercio abiungitur, & ferè corporis vinculis diſſoluitur, ea omnia comminiſci, quæ antea cum primum fuit creata à Deo ſciebat, ac propterea melancholicos diuinare, loqui varijs linguis, diſputare ſubtiliter. Aut affirmandum, quod Leuinio Lemnio video placuiſſe. c. 2. lib. 2. de occult nat. mira c. animam, vbi ingreditur corpus haud obliuiſci eorum, quę antea ſciebat, impediri dumtaxat, qui obex cum poſtea à melancholia tollatur (ſunt enim melancholici ad ſcientias apti) loqui varijs linguis, & mira quæque patrare. Et alios.

At quam hæc gratis conficta, quā falſa? enimuero animi cum corpore nexus, eſt quam maximè animæ naturalis: Quare non poterit tanto eſſe ei detrimento: aut ſi fuit, cur non recordamur, quandoque, omniſcios fuiſſe, deinde rerum omnium oblitos, aut ab operibus iſtis impeditos? cur nullus, aut dolor, aut mæror de tantorum bonorum amiſſione? cur nihil addiſcere poſſumus ſine opera ſenſuum exteriorum: enimuero, vt quædam reminiſcamur, haud ſunt ſenſus externi, ita neceſſarij, vt abſque ope horum, non valeamus idem conſequi. At demus hoc illis: demus poſſe humoris melancholici

T ope-

opera, illa omnia fieri, cur non intelligunt dæmoniaci, phanatici, quæ loquuntur? cur ignorant, quæ effutiunt, sed vt asina Balaam, cum Angelo agitante eius linguam, est loquuta, nec se loqui sciunt, nec quæ loquuntur intelligunt, nec quæ sunt postea loquuti recordantur? Ergo quod varij hi linguis loquantur, externa aliqua causa, earum linguam mouens in causa fuerit, & varias formaos voces, nō secus ac buccina à buccinatore, a tubicine tuba; nam si productis in eorū phantasia phantasmatis loquerentur, intelligerent ipsi, quæ loquuntur, recordarentur; oppositum autem obseruamus.

Cæterum cùm non cadat sub sensuum obtutum hæc substantia mouens, erit illa spiritus: non intelligentia aliqua, vt lib. 2. monstratum. Quare erit Dæmon. Videor satis superque prosequutus indicia dæmoniacorum, seù obsessorum: Nunc vt ad suum perueniat finem hæc disputatio, veneficorum morborum tradendæ notæ, Difficilis hi cognitionis, nam cùm epilepsia facta a Dęmone, non habeat diuersam naturam ab eo, quę absque Dæmonis concursu, ortum habet, vix licet reperire indiria, quæ Dæmonis concursum indigitent: potest tamen id probabiliter conijci primum, si quæ Magi minæ præcesserint: idem suspicandū, si quod idolum sit inuentum in domo, aut lecto, in quo ægrotans decumbit: conijciunt idem tertio ex morbi natura, nam venefici morbi, hi frequentes, & qui occurrunt vt plurimum: melancholia, epilepsia, inappetentia, stomaci, dorsi, capitis, lumborumque dolores: ijque incōstantes, & varij nulloque ordine repetētes. Potest quarto id conijci ex pertinacia morbi citra causam: citra causam, inquam, nam diù affligi ab affectu sua natura contumaci, & diuturno, quid mirū? Verumtamen si morbus, qui sua natura breuis futurus erat, nullis cedat remedijs, sed contumaciter hæreat, affligatque, verendum maximè est, ne præter causam naturalem, supernaturalis aliqua lateat, quæ continuo alimoniam suppeditet morbo. Ne tamen hoc indirio ductus, temerè id suspiceris, nota insuper, tunc esse de maleficio timendum, cum remedia rectè fuerint administrata, neque vllus error ab ægrotante, aut adstātibus commissus: tum demum, vt rem verbo concludam, cum nulla est causa, quæ potuerit morbum tam diù prorogare. Mulierculæ quędam, tentant id dignoscere plumbo eliquato, & in aquam effuso. Nimirum putant effusum in aquā plumbum eliquatum, & verbis quibusdā obmurmuratis, in figuram malefici conglobari. Tentant alij id noscere ablutione verbenæ, seù herbæ S. Ioannis: nempè decoquunt illam, eiusque decoctione languentem abluunt: in ablutione si nihil reperiant, nullo teneri maleficio languentem dicunt; at si vel decocti color, ab ablutione immutetur, aut magna copia pilorum, ac præcipuè suorum inueniatur, efficax est argumentum, ne dum malefícij, sed, & grauissimi. At anilia hæc vetularum deliramenta, aut si quam veritatem habere inueniantur, non carent certè illa superstitione; neque enim probo, quod quidam qui, vt aliquem huic vanæ obseruantiæ mantellum quærerent, nescio quam vim à Saturno, plumbo impressam singūt, qua valet hæc propalare. Scio demum Io. Baptistam Codronch. l. 3. de morb. venef. cap. 13. multa alia signa tradere venefici morbi, sed vel illa reducuntur ad ea, quæ à nobis posita, vel sunt contemnenda.

Maleficij notæ.

Morbi veri, simulati spurij, & exquisiti indicia. Cap. XIX.

Simulant non rarò homines morbum, cum beoe se habeant. Faciunt autem id amantes potissimum, detenti io carceribus, mendici, & serui: licet non vna sit omnibus simulandi ratio. Ægrotare se fingunt amantes, ne amatam cogantur deserere: vel, quod mulieribus plerumque in vsu, vt amantem sollicitum habeant. Nam, vt bene Iuuen.

Qui simulant morbum, & quam ob causam.

Ardeat illa licet, tormentis gaudet amantis.

Ne seruiant serui: comminiscuntur morbum conclusi carceribus, vel vt liberè ijs permittatur vagari: vel ne grauioribus ad explorandam criminis veritatem, torqueantur tormentis. Faciunt idem mendici, quo commota, eorum miserijs, humana pectora, & reprehendere desinant illos, tamquam otiosos, & desides, & eleemosynas liberalius largiantur. Id quia dignoscere, non tantum ad comparandam gloriam conducit medico, sed & Reip. non parum est commodum, prę-stat enim facinorosos homines punire, & torquere non licet, ni rectè valeant: conducerer quoque Reip. medicantes senos, triremis damnare, nec permittere, vt ijs subtrahente ętas, quibus nulla alia est via comparandi victum: propter has rationes agam breuiter de notis veri, & simulati morbi, tum reliqua absoluam. Sed ne quis negligentiæ nos reprehendat, aduerto primo, cum duplicis generis signa adduci possint, quæ morbum simulari, nos doceant, vt ex Gal. habetur in libro quomodo morbum simulantes deprehendere liceat, medica alia, alia ex communi, vt ait ille, ratione petita, prudentiam nos diceremus: non esse hic ser monem de istis; habemus enim hanc cōmunem cum alijs, sed de ijs tantum, quæ à medicina petuntur.

Id noscere quam vtile.

Similatum morbum, vt valeat à vero distinguere medicus, ad eosdem fontes re-

Propterea si notas illius aspersimus.

recurrere debet quos in huius initio propoſuimus. Nempe vt verum morbū cognoſcimus ex cauſis prægreſſis,& ſymptomatis,quæ illum ſequuntur: ſic ſimulari ſuſpicabimur, quoties, vel quid deficit, quod ad conſtituendam eius naturam neceſſariò requiritur, aut non præceſſere cauſæ, quæ ad morbum gignendum ſunt aptę aut tandem non apparêt ſymptomata, quæ veri morbi naturam comitantur. Primo pręcepto moniti dicimus, non laborare epilepſia puellulam quamdam. Concluſerat hanc eius parens in monaſterio Virginum,quo edu caretur honeſtè: at illa capra carceris tædio,fingit ſe viſo ſpectro epilepticam: extrahitur propterea è monaſterio: aduocantur medici, præſcribunt vocati pharmacum,decocta,& mille remedia, quæ medicina ad abolendum hunc affectum inuenit: at ego continuò ſuſpicas, ne morbum fingeret,iubeo, vt quo tempore conuellebatur, fricarentur ei valide crura: fit ita,clamat illa at ſtatim, vnde morbum ſimulare deprehendi; neque enim ita facilè à vera epilepſia excitari quis poteſt. Quare cum illi comminarer, numquam illas finem fricandi facturas, donec ipſa finem conuellendi non faceret, nullo de coctó exhibito purgatione nulla,iudicatus eſt morbus. Hiſtoria.

Ad eumdem locum ſpectat argumentum deſumptum à differentijs affectus, vt cum non delirare hominem fingentē delirium monſtramus, quia nulla delirij ſpecie tenetur,neque cum febre, neque citra febrem,non cum metu,aut furore.

Ex defectu cauſarum cognouit Gal. non laborare puerum quemdam vero tumore,ſed conſulto, vſu thapſiæ applicitæ genui excitaſſe, ne abire cum domino,& amatam deſerere cogeretur. *Circa,* inquit, *genu eius maximus quidam tumor exiſtebat, qui facile idiotam perterrere potuiſſet, ſed rei perito manifeſte per thapſiam excitatus apparebat,* dat rationem infra dicens, *Neque enim pluſquam conueniebat curreret, neque vapularat ab aliquo, neque ſaltauerat, neque foſſam tranſiliens, in commodum paſſus erat: tum redundantis humoris indicium,quidem nullum erat, quod antea neque ſplendidius,neque abundantius vixiſſet.* Eadem via cognouit, non laborare vera colica alium,quia viuendi ratio,quę præceſſerat, talis erat, vt colicam in eo diſpoſitionem non poſſet generaſſe, quando ex indigeſtióne, infrigidatio neque proficiſci ſolent huiuſmodi paſſiones, quorum neutrum præceſſerat. Dignoſci tandem id poteſt ex defectu ſymptomatum,quæ ſolent affectum comitari; *Nam quædam affectiones, longe, lateque ſe diffundentes dolores habent: habent aliæ fixos,vnique tantum parti inhærentes: pungit quandoque dolor,pulſat alias,interdum diuellit, alias quodam modo ſtupefacit. Demum nonnullæ affectiones, vomitus,quadam ventris perturbationes,quadam caliginem inferunt.* Si itaque nullum ſymptoma pariatur,qui principali affectu teneri conqueritur, hunc morbum ſimulare ſcias:ſic Gal. ſimulato tumore puerum teneri cognouit, quod doloris ſpeciem,qualis nam eſſet per cōtante,neque ſtatim, neque promptè, neque eadem reſpondebat: quamquam & vſu remediorum eſt adiutus: nam cum profectò domino impoſuiſſet pharmacum,quod dolorem lenire non poterat, infrigidare licet poterat,eſt ſtatim à dolore liberatus, quod ne quaquam contigiſſet,ſi ab interna cauſa, non ab ijs, quæ exterius applicita fuerant, tumor excitatus fuiſſet. His ſimulatum morbum à vero diſtingues.

A legitimo ſpurium, quia non habet hic ea omnia, quæ exquiſitum ſolent comitari: vel ſi a priori id velis cognoſcere,quia non fit ab ijs cauſis, à quibus legitimus: enimuero, quemadmodum ij homines ſpurij dicuntur, qui ex illegitimo matrimonio prouenere, vel de quorum parente,cōſtat nihil, pluribus enim eſt eorum mater expoſita: ſic vbi non vnus certus humor, ſed varij morbum excitauerunt, erit ille ſpurius. Qua autē ratione id noſces, petes ex ſignis redundantis humoris. Notæ legitimi,& ſpurij.



T 2 AN-

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Octauus.
DE VRINIS.



Occasio dicendorum, & ratio. Cap. I.

EOrum, quæ morbos, & partes affectas ostendũt; primas, ex communi omnium Medicorum sententia, pulsus obtinuere, & vrina; vt enim ille cordis, & arteriarum, sic ista hepatis, & venarum est index. Quare erit de his, vt de peculiaribus signis pertractandum: priori tamen loco de vrina, postea de pulsibus, tum quia fallacissima res est pulsus, vt docta fuit Celsi sententia lib. 3. cap. 6. scilicet, quem sola cogitatio ægri attollit, & deprimit: cum quoniam difficilioris cognitionis; nam cum tactu exquisito fuisset Gal. præditus, diù tamen laborauit, vt contractionem dignosceret, atq; haud scio (quod & multi Medici in dubium reuocarũt) fuerit, necne assequutus: & Herophilus cum pulsuum notitiam traderet, fuit à discipulis, ob rei difficultatem, desertus, vt auctor est Plin. lib. 11. cap. 36. ne tamen obscura euadat hæc tractatio, primò vrinarum species & differentias scribemus: notabimus secundò, quid vnaquæque præmonstret, cuius occasione causas attingemus: demum, quia differentiæ sumuntur à rei natura, & iis quæ illam comitantur, tertium hoc caput, & vltimo loco inuentum, primam habebit huius tractatus sedem.

De vrinæ natura. Cap. II.

Potum esse alteratum, volunt quidam, ob has causas.

NIL aliud esse vrinam, quam alteratum potum, visum est quibusdam, quos refert Valles. 3. contr. 18. & Mercuriali 1. de excr. 2. ob has rationes. Primũ, quia vrinæ quantitas, potus quantitati respondet. Secundo, quia auctore Arist. 3. de part. cap. 8. & 4. eiusdem cap. 1. quæ pulmonem sanguineum non habuere, aut exiguum quid potant, quia aut paucam, aut nullam vrinam congerunt, carent vesica. Tertio, quia medici in vrinæ suppressione potum interdicunt, quiq; aquas bibere thermales, eadem copia, & qualitate, qua sunt potæ, excernunt. Gal. quin etiam 10. de simpl. 13. *Sudor*, inquit, *in animantium corpore proueniens, eamdem habet materiam, et eumdem generationis modum cũ vrina, siquidem vtrique ex bibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore, et non nihil biliosæ substantiæ adepto*. & lib. de atra bile cap. 2 *Sanè*, inquit, *rationi consentaneum est, vel ex potu fieri quicquam cum sanguine, quod postea non per vrinas modo excernetur, verum per sudores quoque*. vide 4. de vsu part. cap. 4. Adde demum: si quid aliud esset, esset certe excremẽtum, quod falsum, quia hoc est portio alimenti inutilis 6. de sanit. tuen. At aqua non est alimentum. Quare neq; vrina, quæ ex aqua producitur, excrementum erit. Nisi in eo sensu id placeat affirmare, quemadmodum Arist. semen, excrementum vocauit: nam quo pacto sanguine saturata abundè natura, deponit, quod est reliquum ad testes, tamquam partibus nutriendis superfluũ: sic vbi vrina chylum deduxit ad hepar, & sanguinem ad singulas partes, mittit ad vesicam à renibus, & ab hac extra corpus effundit, ne onus esset in posterum animali.

Qui non placent, ac propterea aliæ sententia probatur.

Sed quamquam hæc monstret apertè, potum esse præcipuam vrinæ materiam: vt tamen non sit aliud vrina, quam potus alteratus, nequaquam suadent: nam quædam vrina verè est excrementum: impropriè de alia dici id potest: est tandem alia vrina colliquamentum. Id ita esse intelliges, si cum Hipp. aduertas 6. epid. com. 5. tex 15. vrinæ materiam, nedum esse cibũ, & potum, sed & humorum serum, carniumque, & pinguedinis liquationem; *Vrina*, dicebat, *cibo, et potui concolor, tum qualis esse consueuit, tum cum humidi colliquatio est*. Et certè si eadem est materia vrinæ, & sudoris: quemadmodum fit sudor quandoque carnibus eliquatis, vt diaphoreticus: interdum serosa humorum expurgata substantia, aut attenuatis iisdem, vt per crises salutares aduertimus, tertio cibo, & potu plusquam ratio postulat ingestis, vnde 4. aph. 41. *Sudor multus ex somno factus, absque causa manifesta, corpus vti pluri cibo significat*: sic erit vrinæ materia potus, cibusque, serosa humorum substãtia, & colliquamentum. Quare erit quædam vrina colliquamentum, scilicet, quæ ex carnium, aut pinguedinis liquatione ortum habet.

habet. Quæ ex cibo,& humoribus, excrementum; nam cuiuscumque horum portio quędam in nutrimentum euadit, aquosa pars in vrinæ substantiam. De ea, quæ fit ex potu, potest esse aliqua difficultas, quando non satis constat, nutriat nec ne potus. Qui docent nutrire, docere tenentur, & hanc vrinam esse verè excrementum. At quoniam pars, quę negat, est longè probabilior, erit huiusmodi vrina verè alteratus potus, excrementum impropriè. Non sunt itaque admittendi dicentes, vrinam esse potum alteratum, & primo loco adducta reijcitur, nàm quædam est serum humorū, & chyli: est alia colliquamentum. Et quidem si vrina potus esset alteratus, non possent nil bibentes, vt fœtus in vtero matris, omnes tempore hyemis, animalia multa latitantia, homines multi vt vindicentur ab hydropisi, non possent inquam mingere. Neque posset vrina, cùm nihil habeat humorum admixtum, eorum conditionem declarare, vt latè loco cit. Vallesius. Quare nec Mercati sententia admittenda est, statuentis tom. 1. quæst. 94. sanorum vrinam ex potulenta substantia pauca bili admixta fieri: ægrotantium ex eius succi sero, qui putrescit: quomodo enim mingent nil bibentes, si ex potulēta substantia, sanorum vrinæ? Præterea cur non constabit eadem ex sero humorum, ita vt tum vrina sanorum, cum ægrotantium coalescat ex duplici substantia aquosa, potulenta nimirum, & humorū? quia inquit *serosa illa humorum substantia vtilis est ad temperandum partium feruorem, et humectandum, nam corpus illa destitutum, situ consiccatur: ad restaurādam roridam substantiam dissolutam, et humorem constituendum: contra vbi putrescit, quia separatur à succo quemadmodum putrefacto lacte, serum separari videmus, tunc in vrinæ materiam secedit, non antea.* Tunc temporis separari probat, quia sanguine extracto, vbi concretus fuerit, tunc serum ab ipso separatur. Quæ displicent multas ob causas ni .n. permisceretur semper humorū serum, non posset statim gradū coctionis monstrare. Secundo si aquę naturæ, quomodo nutrite? & si circa putredinem ab extracto sanguine separatur, quomodo ad eorum constitutionem concurret?

Mercati.

Non sunt tertio admittendi qui dicūt esse serum sanguinis, & eiusdem vehiculum, aut serosam chyli portionem, vt Iobert. tract. de vrinis; non est enim serum vrina colliquatiua, non illa item, quæ gignitur ex potione: Quare vt vrina omnis diffinitione communi comprehendatur, dicendum, esse vrinam, aquosam quamdam substantiam, per vesicam excretam.

Ioberti.

At dices, si rām multiplex est vrinę materia, constatq; illa, ne dum sero humorum, sed quauis aquosa substantia: cur volatilia bibunt, & tamen non mingunt? cur non mingunt pisces?

Cur volatilia non mingunt non pisces.

Existimarunt quidam, idcirco aues nō mingere, quia aquosa illa materia, ex qua vrina debebat progigni, in pennas conuertitur: & quia eadem in squamas degenerat in piscibus, hinc pariter fieri, ne vrinam pisces excernant.

Affertur quorundam solutio.

Sed certè nihil potest absurdius dici, nam quamquam aqua à frigore congelascere possit, non potest eadem à calore crassescere, sed vniuersa in vapores dissoluitur. Non itaque poterit aquosa illa substantia, vel in plumas conuerti, vel in squammas, sed alia afferenda causa est eius, quod quæritur. Eoquè puto fieri, ne aues mingant, quia exiguam habent aquosam substantiam, eamquè motibus multis per insensibilem halitum discutiunt; Nām si ob hanc causā, minus æstate mingimus, quam si quāplus bibamus, non erit absurdum opinari, aquositatem omnem insensibili halitu ab auibus dissolui, quando multum mouentur. Idem cùm locum non habeat in piscibus, nam humidi, & in aqua degentes, non est admodum facile diuinare, cur non mingāt: Sed certè si eorum cutis recipit crassiora excrementa, ex quibus squamæ, cur per eamdem tenuiora nō poterunt dissolui? Quare non mingent ijdem ob eamdem causam, ob quam aues, constatque consequenter, quamdam vrinam potum esse alteratum, excrementum aliam, & aliam tandem colliquamentum. Cœterum, quia excrementum quoduis ex aliqua coctione resultat, & celebrantur multæ in nostro corpore, ex qua coctione vrina fecer natur, cap. sequenti dicetur.

Et reijcitur.

Et propria affertur.

De loco generationis vrinæ.
Cap. III.

Actuarius lib. de diff. vrin. c. 5. Mont. Capiuac. & plurimi alij putarunt, vrinam in vena caua gigni. Lycus Macedo: vt ei imponit Galen. 5. de vsu parr. c. 5. renum esse credidit excrementum. Placuit Asclepiadi. vt refert idem Gal. 1. de nat. facult. 13. vrinam fieri in vesica, quia si alibi gignatur, nulla patet via, qua in vesicam sese insinuet. Gigni itaque dixit, quo pacto pluuiæ, vnde vt illę fiunt elatis à Sole ad mediam aeris regionem vaporibus, ibique frigiditate concretis; ita vrinā gigni autumauit, dissipata aquosa materia in halitum, & à vesicæ frigore densata. Existimarunt tandem alij in ventriculo fieri. Ita Argen. c. 2. tract. de vrin. Salu. 3. art. med. 5. Ego verò in ventriculo, iecore, & qualibet nostri corporis parte posse gigni autumo. Fiet hoc clarissimum, si in memoriam reuocetur, quod cap. superiori probauimus, scilicet vrinæ materiam, nedum esse potum, & cibū, verumetiam humores, carnem, & pinguedinem.

In vena caua gigni putant quidam, Lycus in renibus In vesica Asclepiades In ventriculo Argent. Nos in ventriculo, iecore, & quauis parte.

dinem. Quamobrem, vt triplex est vrinæ materia, ita in tribus locis distinctis fieri poterit: nempe vrina, quæ ex potu, in ventriculo suum habebit ortum: aut non gignetur, quia est potus alteratus tantum. Vrina, quæ est serum humorum, in eadem parte fiet, in qua humores. Quare cum hi gignantur ab hepate, ibidem gignetur huiusce modi vrina. Demum quæ ex liquatione carnium ortum habet, potest in quauis parte gigni, quia potest pars quæque eliquari. Poterit itaq; hæc vrina in vesica gigni, quamquam rarò, quia cum sit exanguis, vix fieri potest, tantum, vt calorem contrahat, vt eliquetur: aliæ nequaquam, vt perperam Asclepiades; nam, vt benè Gal. 1. de facult. nat. 13. si vrina gigneretur, vt plurima, colligeretur illa in peritonæo, & septo transuerso, si quidem non magis densa est membrana vesicæ, quam peritoneũ, & septum transuersum. Nec situs obstat; quin est multo commodior, quandoquidem multo faciliùs vapores adscendunt, quam ad infimam partem delabuntur.

Quomodo vrina ad renes ab his vero ad vesicam transmittatur. At si non omnis vrina in vesica gignitur, quibus vijs à ventriculo ad vesicam deducitur? Certum est à renibus ad vesicam transmitti, quo tamen pacto ad renes deducatur, ab his ad vesicam, hoc dubium. Quidam, quos refert Gal. 1. de facult. nat. 15. mitti à venis ad renes vna cũ sanguine autumarũt, deinde effundi, quia tenuis, sanguine, qui crassioris substantiæ detento. Trahi vult Gal. nec fieri posse contendit, vt mittatur à venis: quia non sunt renes ita venæ cauæ subiecti, vt possint delabentia excrementa recipere: & quoniam, si venæ eam mitterent, non modo vrinam, sed & sanguinem omnem, qui in venis habetur, ad renes effunderent.

Veterum opinio.

Galen.

Reijcitur. Quæ quam sint futilia, nemo est, qui si parum attendat, non agnoscat; neque enim dicunt serum vi propria à venis ad renes ascendere, sed transmitti. Quid autem hoc fieri vetat, quando à pede ad caput humorem mitti, non rarò videmus? Nec necessarium est, vt vna cum sero, vniuersũ sanguinem venæ deponant ad renes; nam millies stomachus euomit potum, retento cibo, hoc alimẽtum, retento alio. Quid stomachum refero? venæ, & partes quæque nostri corporis? non ne frequenter bilim, aut alium humorem excernunt retento alio? Quod si frequenter hoc facit ventriculus, & aliæ partes nostri corporis; non video, quid cogat venas, vt vbi serum deponunt ad renes, sanguinem vniuersum effundant.

Mercat. Dixit Ludou. Merc. q. 18. art. 12. & ante ipsum Laurentius quamdam vrinam trahi dumtaxat à renibus, venis nullo modo, nec hepate expellentibus: pelli aliam à venis, renibus nullo modo trahentibus: aliam nec trahi ait à renibus, nec pelli à corpore, sed casu quodam per eas cauitates tamquam ampliores effundi. scilicet vrinam, quæ fit ex seto humorum, putat trahi à renibus, quia habent renes familiaritatem cum illa. Quæ fit ex potu, aut succis attenuatis, hæc haud trahitur, quia nulla est illi cum renibus similitudo, sed à partibus pellitur: quæ ex carnium liquatione oritur, neq; pelli putat à venis, quia debiles, nec trahi à renibus, quia nulla est familiaritas.

Quæ non placent; nam vt ab hoc vltimò dicto ordiar, quæcumque grauitatem habent, non possunt ferri sursum, nisi aut tracta, aut impulsa: est vena caua, vt docent anatomes infra renes: ni ergo aut pellat illa, aut renes trahant. Qui fieri poterit, vt colliquata pinguedo ad renum cauitatem ascendat? Reijcitur.

Non placet secundo, quod scribit, serosam eam substantiam, quæ fit ex potu, aut humoribus attenuatis, non trahi à renibus, sed à partibus pelli: nam si per impulsum tantum sit motus ille serosæ substantiæ: quid cogit partes, vt serum omne ad renes deponerẽt? non nè vicinior erat habitus corporis?

Non minus displicet illud: serum humorum trahi tantum à renibus; nam si est parti cuique insitum, vt à se excrementa effundant, & vis hæc insit venis, dum malè se habent, pellere enim affirmas, quidquid ex potu, aut humoribus attenuatis congerunt; cur quæso negas pellere venas, cum bene se habent? Ducitur ergo ad renes vrina, partim tracta ab ipsis, partim à partibus pulsa. Opinio propria.

Obijcies, quæcumque aliquid trahunt, voluptatis gratia, retinent rem attractam, alioquin frustra traxissent, cum non possent eius consortio gaudere: expellunt verò, cum tanta copia est congesta, vt sit oneri: sic obseruamus in vesica fellea bilim alliciente, in liene attrahente melancholicum succum. Ergo cum vesica retineat vrinam, extrudat verò cum copia vrinæ grauatur, renes contra nullatenus retineant illam, à vesica trahi autumandum, non à renibus. Obiectio

Ita censuit Prosp. Martian. in notis ad lib. Hipp. de ossium natura. Sed licet hæc facultas vesicæ sit concedenda, vt ratio proposita suadet, eiusdem constructio, est enim triplici genere villorum contexta, quod frustra si omni esset vi trahendi priuata, & communis omnium consensus confirmat, nam quamquam Galen. 6. de loc. affect. negare id videatur, nun negat simpliciter, sed validam tractionem, & affatim factam illi detrahit, ne cogeretur animal statim tractam vrinam effundere: nõ sunt tamen renes eadem vi spoliandi; videmus enim, ijs refrigeratis, cohiberi vrinam, & ijsdem plus iusto calfactis, fieri eiusdem profluuium, & diabetem, curari vtrumq; affectum remedijs renibus applicitis, non vesicæ. Quare illi potissimum alli.

alliciendæ vrinæ deſtinati,non veſica.

Ad rationem dicimus, tunc iucundam attracta ad oblectationem retineri, cùm poterunt illa retineri : vbi id fieri nequeat,nequaquam continget : Sic quamquam ſanguis gratus ſit venis,& arterijs, vbi tamen aut hæ ſunt adapertæ, aut venæ rarefactæ, itaut nequaquam continere valeant,neceſſariò, tum à venis, cum ab arterijs ſanguis effundetur. Huius naturæ cum renes exiſtant, hoc eſt ad conſeruandam vrinam impotentes, vt patet ex eorum conſtitutione, mirum non eſt,ſi nulla in eorum cauitate vrina, reperiatur quemadmodum in veſica.

Quomodo vrina in veſicam ſe inſinuat.

At qua ratione,cum nullus eſt in veſica meatus,in illam ſeſe inſinuat?quia patet aliqua à renibus via ad veſicam, alioquin numquam lapilli à renibus ad veſicam deſcenderent. Ergo vrina ſtatim, ac hepar egreditur,à renibus, ob quamdam familiaritatem attrahitur : à venis, quia illis eſt oneri, expellitur : attractam a renibus per venas vreteras ad veſicam hac trahente pariter deponunt hunc in modum. Vreteres obliquo quodam modo, & tortuoſo in veſicam inſinuantur : ad extremum venarum vreteratũ à parte interiori, eſt veluti operculum quoddã, quod ab excremento impellente à parte externa protruditur:contra ſi à cauitate veſicæ, idem impellere tentes, tantum abeſt, vt aperias, vt ne flatus quidẽ poſſit egredi : nec in hoc inquit Galen. eſt admiranda naturæ ſolertia, cum hoc idẽ artifices in conſtruenda pila luſoria aſſequantur.

Quomodo quidam per anum vrinã deponant.

Verum ſi hęc eſt generatio vrinæ, & à renibus tracta ad veſicam per vreteras defertur, vnde eſt, quod multi mingunt per anum?

Primus modus dicendi.

Fern. l. 6. de par. morb. & ſymp. hoc fieri putat interdum recto inteſtino vlcerato, ita vt ad veſicam vſque penetret vlcus : quo fit, vt micturo crepitus per pudendum erumpat, pus, atque fœces cum vrina permixtæ : & ex aduerſo vrina excernatur per anum. Obſeruauimus hoc in D. Didaco de Vera Hiſpano, cui cum rupto abſceſſu, factum eſſet vlcus purulentum, & ſordidum in recto inteſtino,ita ſerpſit, (vix enim pars humida, & excrementis perfuſa coaleſcit) vt ad veſicam vſque penetrarit, quod inde dignouimus,quia immiſſa per clyſterem, eminxit.

At quid cum non eſt perforata veſica, nullum vlcus in inteſtino;id enim læthale admodum eſt, cum tamen multi citrà vllum vitæ diſcrimen, vrinam per anum excernant? Putant quidam id fieri tunc temporis,quia rarefacta veſicæ, & inteſtini tunica, effundit guttatim vrinam in inteſtinum. Ita Ant.Beniuen.Sed,& poſſunt aliæ multæ huius euentus cauſæ tradi. Prima eſſe poteſt, quia ea vrina,

Secundus.

Tertius.

quæ in ventriculo gignitur, non defertur vna cum chylo ad hepar, ſed detrudetur cum fæcibus ad inteſtina. Quo fit, vt excernatur per anum.Non fertur autem cum chylo, aut quoniam venæ ſunt ita patulæ, nullo vt egeat vehiculo chylus,aut quoniam excretiua ventriculi eſt læſa, vnde illam intempeſtiuè deponit: aut quarto, quia retentrix eiuſdem, ita eſt debilitata, vt nequeat aquoſitatem illam diù aſſeruare.

Quartus.

Dices : cur ergo non excernitur per veſicam aquoſitas illa,quæ eſt ſerum humorum,& in iecore gignitur. Quia pauca cum ſit,à renum, iecoriſque calore, per inſenſibilem halitum diſcutitur, aut in ſudorem conuertitur.

Quintus.

Quinta via eſſe poteſt à renibus ad cauam venam,& hepar: ab hoc ad venam portam, & meſeraicas ab his tandem ad inteſtina. Sexto fieri id poteſt inflammato inteſtino; nam ſi fictile vas aqua plenum,& in aceruo tritici reconditum, exhauritur à tritico? Quanto magis hoc idem faciet excalfactum inteſtinum,quãdo & commodior eſt ad transfuſionem veſica,quam teſta?Septima via eſſe poteſt à veſica ad venas, per quas alimentum attrahit. Sunt autem hæ rami venæ portæ,quas recipit ex peritoneo, quod veſicam,inteſtina, ventriculum, vterum omnia demum, quæ infra ſeptum tranſuerſum ſunt,circumambit, & veſtit: ab his tandem ad inteſtina deriuatur. Vel ergo vrina in veſica colligitur, & ab hac permeat ad inteſtina : vel non colligitur : ſi primum, poterit hoc fieri trifariam, vel ſoluta vnitate inteſtini,& veſicæ:vel vtraque tunica rarefacta, aut quoniam inteſtina inflammata trahent: trahent autem, vel immediatè à tunica veſicæ ad cauitatem propriam : aut per venas, quæ deferunt alimentum ad eam, ad ramos venæ portæ deducunt,inde ad inteſtina. Quod ſi non colligatur vrina in veſica, ſed in renibus tantum à quibus non poteſt ad veſicam deſcendere, mittetur ad venam cauam,ab hac ad portam, à porta ad inteſtina. Demum ſi ſtatim à ſtomaco tranſmittitur,notiſſima eſt via,qua ad inteſtina defertur. ſed plura, quam putatam, proinde nil aliud addam.

Sextus.

Septimus.

De ſedimento vrinæ.
Cap. IV.

FVit noſtrum conſilium vrinarum ſpecies, & quid quæque ſignificat, declarare. Quia vero deſumebantur illæ ex vrinæ natura,& ijs, quæ cum illa miſcentur, hinc ab vrinæ natura exorſi ſumus. Nunc, quæ cum ipſa miſcentur, declaranda,hoc eſt contentum, ſeù ſedimentum, vt differentias haurire valeamus. Ne tamen rei ignotæ fiat inquiſitio,

Quid sedimenti nomine intelligendum.

tio, est sciendum, sedimenti nomine nos intelligere, quidquid crassioris inest substantiæ in emissa vrina. Crassior ergo vrinæ portio, caloris in ea existentis vi secreta, id inquam contentum, seù hypostasis vocatur à medicis. Est autē hæc triplex,

Quotuplex.

nubes, seù nubecula: eneorema, seù suspēsum, sedimentum contentum, seù hypostasis: nubes vocatur, si in subrema vrinæ parte supernatet: suspensum si in medio: contentum, si fundo matulę quoquo pacto adhereat. De his ergo disputandum; at quia horum omnium vna est natura, nec aliquod licet inuenire discrimen, si locum excipias, propterea de hypostasi tantum sermonem habebimus: primo tamen de contento sanorum: secundo de eo, quod in vrina ęgrotantium obseruatur. Videtur voluisse Gal. 1 progn. vlt. esse sedimentum portionem chyli, quæ insanguificata

Quid sedimentum Gal.

permansit. *Quidquid*, inquit, *alimenti in sanguinis generatione, naturæ subterfugit coctionem, subsidet in vrina, crudum intellige*, vt hęc sit diffinitio completa, est sedimentum portio cruda chyli, quę insanguificata permansit. Crudum quid esse patet, nā primo de cris. 12. pueri, & omnis ętatis homines, qui nimium ingurgitant, gulæ indulgent, & otiosam vitam ducunt, & sedentariam, copiosum habent in vrina contentum, quoniam plura subterfugiunt coctionem ventriculi, quæ in crudiorem chylum conuersa, impossibile est postea, vt sanguinis formām recipiant; eam enim rationem habet chylus ad hepar, quàm cibus ad stomachum. Quare vt hic, cum imprępatatus exiuit, & multus, non benē concoquitur: ita cum malus gignitur chylus fieri non potest, vt in probum sanguinem vertatur, sed necesse est in excrementum degeneret. Confirmatur quia ni esset cruda, & bilis, & melancholia esset sedimentum. An vero crudus succus sit sedimentum, an pituita, hoc dubium. Cru-

Num sedimentum crudus sit succus.

dum esse succum putant quidam, nam 1 de alim. facul. 2. *Crudus*, inquit, *succus proprie nuncupatus, talis est, quale id apparet, quod in vrina subsidet, quandoque puri adsimile*. De-

Putant quidam.

Pituitam esse volunt alij.

ducunt alij ex eodem loco, contrarium, nam si succus crudus est similis ei, quod in vrinis subsidet, non erit vrinarum hypostasis crudus succus, alioquin idem esset, non similis. Confirmant, quia sedimenti materia interdum suspenditur, interdum supernatat, quod nunqnam potest facere succus crudus ob eam, quam habet crassitiem. Concludunt proinde pituitam esse: neque obstat, quod eam natura retineat, quia hoc verum vbi non est superflua, vnde inferunt generationem contenti posse inhiberi, si nullum homo erratum committeret, quod cum assequi nullus possit, erit eius prouentus ob errorem externum ineuitabilis.

Neutrum esse videtur.

Neutrum esse videtur, & ij magis ad veritatem accedere, qui tertiæ coctionis, quæ in membris peragitur, excrementum esse docent, non ex cruda portione chyli, sed sanguinis prognatum; nam vt passim scribit Galen. fit album contentum, quemadmodum, & pus. Quare vt hoc album euadit parte assimilante, quoad accidentia, quando omninò in substantiam vertere non potest: eadem ratione contentum fiet album, quod nequaquam verum, si cruda sit portio chyli, nam sua natura albicaret. Vnde non esset secundo album sedimentum sanitatis inditium, sed certum imbecillitatis argumentum, morbique initio semper appareret, & languore ventriculi.

Reijcitur tertia opinio. Et ratio.

At tertiæ, coctionis excrementa per habitum corporis expurgantur, nec nisi magna vrgeat necessitas, ad vrinarum vias relegantur. Stat ergo communis sententia menti, esse contentum crudam portionem chyli, quę insanguificata permansit. Num pituita eaque alimentitia, vt aiunt, copia dumtaxat superflua, ac propterea emissa? Nequaquam; non enim homines sani, qui nullum erratum committunt, sedimentum progignerent: gignunt autē nullo admisso errato, quidquid dicat Rasis, Isacus, & alij; alioquin malē Hipp eam proposuisset vrinam, tamquam metrum, & regulam omnium, in qua album leue, & æquale sedimentum apparet: & licet Galen dicat, in ijs, qui tenuiter viuunt, nullum obseruari contentum, non negat tamen inspici in corū vrinis, vel suspensum, vel nebulam. Præter numquam pituita descendit in aqua: supernotat semper. Pituita ergo esse repugnat sedimentum. Sed crudus succus. Licet enim hic non possit naturaliter adscendere: attenuatus tamen potest sursum ferri, vt aqua in vapores conuersa. Qui fit ergo, ut in morborum

Quæsitum.

initijs appareat? inde, quia cum morbi initio vacet coctioni natura, cuncta retinet, vnde aluus fit sicca: quasi satis non sit, duabus simultaneis actionibus. Nimirum idem naturæ accidit, quod uobis

Solutio.

plerumque. Quare, vt quidpiam, attentē meditantes, nec obstrepentes audimus, nec præsentes videmus, quæque manibus appræhensa tenebamus, nolentibus excidunt: haud secus natura, dum vni actioni moliendæ vacat, redditur ad alia impotens. Dic secundo quandoque apparere, sed inalteratum. Laudamus vrinam, in qua id obseruatur, nam quæ fiūt necessitate materiæ, in nostro corpore, tantum abest ni fiant, vt sit bonum, etiam si quæ gignuntur sint inutilia, vt sit illud morbosum, & lęthale: vnde læthale, est vrinam, aut nullam, aut paucam gignere. Prętetea quamquam generatio excremētorum materiæ ineptitudinem arguat: generatio tamen bonorum, bonæ coctionis, & caloris robusti, est argumentum, nam ni robustus esset: non at-

te-

tenuasset materiam sedimenti, quare neq; attolli potuisset: namq; esset candidum & saltem gradu, nam crassa non potest tantã lucem excipere quantam excipit substantia attenuata. Est ergo cruda chyli portio sedimentum. An quodcumq; contentum sit idem, cap. sequen. dicetur.

Sitne ægrorum contentum portio cruda chyli. Cap. V.

NOn est difficultas de contento malo; nam cum hoc sit purulentum, furfuraceum, arenosum: certũ est diversũ hoc esse à sedimento sanorũ: quęremus hoc de bono sedimento ægrotantium, an sit idem cum sedimento sanorum. Negant multi, putantque esse portionem causæ facientis morbum, ac proinde differre specie ab eo, quod in sanis inspicitur. Ita Vallesf. 3. contr. c. 25. Altim tr. de sed. Capiu. Mercur. & maior ferè pars medicorum, probantque, quia est ęgrorum contentum rubrum, & flauum, sanorum album. Secundo, quia ex ægrorum contento dignoscimus morborum tempora, quod ni causę morbificæ esset portio, significare nequaquam valeret. Tertio, quia multi conualuerunt, quod copiosum contentum eminxerint 1. epid. comm. 2. Quarto, quia fit ægrorum contẽtum, quemadmodum & pus, partim .s. vincente natura, partim victa, quod falsum de contento sanorum: idem demum colligitur ex tertio de præsagit. ex puls. c. 7. nam statuit ibi humoris, qui in peculiari accessione accenditur, partem insensibiliter discuti, partem per vrinas emitti, fierique contenti materiam.

Quidam negant.

Negant multi ob has rationes.

Distinguunt alij de contento critico, & non critico, atque illud esse dicunt morbificæ causæ portionem, & variorum colorum, nam modo pus per vrinas effunditur, modo bilis, modo melancholia: hoc idem, quod contentum sanorum. Ita Turis. & alij multi, à quibus non videtur discrepare Vallesf. nam si fit semper ægrorum contentum portio morbificæ causæ, aut partim fit morbificę causæ portio, partim portio cruda, & incocta alimenti, necessarium esset, vt cùm putrescit humor in extremis partibus corporis, inde ad vrinæ vias deponeretur: at absurdum id censet Vallesf. ac propterea conclusit, non posse sedimentum in tertia coctione gigni. Me quoque in hanc impellit ratio Fern. nam bilis quantumuis coquatur, aut melancolia, numquam dealbescunt: constat hoc, quia bilis excreta, morbo iam cocto, & euicto adhuc est pallida, melancholia verò nigra. Nec oppositum suadet Hipp. dicens 7. aphor. 20. ab erisipelate suppuratio malum; nam, vt notat in expositione illius loci Holler. & Vallesf. nomine suppurationis, non intelligit veram puris generationem, sed virulentiam quãdam & saniem: quod verum esse confirmari vlterius potest: quia est communis omnium sententia, quam probat experientia, veram materiam puris, esse sanguinem, nõ alium à sanguine humorem, nisi vbi admisceetur cum ipso. Quare malè ex hoc loco Vega putat aduersus Fernelium monstrasse, posse bilem coctione dealbari. Quod si nequit, nec vnquam potest albi sedimenti materia, aut bilis esse, aut melancholia, non erit ægrorum contentum in vniuersum portio morbificæ causę, sed de critico id verum, non criticum eamdem naturam haber cum sedimento sanorum. Loca Gal. exponenda de contento critico; hoc enim partim à naturali calore partim à causa pręter naturam, vt & pus. Non fœtet hoc autem, quemadmodum pus: vel quia vrinæ liquore diù perfusum, fœtorem amisit, aut quoniam è longinqua regione delapsum, fœtorem deposuit, vt pus è renum abscessu prognatum. Secunda difficultas difficilior, nam quamquam conatus sit Turis. illam dilucidare, non est tamen rem assequutus; dicit enim, posse contentum quãquam non sit pars causę morbosæ, morbi naturam, & tempora monstrare, quoniam manens simul cum causa morbifica, & putrescens cum ea, ac simul coctionem recipiens: configurat se illi, & hoc modo poterit conditionẽ morbi, causæque morbum gignentis ostendere; enimuerò non possum percipere, quid sit hęc volutatio contenti, & humoris, aut qua ratione volutando se cum humore, possit illius statum ostendere; aut enim volutatione hac acquirit eãdem naturam, quam humores, aut easdem qualitates: quodcumque autem dicatur, erit contentum illud dissimile à contento sanorum. Præterea necessarium esset, vt semper vnà cum putri humore, contenti materia existeret, quod falsum.

Nos distinguimus.

Ruasio.

Galen. explicatur.

Sedimentum cur non fœteat.

Cur contentũ monstret morbi victoriam.

Id forsan cum vidisset ille, dixit indicari à contento constitutionem, quia indicat perfectam humorum coctionem. Quare nihil expelli ad focum putredinis, vnde remoueri fomentum. Quare & causam extenuari, & morbum. Quod nec omninò satisfacit; nam esto bona fiat concoctio in hepate, stomaco, & venis multis, potest nihilominus bonus sanguis corrumpi ab alicuius partis intemperie. Hic nescio quid voce submissa insusurrat Turis. nam à nemine hucusque potuit percipi. Dicendum proinde cum Gent. indicare contentum, morbi varia tempora, quia numquam natura ad propria regreditur munia, nisi hoste deuicto, & debellato. Quare vbi apparet contentum, signum est naturã depressisse putredinem, & domasse, ac proindè, quasi respirans, intermissas repetit actiones.

Gentil.

De vrinarum differentijs. Cap. VI.

Vrinę differĕtiæ à tribus fontibus. Vrina crassa, eadem est turbata.

EXposita natura sedimenti, & vrinæ, sūt modò differentiæ indagandæ, quas à triplici fonte, nempe vrinæ substantia, accidentibus, & contento haurienius. Ergo vrina, aut est clara, seù tenuis, aut turbata, seù crassa: hæc triplex, iuxta Gal. doctrinam, aut à principio turbida, deinde clara, aut clara mingitur, deinde turbatur, aut turbida mingitur, turbidaque perseuerat. Confusi vrinam turbidam cum crassa, quia non datur vrina crassa, quæ non sit turbata, neque turbata quæ non sit crassa, quidquid dicat Auic. Quod si quandoque Gal. vrinam crassam, videatur distinguere à turbata, scias vrinę crassæ nomine, mediocris substantiæ vrinam intelligere, vt cum 4. aphor. 76. dicit, *Cum verò non extiterit tenuis, sed mediocris, etc.* & quamuis in rebus externis videamus multa esse crassa, & clara, vt vitrum eliquatum, albumen oui, oleum: alia tenuia, & turbida, vt aqua commota, & oleum; in vrinis tamen secus accidit, nam vrina non aliter crassescere potest, quàm per crassarum rerum admixtionem. Quare aut perfectè per coctionem miscentur, eritque vrina optima, nam quod coctione fit, est naturale, & mediocre: aut imperfectè miscentur, & perturbata fit vrina, & confusa, vt rectè Valles. 3. lib. contr. cap. 23. & Aueg. in tract. de vrinis cap. 2. Quæ ducuntur ab accidentibus, sunt duplicis generis; vel enim eliciūtur ex quantitate, vel ex qualitate: à quantitate, vrina aut multa, aut pauca, aut ratò, aut frequenter excernitur. A qualitate quinque desumunt Arabes: ab odore, colore, sapore, tactu, & sono. Quia vero nemo est adeò sordidus, qui vrinam degustet: eędem aut semper, aut vt plurimum minguntur calidæ, & vtcumque mingantur, seù cum sono, siue absque strepitu, aut nō potest à medico obseruari, aut parum id scire conducit: propterea his differentijs relictis, prosequemur eas, quæ ab odore, & colore sumuntur. Ergo vrinæ, aut sunt nimium fœtidę, aut parum, aut nihil olent, aut bene olent: A colore, nonnullæ sunt nigræ, aliæ albæ, mediæ: albarū alia aquea, alia lactea, niuea, vincta, secundum Actuar. Nigræ diuiduntur in fuscas, liuidas, & virides: hæc in praxinam, & ęruginosam; liuidæ in violaceam, & plumbeam. Vrinæ medio modo coloratæ distinguuntur in quatuor species, videlicet, in pallidas, in fuluas, seù citrinas, in flauas, & rubras, vnaquæq; autem harum in tres alias, nempe in intensè pallidas, in mediocriter pallidas, & retinent nomen generis, & in remissè pallidas, & dicuntur subpallidæ: pari pacto rubræ in intensè rubras, in mediocriter rubras, & subrubras. Ab ijs, quæ

A quantitate. A qualitate.

A contento

cum vrinæ sero admiscentur, multæ quoque elici possunt differentię, prout varia sunt, quæ cōtinentur in ea, vnde dicimus, quędam vrina habet spumam, quædam bullas, quædam coronam, & quædam hypostasim: hæ item triplices, vel eam habent in fundo, aut medio, vel in sublimi vrinę parte supernatat: contentum pariter duplex naturale præter naturam; hoc multiplex pro varietate contentorum, etenim cum contineatur in vrina sanguis, grumus, pus pili, caruncula, arenosa, furfura, laminę, seù squamæ: omne contentum, vel farinaceum erit, vel orobinum, vel furfuraceum, vel sabulosum, vel purulentum; vel lene, vel asperum, æquale, aut inęquale. Attribui contento possunt differentiæ omnes colorum, quæ sunt dictę dę vrina. Compositas differentias omitto consulto, cum facilè, perceptis simplicibus, quisque compositas noscat. Nunc, quia nullo esse vsui nobis possunt, ni noscantur, hoc agendum.

De dignoscendis vrinis. Cap. VII.

Quo vase vrina excipiēda

NE medicus in vrinæ iudicio aberret, hæc omnia faciat. Iubeat ante omnia, vt qui ministrat ægroto, vrinam in vase commodo excipiat, exceptamque in loco pariter accommodato reponat. Erit autem vas congruum, si quatuor conditiones habeat. Prima est, vt sit ex vitro tenui, & lucido, non opaco, & obscuro. Secunda, vt sit capax totius vrinæ, quæ mingitur; vt enim multæ vrinæ admixtæ perturbant iudiciū: sic vbi diuidatur eadem, fallit pariter medicos. Propterea monebat Philosophus 1. sect. probl. 52. non esse inspiciendam vrinam, num sit cocta, vel cruda, cum vrinæ profluuio laborat languens, sed eo intercepto, quia signum concoctionis exhibet vrina ruffa, talem autem colorem plenius ostendit, vrina, cum exigua est, quam cum multa, & copiosa, & est meo videre optima ratio, quam cum non percepisset Mercur. lib. 1. de excr. c. 9. reprehendit iniustè Arist. Tertia congrui vasis conditio est, vt sit angustum, & longum, sic enim melius colliguntur contenta, & obseruantur. Quarta, vt fundum eius sit rotundū, nullis obductum angulis, quippè qui diuellere solent, & contenta, & liquorem. Est locus seruandæ vrinæ commodus, qui neque admodum calidus, neque frigidus; vtraq; enim qualitas vbi excedat, aut corrumpit vrinam, aut eius qualitates permutat. Ineptè proinde quidam ad ignem admouent, nam multa efficiet ignis, quæ vi caloris proprij nequaquam fierent. Secunda loci conditio est, vt ita seruet vrinam, vt non variet, vel eius colorem, vel substantiam.

Quo loco seruanda.

Dicat secundo ab ægro, quo tempore min-

mingere est solitus, quoties, quouè modo, an guttatim, confertim; quæ vrina familiaris illi, num causæ externæ occursu mutata, nam cassia assumpta, nigra, deuorato reubarbaro, flaua: nam, & huc spectat illud Hippocr. *Caue, ne te vesica decipiat*. Hęc vbi pręnouerit, inspiciat vrinam; sed ne erret, hæc in illius inspectione religiosè obseruabit. Inspiciat statim à mictu vrinam, & paulò postea iterum eamdem ob.eruet; nam vbi statim inspicitur, nullum obseruatur contentum; neque enim momento potest calor, quæ in urina sunt segregare. Pręterea multæ cùm clarè mingantur, turbantur postea. Quo autem modo scies si statim à mictu contemplaris urinam, deinde ociosus sedeas, ac si cuncta nouisses? Sed nec multò postea id facies, ne ab ambiente mutetur, & proprio urinę calori referas, quod ab aere est factum. Quare rectè consulebat Auic. ne inspicerentur urinę post sex horas, *quia corrupta iam talis est quodammodo, et ab ambientis qualitate mutata*. Statim itaque ac micta, obseruetur, ut dignoscas, num turbata mingatur, & paulo postea, ut uideamus, num clarescat, uel turbetur, si clara fuerit micta: num demum secernat. Non itaque placet Auic. dicens. *Et eius quidem dispositio illico cum mingitur, non est consideranda*; nam & illico, & postquam in urinali, ut ipse dicit, resedrrit. Et ridenda eorum consuetudo, qui cum medicum prę sentem non habeant, urinam illi inspiciendam transmittunt, qua de re lege dialogum scriptum à Petro Forello.

Quæ in inspectione seruanda.

Sed neque urinam quouis tempore mictam contemplaberis; nam in ea, quę statim à cibo, aut in paroxismo excernitur, numquam obseruabis contentum; tunc enim non est genitum excrementum: in accessione cuncta retinentur. Vult Auic. ut prima urina, quę mane colligitur tantum obseruetur. Ponat tertio nigrum pannum post uas, ubi urinam obseruat; ita enim acies uisus terminatur. Commodum locum quarto urinę inspiciendę eligat: erit autem, qui neque admodum lucidus, neque tenebricosus: uterque enim colores mutat, hic sua obscuritate, ille splendore. Confert demum, & illud non parum, ut scilicet in dignoscendis coloribus exerceatis, non urinarum dumtaxat, sed & rei cuiusque. Ergo album colorem in lacte requires, & niue: contemplaberis nigrum in carbonibus, & atramento: liuidum in plumbo, & uiolis, in oleribus uiridem, rubrum in mero sanguine, subrubrum in eodem diluto: ruffum in auro candente, subruffum in auro, quod non est ignitum; flauum in citro maturo, in paleis uetustioribus pallidum, sub pallidum in ijsdem recẽtibus: clarum quid sit dignosces, quia oculorũ acies facillimè clara quęque penetrat, resistunt turbida. Crassum lotium duas habet dimensiones, latitudinem, & profunditatem, in tenui una: longitudo est conspicua, alię dimensiones uix obseruantur. Cognoscat ultimo medicus, quę est cuiusq; urina naturalis, nam per recessũ ab ipsa, eius, quę prętcr naturam est, malitiam dignoscet. Dicendum itaque, quę urina optima, quę cuique ętati, sexui, ac temperiei familiaris.

Quæ cuiusque ætatis, temperiei, & sexus vrina, & quæ laudabilior. Cap. VIII.

HIppocrates 2. progn. 26. cui assentitur Galen. ibid. & 1. de crisib. 12. eam censuit esse urinam optimam, quę hypostasim habet albam, lenem, & ęqualem: quod quia breuius factum, quorumdam iudicio, pluribus idem describere sunt aggressi, unde Actuar. optimam urinam eam esse censet, *quæ est colore subaureo, vel subcroceo, substantia mediocris, proportione potui respondens, in qua nulla innatet bulla, nec turbulentum aliquid: non inhæreat matulæ hypostasis, alba sit, lenis, et æqualis, omniaque similia: neque quicquam cum ijs complicetur ex ijs, quæ solent inferre similia capillis, et ramentis, et eiusmodi generis*. Auic. pariter loquens de optima urina: *hæc est*, inquit, *mediocris substantiæ, et tincturæ subtilis, ad citrinitatem trahentis. et hypostasis si ibi fuerit bona, ex albedine, lenitate, et æqualitate, et figuræ rotundæ, et odoris temperati, neque fętida, neque odore priuata*. Nec Hipp. discrepat; nam si in deiectione contemplatur substantiam, quantitatẽ continuam discretam tempus, modum. Cur in uriua hęc negliget? missa credo aut breuitatis studio, aut quoniam urinis habentibus sedimentum album lene, & ęquale, nulla alia conditio deficiet; substantia erit illi mediocris, quanritas proportionata assumptis: color subflauus, odor non prauus, mictio facilis. His insignitam notis debent adolescentes excernere urinam; uiget enim in ijs calor; unde optimè coctiones celebrant. Quare, & excrementa laudata cijcient. Acrior cum sit iuuenum calor, maiorquè, in senibus minor: biliosior illorum urina, tenuior, sedimentum paucum, multa in halitum dissoluente calore: subalbida urina senum, mulierum, ociosam uitam ducentium, puerorum, nam horum omnium calor imminutus: mulierum quidem, ratione sexus: ociosorum, erratorum culpa: eadem ex causa minuitur in pueris. Nẽpè abundant pueri calore, exiguus tamen esse dicitur ratione obiecti, nam sunt uoraces, nullamque uictus, aut motus rationem habent. Est & horum omnium urina, substantia crassa, nam omnes crassis succis abundant: ac pueri quidem, quia

voraces, ſcatent cruditatibus: ob ignauiam, ocioſi: ob eamdem cauſam mulieres, & quia frigidæ, & quia vrinarum viæ ampliores in illis, & ad excipienda multa excrementa, eaque craſſa aptiores. Sūt quarto craſſæ, quia ab vtero multę ſolent exprimi humiditates, prętertim ſi ſit vterus lubricus, & immundus (immundum autem communiter habent omnes) nam hæ admixtæ lotio, craſſum illud reddunt 2.1.d.2. cap.10.

Auic. exponitur. At quid eſt, quod dicit eſſe vrinas mulierum, *minoris pulchritudinis*, quam vrinæ virorum? illud idem, quod dictum, nempè eſſe craſſiores; nam docens, cur ſint illæ minoris pulchritudinis, adducit cauſas craſſæ vrinę: vocat autem has minus pulchras, quia minus lucis excipiunt: minus autem lucidæ, iure minus pulchrę vocantur; nihil enim eorum, quæ ſub aſpectum cadunt, vel luce iucundius eſt, vel ad animos hilarandos lætius, vel ad mundi decorem, vel ornamentum pulchrius.

Hinc poteſt intelligi, quales vrinę æſtiuæ, quales hyemales: nempè erunt æſtiuę igneæ, aqueæ hyemales: hæ craſſæ, & multum ſedimentum habentes, tenues illæ.

Habeant ne prægnantes vrinas proprias. Num & prægnantes habent vrinas proprias? affirmat Auic. 2.1.d.3.c.3. & 21.3.c.11. quamquam aliter ibi videatur ſentire. Hic enim dicit, *Et vrina quidem prægnantis in principio prægnationis, eſt citrina ad ſubalbedinem declinans, quaſi ſit cotū in eius medio ſparſum, & ſignificat prægnationem, vrina pura ſubſtantiæ, ſuper quam eſt, quod eſt ſimile nubibus, & propriè quando in ea ſunt grana aſcendentia, & deſcendentia: in fine autem impregnationis, quandoque apparet in vrinalibus carum rubedo in loco, in quo apparuit in principio impregnationis ſubalbedo.* Secunda, at 1.d.3 cap.3. *Vrina*, inquit *turbulenta, quæ malo vino ſimilatur, aut aquæ ciceris, eſt vrina prægnantium.*

Auic.

Communis opinio. Negant at ad vnum omnes (excipio quoſdam aſſeclas Auic. & præſertim expoſitores eius in dicto loco) potiſſimum Valleſ.3 contr vlt. Aueg. in fine com. de vrin & rectè; nam vt omittam, quod nec Galen. nec Hipp. viri alioquin accuratiſſimi huius ſigni vnquam meminerunt; nihil enim prohibet quædam inueniſſe Auic. quæ nec Hipp. viderit, nec Galen. illa tamen ſufficienter propoſitum demonſtratur, quia vrina, earum tantum partium vitia potis eſt ſignificare, per quas permeat. Nec contra eſt, quod medici obſeruant illas in affectibus omnibus vt in voluulo, phreniti, pleuriti: & alij ex vrinarum ſpuma, caput eſſe affectum deducant; non enim obſeruauit vrinas in voluulo Hipp. vt voluuli naturam dignoſceret, ſed vt certior fieret, quod notat Galen. in com. num alio affectu à voluulo teneretur æger. vrinę albæ damnantur in phreniticis, quia monſtrant non expurgari corpus excrementis. Quare & male ſe habere, quia illa retenta, morbum neceſſario inferent: nunquam autem partem ſint delapſura, non ex vrinis, ſed aliunde, colligere oportet: nimirum ex notis malè affectarum partium: Semper enim in imbecillimam quamque ſit confluxus: vnde, quia habent phrenetici caput malè affectum: hinc eſt, quod vbi vrinæ ſunt albæ in phreneticis timemus potiſſimum, quia facili quodam negotio bilis ad caput aſſurget. Vrina item ſpumoſa, nil aliud monſtrat, niſi pituitæ congeriem in venis: an autem ſit ibi genita, an aliunde confluxerit, & à qua parte, non ex vrina, ſed ex notis malè affectarum partium cognoſcitur. Quo circa errant maximè, qui ſtatim ac vrinam ſpumoſam vident, à capite eſſe iudicant pituitam delapſam; nam vrina (vt eo redeat oratio, vnde illuxerat) earum tantum partium conditionem declarat, per quas tranſit. Quare cum permeet à ſtomacho ad hepar per venas, ab hepate ad renes, à renibus ad veſicam: veſicæ, renum, hepatis venarum, & ſtomachi tantum, affectiones docebit. Quare nihil eorum quæ in vtero indicare poterit. Quare neque geſtationem.

Obiectio. Dices, retineri per vteri geſtationem menſtruum in venis. Quare aliqua fiet mutatio in illis, quam vrina indicat. An

Mercur. dices cum Mercuriali 1.lib. de exer. c.7. habere vrinas proprias prægnātes, quia hæ magna ex parte ſunt infirmæ, nam, vt dicebat Hipp. *Semper virore quodam palleſcunt*, quo factum eſt, auctore Vitruuio, vt cum Mangones grauidas mulieres venderent, tamquam ſanas probarent. Af-

Confutatur. firmabimus itaque, & viduam, & virginē, vbi menſtrua illis ſupprimuntur ex morbo, geſtare vtero: geſtare item vtero mulieres vbi malè ſe habeant. Quod ſi diuerſam eſſe vrinam contendas in muliere male ſe habente ex geſtatione, aliam in eadē, vbi morbo affligatur, hoc eſt quod ſcire vellemus. At quoniam nihil tale fingi poteſt, nullas dari prægnantium vrinas affirmo, vt tamen aſſumptum illud conſtet clarius, ſit ſequens caput.

Quibus in affectibus vrina obſeruanda. Cap. IX.

1. Opin. SVnt qui tantum tribuunt vrinis, vt nullus ſit affectus, pars nulla malè affecta, cuius notitiam non cenſeant, poſſe ex ipſis facilè comparari. Contemnunt,

Secunda. ſic alij illas, vt vix venarum affectus denunciare contendant. Mediam ſectantur

Tertia. viam alij, & eorum ſententiam probant, qui neque tantum deferunt, nec tantundem detrahunt: quamuis neque hi prorſus conueniant, nam plus alij, minus alij de-

deferunt. Proestabit itaque in tanta opinionum, & opinantium diuersitate statuere, quidnam probabilius censeamus. Vt vero fiat hoc paucis, autumo indicare vrinam affectus hepatis, renum, vreterum, vesicæ, venarumque, cum proprios, tum per consensum, & alterius partis vitio excitatos. itaque cum hepar, laborãte ventriculo coacinatur, & hoc refrigerato, refrigeretur, non bene chylificate, nulla fiat ab ipso sanguificatio: per renes quandoque expurgentur spiritales partes: venæ quoque excipiant capitis excrementa, nam ad has quandoque sese exonerat: compatiantur eædem habitui corporis, & vbi refrigeratus ille in cachexia est, ipsæ quoque refrigerentur, excipiantque interdum, vel corporis totius recrementa: deducitur ex hoc, nedum monstrare posse, hepatis, renum, vreterum, vesicæ, & venarum temperiem, statum, sed stomachi, capitis, spiritalium partium, vteri, habitus corporis, & intestinorum; nam vt 4. aphor. *mictio noctu plurima facta, mane paucam egestionem significat*: cumque his comprehendantur partes ferè omnes, ferè partium omnium temperies, coctio qualis fuerit, fit, critque, poterit ex vrinis dignosci. Probatur, quia venæ, hepar renes, vesica, habẽt ferè cum partibus omnibus consensum, atque his affectis, coaffici solent, vt caput ebullientibus venarum humoribus. Sed urina monstrat proximè affectiones illarum: Ergo & aliarum quibus cum consentiunt. Bifariam ergo capitis affectus possunt ex urinis deprehendi: quia nempè excipiunt uenæ capitis recrementa, & quoniam caput pariter excipit à uenis. Idcircò urinæ crassæ, quales iumentorum, aut in quibus pendet aliquid, spumosæ, aquosæ, uel præsentem capitis affectionem denunciant, uel futuram portendunt.

Authoris.

Sed petes, si harum partium coctionẽ urina denunciat: cur obseruata est in uoluulo ab Hip. 3. epidem. ægrot. 10. Cur in febribus, quæ intermittunt obseruant eaidem medici? Tertiò si urina hepatis constitutionem denunciat, cur cum laboret frigida intemperie in hydropisi, urinæ tamen obseruantur laudatæ satis. Cur demum bonæ eædem obseruantur in febre pestiniosa, & pestilenti.

Cur vrina in voluulo obseruauit. Hip.

In feb. intermittentib.

Quomodo in hydropisi laudatæ.

In febre pestil.

Dixit ad primum Galen. obseruatas urinas in uoluulo fuisse ab Hip idemque faciendum in affectibus uentris, thoracis, pulmonum, neruorumque, non ut intestinorum, pulmonum, aut thoracis affectus cognoscamus, sed ut deprehendere possimus, an sint uenæ pariter malè affectæ; nam & si in quibus bonæ apparent, non magnum ad salutem momentũ afferent, si tamen eædem sint malæ, simul ęgri periculum augebunt. Non damno coniecturam Galen. laudo quinimò, probo: suspicor tamen obseruasse urinas in uoluulo Hipp. ut affectus naturam deprehenderet; cum enim supp. imi aluus soleat interdum ab inflammatione intestinorum, alias quia fœcum materia per urinam purgatur, præstabat inspicere illas, vt cognosceret, an multæ vrinæ, anignæ, nam hæc inflammationis suspitionem inuexissent, multæ ad vesicam esse alui excrementa deposita, & idcirco cohibitam deiectionem.

Solu.

Ad secundum dicimus obseruare vrinas in febribus intermittentibus medicos, vt venarum, & hepatis coctionem dignoscant: nam si laudata illa sit, nihil amplius mittent ad habitum corporis: at si vitiosa, adhuc febris perseuerabit, mittentibus adhuc venis ad habitum corporis excrementa, quæ febrem inducunt.

Secundi.

Tertij problematis causa, quam obscura, quam abdita sit, ex varijs modis dicendi deprehendi potest. Dicerem ego primum, non esse veram hydropisim eã, in qua vrinæ laudatæ obseruantur: illegitimam esse spuriam, & aliarum partium ab hepate, non eius culpa prognatam. Quod si contracta iam in hepate intemperie frigida, vrinæ nihilominus non obseruantur aquosæ, dicerem secundo ob eamdem causam non obseruari, hic aqueas, ob quam in dyarrhæa, & dysenteria, hepate calida intẽperie affecto aqueæ obseruantur, & tenues. ergo vt in his affectibus obseruantur aqueæ, cum tamen igneæ potius deberent esse. quia genitabilis ad aluum feponitur. ad cerebrum in phteniti: sic in hydropisi nõn apparent vrinæ aqueę, quia aqua ad abdomen vniuersa deponitur, pauca ad vrinas, quæ vel à pauca bili tingũtur. Quod si adhuc aliquis quoerat. cur laudatæ eædem sũt, cum hepar frigida intemperie laboret, dicerem primum, si diligenter illæ inspiciantur, non esse laudatas: tenues, vt plurimum sunt, sine sedimento aliquo, flauæ tamen & bene coloratę, quia numquam est hepar vsque adeò refrigeratum in hydropisi, vt nullam prorsus bilim progignat, quemadmodum, neque vnquam est idem ita excale factum, vt pituitam propterea non producat.

Tertii.

Ad vltimum dicimus obseruari quandoque in febre pestilenti, & praua vrinas bonas, quia portio humoris febrem excitantis non admiscetur vrinæ, sed in venis propè cor, & exiguis detinetur, hinc vrinæ bonæ, medicorum deceptiones, & mortes inopinatæ.

Quarti.

Quid tenues, quid crassæ vrinæ monstrent. Cap. X.

EXpositis vrinæ differentijs, esset modo de causis earum agendum; ita enim

enim alij: quia vero cum dicimus, quid quæque vrina præmonstrat, causas cuiusque attingemus, propter hanc rationem de vrinarum præsagio aggrediemur tractare: cumque differentiæ, quæ à substantia vrinæ sumuntur, primum sibi vẽdicẽt locum, ab vrinis turbatis, seu crassis, tenuibus, seu claris ordiemur. Turbatas vrinas triplices esse dicebamus, vnam, quæ clara mingitur, & deinde turbatur: alteram, quæ turbida mingitur, deinde clarescit: tertiam, quæ turbida mingitur, turbidaque perseuerat. Quare de vnaquaque istarum sigillatim dicendum. Primam, quæ clara mingitur, & deinde turbatur, damnat potissimum Galen. tamquam omnium pessimam: extollit, quæ turbida mingitur, & deinde clarescint: medio inquit modo se habere, quę turbida mingitur, turbidaque perseuerat. Huius iudicij eam rationem adducit, quia clara vrina, quę deinde turbatur, monstrat paulò post esse naturam, coctionem causæ morbificæ aggressuram, citius tamen, aut tardius prout citius, aut tardius postquam ea fuerit micta, turbari incipiet: turbidam, quæ deinde clarescit, indicat iam esse naturam coctionem aggressam, & paulò post esse eam absoluturã: citius, tardius, prout citius tardius turbatæ vrinæ clarescere incipient. Quæ turbidæ minguntur, turbidæque perseuerant, ostendunt naturam fuisse coctionem aggressam, esse nihilo tamen minus longum morbum, eumque salutarem, si vires sint fortes; sin imbecilles lœthalem. Quare rectè dictum, has medio modo se habere, quia quamquam monstrant, non ociati naturam, monstrãt pariter esse eamdem debilem, nam neque superauit, neq. spes est, vt sit paulò post eadem superatura. Cur autem vrinæ claræ, quæ deinde turbantur, naturam aggredi coctionem ostendunt: semper turbatæ, esse illam aggressam: turbatæ, quæ postea clarescunt, paulò post esse victuram, tacuit Galen. explicauit Mercur. dicit ergo, cum calidum natiuum (idem enim est quod natura) humorum coctionem aggreditur, agendo in illos, flatus excitat, qui inducti postea per vrinæ liquorem, turbant illam, nõ secus ac aqua ventis agitata: quia vero ijdem non sunt multi, quemadmodũ, nec magna est actio caloris natiui, fit propterea vt dissolutis flatibus, vrina clarescat: Contra vbi flatus sunt multi, aut crassi, vrinam turbatã conseruant. Quare morbus longus, quia multi flatus, aut crassi, non nisi à multa materia, eaque admodum crassa eleuari possunt. Demum vbi hi dissoluuntur, & lotium euadit clarum, argumento est, materiam, è qua flatus excitatur, attenuatam esse, & subactam: proinde futurum, vt mox à natura vincatur.

Quid senserit de re ista Galen.

Cur ita senserit.

Sed habent hæc non paruam difficultatem: ac primum, quia vrinæ turbantur, & clarescunt ambientis vitio. Quare non poterunt esse indicia internorum affectuum; assumptum est manifestum, quia vrinę minguntur claræ, & tales perseuerant caloris beneficio, qui partes ætherogeneas segregat, & suo quasque loco disponit: quando itaque calor corrumpetur, aut foueb tur, & fient vrinæ turbatæ, & clarescent; at potest vrinæ calor ab ambiente frigido extingui, ab ambiente calido dissolui. Quare poterit vrina ab ambiente turbari, & clarescere; nam potest flatus ab ambiente calido flatus à calore præter naturam excitari. Quare non erit in vniuersum vrina turbata indicium coctionis, sed ebullitionis quandoque alioquin non esset verus, aphor. 70. 4. sect. *Quibus vrina crassæ veluti iumentorum, ijs aut dolor capitis adest, aut aderit?* Demum vrinæ turbantur ab humoribus malè illis admixtis. Quare aliud & multo diuersum indicabunt. Antecedens probatur, quia vrina, quantum est ex sui natura, est clara, & tenuis, quia aqua: quod ergo crassescat, aliunde habet: aut ergo à coctione, quia cocta crassiora euadunt, aut quia crassa substãtia illi admiscetur: non primum, nam quantumuis aqua coquatur, nullam acquirit crassitiem: quin separatis per ebullitionem terrestrioribus partibus, euadit illa tenuior: vnde medici laudant aquas coctas, quia magis tenues. Quamcumque ergo crassitiem acquirit, eam omnem, aut flatus, aut humorum, aut mistioni alterius substantiæ, debet ferre acceptam, vnde purulentæ vrinæ, turbatæ.

An hoc indicium probandum.

Multæ rationes obstant.

Secunda.

Tertia.

Confirmatur, quia vrina fit tenuis, quoniam non commiscentur humores cum ipsa: non commiscentur autem, quia non generantur, quia mittuntur alibi, aut quoniam sunt viæ impeditæ: non generantur, quia non fit coctio: non coquitur alimentum, aut quia vis concoctiua est imbecilla, aut quoniam non retinetur. Hinc tenuis vrina in summa iecoris imbecillitate, in dyarrhæa, dysenteria, inflammatione interna, in renum, & aliarum partium obstructione, in languore coctricis, aut retentricis facultatis ventriculi. Nimirum tenuis est, cum debile est iecur, quia non gignit bilim, à qua tingitur, & crassa euadit: in fluxionibus alui, quia ad aluum, aut partem inflammatam transmittitur: est tenuis in obstructionibus, quia humores permeare non possunt, sed viarum parietibus hærent. Quare semper tenuis vrina, mala, præsertim in vigilantibus, & febre acuta correptis; indicat enim multum tempus requiri ad morbi coctionem, interea autem tollit vis morbi hominem. Est potissimum mala in pueris, vnde 2. progn. 33. *Viris, & mulieribus, vrinæ nigræ pessimæ sunt,*

Vnde tenuis vrina.

sunt, pueris vero aquosæ.

Controuers. decisio.

Quid ergo dicemus? vt istud assequamur, oportet primum diligenter inquirere, cur turbantur vrinæ, causis enim his cognitis, intelligemus facile, an sint malæ, an semper damnandæ, & quantum mali portendant, Eia proinde istud faciamus.

Turbatæ vrinæ causæ.

Vrina est substantia quædam aquosa; ergo ab ijsdem perturbatur causis, à quibus aqua. Turbatur aqua quandoque quia agitatur: euadit alias turbida, quia crassa substantia illi admiscetur, fitq; plus minus turbida, prout crassior, tenuior est materia, quæ illi admiscetur, nigra, candida, rubra, fusca, maiori copia, minoriuè. Præter has nulla est alia, quæ possit turbare. Quare erunt causæ vrinæ turbatæ aut motus tantùm, aut crassæ substantiæ cum ipsius liquore permixtio. Non habet prima causa hic locum; agitatur enim cum febre ardente tenemur, cùm confertim mingimus, nec propterea turbida obseruatur. Quare vnica erit turbatæ vrinæ causa, crassioris substantiæ, & opacę, cum ipsa permixtio, seù si flatus crassus, & viscidus, seù materia, quod censeo magis verum, nàm quoties turbatæ vrinæ clarescunt, semper in fundo earum, crassa quędam materia subsidet: non subsideret autem, si à solo flatu vrina turbaretur.

Cæterum cùm quiuis humor habeat opacitatem, & crassitiem, poterit quiuis humor vrinæ permixtus ipsam turbare. Et quidem turbari illam à sanguine, docet mictus cruentus: turbari eamdem à bili, docent vrinæ ictericæ: idem fieri à melancholia, pituita, purulenta materia, & seminali, notius est, quam vt aliqua egeat probatione.

Contingit autem misceri, quia à natura mittuntur ad partes vrinæ excernendæ dicatas, ibique à calore agitantur; facit enim calor in vrina, quod ventus in mari. Itaque velut venti cænosam substantiam, quæ vel in aquæ fundo stagnabat, commouentes, & aquæ admiscentes, illam reddunt turbidam: haud secus calor ebullitione eleuans partes quasdam crassi humoris, & cum liquore admiscẽs, in causa est, cur turbida mingatur vrina.

Cur clarescit.

Clarescit verò, aut eodem perseuerat modo, ob eamdem causam, quæ facit, vt aqua turbata clarescat, aut conseruetur turbata. Clarescit aqua, quia grauior luti portio, quę ipsi erat admixta, à grauitate impulsa, dissecat partes aquæ, & ima eius petit, vnde expurgata aqua à cęnosa substantia, qualis erat suapte natura, diaphana euadit. Conseruatur alias turbata, quia sic tenaciter crassę terrę partes, cum partibus aquę sunt admixtę, vt non valeant descendere, nisi causa aliqua calfaciens accedat, quę rarefaciendo partes aquę, in causa sit, vt cedant particulis terrę, ad ima descendere cupientibus. Ergo vrina turbata clara fiet, quia humores ipsi admixti secantes partes liquoris, fundũ matulę petunt: turbata alias conseruatur, quia crassa humoris portio, sic est cũ vrinę liquore permixta, vt non valeat cõtranitentes partes vrinę vincere, & ad ima delabi: aut quoniam ob crassitiem, pars vna adhęrens alteri, non potest descendere: cumque maior ista permixtio, & validior fiat à maiori commotione, & humoris crassitie, propterea fit, vt vrina, quę turbata seruatur, duas ob causas sit magis formidanda, quàm alia, altera est, quia maiorem indicat commotionem in succis. Altera, quia indicat humoris admixti maiorem crassitiem: hęc autem difficilius vincitur.

Turbida vrina quæuis mala.

Tantum itaque abest, vt aliqua vrina turbata probetur mihi, vt sit omnis suspecta. Equidem si quod ait Gal. verum esset, vrinam, nempè turbatam, quę postea clarescit, indicare naturam aggressam iam esse coctionem, eamque breui tempore esse absoluturam, nulla esset ferè febris salubris, in qua vrinæ turbatę non obseruarentur, quando, vt ait Mercur. agente in humorem calore flatus suscitatur, qui turbat vrinam; nunc verò neque hoc obseruamus in salubribus febribus, natura in coctionem incumbente, neque vnquam non summum timorem incutiunt.

Quid quæque portendat.

At quęres, quod malum portendunt, quantum timoris incutiunt? Respõdeo, si turbentur à gonorrhea, aut purulenta materia, tantum sunt illę timendæ, quantum gonorrhea, vlcera renum, vesicę, aut alterius partis, e qua prodijt purulenta materia, Si ab humore, distinguendum, vel enim turbatur ab eodem humore, qui est causa morbi, aut alio: si ab alio, malum, nam vt aphor. 2. 1 part. *in perturbationibus ventris, & spontinis vomitibus, si talia purgentur, qualia oportet purgari, confert, & leuiter ferunt*. Si ab eadem, adhuc distinguendum, vel enim apparet in principio morbi, vel inclinatione eiusdem, & coctione peracta: si morbo inclinato, sunt laudandæ, expurgatur enim corpus ab ijs, quæ intus detenta, incommodo non exiguo esse poterant corpori. Si eo adhuc crudo turbentur, malum, nam vt benè Hippoc. *decretoria non statim appareant*. Erit autem plus, minus timendum pro varia humoris turbantis natura, & naturę robore, nàm sanguis, & bilis, quamquam multum excedant, facilius cedunt, vincitur difficilius pituita, aut melancholia, difficillimè omnium atra bilis: vnde 4. aphor. 22. *morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra, vel infra exierit, lethale*. Exitiosior cunctis erit vrina, à colliquata substantia perturbata, vt in malignis febribus, & prauis non rarò obseruaui; ex partibus autem nostri corporis, timẽdum maximè est capiti, nam bullientibus succis, magna vapo-

vaporum copia attollatur necesse est. Quare facilè in cerebrum irruent. Cum vero pituitosa substantia maximè vaporosa sit, vbi ab hoc humore turbatur vrina, est maximè capiti timendum, vnde 4. aphor. 70. *quibus vrinæ turbatæ, quales iumentorum* (sunt hę albæ) *iis, aut dolor capitis adest, aut aderit*: doloris autem nomine, capitis affectionē intellige, nàm Auic. timet ab his vrinis lęthargum, idemque apertè colligitur ex historia Polimanthi in 7. epid. & vxoris Dromead. 1. epid. com. 3. hist. 11. Nec deponēda capitis cura est, si à bili, aut alio quouis succo turbentur; nam succi ebullientes naturam stimulant, quę ineptè ad cerebrum non rarò eos deponit, vnde phrenitis non rarò post turbatas vrinas, & vigilię. Confirmatur, nàm ad excitandum hunc affectum, satis est si calida in capite discrasia induceatur, quę cum induci facili negotio possit, vbi tātus est feruor, est & hoc quoquè in causa, cur capiti debeamus timere in vrinis turbatis.

Vnde redditur ratio, cur cùm natura vacuet per secessum crudo iam morbo, ab hac vacuatione minus timeamus, à turbatis vrinis magis, cùm tamen plus humoris extrudatur per aluum, quam per vrinam. Ratio est, quia excretio facta per aluum, aut copiam tantum monstrat, aut prauam qualitatem: vrina turbata, pręter hęc omnia, feruorem, ebullitionem, & graues capiti affectiones. Adde, quod hoc ipso grauior est, quia minori copia excernitur humor, nàm compertum est, excretionem quamcumque, si exigua sit, eamdem prauam esse.

Quid de vrina, quę mingitur clara, mox uitio ambiētis frigidi turbatur, nàm hyeme, & quouis tempore frigido, hoc potissimum accidit: unde uolētes medici procurare, ne corrumpatur in loco calido, & propè ignem apponunt.

Nihil inde, putat Argent. posse colligi. Galen. censuit, malam esse, quia indicat naturam nondum esse concoctionem aggressam, nec spem dat fore aggressuram. Neutri ego assentior, puto enim, posse aliquid colligi, non tamen illud Galeni, sed quid longe diuersum, imbecillitatem nimirum caloris, quippe qui adeò est exilis, ut ambienti resistere non possit.

Quid quantitas vrinæ indicet.
Cap. XI.

VRinæ quantitas, debet proportione potui respondere, ciboque. Vitiosa itaque vbi secus fiat, cumque contingat recedere à quantitate laudata, quoniam plus iusto maior, minorque: quid multa vrina paucauè significet, declarandum hoc capite. Vt tamen tollatur ęquiuocatio omnis, placet primum aduertere, cùm

Quæ quantitas vrinæ considerãda.

multa fiat vrina vsu diureticorum, pauca protitato sudore, vel aluo: non esse hoc loco sermonem, de vitiata quantitate ob causam externam; constat enim, in ferendis iudicijs, contemnenda esse cuncta, quæ ob externam occasionem contingunt. nō loquemur de critica, sed de symptomatica disputabimus.

Auic. 2. 1. d. 3. cap. 7. instituens de re ista sermonem, *Vrina*, inquit, *quæ pauca exstit quantitatis, virtutis significat debilitatem*. Quid tamen sit ista debilitas, quęuè virtus hoc casu sit debilis, haud exposuit; fortasse, quia non erat admodum arduum id diuinare; enimuerò, cum vrina deducatur ad renes, tracta ab ipsis, expulsa ab alijs nostri corporis partibus, quibus erat onus futura. nulli dubium esse poterat, vbi non excernatur, aut minus, quam expedit, illud fieri, aut quia partes non pellunt, aut quoniam non trahunt renes: cumque accidere hoc possit, aut quia vis tractrix nequit trahere, expultrix expellere, aut quoniam permeare nequit obstructis vijs, vel à renibus ad cauitatem vesicæ: vel ab huius cauitate ad fistulam vrinariam: erit pauca vrina inditium, vel debilis tractricis renum, vel expultricis renum, vesicæ, & aliarum partium nostri corporis: & hoc duplex, vel ipsa eorum substantia labafactata, vel vijs impeditis. Nempè non trahunt renes quandoque, quia refrigerata eorum substantia, trahendo non valent: cessant alias id facere, quia lapillo, e. g. extrudendo, dum vacant, ad trahendam vrinam impotentes euadunt: ad expellendam & ipsi, & vesica. Excernitur alias exigua copia eadem, quia maior pars à calore multo est in halitum dissoluta. idcirco pexima est in febre ardente pauca vrina, & in vniuersum exigua eius copia damnatur; nam si genita retineatur, hydropisim facit, & infinita alia incommoda inuehit. Auic. cit. loco, *& illa quæ est minus eo quod bibitur, resolutionem significat, & ventrem habere aptitudinem ad hydropisim*, præsertim vbi nihil in halitum dissoluunt, tum quia frigidum est eorum corpus, cum quia habitus densus. Copiosæ vrinæ vnica causa est, aquosæ substantiæ copia ad renes, & vesicam delata, neque enim satis est multum serū gigni, quo multa vrina habeatur; posset enim genita seruari in corpore, sudore vacuari, aut discuti: mingi est necessariū. Quare duæ sunt causæ multæ vrinæ: altera, quę multam gignit aquosam substantiam: altera quæ ducit ad renes, & vesicā. Gignunt multam (mitto causas externas) frigida stomachi hepatisq; intemperies, & colliquatio corporis. Ducitur ad vias vrinarum, aut pulsa, vt in crisibus, vel tracta à renum exurenti calore. Multa vitio stomachi, aut hepatis frigidi, mala: laudata critica: praua quę à renum plus iusto sugentium exurenti calore: omnium pexima,

Auic. de pauca vrina sententia.

Multæ vrinæ causæ.

ma, quæ à colliquatione. Sed cum liquari possint contenta, vt humores, continentia, vt pinguedo, & caro, nàm partes spermaticas, viuente adhuc homine, non puto posse eliquari, non est æque omnis mala, & timenda, sed quæ colliquatis sit humoribus, minus habet discriminis, plus quæ à liquata pinguedine procedit, præsertim si vetusta illa fuerit, non recens, si vniuersi corporis, non renum dumtaxat: omnium tamen pexima est, quę à carnium liquatione ortum habet.

Signa. Dignosces factam ex liquata pinguedine, quia in ea veluti, aranearum telæ supernatant; non obseruantur in alijs, quæ vel liquatis humoribus fiunt, aut continuptis carnibus. Distingues hanc ab illa, quia ab humorum liquatione facta, multa est, & febrem necessariò adiunctam non habet: quę contra ex carnium liquatione habet ortum, copia multa non est, at febrē habet annexam, sensu quidem exiguam, mirè tamen infestam, & exitiosam; nàm natura hectica est, constitutione acuta, siquidem breui extinguit.

Non debet itaque benè spetare medicus, & tamquam debellatus sit morbus, triumphare, statim ac videt minori copia vrinam excerni: sed tunc gaudeat, quando id factum conijcit, repressis causis lotij copiosi: vbi idem fit, quia liquata materia, non expurgatur, sed intus detinetur; (vel ob tractricis renum debilitatem, aut partium expellentium languorem) vel, quia consumptis humoribus, & pinguedine, in carnes sæuit calor, & debacchatur, ab his autem non potest tanta extrahi aquosę substantiæ copia: tristetur tunc medicus, quamquam vulgus lętetur; mox enim à retenta aquosa substantia, febris succedet lethargica: depopulante igneo calore carnes, febris habitualis: ab vtraque mors breui. Ita obseruaui in Ioanne Hieronymo Natali Summariæ Præsidente, Ill. Isabella de Tocco S. Elię Ducissa, & dum hæc typis traderem in Illustrissimo Marchione Cerellæ D. Antonio Manriquez. Nempè gaudentibus medicis, & benè sperantibus, quod vrina minori copia, & ferè naturali excerneret, primus lenta febre, & lethargica in suppressa vrina coorta, breui perijt: cœteri, ab exigua, & ab alijs neglectui habita (hecticæ enim naturam referebat) paucorum dierum spatio extincti fuere.

Velim proinde, medicos omnes monitos, ne statim in vrinę profluuio vtantur incrassantibus. neuè ijs insistant, quæ adstringendi vim habent, aut admodum renes infrigidantibus; ab his enim debilitata vi renum tractrice, ab illis incrassata materia aquosa, detinebitur: infert autem detenta grauiora symptomata. Prætcrea in dyabete est renum tantùm feruor, nam velociter attrahunt: alia vrinæ profluuia, aliarum partium intemperiem agnoscūt, renes rectè munere proptio funguntur. Quare nullo morbo laborant. Non itaq; infrigidandi, ne in frigidam intemperiem labantur.

Moneo secundo, ne statim ac compressum profluuium vident, salutem promittant; potest enim hoc fieri deficiente materia apta ad eliquandum, non emendata intemperie colliquante. Distinguet hoc autem tenor virium, pręsertim verò pulsus, nàm vbi emendari cœpit intemperies, & ob hanc causam fluxus imminuitur, vires fiunt validiores, & omnia symptomata remittuntur, vt sitis, stipticitas alui, macies, languor: contra, calore vlterius sæuiente, & in carnes serpente, quàquam minori copia excernatur vrina, vires tamen omnes in peius delabuntur, & ruunt, cœteraque symptomata, aut perseuerant eadem, aut maiora.

Quid odor vrinæ indicet.
Cap. XII.

Multas esse vrinę differentias ab odore desumptas, ex dictis constat: nempè quædam benè olent, nil olent alię, sunt aliæ admodum fœtidæ, olent mediocriter aliæ. Ex his omnibus laudantur hæ vltimæ: communi omnium sensu, cęteræ omnes damnantur, & iure; nam quæ aut bene olent, aut nihil olent, quod obseruasse refert Trinc. lib. 10. de curat. aff. part. cap. 11. in fratre Card. Pisan. & in Abbatissa cuiusdam Monasterij Murani, summam stomachi, hepatis, & renum, & aliarum partium imbecillitatem ostendunt, quippe qui nullo pacto potum potuerunt mutare. Nimis fœtidę arguunt, vel insignem putredinem, vel summam cruditatem 2. progn. 28. & 32 nam in crudis, nondum facta est bona sicci cum humido permixtio: in ijs quę putria, laudata illa mixtio qua gaudebant, corrupto calore, & non amplius dominante dissoluitur. Et cruda itaque, & putria cum malè oleant, aut summam cruditatem, aut insignem putredinem male olidę vrinę indicabunt. Interdum humorum qui in venis existunt, quandoque eorum, quæ stagnant in vesica: sunt alias, aut vesicę, vel renum excrementa; cùm enim prauus odor vrinę, ab ijs inferatur, quę cum ipsa admisceantur, est enim odor passio perfecti mixti, misceantur verò vrinę quandoque humores, qui in venis, alias ea, quæ à vesica malè affecta promanant, aut renibus, indicabit propterea prauus vrinarū odor, vel prauam venarum dispositionē, vel prauum aliquem affectum vesicæ, renumque, hoc est vlcus.

Bene olida mala.

Et admodum fœtidæ.

Quid, & quas partes malè affectas significent.

Venarum esse dignosces, si nullæ adsint notę male affectę vesicę: hanc esse in culpa affirmabis, si laborantis vesicę indicia habeantur: & venas, & vesicam culpaue-

 ris,

tis, si vtrẹq; laborent. Dignosces secundo, quia aliud pus, humor aliud: vbi ob humores mixtos male olet vrina, venas culpabis: vbi ob puris miscellam, aut vesicam, aut renes, aut abscessum in alia parte ruptum, & per vias vrinæ expurgatū. Est hęc perpetuo mala, nam semper à renibus, aut vesica vlcerata prouenit; nullum autem potest vsum habere, aut vlcus vesicæ, siuè renum. Interdum vtilis alia, nam quamquam fœtida vrina semper malæ dispositionis sit index, potest tamen prodesse quandoque, vt cum criticè e. g. per vrinas, corrupti, & putridi humores expurgantur; idem enim de vrinis, quod de alijs excretionum speciebus iudicium. Quare, vt illæ, esto fœtidæ ad animalis commodum, nō rarò à natura reiectatur; sic poterit quandoque criticè, hac via humor putris, & fœtidus expurgari. Afferrem ad hoc comprobandum historias multas, quia tamen est res clara, satis erit vnius Hippocratis testimonium, hæc 4. aph. 47. scribentis, *excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ, sed si prospere excernantur, siue per excretiones, siue per vrinas bonæ*. Quando autem criticæ sunt, quando contra symptomatice excernantur, in lib. de crisib. dicemus.

Possintne varij vrinarum colores, varias corporis affectiones monstrare. Cap. XIII.

POstquam dictum, quid varia vrinæ substantia monstrat, quid quantitas, & eiusdem fœtor, id esset modo consequēs, vt de inditijs sumptis à diuersis eius coloribus sermo haberetur, nam, vt supra diximus, magna est vrinarum varietas, si illarum varios spectemus colores. At quoniam incompertum est, an valeat color vrinæ, varias corporis affectiones monstrare, propter hanc rationem decreui, examinare id breuiter.

Probatur pars quæ negat. Quæ origo coloris.

Non posse sumi ex coloribus argumētum, ad indagandam rei alicuius temperiem, seù quamcumq, aliam affectionem, videtur apertè monstrare coloris origo; nam cum sit color passio mixtorum, vt communis ferè est Philosophorum opinio, trahet suam ille originem ex elemētorum miscella: vnde cum sint in elementorum quocumque hæc omnia, materia, forma, primæ qualitates, diaphaneitas, & opacitas, fiat necesse est, aut ex materierum, seù iuxta positione, seù mixtione, vel mixtione formarum, vel qualitatum primarum, aut diaphaneitatis, & opacitatis: At negant omnes ex materierum, aut formarum miscella, colores fieri: non nasci eosdem à primis qualitatibus, monstrat illud, quia ijdem colores reperiuntur in mixtis contraria temperie præditis, vnde nix, calxq; albicant, nigricat piper, & carbo extinctus: fient itaq; ex mixtione diaphani cum opaco, vnde illud tantum habebimus è colore, excellere nimirum opacum, aut diaphanum: nempè in albedine excellit diaphanum, abundat in nigredine opacum: quod vero corpus diaphanum abundet, aer ne, ignis, an aqua nequaquam poterimus ex colore addiscere. Quare nec primarum qualitatum excessum cognoscere. Quid si dicas, colorem esse lucem in corpore diaphano, terminatoque receptam, seu esse lucem quādam ex terminatione perspicui corporis quodammodo obscuratam, terminari vero quandoque ex corporis opaci admixtione, quandoque perspicuo corpore condensato, vt patet in glacie, niue, & alijs huiusmodi: eodem argumento conficiam, nec ex colore argumentum temperiei sumi posse; nam perspicuum illud, in quo lux est recepta, incōspicuum ett, fuerit ne aer calidus, humidusq;, an ignis summe calidus, siccusque, an aqua frigida, & humida. Quare hæreas necesse est, dum vis statuere, an calidum sit mixtum, an frigidum siccum, an humidum: vtrumque enim facilè contingere potest: nempe humidum fuerit, frigidumque, si in aqua lux illa sit recepta: calidum siccum, si in igne, calidum humidum, si in aere.

Negaret eam partem laudat Author.

His coniectus, do arma, manusque, nam quod quidam dicunt, in ijs quę sunt frigida candidaque, posse affirmari, quo sunt candidiora, eo esse frigidiora: in nigris calidis, quo nigriora, eo calidiora: reijcit experientia Auicen. nam comperijt eas quasdam, quo magis albæ, eo calidiores fuisse: non contemnam propterea obseruationem colorum vrinarum, sed tamen ex colore ipsarum, cum cuiusque excreti, certum sumi indicium arbitror dominantis succi, vnde & temperiei animalis; nam quāquam in alijs dubij simus, quodnam sit corpus perspicuum, ex cuius terminatione fit color: certi tamen sumus, aquosi excrementi diaphaneitatē, ab humorum opacitate terminari; enimuero cum corpus vniuersum secetur in continentia, contenta, & impetum faciētia, nec possit colorari vrina à continentibus, vel ijs, quæ impetum faciunt, est reliquum dicere, terminari ab humoribus: cumque ex humoribus sanguis sit ruber, pituita alba, cholera flaua, nigra melancholia, seù naturalis, seù vsta; quis non videbit nigram vrinam fieri ab atra bili, melancholia, aut sanguine nigro: rubram à sanguine: crassam, & albidam à pituita, à cholera flauam? Cumque omnes vrinarum colores intensione differant, remissione, nam datur vrina intensè nigra, & mediocriter nigra, multum, parumque flaua: erit quoque cuique notissimum, tales fieri, pro varia humorum redundantia,

Laudat tamē vt vrinarum color obseruetur.

ria, quę cum variam hepatis intemperiem arguat, præstabit non parum animaduertere, nedum varios vrinarum colores, sed & cuiusque alterius excretionis.

Quid nigra vrina indicet. Cap. XIV.

Hipp.

PErtractans Hippocr. de nubecula nigra (idem enim de contento, & liquore iudicium) *Nubecula*, inquit, *quæ innobitur in vrina, si candida, bona est: si nigra, exitiosa*: quam sententiam repetens postea & extendens tex. 32. eiusdem 2. progn. ait, *Ex vrinis verò magis exitiosæ sunt fœtidæ: aquosæ & nigræ, & crassæ*. Hippocr. ita

Galenus.

assentitur Galen. 1. de cris. 12. vt dixerit se neminem eorum, qui nigram vrinam minxerunt, vidisse seruatum, dat rationem, quam repetit postea 2. progn. 29. *quia nigra subsidentia, vel excedentem caliditatem, & igneam ostendunt, vel ex frigiditate vehementi extinctionem; sic enim, & extrinsecus nostri corporis partes nigro affici colore videmus, partim scilicet ex nimio calore, vt qui sese soli exposuerunt, partim ex vehementi frigore, et veluti mortux, quemadmodum in senibus, et quomcumque alijs refrigeratis*.

Dubitatur aduersus eius dictum.

Cuius ratio, & oratio dubia: illa quidem, nam partes internæ nostri corporis, numquam frigent, calent semper: aut nunquam ita frigescunt, vt possint vrinam denigrare; alioquin cur omnes qui pereunt, nigras non excernunt vrinas? pręterea vrinæ colores, non fiunt à primis qualitatibus, sed à varijs succis vna cum liquore permixtis. Quare &c. Hinc qui-

Reiectaturque expositio quorumdam. Et Aetij.

dam hunc in modum interpretantur Galen. vrina fit nigra; vel ab exurente calore assante humores, vel ab extinctione caloris naturalis, cuius interitu sanguis ater euadit, & in grumos concrescit. Ita Aetius, Capiuac. Valles. 3. lib. contr. c. 20. qui nec satisfaciunt; nam ratio cur sanguis grumescat, non est frigefactio, quemadmodum nec calor est in causa, cur idem fit liquidus, vt 4. meteor. cap. de concr. Arist. Dubia itaque ratio.

Dubitatur aduersus sententiam.

Et oratio; cur enim quis pereat, si morbo melancholico afflictus, nigras excernat vrinas, & causa morbum faciens vacuetur? equidem omnino æternæ veritatis est dogma illud Hippoc. *si talia purgentur, qualia oportet, confert*. & illud 4. aph. 47. *Excretiones liuidæ, cruentæ, fœtidæ, bonæ, si bene: malæ, si male*. Quare ni Hippoc. pu-

Nigra vrina quandoque salubris.

gnet cum seipso, interdum nigra vrina lęthalis fuerit, quandoque salubris. Nec propterea contradico Galen. nam quamquam dicat, se nullum vidisse seruatum eorum, qui nigras minxerunt vrinas, non negat propterea, quin quis possit easdem salubriter mingere: quod ita esse facilè intelliges, si memoria repetas, nigras reddi vrinas, nigro illis humore admixto. Quare mixta melancholia, atra bili, aut sanguine nigro; miscetur hic autem, vel adapertis renum venis, vt in mictu sanguinolento, seu renum hemorroidibus, aut ijsdem lapillo vlceratis, aut verberibus inflictis. At quædam horum possunt criticè fieri; neque exitiosæ, quæ verberũ occasione fiunt. Quare est hunc in modum res decidenda. Vrina nigra à uerberibus, aut alia externa causa contemnenda: à lapillo, seu menstruis imminentibus laudanda; imminet enim, vbi illa apparet, lapilli excretio, à renum hemorroidibus facta, vel contemnenda, vel non multum formidanda: laudanda quandoque, vt cũ fit, natura sese exonerante. Quę ab humore fit melancholico, aut atra bile, si criticè fiat, laudata: sin per initia morbi, in quibus nihil decretoriè excernitur, pessimum 4. Aphor. 22. *Morbis quibus libet incipientibus, si atra bilis supra, vel infra exierit, læthale*. Et aph. 21 eiusdem lib. *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, pessimæ*. Cur ita? ab atrabile, est quod timeas; fit enim ab exurente calore, cum quo vix quispiam viuet: at melancholiæ prouentus, nullam extremam intemperiem arguit, nam neque ipsa est admodum calida, neque admodum frigida. Est nihilominus pessima huiusce humoris excretio crudo adhuc morbo: non solum communi illa ratione, qua vacuationes quæcumque per initia morbi reprehenduntur, sed huic peculiari: nempe quia hanc debent humores inter se habere proportionem, vt sanguis cæteros quantitate superet, post sanguinem pituitæ sit plurimum: post pituitam sit multum bilis, minima portio, melancholiæ debetur. Quare vbi tanta eius copia coaceruetur, vt cogatur natura ante coctionem excernere magnum arguit à statu naturali recessum. Quare iure pessima censetur.

Vtra peior, nigra an liuida? ab hac timent magis, quia & artuum liuor læthalior est, quàm eorumdem nigredo 2. progn. 9. & quia semper liuor à frigiditate, nigredo quandoque à calore. At longe dispar ratio est urinarum, & artuum; hi enim possunt ob summum frigus liuescere, & nigrescere: non ita partes internæ, a quibus manat urina. Quare neque urina. Quid proinde? Num minus formidanda urina liuida? minimè quidem, sed hæc, & meo sensu læthalior, ob eam tamẽ causam, quia urinæ tam nigræ, quam liuidæ à nigri humoris miscella tales fiunt, sed illæ plus habent nigri humoris admixtum, minus liuidæ: at exigua excretio, est multa, semper peior. Sed albæ me uocant urinæ. Quare ad illas stilum disputationis conuertam. — Quæ vrina peior, nigra, an liuida?

De alba, eaque tenui vrina.
Cap. XV.

VRinę nigræ opponitur alba. Quare iure post illam, de ista dicetur: quia vero hęc duplex, alba, tenuisque seu lucida & crassa: primo de illa, secundo de crassa instituemus sermonem. Vrina, & aqua, vel nullum habet sua natura colorem, aut est alba. Quia vero delata ad hepar, varij cum illa succi miscentur, hinc fit, vt varijs tingatur coloribus. Vnde quia admiscetur illi, dum corpus rectè se habet, bilis flaua; nam si vniuersa ad aluum deponeretur, sæpè animal dysenteria laboraret: & nisi admoueretur hic stimulus, vix natura ad expellendum insurgeret; hinc flauus naturalis vrinæ color: plus minus, prout calidior est temperies, victus ratio calidior. Quando itaque nulla bilis vrinæ admiscetur, enadit alba. Quare, & præter naturam: magis vitiosa, minusuè, pro varietate causarum, à quibus fit, vt nihil admisceatur: potest enim hoc fieri, quia bilis non gignitur: quia mittitur alibi, quia permeare non potest. Potest tandem vrina alba enadere, quia non retinetur, quousque gignatur bilis, & illi admisceatur. Hac ratione cum bibitur multum, cum potus acet, aut tenuis: cum non retinetur vi contentrice languente, vrina fit alba. At si satis, supetque retenta, alba nihilominus excernatur, & aquea, idque fiat humore non genito, summam argnit caloris natiui miseriam; quæ enim maior esse potest, quam eo vsque depaupetari, vt ne bilim quidem flauam, quæ vel intẽperato est corpore, progignere valeat? benè Gal. 2. prog. 32. *Vrinæ quidem tenues, colore verò albæ, sunt summam humorũ ostendentes cruditatem, concoctricis verò facultatis debilitatem.* Quod si tales fiant, quia humores vrinæ admixti per angustos meatus permeare nequeant, indicat id summam obstructionem. Hac ratione albæ, & tenues sunt nephriticorum vrinæ, & eorum, qui lapide vesicę laborant. Cęterum, vbi eadem est alba, quia humor alibi confluxit, tantumdem timenda est, quantum mali portendit, humoris decubitus ad illam partem. Vnde si alba fit vrina, quia bilis ad inflammatum pedem, aut aluum adcurrit, nihil mali portendit: est enim pes, pars ignobilis, & aluus excernendis humoribus dicata est. At si alba fiat vrina, bili ad caput delapsa, est certè tunc temporis maximè timendum. Vnde Hipp. 4. Aph. 72. *Quibus vrinæ albæ, & perspicuæ malæ, pręsertim si in delirantibus appareant.* In vniuersum ergo, sempet vrina alba, est mala; nam vel indicat bilim non gigni, vel alibi mitti, aut non posse per angustos meatus permeare, sed satis de alba tenui, nunc de ea, quę crassa est, & alba dicendum.

Cur bilis vrinæ admiscetur.

Quæ causa immediata vrinæ albæ. Quæ remota.

Quæ quoq. vrina alba significet.

In vniuersũ quare est mala.

Quid alba, crassaque vrina indicet.
Cap. XVI.

FIt hæc crassa substantia, eaque albicãte, vrinæ admixta. Potest esse substantia hæc crassa, albaque varia & multiplex: nimirum pituita, eaque varia, modo salsa, modo insipida: est interdum pus, & semen, fit alias à colliquatione carnis, seu pinguedinis. Quoties ergo huiuscemodi vrinæ inspiciuntur, vel purulentæ illæ erunt, vel phlegmaticæ, seu pituitosæ, vel pingues; nam quamquam nimis vetusta pinguedo sit flaua, recens tamen albicat. Distingues pingues à pituitosis, & purulentis, quia in istis multa & copiosa subsident, pinguia supernatant: sed quamquam, & pus, & pituita subsideant, hæc tamen tenacitatem habet & lentorem: secatur facilè in partes purulenta substantia. Omitto fœtorem, quia vbi pus è partibus longinquis descendit, amittit fœtorem, & vbi pituita diutius in vesica detinetur, adhuc ipsa contrahit odorem prauum. Monstrant hæ varios affectus, & varium motborum euentum. Quod spectat ad vrinas purulentas, exulcerationem hæ significant, aut vesicę, aut renum penis, vreterum, aut aliarum partium suppurationem, quę per vrinæ vias expurgantur, vt pleuritis. Vnde mirari licet, Hipp. qui 4. aphor. 75. scripsit, *si sanguinem, aut pus minxerit, renum, aut vesicæ exulcerationem significat;* nam quod spectat ad sanguinem, vt & hoc addatur, potest ille mingi, nulla parte vlcerata, sed laxatis vijs ob madorem, & criticè, natura sese à multitudine exonerante. Certum hoc, vel ipsius Hippocratis testimonio, nam 2. proreth. *Sanguinis,* inquit, *mictus rarus quidem, sine febre, aut dolore, nihil mali indicat, verum lassitudinis sensus tollitur.* Nempè, vt moderata, & per temporum interualla repetés vacuatio ex venis sedis, aut vteri, est proficua, quippè qui leuat corpus, quo veluti sarcina premebatur: haud aliter proderit, quæ pet renes fit vacuatio sãguinis, præsertim cum fieri illa possit nullo renum vitio, eodem Hipp. Auctore, nam 2. de natura hum. propè finem scripsit, *Quibus vrinæ cruentæ sunt, ijs est in venis vitium.*

Crassæ, albæque vrinæ causa proxima remotaque.

Causarũ signa.

Idcirco dubius aph.

Conati propterea sunt multi, vt vindicarent Hippocratem tum ab argumẽtis propositis cum à contradictione, adductum aphorismum interpretari, & in bonum sensum trahere: Mutarunt quidam, vt refert Galen. in eius aphor. com. literam, & loco aut, & apposuerunt in hunc modum: *Si sanguinem, & pus mingant, renum, aut vesicæ exulcerationem significat,*

Prima expositio.

ficat, quasi alterius excretio, non modo renibus, aut vesica vlcerata, sed quauis alia parte patiente, posset fieri. Addit Gal. aliam limitationem Galen. *& si quis*, inquit, *sanguinem, & pus longo tempore mingat, renum, aut vesicæ vlcerationem significat*, nam ly mingat, ea differt ratione à minxerit, quia hoc vnicam excretionem significat, multas mingat, & repetitas, quod pariter lib. 4. com. 46. in verbo incidat adnotarat.

Sed neq. hoc modo explicatus aphor. est semper verus; nam potest contingere, vt pus, & sanguis ex thorace prouenient, & per multum tempus, vesica, aut renibus nihil patientibus. Narrat in com. aphor. 46. Holl. mulierem quamdam sui temporis, quatuor menses integros pus, & sanguinem excreuisse: Vnde autumabant omnes, renes esse vlceratos, quod tamen falsum esse experientia docuit, nam muliere dissecta, integri reperti sunt renes, vesica integra: duo at incrant calculi in corde, abscessus multi, qui quoniam per vrinas purgabantur, pus in transitu, renibus inferebat dolorem.

3. Holler. Hinc dixit Holl. aphor. verum esse, vt plurimum, idemque censuit Triuer. nec putauit aliter opinandum Valles. dixit enim, ita fuisse scriptum ab Hipp. non quod aliter fieri non posit, sed quia prima coniectura ab exeuntibus, semper fertur ad partem vnde exeunt. Hos sequutus, idem sum quandoque opinatus, 4. Martian. vera. donec. Mart. me docuit, si rectè intelligatur aphor. verisimum esse, nec vlla limitatione indigere, quod vt suadeat præmittit, aliud esse mictum cruentum, aut purulentum, aliud mictum puris, & sanguinis; primus enim significat exactam puris, vel sanguinis mixtionem cum vrina: in mictu puris, aut sanguinis, non est facta hæc exacta commistio, ac propterea ab vrina seiuncta, fundum matulæ petunt: quo posito, subdit secundo, primā vrinam, cruentam nempè, & purulentam perpetuo fieri culpa venarum, & partiū supra renes: contra puris, aut sanguinis mictus, non nisi renum vitio, aut vesicæ contingere potest. Ratio est, quia vbi optime pus, aut sanguis cum vrinæ liquore est permistus, à coctione hoc haber, quæ cum fiat in venis, in partibus supra renes sanguis mixtus fuerit, pus prognatum. Contra, vbi imperfectè mixta fuerint, non erunt per coctionem admixta. Quare in renibus, aut vesica congesta; vbi itaque sanguinem, aut pus minxerit, renum, aut vesicæ vlcerationem significat.

Obiectio. At obijcies nam posset è vasis vrinam deferentibus venire, & è virga vrinaria. Posset tertio sanguis è renibus, aut vesica manare, aperta tantum renum, aut vesicæ vena. Quare non significabit exulcerationem, sed passionem dumtaxat huiusmodi partium, modo tamen erit vicus, modo apertio, aut rarefactio.

Sol. Sed primas duas difficultates soluit in com. Galen. nam quod spectat ad primā at, renum voce, vasa quoque vretera intelligere Hipp. secundam facile eluit, siquidem virga vrinaria affecta, citra mictum pus manat, & sanguis, vnde inficiūtur camisiæ. Ad tertiam si aphor. legatur coniunctim pus, & sanguinem, non habet locum aliquem difficultas: si seiunctim, exulcerationis nomen e. g dic appositum, vt frequenter facere, est in more Hipp. Atque hæc de hoc aphor. & Quid crassæ à pituita. vrinis purulentis. Crassæ vrinæ, vbi à salsa pituita fiant, cum ardore excernūtur: calidam arguunt reuum hepatisque intemperiem: minantur, ni citò occurratur, sæuum vlcus partibus vrinæ excernendæ dicatis, vt obseruamus passim in ijs, qui gonorrheam diuturnam patiuntur. Minatur eadem vesicæ calculū, nam vbi vel huius expultrix languidior est, quam vt expellere posit, vel pituita crassior, ita vt pertinacirer hæreat, idoneam præbet calculo gignendo materiam. Timendum tamen id magis, vbi vrina crassescit à pituita, quæ nec salsedinem habet, nec acrimoniam aliquam; nam vbi non excitatur facultas, nequaquam ad expellendum insurget: pituita autem retenta facilè lapidescet.

Monstrat eadem si in putridis febribus appareat, morbi diuturnitatem quādoque, interdum mortem: illud quidem, si vires vsque adeo sint robustæ, vt morbum ferre valeant ad eius vsque concoctionem: mortem verò, si langueant, & longitudine itineris fatigatæ deficiant. Ratio est, quia crassa pituita crudus humor est, contumax ad coquendum: cruda autem, & inconcocta, vel malos portendunt abscessus auctore Hipp. 1. epid. 24. vel acrisim, aut dolorem longitudinem, mortem.

Non tamen perpetuo mali hæc vrina est prænuncia, potest quandoque esse vsui, vt in timore abscessus ad articulos, si tamen multa mingatur, iuxta illud Hipo. 4. aphor. 74. *Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus quarta die quibusdam incipit fieri.* Nempe materia abscessus, est crudus humor plerumque à natura ad partem aliquam debiliorem sepositus: ab eodem mixto vrinæ liquore, alba fit vrina, crassaquè: hæc itaquè si multa copia effundatur, abscessus futuri materia excernetur. Consulto apposuit Hip. multa, nām si pauca mingatur, tantum abest, vt ab abscessu vindicet articulos, vt eumdem portendat, iuxtà illud 2. proret. *vrina crassa, albam subsidentiam habens, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem significat.* Quæ

Quæ occasione gonorrheæ, albæ pari pacto euadunt, & crassę, hæ cum duplici ex causa tales fieri possint, significant varia, eamque propter causam sunt plus, minus timendæ. Nempè formidandæ sunt, quę ex veri seminis admixtione ortum habent, nàm breui tabem, & illam quidem valdè perniciosam portendunt, vt historia Satyri relata ab Hipp. 6. epid. 8. declarat, confirmantque alij multi, qui ex frequenti in somnis pollutione easdē excernunt vrinas. Minus timenda, cuius causa est effluuium crudi seminis, aquosi, tenuis fluidi, nam quamquam in initio mordicent vesicam, & frequentem mictionem sollicitent, suntque tum ob hāc causam molestæ, cum quia minantur vlcus urinariæ uirgæ, & deinde caruuculam, vrinæquè suppressionem, stillicidiū: si tamen obstemus principijs, facile huiusmodi discrimen vitatur, & ad multos annos citra noxam minguntur, nedum à mulieribus, quæ affectum hunc męnses albos appellare solent, sed & à viris, quibus ob meatuum angustiam, crassæ huiusmodi vrinæ plerumquę solent graues affectus inuehere.

Mediant inter has, quę gonorrheæ gallicæ occasione ortum habent, fit enim hæc à virulenta materia, à spermaticis vasis, & testibus ob lueni cōtractam prognata, vel aliunde camdem, vel propter calorem attrahentibus, aut ob debilitatem suscepantibus; neque enim semen tantum est, sed materia uaria, maiori tamen parte pituitosa salsa: omnis tamen uirulenta, quo fit, ut citius ulcus illa inferat profundius, & curatu contumacius.

Vt uideo, agendum modo esset de urinis colliquatiuis, quæ sunt pariter albæ. Quoniam uerò de his dictum à nobis est cap. 11. & dicemus infra cap. 19. propterea his concludam hoc caput.

Quid rubra vrina, & subrubra, quiduè flaua significet.
Cap. XVII.

Crassare semine quid.

HAbet rubra vrina suas species, nam pręter ipsam datur subrubra vrina, & intensè rubra. Quoniam verò meminit frequentet Hip. subrubrę & huius natura explicata, facilè intelligi potest, quid sit sentiendum de alijs, propter hanc rationem, ne pluribus lectorem frustra fatigem, dicam tantum, quid vrina subrubra, quid vrina intensè flaua prænunciet. Hipp. quod spectat ad primum 2. progn. 27. *Si, inquit, vrina subrubra fuerit, & quod in ea residet subrubrum, leueque sit, ea priore quidem diuturniorem morbum, sed admodum salutarem fore indicat*: dat rationem in Com. Galen quia vrina subrubra fit ex sanguine crudo, ac non probè confecto: at est dictus humor omnium optimus. Quare non impendebit aliquod ab eius copia discrimē: quia verò est idem crudus, aliquali opus est tempore, vt coquatur. Quare rectè censet Hipp. diuturnum fore morbum, sed admodum salutarem. Quod si rubeus color, & intensè rubeus, ab ijsdem fit causis, maioribus tamen, nulli dubium fuerit, quin vrina rubra, & intensè rubra longè diuturniorem morbum prænunciant. Vide Galen io hist. Hermocr. Ne tamen erres, nota esse hoc verum, vbi vrina fit rubra, vel subrubra, nullo vitio existente in renibus; contingit enim non raro, vt renibus non benè sugentibus quidquid sanguinis erat cum vrina, subrubra fiat, idemque sępè accidit rarefacta substantia venarum, quæ sunt in renibus; nam vbi ab his causis rubra euadit vrina, uel subrubra, peculiare vitium renum dumtaxat ostendit, de statu corporis vniuersi non docet. Ex qua causa fiat, dignosces facilè ex notis malè affectorum renum, & ex alijs indicijs, quæ morbi longitudinem arguunt.

Obiectio. Objicies, vrina rubra potest fieri à sāguine benè cocto, nam & hic rubrum habet colorem: Non ergo vrina rubra, aut subrubra morbum longiorem portendit. Hic nonnulli admittunt, & malè assumptum, nam probus sanguis, statim ac è venis egreditur gelascit, & niger efficitur: numquam itaque à bono, & cocto sanguine rubra vrina, sed à seroso, & crudo, proindeque rectè censuit Hipp. diuturniorem morbum, sed admodum salutarem ab ea indicari. (Sol.)

Quod spectat ad vrinas intensè flauas, possunt illæ fieri obstructa vesica fellea, vel eadem trahere non valente bilim; prolectat enim ipsa humorem cholericum, non secus ac lien allicit melancholicum: fiunt eædem hepate non expellente eamdem: quibus ex causis fit, ni fallor, vt hydropicorum vrinæ sint frequenter saturatæ bili. Fit tertio idem inflammato hepate, ac præ inflammatione maiorem bilis copiam gignente, quā vt vesica fellea purgari possit. Prioris generis vrinæ non multum timentur à medicis, de alijs scripsit Hipp. malas esse, vbi ante diem septimam appareant, nam, & ad vrinas ictericas spectare potest aphor. 62. 4. sect. *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum malæ.* Quamquam 81. t. 4. de rat. vict. & 1. epid. com. 2. t. 65. oppositum doceat, & Auer. 4. collect. 43. scribat, se multos ictericos ante septimum diem vidisse seruatos. Vnde ne apertè carpere videretur Hippoc. dixit vera ipsum scripsisse de ijs, quę contingunt in Græcia, cæterum in patria sua aliter euenire ob calorem clymatis; sed vt rem fatear, non erat, cur

(Vrinæ intensè flauæ quid indicant.) (Vide Auic. l. 3. fen. 14. tract. 4. c. 2.) (Hip. sententia.) (Examinatur.) (Defenditur.)

ex-

excusaret Hipp. quippe qui excusati nō indiget, si Aph. exactè intelligatur. Est autem mens cit. loc. docere, nullam vacuationem ante diem, qui solet, vt plurimum morbum iudicare, esse bonam: vt si ex. g. in febribus, quæ non solent ante septimum diem iudicati icteritia fiat, est hoc malum: malum inquit non lęthale. Quare non est necessarium, vt quibus hoc accidit, ij omnes intereant: neque vt peius se habeant, quia propositiones medicę, vt plurimum verificari debent. Quare nil obstat, quin quandoque contingat coqui humorem ante septimam diem, & crisim salutarem succedere, vt benè adnotauit Vall. 10. contr. c. 9. & alij multi, quod quia admodum clarum esse censeo, plura non addam.

Quid arenosum sedimentum indicet. Cap. XVIII.

POstquam vidimus, quid nigra vrina indicat, albaue, quid rubra, quid flaua, quid crassa, quid tenuis, videtur poscere nostri propositi ratio, vt de præsagio sumpto à contentis pertractemus. Agemus itaque de sedimento pingui, orobino, farinaceo, foliaceo, capillis, arenis, spuma, atque coronis; nam & si præter hæc pus in vrina contineri: semen, pituitamque, non me lateat quia tamen de his actum, cum de albis vrinis disputaremus, propterea hæc, quæ supersunt, explicare tentabimus.

Arenulæ, quæ in vrinis obseruantur, quandoque supernatant, subsident aliæ: sunt hę duplices, aliæ matulæ fundo hęrent, non hęrent alię. Priores à venis, aut hepate procedunt: posteriores à vesica, aut renibus effunduntur: propterea priores venarum, aut hepatis calidam intemperiem arguunt, posteriores igneū renum, aut vesicæ calorem, aut tepotem quemdam, nam vbi magna est in materia dispositio, hoc est crassities, vel à moderato calore posse illam in lapidem concrescere, constans est omnium medicorum sententia, & uera; nàm liquata pix, cera, metalla, statimac ab igne remouentur concrescere solent. Prudens, sciensque statuo ex arenularum excretione colligi calidam intemperiem partium, nàm ut à frigore fiat concretio lapidis, uel tamquam à causa partiali, uel principali, quamquam quibusdam placuerit, displicet prorsus mihi, & communis sententia, quæ docet, concretionem fieri à calore, probatur magis; nam hæc omnibus ferè de re medica optimè meritis probatur. Galen. nempè 3. aphor. 26. & si aliam illi imponat sententiam Mercur. 2. variar. 11. Aetio serm. 11. cap. 9. Arist. 10. prob. 42. Alexan. 1. probl. 112. & Hipp. lib. de aere aq. & loc. Addo, & rationem, nam

Arena calidam siccam intemperiem monstrum.

Numquam frigidam.

Hanc enim communis sententia.

Et probatur.

non est uero simile, ut tanta insit parti internæ uiuenti frigiditas, quæ ualeat concretionem inducere. Neque opinādum est aliter, quia neque à calido, neque à frigido potest lapis liquari: hæc uerò, & à calore, & frigore concreuisse 4. meteor. Arist. docuit: longè enim aliud sensisse eo loco Arist. puto, quamquam quotquot legerim, hanc illi sententiam tribuant, uoluisse nimirum dari aliqua, quæ ui calidi, frigidique concrescunt; uel enim simul influerer, & calor, & frigus in concretionem, uel diuerso tempore. Non primum, nam non potest aliquid simul refrigerari, & calfieri, duobusque contrarijs motibus moueri. Nec potest dici secundum, nam cum idem Philos. doceat ibidem, quęcumque concrescunt à frigido, liquari à calido, & è conuerso, ubi aliquod frigiditatis uirtute congelari cœpisset, mox liquaretur, & è conuerso. Quod ergo ibi uoluit Arist. hoc est, ni fallor, quæcumque terream, aqueamque naturam habent, ita ut possint concrescere, & à calido, & à frigido, ut lac, & sanguis, hæc esse indissolubilia.

Explicaturq; an Arist.

At dices adhuc urget difficultas, nàm quęcumque concrescunt à calido, liquescunt à frigido. Quare si caloris opera crassa illa materia esset concreta in lapidem, frigiditatis opera eadem solueretur, quod cum experientiæ non consonet, dicendum uidetur, & à calore, & à frigore lapidem concreuisse.

Sed tollitur facilè adducta difficultas, cum procedat ex mala intelligentia loci adducti; non enim absolutè Arist. dixit, quæcumque opera caloris concrescunt, ea, liquari beneficio frigoris, sed quæ à calore cōcreta liquari possunt, ea statuit, non posse ab alia causa, quam à frigiditate eliquari: quamquam, ut rem fatear ingenue, non uideo aliquid à calore concretum, quod à frigiditate liquari possit; nàm quęcumque contrescunt à calore, ideirco concrescunt, quia, agente calore, dissipatur omnis substantia humidior, tenuiorue: terrestres partes siccæuè supersunt tantummodo, quæ postea à siccitate densantur magis: has uerò certū est, nullius umquam opera liquari posse, nam quantumuis aqua, aut alia substantia humida frigidaque his affunditur, nō nisi superficietenus potest humectare. Quare numquam fieri poterit, vt euadat humidum mixtum, liquidumque.

Adde, si posset hoc fieri, non esse illud beneficio frigoris procurandum, nam concretio à calido oritur per accidens, quippè qui sua natura rarefaciens, & dissoluens, aptum est separare, & diuidere, non unire, & densare: à siccitate, quæ remanet, aut terrestribus partibus per se ortum ducit, unde hæc esset expugnanda, hęc contrario demolienda: cumque humiditas illi aduersetur, humidis esset

pro-

procuranda liquatio eorum,quæ concreuerunt à calido. Quocumque tamen modo à calore hoc fiat, seù per se, seù per accidens,non enim hæc exactè discutere, medici est negotij, certum est arenulas calidam partis gignentis intemperiem indicare: quia vero calor quantuscumq; ille sit, non posset concretione inducta gignere lapidem, ni crassa sese offerret materia, tenax,viscida, est autem hæc pituita, vt plurimum: neque hæc gigni potest absque vitio ventriculi,aut erratorũ, quæ in victus ratione committi solent: ostendunt arenulæ excretæ nedum renũ, hepatis, & venarum calorem, sed ventriculi pariter imbecillitatem, vel propriã, vel respectu alimenti multi,aut crassi, aut nullo ordine assumpti. Hinc senes, & pueri calculorum generationi obnoxij, quia vtrique crudos congerunt succos: senes ob natiui caloris languorem; pueri ob errata in victus ratione commissa. Hi tamen in vesica gignunt lapidem,in renibus senes, vt expressa est Galeni sententia 6.epid.com.1.tex.5. ratio est,quia pueri cum valentem habeant vim expultricem, possunt crudos succos à renibus ad vesicam mittere, non valent senes,quia imbecilles.

Frigidam ventriculi.

Hinc pueri senesq; huic malo obnoxij.

Illi tamen in vesica in renibus senes.

Problema.

Sed cur à vesica non pellunt extra corpus, cùm sint ijdem robusti? Ratio discriminis est, quia renes pellunt vi naturali, vesica vi animali: est autem illa fortis in pueris, ista languida: propterea pellũt renes à sese excrementa, non vesica: vnde quia ad concretionem inducendam requiritur mora, concrescit in vesica, in qua detinetur materia illa, non concrescit in renibus, vnde expellitur. Hæc eadem excrementa cum detineantur in ijs, qui vrinę stillicidio laborant, solent ijdem calculo vesicæ tentari: numquam,aut raro mulieres, brutaque animantia, nam cum habeant illos meatus ampliores, expurgatur continuò materia, quæ detenta poterat in lapidem verti.

Ex quo colligi potest, multo plus valere ad gignendum calculum materiei apritudinem, quam partium calorem, nam neque pueri, neque senes habent igneum calorem, cum tamen vtrique calculos congerere soleant: contra iuuenes raro hoc affectu torquentur, quamquam igneus calor insit illis. Vnde infero secundò, nihil æquè conducere ad præcauendos homines ab hoc sæuo affectu,quã inhibere generationem crudorum: aut si id fieri nequeat,curandum est, vt excrementa genita auocemus à renibus, & vesica, ad quas partes tamquam omnium imbecillimas,affluere solent. Sed nimium disputationis huius dulcedine allecti vagati sumus: reuocantes ergo gradum, dicamus supernatantes arenulas, calidam hepatis, venarumq; intemperiem arguere, aut frigidam ventriculi disceasiam, cum vel à calore temperato, si crassa materia illi occurrat, gigni possint. Videamus modo quid præmonstrent arenæ, quæ subsistunt,& matulæ parietibus hærent.

Arenæ subsidentes quid portendant.

Est communis sententia omnium, aut præsentis calculi inditium esse, aut imminentis, aut iam dissoluti. Ita Forliu. Vgo Senen. Valles.4.aph.79.& alij multi. Quæ tamen arenulæ, dissolutum esse lapidem, quæ contra gigni demonstrent, non admodum cõueniũt inter citatos Doctores. Triu. ex excernendi modo hoc docet dignoscere: vnde scribit, si exigua copia incipiant apparere in lotio, lapidis generationem portendere: si coaceruatim eędem mingantur, dissolutum iam esse declarant.

Prima opin.

Vgo Senen. ex arenarum discrimine signa distinguentia petit. Ait itaque, arenas friabiles, solutionem lapidis indicare: gigni,si crassitiem habeant,& matulæ parietibus hæreant. Probo singula, hortor tamen, vt præter hæc contemplentur alia indicia lapidis, aut geniti,aut imminentis.

Secunda.

At dices,si tot,tantaque possunt arenæ excretæ indicare: quid venit in mentem Hipp. quando 4. aphor. 77. scripsit, *quibus in vrinis arenosa subsistunt, ijs vesica calculo laborat,* non enim necesse est laborare vesicam, nam patientibus renibus potest idem contingere: nec est,quod eogat fateri actu vesicam,aut renes laborare, sed vel laborasse, aut periculum esse ne laborent.

Obiectio ex Hipp.

An cum Galen. dicemus, aut librariorum incuria insertam esse huiusmodi sententiam, aut esse eamdem supplendam hunc in modum? quibus in vrinis arenosa subsistunt, ijs aut vesica, aut renes laborant calculo? Vel potius corrigemus hoc modo cum Brasauola,nam sic scriptũ hunc aphot. in quodam codice vetusto fatetur: Quibus vesica calculo laborat, ijs arenosa subsistunt in vrina?

Neutra euasio placet: non hæc Brasauolæ, nam eum non referat in quonam codice sic scriptum repererit hũc aphor. non meretur multam fidem, præsertim cum Galeno sedulò variarum Hippocr. lectionum indagatori,& qui multa habuit exemplaria, numquam hæc exempla occurrerint.

Non placet secunda Galeni, quia fuga est, quę non necessaria,vbi in rectum sensum Hippocratem possumus ducere. Posse vero id commode fieri statim intelligit, qui aphorismi verba perpenderit, & aduersus Hipp. propositas rationes; nam arenæ,quæ à calore hepatis,& venarum gignuntur, tenuissimæ sunt,quo fit, vt numquam subsistant,supernatent semper, quemadmodum farina tenuissima. Quæ renum vitio fiunt,non adhærent ita pertinaciter, quemadmodum illę, quæ in

vesica

vesica gignuntur: Ratio est, quia vesica est longe frigidior renibus. Quare aptior ad congerendam crassa pituitam, eamque seruandam. Quare si iecoris, venarumq; arenulæ supernatant semper, nunquam subsident: quæ à renibus, & si subsideant, numquam tamen hærent matulæ, quia neque adeo magnę, vt nequeant eleuari, neque mucco ita mixtæ, vt hæreant: rectè scripsit Hippocr. quibus in vrinis arenosa, hoc est arenæ tenaces, non friabiles, aut sabulosa (continent autem hæc muccosum quoddam arenis permixtum) subsistunt, hoc est fundo matulæ adhærent, ijs vesica calculo laborat, vel actu, vel in proxima est dispositione, vt ille gignatur, quia facile magna aliqua arenula cum muccoso excremento in vesica detenta, in lapillum excrescit. Ita esse exponendum, patebit consulenti textum græcum: habet enim *lithia*, quæ vox significat aptitudinem ad gignendum lapidem, nam loquens Cardan. de se ipso, *mihi*, inquit, *ab annis hinc triginta rufa prodeunt, & nunc etiam alba, et quotidie, et copiosa, atque omninò citra vllam calculi suspicionem, tam renum, quàm vesicæ: quin etiam, quod longe maius est, iam toto decennio exacto, tantum albæ arenæ adhæret parietibus matulæ, adeoque concreta, vt intra quindecim dies, si non abluatur, tota lapidescat intus, nec nisi magno labore, ac corticibus ouorum, atque sic nec perfectè elui, ac detergi queat: vnde mirum, cur non in vesica idem iam dudum contingerit: et si non contingit, vt certum est, nam nullo visq; tunc vesica, imò nec renum vitio laboraui. cur concrescat tam celeriter hæc materia, et in coementum in matula, à vesica autem perfectè quotidie eluatur.* Idem prorsus cum alijs multis huius vrbis medicis obseruaui, in Excellentissimo Principe Stiliani, & obseruasse testatur Nicol. Florent. vt propterea exponendum censeam aphor. modo supra explicato.

Confirmatur.

Quid indicet vrina spumosa. Cap. XIX.

QVid indicet vrina spumosa, facile quisq; intelliget, si intelligat idem vnde vrina spumosa; cum vero id non liceat assequi, vbi spumę origo ignoretur, hinc ordiemur hoc caput. Fit spuma in vniuersum aerea substantia, ab aquosa, crassiuscula tamen impedita, ne ad aeris regionem, quę est locus sibi accommodatus, & proprius appellat. Nimirum id est insitum cuicumq; corpori, vt ad propriú locum, & familiarem contendat, quia ea est proprietas loci naturalis, vt locatum tueatur, & seruet quarto phys. quamobrem cum appetat quisque seruari, nititur cuncta, vt in proprium locum deferantur. vbi itaque in aqua, aut aquoso quouis corpore, aer, seu substantia aerea, vt flatum complectar, continetur, contender hoc corpus ad proprium locum: vnde ad aerem ferri appetet. Quare feretur, ni obstaculum inueniat, at si vel aquæ, vel aquosæ substantiæ crassities id prohibeat, attollet aer aquam, vnde bulla fiet, & spuma: maior, minor, prout plus minus attenuata illa fuerit: eademque diutius cõseruabitur, aut mox euanescet, prout crassior fuerit, aut minus crassa aquosa substantia; vnde quia mel crassum, hinc mel calfactum fere vniuersum in spumam euadit: nec male diuturnam fore pluuiam præsagiunt quidam, cum bullas diu in aqua permanere aduertũt, nam crassa est materia, hæc autem vberem poterit copiam vaporum suggerere. Quare & multa aqua progigni. Cœterum cum attenuet calor, motus misceat aereã substantiam cum aquosa, & motus est causa spumæ, & calor. A motu spumam fieri, docet mare, nam commotum vniuersum spumescit: docent equi, nam vbi frenum mandunt, miram copiam spumosæ saliuæ effundunt. Docent demum idem loquaces. Calorem, eiusdem causam esse, experimur in iratis, ... hinc, cum moueat calor à centro ad circumferentiam, fit vt cum spuma vniuersam vrinæ substantiam contegerit, eam spumæ portionem primum disijciat, quæ medium vrinæ locum occupauit, deinde aliam, vnde in coronam postea euadit. Cur vero spuma fit alba: an quoniam inclusus aer albicet, an quoniam attenuata aquosa substãtia, maiorem excipit lucis copiam, nihil refert modo examinare. Vbi ergo spumosa mingatur vrina, abundantis pituitæ est indicium, attenuatæ tamen, & cõmixtæ, nam simplex permixtio faciet, vt multum crudi succi subsideat, vt sit spumosa vrina nequaquam. Præmonstrat præter hoc frigidam renum longamque affectionem, vt scribit Hippocr. quem omnes recipiunt 7. aph. part. aph. 34. An aliud præter hoc indicet, istud dubium. Negat Vallés. nã vndecũq; bullę venirẽt, si renes bene se haberent, dissoluerentur in ipsis, cum ob calorẽ, tum ob eorundem angustiam. *Quę enim, inquit, ampullæ non dissoluuntur, vrina percolanda à primo renum sinu in secundum? Certe nullæ, aut si quæ superent, erunt exiguæ quædam, non insidentes, sed volitantes per vrinam:* negat quoque Triuer. nam si aliunde spuma, vel à venis, aut vesica; at hæc frigidior est, quã vt flatum attollere valeat: calidiores venæ, aut non gignunt flatum, aut mox discutiunt. Quare vrina spumosa, renum tantum affectionem demonstrat, eamque longam; quia frigidi morbi, vt plurimum diuturni.

Vnde spuma.

Cur maior minori breuis diuturna.

Cur bullæ diuturnam fore pluuiam præsagiunt.

A quo attenuatio, & mixtio.

Cur à spuma corona in vesica.

Cur spuma alba.

Vrina spumosa quid monstret.

Hippoc.

An aliud? Vallés.

Triu. negant.

Affirmat Actuar. Nam 1. de præiud. cap. 16. *Si bullæ, inquit, cum febre apparuerint, ac processerit, dolores non modicos arguunt,* & in fine eiusdem capitis, *Bullæ quin*

Actuar. affirmat cui hæremus.

quin etiam quæ capitis dolorem significabant, si breui dissoluantur, significabant quoque dolores diminui, suffragatur ijsdem expetientia; nam videmus passim, correptos catharro, copiosam vrinam eamque spumosam frequenter emingere, vt propterea iuuet dicere, spumosam vrinam, nedum frigidæ renum affectionis esse argumentum, sed capitis dolores portendere, vel frigidam humidamque eiusdem intemperiem monstrare; etenim si fit spuma, pituita calfacta, & commota. cur non poterit flatus ad caput assurgere, doloresque inferre? cumque delabens à capite ad renes pituita, ibi possit spumescere. cur non licebit ex spumosa vrina, frigidam, & humidam cerebri intemperiem arguere? Quare renes tantum patiuntur quandoque, cum bullæ subsistunt in vrina, quandoque hi & aliæ partes: hæ quod pituitā progignant, illi quod missam pituitam excipiunt. Mirot proinde Triuer. qui friuolos eos medicos vocat, & ineptos, qui ex vrina spumante, catharrum colligunt; nam quamquam non sit certum capitis male affecti indicium, affectum tamē esse, potest inde probabiliter conijci, præsertim si alia accedant, quæ caput nō bene se habere declarent. Nec tantum male affecti capitis, potest illa esse signū, sed aliarum partium; nam vt cum Triuer. primum congrediar, non habet vesica ita exiguum calorem, vt flatum gignere nequeat; nec venæ ita calidæ, vt vel non gignant, vel dissoluant; nam vt mittam verum hoc esse in constitutione naturali: vbi postea materia est admodum crassa, esto habeant robustum calorem, flatum nihilominus gignent, quia respectu crassi humoris est exiguus calor, vnde dixit Hippocr. *Allium flatum parit*. Ex ijsdem potest causis contingere, ne delata ad renes vrina spumosa dissoluatur. Scilicet quia crassior flatulenta substantia est, quā, vt dissolui potuerit à renibus: aut quoniam est renum calor imbecillior redditus. Tot ergo affectus cum possit spumosa vrina indicare, tot partes affectas, non possunt non displicere ij, qui nihil indicari contendunt ab ipsa, qu a fit cōtinuo ex motu, cuius dicti eam afferunt coniecturam, quia quo vehementior est motus, eo plures, & tenuiores fiunt bullæ: atque si sensim illa emingatur, virga matulę fundum attingente, nulla fiet spuma; nam quamquam ex motu quandoque spumosa vrina, vt tamen semper inde fiat, nunquam à causa interna falsissimū; nam semen a causa interna spumescit, sputum sitientium. Præterea spuma quæ à motu, cito dissoluitur, vt docet generatio spumæ, quæ in mari: aliter accidit, vbi spuma à causa interna ortum habet.

Et Triu. occurrimus.

Ex his reijciuntur, qui vrinas has contemnebāt.

Concluderem hisce hoc caput, ni me detineret idem Hippoc. qui 2. aphor. 43. scripsit. *Qui strangulantur, et dissoluuntur* (ita enim legendum) non vt quidam, *Strangulati, et dissoluti*, cum subdat, *nondum tamen mortui, non redeunt ad vitam, quibus spuma circa os fuerit*; enimuero si spuma à pituita attenuata. cur qui dissoluuntur, & suffocantur, non possunt conualescere, cum spuma circa os apparuerit, præsertim cum videamus epilepticos spumam circa os habentes, adhuc in pristinam valetudinem restitui? Sed alia est spuma, quæ oris saliua attenuata ortum habet, alia est quæ fit à corde efferuescente, ac magno cum impetu portionem humoris vna cum spiritu, ad os transmittente: illa haud magni momenti, hęc periculi plena, nam vt Galenus ibi, pulmonis violentiam significat, quam patitur, dum animal suffocatur. Vide ipsum, nam multa de spuma, non minus eruditè, quam doctè.

Et aph. 43. 2. dilucidamus.

De vrinis pinguibus.
Cap. XX.

PRæter coronam, & spumam, de qua paulo supra, supernatant frequenter in vrina quędam pinguia vnita, interdum telis araneaarum similia, dispersa alias, veluti guttæ olei in iusculis obseruantur. Propterea postquam de spuma dictum, & corona, dicemus modo de vrinis his pinguibus.

Damnauit illas Hipp. & eam simul sui decreti rationem subiunxit, quoniam consumptionem significant: exitiosum autem est nostri corporis partes liquari. *Et pinguedines* inquit 2. progn. 35. *araneatum telis similes in vrinis supernatantes damnandæ, consumptionem enim significant*: hoc est exitiosę sunt pinguedines, quibus hoc est proprium, vt supernatent, huc enim inclinat potius animus, vt putem, non dari vrinam, per cuius liquorem fit pinguedo dispersa, & confusa: & oleaginea vrina est ita dicta à Galeno, quia & colore, & substantia est oleo similis, vt ex historia Parij patet, & 7. aphor. 35. At vnde tanta formido? nonnè fit pinguis vrina, pinguedine sanguinis per vrinas excreta, effusa pinguedine renum? Hinc autē, aut nullum discrimen, aut nō timendum; nam & in sanis hoc frequenter contingit. Ita sanè: proinde exponendus Hipp. de vrinis pinguibus, quæ vniuerso corpore, & singulis eius partibus liquatis fiunt; ad hanc enim consumptionem, multus calor requiritur: pinguedo recens, renum, vel à tepore liquatur, pingue illud, quod supernatat in sanguine, citra vllum vitium excernitur. vitium autem? Imo est optimę sanitatis indicium. Ergo si refert tibi noscere, quid est quod liquatur, quauè parte patiente hoc accidit, afferamus signa, quæ breuiter vtrumque declarent. Scripsit Hipp. id aggressus docere 7. aph. 35. *quibuscumque pingue est, quod supernatat,* atque

Vrinæ pingues malæ.

Quam ob causam.

Quid pingues vrinæ à renibus.

Affertur Hip. & explicatur.

atque accumulatum, ijs renum morbum : *acutum significat*. An rectè, non admodum liquet. Dicit in Com. Galen. idcirco renum pinguedines, confertim ad vias vrinarum seponi, quia à renibus ad vias vrinarum, breue est spacium; longius, si ab alijs corporis partibus sit deducenda. Quare non perueniet confertim. Pingue ergo confertim per vrinas transmissum, renum vitium significat. Id vt verum esse, facilè admitto, sic pariter agnosco, esse protsus inutile hoc indicium; cùm enim non liqueat, quando cœpit liquatio fieri, est illud incertum pariter, an confertim, an tardè, liquata pinguedo ad vias vrinarum peruenerit.

Gal. Praeceptores. Galeni præceptores, vt ipsemet habet in eodem com. voce illa confertim, vnitû exponentes, atque accumulatum dicunt, quibus pingue, ac in seipsum contractum supernatat in vrinis, ijs acutum renum vitium significatur; nam quæ à toto corpore manat liquata pinguedo, dispersa est, & discontinuata: manifestè sensui repugnantes; nam quauis ex parte pinguedo effundatur, concrescit illa statim, ac lotio miscetur, & quicquid effusum est vnitur. Quare neque simul effundi, neque confertim excerni pinguia, à renibus illa prouenire declarant. Dicerem proinde, quod ipsemet Galenus in initio com.

Authoris sententia. innuit, quamuis ei non multum arrideat, non docere hoc aphor. Hipp. quo pacto possit medicus partem affectam dignoscere, sed de vitio renum sermonem habens, num sit illud acutum, an lõgum, illo signo declarare conatur. Enimuero vbi multa, & simul pinguedo eliquetur, ingentem inesse in renibus calorem arguit; magnæ autem intemperies, & admodum calidæ, celeriter ad finem properant suum. Quare erunt illæ acutæ. Aliunde ergo petenda signa, quę renes liquari doceant: erunt autem signa excalfactorum renum. Nimirum, si sint signa, quæ renes male esse affectos docent, alijs corporis partibus bene se habentibus, tunc si quæ pinguedo eliquetur, nulli dubium esse poterit, quin à renibus excernatur. At si nullus in renibus feruor sentiatur, aut diù liquatio perduret, corpus vniuersum ferueat, sitque extenuatum, pro certo tunc temporis habẽdum, liquationem illam, à toto procedere: nec aliter æstimare oportet, quia validæ renum intemperiei possunt alię partes corporis compati; hinc enim, id tantum potest inferri, liquationem illam fieri ob calorem à renibus, alijs partibus communicatum. Quare patientur, & si secundariò; nam ni malè essent affectæ, & eliquatæ, non essent modo aliquo extenuatæ. Vbi itaq; passæ hoc fuerint, ab ijs, nedum à renibus liquationem procedere autumandum. Vide Actuarium lib. de iudic. vrin. cap. 19.

De sedimento, furfuraceo, farinaceo, & orobino. Cap. XXI.

Continentur in vrina non rarò furfurea sedimenta, farinacea, orobina, squammosa: ita dicta, quoniam similitudine quadam referunt furfur, quod ex tritico, lapide molari comminuto, & percribato colligitur: crassiorem farinam, quæ à mola confici diligenter nõ potuit, squamas piscium, & semen illud orobum nuncupatum, sesamum, eruum: vnde quia farinam, pultem quoque solent appellare, & similam, vocant propterea huiusmodi sedimentum similaceum, pultaceumque. Esset itaque declarandum hoc cap. quid vnumquodque significet; quoniam verò hæc contenta, & causis, & euentu conuenire videntur, differre dumtaxat, quia alia grauiorem significant affectum, mitiorem alia, & non ita funestum, agam tantum de furfureo, nam huius natura explorata, facile innotescent reliqua.

Sedimenti furfuracei causa ex aliorum sententia. Fit furfureum sedimentum, seù furfuraceum, quibusdam particulis veluti squamis, aut laminis decidentibus, & per vias vrinarum excretis. Decidunt verò ob easdem propemodum causas, ob quas furfur ab externis nostri corporis partibus deriuatur. Vt itaque scabiosa cutis, si confricetur reddit furfures, abrasis per confricationem quibusdam particulis: eodem pacto furfureum sedimentum gignetur abrasis quibusdam particulis, & in vrinæ vias secedentibus. Et veluti per vstionem, & exiccationem ingentem, citra aliquod vlcus, auferri epidermida contingit, vt docent serpentes: sic sedimentum, furfur similitudine referens, eamdem poterit causam gignentem habere: Vt in vniuersum causæ huius sedimenti possint esse duæ, & abrasio, quæ ad speciem solutæ vnitatis reducitur, & intemperies calida, siccaué. Ita Galen. 4. aphor. 77.

Furfuri, cum squamulæ similes sint, nã & hæ quoque sunt portiones vesicæ, venarum, & arteriarum, licet profundiores: à similibus, & propè ijsdem causis fiunt: nec secus philosophatus est Gal. de causis farinacei, contenti, nam 2. progn. 28. scripsit, à calore fieri eliquante, vario tamen modo agente in materiam, quæ liquatur; cum enim possit hæc esse tum caro cum pinguedo, tum recens, & mollis, cũ vetusta, & indurata, quauis harum eliquata fieri est arbitratus: molliori tamen substantia, & liquidiori abeunte in liquorem, duriori exiccata, & ob siccationem à reliquis partibus, quibus cum erat cõtinua, separata; nam vt benè Actuar. lib. de caus. vrin. c. 20. *corum, quæ ab igne soluuntur, alia liquefaciendo soluuntur, alia frangendo, & scindendo, veluti ea, quæ obtinuerunt substantiam duram, & rigidam*: Vtque quo

 cor-

corpora duriora fuerint, eo frustra euadunt maiora, quippe quod ignis impetui primo resistunt, deinde cedentia vincuntur magis, quam quæ substantiam humidam sunt sortita, quemadmodum singulis diebus videre licet in rigidis, atque lapidibus; dissiliunt enim non parua frustra ab hisce cum aduruntur. Fieri itẽ docuit 4. aphor. 77. vsto sanguine, & quouis humore crassiore, prętertim verò fœce sanguinis, quam melancholicum solemus humorem nominare. Idem placuit Actuario citato loco, habet enim, *veruntamen non ignorare oportet interdum humorum crudorum spissatorum effigiem quamdam apparere, vergentem ad species similes prædictarum hypostasium, quemadmodum accidere solet iis, quæ coquuntur in sartagine; hæc enim duo assantur, arctantur, atque quomagis vstulantur, eò peiora rediguntur.*

Hinc patet ad contradictionem, quæ in Hipp. apparet, quippe qui 2. progn. exitiosa dixit esse hæc sedimenta 7. aph. 31. longam fore ęgritudinem portendere; dici enim potest, ibi loquutum esse de farinaceo facto ab vstione partium, & liquatione: in aphorismis de eo, quod fit crasso humore exusto.

Sententia Auct. Sed veluti ex his causis posteriorem libenter amplector, sic priorem reijcio; non enim videtur verosimile, venas plenas sanguine vsque adeò posse exiccari, vt ab ipsis squammæ decidant ob siccitatem. Confirmatur; nàm idem Galen. dixit 10. meth. numquam posse per marasmum fibrosas partes, & membranosas ita colliquescere, vt aliquid decidat ex ipsis: quo factum est, vt crediderit 3. controu. Valles. numquam Galen. priorem illam causam somniasse.

Quicquid tamen senserit, puto ego cũ alijs dicendum, huiusmodi sedimentum interdum fieri vitio vesicæ affectæ scabie, fieri alias nullo vesicæ vitio, sed exustis humoribus: vtra parte patiente hoc fiat vesica ne, an vstis venarum humoribus, docebunt te hoc primò notæ male affectarum partium: Docebit te hoc ipsum secundò vrinæ conditio, nam si laudata illa fuerit, & secundum naturam se habebit, non poterit tam prauum sedimen, venarum vitio fieri. Quare erit reliquum dicere, à vesica laborante procedere: at si eadem nullum vitium contraxerit, venis est referendum, vt apertè ex Hippoc. habetur aphor. 77. 4. lib. dicente: *quibus in vrina crassa*, hoc est mediocrem substãtiam habente, vt exponit Galen. in com. *furfurea quędam simul exeunt, iis vesica scabie laborat.*

Obiectiones. At dices, si ab hac causa, humorum nimirum vstione, aut vesicæ scabie perpetuò hęc sedimenta, cur Hipp. vsque adeo illa 2. progn. damnauit? Cur 7. aph. 31. dixit, longitudinem morbi farinacea sedimina significare; ab vstis enim humoribus acuti morbi fiunt, non diuturni? Cur Auic. non eadem perpetuò damnat, sed quãdoq; ad animalis cõmodum vult fieri?

Cur sedimentum hoc prauum. Quantum ad primum, Saxon. dixit, idcirco sedimentum furfureum prauum esse, quia indicat febrilem calorem acrem admodum esse, atque validum, siquidem breui potuit reddere scabiosam vesicam. Quoniam vero non semper patiente vesica ista fiunt, sed, vt dictum, vstione humorum, mala quoque esse addo, quia feruorem inesse vsque adeò summum indicant, vt humorem liquarit, combusserit: vnde secundum quæsitum euadit difficilius nàm non facilè videre est, quomodo à tam magno calore longi morbi: nisi dicere placeat, longos morbos portendere, si sit ęger saluandus, nam intemperies vsque adeò validæ non possunt breui euinci. Aut dicas secundo cum farinacea sedimina fiant crasso humore exusto, atque hic possit esse tum sanguis cum pituita, ac melancholia, è sanguine facta, aut atra bile, morbum exitiosum portendere: si fiant à pituita, longitudinem morbi significare, si vires sint fortes, mortem contra, si imbecilles.

Quomodo longum fore morbum significat.

Cur dicit Auicen. esse bonum quandoque. Ad tertium loquens Auic. 2. 1. doctr. 3. c. 2. de vrina oleaginea, idem enim de huiusmodi sedimentis iudicium, *& in pluribus* ait *dispositionibus, significat malum*, quod si in pluribus, non itaq; semper. Probat, *nam quandoque & si rarò, materierum vnctuosarum vacuationem secũdum modum crisis significat: hoc autem est, cum post ipsam aduenit requies: quæ verò est perniciosa, est illa, cuius vnctuositas est fœtida, & propriè illa, ex qua pauca mingitur quantitas.*

Quod si obijcias, semper hæc vrina liquationem significat: liquescere autem corpus est semper malum. Numquam itaque criticum esse poterit. Dicam cum Gentili, huiusmodi contenta significare quidem perpetuò, & semper eliquationẽ, quandoque præsentem, quandoque præteritam, & si postea excernatur. Præsentis liquationis indicium fętor est: quæ post multos à liquatione dies excernitur, nullum habet fętorem. Illa prætera grauissima habet symptomata annexa: quomodo enim nõ grauiter angetur corpus, quod à maligno calore, & exurente eliquatur? Post istam aduenit requies, vt cũ Auicenna loquar. Malum est semper liquescęre corpus: pręstat tamen materiã liquatione prognatam foras pelli, non coerceri: indicio enim est facultatem pellentem robustiorem esse, siquidem excrementa, quę antea detinebantur in corpore, & prælanguore non poterant expelli, nunc foras detrudit. Quare non erunt hæc sedimenta perpetuò mala, sed in pluribus, vt ait Auic. dispositionibus: aut erunt continuò mala, vt signum, quia maximam indicant intemperiem, quamquam possint, vt causa prodesse, quia confert ab excrementis liquatione prognatis corpus expurgare.

Quæ-

Quænam ex dictis contentis peiora. Cap. XXII.

Asseritur sententia Auer.

PRaua esse singula omnes docent, & ex dictis aperte deducitur; quænam deteriora, non admodum conuenit; damnant enim alij alia magis, Auer. 3. colliget 24. omnium peximum censet esse lamineum, quamquam nullam farinacei faciat mentionem, idque probat, quia membrorum radicalium liquefactionem, & incisionem significat: furfureum aliquando fit propter scabiem vesicæ, aliquando propter liquefactionem membrorū, hoc est partium carnosarum; nam vox hæc opponitur partibus spermaticis, siuè radicalibus. Nunc autem difficilius est spermaticas partes eliquare, & eliquatas restituere, quam carnosas. Quare cum illis liquatis fiat lamineum sedimentum, liquatis carnosis orobinum, & furfureū, peius illud esse, & magis exitiosum manifestè hinc deducitur.

Et reijcitur.

Sed neque huius sententię fundamentum est verum, nec si certum esse ponamus, admittēdum propterea esset, quod inde deducit. Falsò putat primò huiusmodi cōtenta à partium liquatione procedere; nam, vt supra diximus, non potest vita cum tanta intemperie, partiumque ruina consistere, sed certo extinguetur, antequam morbus eousq; procedat.

Non est secundò eius placitum admittendum, esto hoc verum esset, nam quo in minores particulas per eliquationem membra dissecarentur, eo esset eliquatio maior. Quare esset sedimentum furfureū semper lamineo peius. Nec est cur dicat Auer. verum illud esse, posita cæterorum paritate, quod non est in casu præsenti, quia furfureum fit partibus carnosis liquatis: spermaticis idem patientibus lamineum: nam cum videamus carnosas partes si vrantur, adhuc elici ex illis candidas quasdam squamulas, gratis dicet Auerr. carnosas partes liquari in sedimento furfureo, in laminco spermaticas.

Valles.

Propterea putauit Valles. 2. progn. 28. furfureum esse omnium peximum: secūdum in malitia locum obtinere lamineū, tertium dat farinaceo, hoc enim putat fieri flatu succum in vrina contentum diffundente: lamineum vero, & furfureū, præcisis ex solidis particulis, vt ex membranis, idque ob consumptionem, & cariem. Damnat verò ex his duobus furfureum magis, quam lamineum, quia in eo fit cōminutio in minores particulas, & quoniam partes penitiores attingit.

Hæc si certa, esset quidem sententia Vallesij certissima: vereor tamen, ne falsum sit eius assumptum duas ob causas: prima est, quia si à flatu dispergente farinaceum sedimentum fieret, non esset admodum prauum, sed perpetuò longitudinem morbi significaret: at Hippoc. deterius quid in ipso videtur agnoscere, quando ait farinacea in vrinis sedimenta mala. Confirmatur, nam omninò ridiculè huic lamineum comparasset dicens *his sunt deteriora laminea*; Quis enim vsq; adeo sensus omnis expers esset, qui hoc ignoraret?

Auct. sententia.

Præstat proinde aliter difficultatem propositam dilucidare. Ad intelligentiam tamen premittere oportet, quod supra innuimus, posse nempè huiusmodi sedimenta bifariam generari. Fiūt quandoque per abrasionem: fiunt eadem alias seiunctis quidem quibusdam particulis, calore tamen vrente, & exiccante, vt in lapidibus igni expositis experimur. Si fiant abrasione, quo fuerint maiores particulæ, ex quibus sedimentum constat, eo erit idem deterius, non solum quia maius inde vlcus consurgit, sed quoniā valentiorem esse causam abradentem significat. Vnde cum foliaceum sedimen ex maioribus constet partibus, quam farinaceum, erit squamosum, seu lamineum, aut foliaceum farinaceo peius, foliaceo furfureum deterius; nam quamquam latitudine squamæ maiores sint furfure, profunditate tamen sunt minores: vnde illud fiet ab humore tenui, superficiem tantùm abradente: ab humore crassiore furfureum, & contumacios adhærente. Verumtamen si fiant hæc eadē vstione, erit farinaceum omnium peximum, secundum locum furfureo, vltimū laminco concedo; docet enim experientia, exposita igni quo magis vruntur, eò in minutiores particulas diuidi, & in calcem verti. Id tamen dictum intelligo, cœteris paribus, ita enim debet semper comparatio fieri; nam si furfureum fiat humore melancholico vsto, à pituitæ vstione farinaceum, erit fortasse furfureū farinaceo deterius. Ita censeo, doctiorū tamen censuræ subijcio omnia.

De carunculis, & sedimento capillaceo. Cap. XXIII.

OBseruarunt in vrinis medici, capillos quandoque, & carunculas. Quare explicandum, quid capilli significent, quid carunculæ, nequid omittentes, diminuta sit disputatio ista.

Hipp 4. aphor. 76. hęc habet de huiusmodi sedimentis, *quibus cum vrina crassa carunculæ parua, aut veluti capilli vna excunt, ijs à renibus excernitur*, ita enim legendum, nō vt quidam hunc in modum, *quibus cum vrina crassa paruæ carunculæ vt capilli*, vnicam differentiam sedimenti considerari arbitrati; nam vt bene Gal. in com. non possunt modo aliquo carun-

culæ

culæ pilis similes esse. Quare ea lectio est magis probanda, quam Gal. in com. laudauit, & legendum, *quibus in vrina crassa parua carunculæ, & quædam vt capilli exeunt, his ex renibus excernuntur*, vt sensus aphorismi sit carunculæ in vrinis apparentes, aut pili renum male affectorum sunt indicia.

Esse sedimenta hæc mala, certum.

Esse hæc sedimenta malæ affectionis notas, certum; nam laudatum sedimen, vt habet Hipp. 2. progn. 26. debet esse album, lene, & ęquale: album quidem, quia hic color monstrat assimilationem, & consequēter naturæ dominium supra causas morbosas: Aut quoniam hic est color sedimenti naturalis, cum sit cruda chyli portio, quæ in sanguinem permutari non potuit. Lene verò, quia si sit asperum, non sunt partes omnes benè cuictæ: æquale demum, hoc est, quod in vrina continuo obseruetur, nàm si interdum inspiciatur, sit alias nullum, indicium est materiam etherogeneam esse; & partem, quamdam coctam, crudam aliam, & nondum superatam. Hæc insuper vel est portio cruda chyli, aut, si criticum fuerit, erit humor aliquis morbū faciens. At verò caruncula est frustulum carnis: pili, vt dicemus, ex assata fiunt pituita. Quare & pilos, & excretas caruntulas malæ affectionis indicia esse, non est dubitandum.

An quia indicent male affectos renes, dubium.

Indicent ne vero malè affectos renes, an alterius partis non bene se habentis, sint indicia, hoc non ita compertum; sunt enim, quæ monstrant, posse aliūde, hæc prodire, vt à venis, & hepate. Cui difficultati occurrentes dicimus breuiter, posse quidem, & ab hisce partibus has prodire, non tamen citra vitium vrinarum; quomodo enim bonæ vrinę mingi poterunt, venis, aut hepate vsq; adeò male affectis, vt earum caro in frustula discindatur. Itaque vbi vrinæ vitiatæ fuerint, prodibit huius sedimenti materia à venis, aut hepate: vbi bonæ, non nisi à renibus poterunt prouenire. Docebunt te hoc idem secundo, notæ hepatis, renumq; male affectorum, necnon varia caruncularum accidētia; siquidem quæ ex venis, albicant: rubent multum, quæ ex hepate, minus contra quæ ex renibus: hæ demum crassiores; quę à venis excernuntur, multo tenuiores.

Vndequaque prodeant, mala.

Ex quacumque tamen parte abscedāt, grauissimam omnes affectionem significant; nam quid æquè graue fingi potest, quàm partem aliquam in frustra discindi? vide tamen, vt partium frustula sint; nam plerumque ex exusto grumo sanguinis quid simillimum carunculæ gignitur.

Quam graue sit excerni cum vrina pilos, fiet clarum, si natura huius affectionis, & causæ innotuerint. Propterea hoc agamus.

Vocatur hic affectus à Gręcis trichiasis, à Latinis capillitium, capillorum defluuium, siuè pilus: Nàm & si trichiasis proprie dicatur de casu capillorum capitis, barbæ, & oculorum, pilumque vocent lactis caseationem: vocent alij pilum, trichiasim, cum pili palpebrarum inuerso prodeūtes ordine pungunt oculos: vnde rubent, & lacrimas fundunt: imposita quoque vox hæc est ad significandum eos pilos, qui per vrinam interdum excernuntur.

Capillitium vnde.

An veros, an apparentes? Quidam veros esse quandoque contendunt, nam scribit in suis obseruationibus Schench. se obseruasse globulum capillorum emictum à muliere, qui ab igne combusti eumdem mittebant fœtorem, quem capilli: vnde erit consequenter dicendum, non esse pilos in vniuersum concoctionis tertiæ excrementum: neque illud verum, esse hoc indicium maleficij. Qui veros posse gigni negant, dicerent, capillos illos, quos Schench. obseruauit ebibitos fuisse, aut ingestos cum cibis, non intus genitos.

Quantum ad materiam, quidam, quos refert Galen. in com. putarunt excisa renum, aut vesicæ carne gigni. Negat hoc Galen. nec vmquam posse fieri censet, vt ad talem substantiæ formam ren dissoluatur, aut vesica; nam decisæ è vesica particulæ sunt folijs similes, ac propterea squamæ appellantur.

Communis opinio est, pilos hos fieri ex succo crasso exusto: vnde conuenit generatio capillorum ex parte cum lapide, ex parte differt; conuenit in materia efficiente, & modo efficiendi, differt verò intensione, quia maior est crassities in materia lapidis, in causa effectrice maior calor. Suaderi hæc sententia potest, quia, vt refert Galenus, fiunt in ijs, qui crassis cibatijs sunt nutriti.

De loco, in quo vertitur in capillos crassa illa materia, videtur esse aliqualis discordia. Docet Gal. in com. cit apho. concretionis locum esse renes, idemque videtur placuisse Auicennæ 2. 1. doctr. 3. cap. 6. Contra sexto de loc. affect. cap. 3. eorum opinioni fauere videtur, qui in venis hoc fieri, sunt opinati, eandemq; palinodiam videtur cecinisse Auicenn. 1. 3. tract. 2. cap. 28.

Amplexatur vtramque sententiam Actuar. & illos conciliat dicens inchoari horum generationem in renibus, perfici verò in vasis veteribus.

Ex his quia potest facilè quisque intelligere, quas partes male affectas significent pili, & quanam laborent affectione, non sunt plura ad rem hanc declarandam afferenda.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Nonus.

D E P V L S I B V S.



Consilij ratio, & ordo. Cap. I.


VO esse precipua, illustriaque signa dicebamus, vrina, & pulsus: nam illa venarum, & hepatis: pulsus arteriarum, & cordis conditionem denuntiat. Hinc de vtrisque tractare necessarium duximus. Quamobrem quando absoluimus primum, est consequens, vt disputationem de pulsibus aggrediamur. Dicemus autem primo de pulsus natura, proponemus secundo illius differentias. Tandem quid quisque præmonstrat, ac simul illius causas explicabimus.

Quid pulsus. Cap. II.

Pulsum motũ esse docent omnes: qualis tamen sit dubitarunt.

PVlsum motum esse docent omnes, & vox ipsa pulsus, nam in hunc modũ dictus à pulsando, vel quoniam corpora circum obsistentia pellit. Quantum tamen in re ista conueniunt, tantundem de motus differentia disputant. Persimilem esse dixit sphærarum motui cap. 35. opusc. de motu cord. S. Doctor, nam vt ille, & circularis est, & continuus: sic pulsus ab eodem ad eumdem terminum reciproca vicissitudine se conuertit, & quousque viuit animal, durat: vnde & circularis dici potest, & continuus, licet ab vtroque deficiat: nimirum à simplicitate conuersionis, quia ex motu, tractuq; componitur: à continuitate vero, quia inter pulsum, & tractum, necesse est aliquam moram intercedere. Turis. lib. 2. art. med. dicit esse persimilem decremẽto, & incremento: quid tamen verè sit, neque ipse statuit, neque D.Thom. Docuit apertè Gentil. fen. 3.1. esse motum localem, quod reijcit Turis. duabus rationibus: altera, quia fit motus localis præcedente cognitione: altera quia non mutatur locus per pulsum, quod in motu locali debet necessario fieri. Vindicatur at facile, nam quod spectat ad primã rationem, neque certum est pulsum, sine vlla cognitione præcedẽti fieri: quinimò præcedere probabimus infra: neque vbi hoc admittatur, concludet propterea Turis. non esse pulsum localem motum, siquidem cognitio præcedens nõ requiritur ad omnem motum, sed spontaneum tantum. Non officit item secunda ratio; nam quamquam cor, & arteriæ ex toto non mutent locum, aliquo tamen pacto mutant; nam vbi dilatatur cor, & arteria, præoccupat per distentionem, eodem Turis. auctore maiorem partem spatij, quam antea, & ad eas sese partes extẽdit, quas antea nullo pacto occupabat: fiet ergo aliqualis mutatio loci. Quare erit pulsus localis motus: nec facilè fingere poteris, quid sit pulsus, vbi id neges. At quoniam localis motus, vel potest fieri ad latera, & dilatatio dicitur, & constrictio, vel ad supera, & infera loca, & adscensus vocatur, & descensus, videndum vlterius, quinam motus est pulsus.

Similem circulari esse vult D. Tho.

Decremento, & incremẽto Turis. Motum localem dicit esse Gent.

Quem sequimur, & à Turis. vindicamus.

An eleuationis, & depressionis.

Sunt antiquorum quidam opinati, adscensum esse, & descẽsum, quod alij probant, quia non possunt arteriæ dilatari, & constringi: alij, quia calor, à quo pulsus, cuncta attollit, & eleuat: qui facilè experientia repelluntur; ipsa enim docti Medici didicerunt, cor vna cum parte arteriæ abscissum à corpore, dilatari, & constringi. Motus ergo dilatationis, & constrictionis pulsus erit. Ita Auic. 2.1.d 3. Auerr. 4. coll. c.18. Gal. passim, & est communis in scholis. Quamquam difficultate non careat; nam quies est pars pulsus, vt infra dicemus. Quare, aut non erit pulsus motus, aut erit motus, & quies. Præterea, ex cõtrarijs motibus, non potest vnus motus constitui. Quamobrem, cum sint dilatatio, & constrictio contrarij motus, non poterunt ij simul vniri, & vnam motus speciem constituere.

Ita Antiqui.

Nos dilatationem esse ponimus, & contractionẽ.

Dub. 1.2.

Priori difficultati satisfacere alij, alio modo: omissam quietem putant quidam, quia diffinitio ex his confici debet, quæ citra controuersiam diffinito debentur: *Quietes autem, partes ne totius respirationis sint, & pulsuum in controuersia est.* 4. de diff. puls. cap. 5. Censent alij omissas, quia diffinitio ex his confici debet, quæ per se ipsum diffinitum constituunt: sunt

Reijcitur.

autem

autem quietes partes per accidens pulsus 1. de dign.pul. cap.vlt. Qui reijciendi; nam licet pulsus quatenus simplex est motus, nulla possit ratione quietem admittere, exposcit illam tamen, prout est motus compositus; nam non possunt fieri contrarij motus, nisi aliqua quies intercedat. Erit itaque illa pars necessaria pulsus. Quod confirmatur tripliciter. Primo quia, vbi nequit natura vsui plus iusto adaucto satis facere, demit de quietibus nec minus varias ipsas reddit, ac motum: alicuius itaque gratia illæ fient. Quare non erunt illæ partes per accidens pulsus. Secundo nihil trahit propter ipsum trahere, & vt trahat, sed vt aere attracto potiatur. Cum ergo nunquam id assequi possit, ni quies dilatationi succedat, erit necessaria quies nedum, vt motum contrarium aggrediatur natura, sed propter nobiliorem vsũ.

Reijcitur i

Nostra opin.

Quid ergo? distinguendum de quiete, & cum Gent. 2. prim. d. 3. cap. 2. dicendum, esse illam duplicem, alteram respectu subiecti, facultatis alteram: hæc numquam est in pulsu; nam quo tempore cessat à dilatatione facultas, conseruat arteriam in illo situ, quemadmodum facit a constrictione: Conseruatio autem membri in eodem situ, quem acquisiuerat, actio est, non quies, vt 2. de caus. sympt. 2. Gal. docet. Quare non est id omissum, cum nomine motus comprehendatur. Dic secundo omissam quietem, quia definitio debet dati per notiora, notum cuique est, sensu docente, pulsum esse motum: includere pariter quietem, eamque duplicem, nonnisi doctis compertum. Propterea per motum definiuere medici, non per quietem. Dic tertio omissum tamquam clarum; quisq; enim scit inter duos contrarios motus quietem intercedere: vbi ergo dicitur esse pulsum dilatationem, & constrictionem, intelligitur facilè, duplici eundem quiete constare.

Sit ne pulsus vnus motus, & quomodo?

Secunda difficultas, tanti fuit apud Christ. Aueg. 1. art. med. c. 2. vt ab Auic. recessetit, pulsumque sic diffiniuit, *est pulsus peculiaris actio præcipue cordis, deinde arteriarum*. Sed fatetur, quod negat, nam est actio motus. Quare si est pulsus actio, erit idem motus: non simplex, nam distentio, & contractio: compositus ergo ex diastole, & systole. Quomodo ergo erit vnus? Putauit D. Thom. vnum dici posse, quia duo hi motus habent vicem vnius circularis, licet deficientis. Suarez disp. 18. metaph. sect. 7. dixit motum pulsus esse physicè vnum, mathematicè non vnum. Dic tu, non esse motum vnum, nisi per accidens. Quare erit pulsus aggregatum quoddam ex dilatatione, duplicique quiete. Cuius nam? cap. seq. dicetur.

De pulsus subiecto. Cap. III.

Variæ de re ista sententiæ

ARteriarum motum dixerunt esse quidam, vt refert Galen. 4. de diff. puls. 2. addidere alij, Cordis: quo circa dicebant, est pulsus motus arteriarum, & cordis. Qui nec conuenere, nam alij dicebant esse motum arteriosi ventriculi cordis, hoc est sinistri, dextrum non arbitrantes pulsare: alij pulsare quidem, at non primo, & sua sponte, sed vna cum eo, qui spiritualis vocatur, moueri volentes, ventriculorum cordis, & arteriarum motum esse dixerunt. Alij, cum cerebrum quoque pulsare aduertissent, meminere cerebri, dum pulsum diffiniũt: membranas alij apponunt, quamquam præcipuè cerebrum pulsare voluerint, membranas per accidens. Alij demum opinantes, nec cerebrum, nec membranas per se pulsare, sed propter arterias, nihil priori diffinitioni addiderunt. Ergo hi dicunt esse pulsum motum arteriarum, & cordis: illi arteriarum, cordis, & menyngum, quæ vestiunt cerebrum: diffiniunt alij hunc in modum est pulsus distentio, & contractio cordis, arteriarum, & cerebri.

1. conclusio.

Pro decisione, sit prima conclusio, subiectum pulsus, est cor, & omnes arteriæ nostri corporis. Probatur cõmuni omnium Doctorum consensu. Cordis autem nomine, non omnem eius substantiam intelligimus; qua enim ratione cũ dura illa sit, poterit dilatari, & constringi? Mouetur itaque ratione ventriculorum. An omnium? sinistrum moueri, docent omnes: de dextro negant multi, videtur tamen affirmare Galen. nam hęc habet lib. 6. de decr. Hipp. cap 7. *Si igitur ita feceris, & dextram thoracis partem dissecueris, euidenter dextri corpis ventriculi pulsum videbis, neque te fugiet, meatum illum, qui cordi connectitur, à caua vena progerminatum, etiam ipsum, quemadmodum arteriæ pulsare.*

2. conclusio.

At quæres, mouentur ne propria virtute, an ad motum sinistri, instar ostiorũ fluminum, quæ consensu maris, in quod immerguntur, & fluunt, & refluunt? Tenent quidam secundam hanc partem, eamque suadent, quia anterior pars cerebri, partesq; quæ ex sinistro oriuntur ventriculo, mouentur dumtaxat. Primã tamen defendit Galen. 7. de vsu par. 15. quæ amplectenda; nam cum aliquid ex accidenti mouetur, vt mare, dum flumina excipit, non mouetur vna simul cum alio: nec ratio adducta suadet oppositũ, illud enim accidit, quia vasa, quæ dextro ventriculo inseruntur, inepta sunt ad excipiendam facultatem. Cœterum, quia Galen. monuit, non esse multis inquirendum, pulset ne dexter ventriculus, quia

tantum

tantum à corde facultatis excipit, vt redundet, & bulliat, an ex sanguinis in cõtrarias partes agitatione propter hanc causam ad arterias sermonem conuertam, vnde fit secunda conclusio.

2. Concl. Arteriæ omnes, quotquot illæ sunt, & dilatantur, & constringuntur. Probatur, quia omnes sunt eiusdem naturæ. Quare habebunt, eamdem vim sese dilatandi, & constringendi, quæ cum non sit spontanea, necessariò aget. Quare omnes pulsabunt, & aliquam substantiam allicient, quædam tamen tenuem sanguinem: quædam quod in sanguine est halituosum, aliæ vero proximum sibi aerem prolectabunt. Vide 3. de facul. nat. cap. 14.

3. Conclusio. Tertia conclusio, non est pulsus motus membranarum cerebri. Nam hæ factę sunt, à natura, vt contineant cerebrũ, nec habet aliũ vsũ; vt voluit Gal. prętere a dura mater caluariæ adhæret. An sit motus substantiæ cerebri? Gal. 4. de diff. puls. 2. *Si quã, inquit, vt arteriæ obtinet facultatem peculiarem cerebrũ, & membranarũ, & cerebri necessaria erit mentio in diffinitione, eritq; tota diffinitio, pulsus est contractio, & distentio cordis, arteriarum, atque cerebri, & eius membranarum: Sin autem alterum istorum, ea est facultate insignitum, eius vnius faciemus mentionem.* Iam vero motum, quem habet cerebrum, arterijs multis, quæ in ipso sunt, debet. Quare hæc erit diffinitio pulsus, est motus primò cordis, deinde arteriarum.

A qua nam causa pulsus. Cap. IV.

Prima de causa pulsus sẽtẽtia opinio. Qui pulsus, quod eius subiectum, iam vidimus: nunc eius causam sectricem rimari oportet. Nonnulli, quos refert D. Thom. 45. op. de mor. cord. ab intelligentia, fieri motum hunc autumarũt.

Suadetur primum. Suaderi id potest, quia vt habetur 7. phys. omne motum debet esse realiter à motore distinctum, quod hic locum habere non potest, ni cor, extrinsecum habeat motorem.

Secundo. Secundo quia si ab interna aliqua causa cor moueatur, aut erit hæc libera, aut necessariò agens. Non primum; nam vt scripsit Galen. 2. de motu musc. *ea, quæ cum facta iam sunt, sedare iam potes si vis, & si non dum facta facere, sunt voluntaria, præter hæc etius aut tardius crebrius, aut rarius ea faciendi potestatem habeas, manifestum est, actionem illam seruire voluntati.* At pulsus, quamquam pulsare nolis, non propterea deficit: nec si crebriorem, aut tardiorem velis illum facere, vmquam assequeris. Quare non erit hæc actio à libera facultate: neque à naturali, nam naturales causæ, vt calor, & frigus agunt secundum vltimum suũ posse, nec respiciunt modo aliquo finem, alioquin nihil interesset, multum ne alimenti, an parum exhibeatur, calore id tantum coquente, quo animal opus habet, reliquum expultrice potẽtia extrudente. Nunc pulsandi facultas facit pulsum, celeriorem, tardiorem, pro ratione indigentiæ. Quare non erit eius causa necessaria. Confirmatur quia natura determinatur ad vnum, constat autem pulsus contrarijs motibus. Nec tollunt difficultatem dicentes, fieri hos motus ab anima, nam adhuc licet quærere, fiat ne motus ille ab anima secundum gradum vegetatiuum, quem habet, an sensitiuum: aut si plures ponas in corpore animas, fiat ne motus ille ab anima vegetali, an sentiente. Quare, vt hæ difficultates tollantur, id esse reliquum dicere videtur, pulsus causam esse intelligentiam. Fatebor id numquam ego; nam si ab extrinseca causa, hæc actio, non erit illa vitalis, nec possemus ex pulsu, corporis conditiones dignoscere. Ergo erit in nobis causa pulsus, nam ita censet schola communis Philosophorum, & medicorum. Nec citari pro contraria sentẽtia auctores, aliud credidere, sed ab Intelligentia fieri pulsũ affirmãt, quatenus hæc formã tribuit cordi, moueri, vt possit, vt docet idẽ D. Thom. cit. opusc. Proinde videre oportet à qua causa interna, motus ille. De loco Ar. multa Physici. Reijcitur.

Secunda sententia Arist. Credidit Arist. lib. de resp. vlt. dilatari cor à calore hunc in modum. Feruet sanguis in corde contentus, ebullit, & in maiorem elatus magnitudinem, vasa ipsum continentia extendit. Quoniam vero cordis dilatationi, aeris attractio succedit, fit vt refrigeretur quoquo pacto sanguis, detumescatque, non secus, ac ebulliens olla, immissa frigida. Pulsus ergo omnis à bulliente sanguine, & aere attracto: nempè dilatatio à feruore sanguinis, contractio ab aeris frigidioris attractu. Cæterum, quia nedum cor pulsat, sed & arteriæ, has subdit pulsare, quia cordi continuæ. Huic consimile est, quod habuit Erasist. Auic. Tur. nam, & hi volunt dilatari cor, & arterias, nb receptam materiam in cauitate, quamquam non eamdem ponant; nam putans Erasist. in arterijs aerem contineri dumtaxat, arterias distendi dixit, quia aere à corde demandato replentur, contrahi, quia inaniuntur. Auic. cum præter aerem, spiritus quoque in arterijs admittat, dilatari arterias putat, ex spirituum vitalium influxu, contractionem fieri, ex arteriæ collapsione: ex parte itaque conueniunt, ex parte discrepant: fatentur vno ore omnes, dilatari cor, & arterias, quia implentur: discrepant postea, quia Arist. vult materiam replentem esse sanguinem, Auic. spiritum, Tur. vtrumque, neutrum Erasistr. nam aeri hoc tribuit. Differunt secundo, quia Arist. vult, contrahi ob spiritus resolutionem, hunc re-

Ab Arist. non multum abest Erasist. Auicen. nec Turis.

Eadem itaque dicunt & diuersa.

resolui ab ingressu aeris. Refert hoc Erasistr. ad aerem emissum, ad grauitatem arteriæ Auic. Qui omnes hallucinantur, nam si continuitas est in causa cur vna cum corde arteriæ mouentur, cur cum venæ quædam eamdem habeant continuitatem cum corde, non mouentur eædem moto corde? cumque sanguis natura in arterijs contineatur, vt multis probauit Galen. non poterit simul per omnes arterias aer permeare, easque dilatare, & constringere: vt propterea reijcienda sit Erasist. sententia. Nec Turis. admittendus, nam quamquam vniuersus sanguis in corde contentus, possit vna simul ebullire, maxima tamen soliditas est, idem de sanguine contento in arterijs autumare, quando ipsæ magnitudine dispares sunt, sanguinisque contenti in arterijs, & copia, & qualitas multiplex. At quod nec motus arteriarum, nec cordis, ab hac causa fiat, constat inde, quia calor non est causa motus; quin contra motus calorem producit. Non erit ergo calor auctor pulsus. Dices excalefactas partes dilatari, quia incalescunt: erit ergo calor occasio motus. Quare alia ponenda facultas, quæ motum efficiat, quã cum non assignet Turis. aut falsa est eius sententia, aut insufficiens, ac rectius ij, qui pulsus causam non in aerem, spiritum, aut sanguinem referunt bullientẽ, sed animæ adscribunt, aut huic remote, proxime vero alicui potentiæ animæ. In hunc sensum trahit Auer. Arist. 2. cant. 72. & Veg. l. ar. med. & aptè satis. Enimuero in paruis naturalibus, vbi de corporis affectibus agit, instrumentarias causas eorum inquirit, non primarias, nam somnum fieri adstruit, vaporibus ex alimento ad sedem sensus communis delatis, expergefactionem transmissione spiritus, ad instrumenta, cum tamen vtriusque operis animam esse causam constet: Quod confirmatur, quia Arist. scribit lib. de respirat. pulmonem respirandi gratia esse factum. Ponenda itaque facultas.

Secunda.

Tertia.

Et ij rectius qui a facultate ponunt hūc motum fieri.

Quæ nam? Galen. lib. de vs. pul. cap. 6. vitalem esse docet, quid tamen sit, fatetur se ignorare 2. de caus. puls. 2. Credidit Auer. 2. collect. 7. esse eam vegetalem, quia huius munus est, quidquid dissoluitur, resarcire, vnde cum pulsus opera spirituosa substantia regignatur, ad vegetalem animam dictum opus spectabit: neque obstat, quod carent pulsu plantę, carent enim, quia deficit eis organum, quia nulla, fit in ijs spirituosæ substantiæ deperditio. Tenet hanc sententiã Garb. l. 1. summę tract. 5. q. 55. Rod. Veg. l. art. med. cap. 31. Capiu. tract. de puls. Mercen. & alij. Trahunt in eamdem Galen. nam 7. de vsu part. 9. vocat vitalem facultatem naturalem, & motum thoracis ab anima, cordis à natura fieri scribit. 6. item de vsu par. 8. docet, idcirco naturam neruulum dedisse cordi, ne omnino esset planta.

Malè tamen putat Auer. esse vegetalem.

Sed neque Galen. hæc sententia est, neque vera. non est Galen. nam quamquã dixit, si cor neruo priuetur, non differre à planta, hoc ideo verum, quia ni neruũ habeat, non potest vitalem facultatem habere: naturam pulsus causam esse asserit, quia continuo mouet. Non est itẽ hæc sententia vera. Primum quia naturalis facultas semper agit pro ratione potentiæ. Vitalis pro vsus, & operis indigentia: instrumentum vegetalis est prima aliqua qualitas: vtitur vitalis organo, vt sensitiua. Neque obstat, quod regignatur per pulsum spirituosa substantia, nam cum non viuant spiritus, tẽperamento possunt refici: quamquam nec si anima id faciat, à vegetali propterea pulsum fieri dicendum, alioquin cogeremur idem de respiratione autumare. Sed esto admittantur hæc omnia, non esset propterea sententia adducta accepitanda, nam vita non tam consistit in iugi quadam propagatione spirituum, quam in transmissione eorumdem ad singulas partes. Vnde quemadmodum eum dicimus Sortem iugulasse, qui gladio guttur Sortis transsixit: & medico opportuna remedia exhibenti, curationis beneficiũ acceptum referimus, non seplasiario, qui confecit sic ea potissimum actio est vitalis, per quam spiritus fertur ad singula membra, non qua idem regignitur. Quare cum dilatare, & constringere nullo pacto valeat vis naturalis, non erit vis naturalis pulsus causa effectrix. Nec aliter opinandum, quia naturalis potentia pellit noxia, trahit vtilia, quæ fiunt in pulsu: trahitur enim pulsatione aer, pelluntur contractione fuligines; nam naturalis facultas trahit, quemadmodum magnes, accurrit aer in pulsu, vt vitet vacuum: pellit cor sese comprimendo, non sic naturalis facultas.

Hæc enim agit pro ratione potentiæ mediis primis qualitatibus, quod falsum de vitali.

Vnde rationibus pro alia sententia respondetur.

Hæc cum fortasse considerasset Fern. l. 5. physiol. cap. 13. & ante ipsum Conc. l. diff. 57. dixerunt, vitalem facultatem, neque esse naturalem, nec sentientem virtutem, hæc enim operatur pro voluntatis imperio, illa pro ratione potentiæ, sed mediam distinctam à dictis, nempè quæ mouet pro ratione indigentiæ. Probat hoc Fern. quia quandoque læditur vitalis facultas illæsis cæteris, & e conuerso. Idem Valles. 3. lib. contr. cap. 2. qui si mediam per abnegationem velint esse, conuincuntur apertè à Mercenario, nam cum sit anima principium vitæ, erit quęlibet facultas animę viuendi principium. Quare cum quatuor sint gradus vitæ, vegetare, sentire appetere intelligere, erit hęc facultas principium alicuius ex prędictis actibus: vel ergo nutritionis causa, & erit vegetalis facultas, si sensationis,

Nec bene putarunt alij vitalem facultatem mediã esse.

Proinde arbitramur esse hanc facultatem secundũ locum motiuam, nam & hic motus fit præuia cognitione.

nis;sentiens, si intellectionis intelligens, si motus secundum locum motiua, quæ à sentiente, & intellectrice, nullo pacto distinguitur. Proinde dicerem, pulsum fieri à facultate secundum locum motiua;nam si quæ ratio cogeret id negare, illa esset potissima. quia fit pulsus absque cognitione. At hoc falsum;vrgetur enim cor ab interno calore, & aduitandam molestiam laxat se, & distendit: distentum, quia diutius ita consistere nequit, contrahitur: contractum, quia denuo à sanguine ebulliente inflammatur, denuò dilatatur. lege cap. 8. huius lib. Neque officit pulsare cor, & arterias, nobis nequaquam attendentibus, nec cohiberi id posse, aut moderari ab arbitrio nostro, nam respiramus pariter,& palpebras mouemus,non attendentes, cum tamen sint hi motus animales. Quod cohiberi non possit, nec pro voluntatis imperio intêdi,& remitti, hinc tantum fit, ne sit motus ille omnino animalis,animalem nullo modo esse,nequaquam probat. Vnde redditur, ratio cur mõstret affectiones cordis potissimum, ille cetebri; nempè motus pure animalis fit, vi à cerebro communicata: hic virtute à corde transmissa. Hæc est in hac difficultate mea opinio,quam vt expendant alij, etiam,atque etiam rogo, ac reijciant, si falsam conijciant, amplectantur, si veram esse intelligant.

Non est tamẽ omnino animalis, quia non obedit voluntati,nec pendet a cerebro.

Fiant nè partes omnes pulsus à facultate. Cap. V.

Variæ de re ista sententiæ.

HAbet pulsus partes quatuor, dilatationem,& contractionem, duplicemque quietem,alteram externam à dilatatione,internam alteram à contractione. An omnes hæ fiant à facultate, an quædam sint actiones,quædam cessationes ab opere controuersum. Suadent multa secundam hanc partem. ac primũ nomen ipsum quietis,quod nil aliud importat,nisi cessationem ab opere,vnde 2. de mot. musc. 9. dilatationem thoracis neruis contentis fieri docet, contractionem ijsdem à contentione cessantibus. Secundo quia potest dilatatio fieri à duritie arteriæ, constrictio à grauitate eiusdem.Quare omnino superuacaneum est facultatem ponere, quę hos motus expleat. Ita multi: quidam tamen volunt contractionem fieri à facultate, distentionem à propria duritie arteriæ, quo pacto inflexa à manu virga ex se ipsa postea ad pristinam figuram reducitur,sese dirigendo.

Quidam contractionem dicunt a facultate fieri, a duritie distentionem.

Tenent alij,distentionem fieri à facultate,contractionem ab ocio ipsius, & videtur esse sententia Gal.2.de mot.musf.9. *Expirationis inquit nullus musculus est opifex,sed hoc opus thoracis, aut potius affectus decidentiæ à nobis antea nominata est similis.* Alij à propria membri grauitate cõtractionem docent,& melius, nam cum contractio sit motus positiuus, nequaquam ex solo otio procedere potest.

Alij distensionem cẽsent a facultate fieri contractionẽ ab ocio.

Non minor est dissensio de quietibus nam Valles.3.l. contr.2. internam quietẽ cessationem esse dicit, externam actione fieri docet: Contendunt alij vtramque quietem cessationem esse. Quos non video quid coegerit tantas distinctiones effingere: nam si tam dilatatio,quam cõtractio, tam quies externa quam interna sunt motus cum rithmo,omninò fatuum est,ab alia causa,quam à facultate,earum ortum deducere;nam quamquam dilatatio possit à duritie fieri, vbi cesset à contractione facultas, contractio à propria grauitate arteriæ,& cordis, neutrum tamen cordi,& arterijs contingere potest; non enim tanta est arteriarum, cordisue durities, dilatare, vt possit: nec si fieri à duritie id posset, cum rithmo posset, & proportione. Non me latet conatos esse quosdam monstrare, posse rithmum fieri mutata solum arteriarum duritie,& mollitie, nam quo durius est corpus, quod vltra mediocritatem comprimitur, cò velocius redit ad suam naturalem figuram, vt potest quisque videre duabus virgis inflexis, quarum vna sit mollior, durior alta; nam si æqualiter distorseris illas,haud quidem distendentur æquali cũ impetu,sed celerius,durior, & vehemẽtius,tardius mollior. At qui? potest arteria,tam breui temporis spatio,è dura fieri mollis,mox durescere?

Non minor de quietibus discordia, nã Valles. internam quietem cessationem esse docet:actionem externam alij vtramque quietem cessationem esse dicunt,

Iisdem monstratur, non posse à grauitate, pulsus contractionem procedere, nam non fieret cum rithmo; præterea graue ad ima delabitur, non contrahit: vt propterea non careat reprehensione Valles. qui dixit 3.contr.2. contractionẽ arteriæ,vsque ad cauum naturae,à facultate fieri,membri grauitate iuuante; nam cum constrictio non fit motus deorsum, sed à partibus extimis ad internas,atque ad hunc motum nihil conducat grauitas,nihil in constrictione virtus, à membri grauitate iuuabitur. Vnde neque illud admittendum,quod habet idem Valles. dilatationem vsque ad naturale cauũ fieri à facultate,adiuta,à firmitudine partium,esset enim constrictio prẹter naturam,quando esset contra naturalem partis propensionem.

Dicendum ergo, vtrumque motum fieri à facultate,nihil cooperante,aut firmitate partis ad dilatandum,aut ad constringendum grauitate. Nec opinandum aliter de vtraque quiete, quod admittet facilè quiuis, si intelligat, me non loqui de quiete, quæ est mera motus priuatio, sed de ea, quę est conseruatio partis in eodemet situ, quem antea per motum acquisiuerat; nam si conseruans causa

Quæuis ergo pars pulsus à facultate,nullo alio cooperante.

vna, & eadem est cum effectrice, ijdem musculi, qui thoracem dilatant, dilatatũ conseruant. Quare vt dilatatio est actio, sic dilatationis conseruatio, quę est quies externa. Eadem ratio, cum sit de interna quiete, non video cur Vallesf. aliam de ipsa sententiam habuerit. Omnes itaq; pulsus partes, à facultate prodeunt, quod & Vallesf. factus senior docuit cap. 2. lib. de pulsf.

Adducta in principio nõ obstant, nam primum procedit de quiete, quæ est mera cessatio à motu: nos loquimur de ea, quæ est conseruatio motus. Ita exponendus locus citat. Galen. Aut dicendum ociante facultate, fieri contractionem thoracis occasionaliter.

Obiectio.

Sed dices, actio est motus: at nulla est mutatio in corde, aut arteria, cum quiescunt. Quare neq; actio aliqua fingi poterit. Non itaq; à facultate quietes.

Pet. Gar. lib. de loc. aff. negat quamcumque actionem, essendi nouitatem includere; nam conseruatio actio est, cum tamen de nouo nil producat. Mercat. dicit facultatem, vbi cor, aut arteriam detinet, adhuc agere, non actione aliqua positiua, sed priuatiua, brachij grauitati obnitendo, ne deorsum labatur. Vterq; modus dicẽdi est probabilis, potest quisque sequi, quod magis arriserit.

Procedant ne ab vna facultate partes omnes pulsus, & quæ prior dilatatio, an constrictio.
Cap. VI.

Duas ponunt multi.

MVltorum sententia est pulsus motum à duplici facultate fieri, contrahente altera, altera distendente: sic sentiunt ij omnes, qui à vegetali potentia pulsum fieri docent, nam cum sit hęc determinata ad vnum, non potest plures motus ciere. Eumdem dicendi modum ij omnes sequuntur, qui à sentiente anima pulsum proficisci putarunt, inter quos Ludou. Merc. lib. 1. de pulsf. tract. 2.

Quia sint duo motus contrarij.

Mouentur autem ex motuum contrarietate, necnon auctoritate Gal. & D. Tho. nam ille loquens de pulsu dicroto, 2. de præs. expulsf. cap. 8. suboriri ipsum scripsit, duabus facultatibus concertantibus, altera quæ distendit, altera quæ contrahit. D. Thom. vero ponens distinctionem inter actus facultatum, & animæ, hanc numquam dicit esse ociosam facultatem quandoque in actu, quandoque in potentia. Quare si à facultate pulsus, eamque necesse est ociari quandoque, quia

Et citra intermissionem.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Idq; citra animantis discrimen fieri non possit, duas necesse est ponere facultates; ita enim saluti animantis consuletur continuitate pulsandi, & facultatibus, dum vna quiescit, altera laborante.

At quando maioris perfectionis est vnico principio, vtrumq; motum explere, neque aliquid cogit multiplicare potentias, potior eorum sententia est, qui ab vna facultate, hos omnes motus deducunt; nam si pro motuum contrarietate multiplicandæ motrices virtutes, multæ erunt ponendæ in ipso brachio, cum multos cieat: at vnam ponunt omnes, quę varijs, adiuta instrumentis illos obit. Quare, & vna facultas varijs instructa fibrarum generibus, pulsui satis erit.

Nos cum vna facultas sit, in tamen multas tamen adiuta instrumentis, vt potet in motu brachij vnam tantum ponimus.

Et ita explicamus Arist. Gal.

Arist. dicens facultates distingui ex actibus, interpretandus de actibus adæquatis, adæquatus autem actus facultatis pulsificę ex dilatatione coalescit, & constrictione. Galen. dicens dicrotum pulsum à duabus fieri facultatibus, ita explicandus, à duplici fit causa finali, non duplici causa effectrice; nam cum ita intemperantur nostri corporis partes, vt quędam caleant, & dilatari optent, frigeant aliæ, ac propterea constrictionem desiderent, ne à fuliginum copia suffocentur, in varias distracta partes facultas, & secum pugnans, facit contrarios motus, vnde dicrotus pulsus. Ita esse exponendum Galen. coniicio, quia nullam facit in vniuerso illo capite causæ effectricis mentionem.

Ad rationem ex doctrina D. Tho. desumptam dicimus, verum esse illud assumptum de facultate, quæ operando fatiscit, non reficitur quemadmodum sensitiua facultas. Nunc autem illud cõtingit facultati vitali, à qua pulsus, quod nutrienti. Vnde quemadmodum vbi hęc operatur, refecto spiritu, & sanguine, fit calor natiuus vegetior, vnde & facultas ad operandum validior: haud secus cum per pulsum spiritus vitales gignantur, distribuantur, non solũ non egebit quiete, vt restauretur facultas pulsifica, sed perenni pulsatione perennabitur. Non itaque eget illa quiete, sed instrumenta, vnde quædam fibræ dilatationi subseruiunt, quædam contractioni.

Et D. Tho.

Quod spectat ad secundam difficultatem, Arist. in l. de mor. & vit. in fin. priorem putat esse inspirationem eo argumento, quia in morientibus vltima est expiratio, eadem autem est ratio de pulsu. Contra Gent. lib. 3. fen. 10. tract. 1. c. 7. constrictionem pręcedere docet, alioquin cogeremur dicere, productum esse cor cum dispositione aliqua præter naturam.

Sitne prior dilatatio an constrictio Arist. Gentil.

Puto ego vtramque sententiam probabilem esse, nam vtraque ratio probabilis. Gent. quidem, nam quamquam fuerit in statu naturali productum, potest tamen excitata fuligine, ab ipsa molestari,

Nostra op.

lestari, qua calida est, non qua suffocandi vim habet, vnde cogetur pulsum à diastole ordiri. Est item probabilis ratio Arist. nam tunc anima corpus deserit, cum dispositio in corpore producitur, cum qua anima existere non potest; vnde cum possit illa produci expirante animali, & inspirante, non minus expirando, quam inspirando, poterit homo mori: & quamquam vltimus motus animalis, expiratio esse videatur, est tamen motus ille thoracis, concisio potius, & delapsus à grauitate, non constrictio à facultate, de qua quæstio.

Moueantur ne simul cor, & arteria, an quo tempore cor e.g. dilatatur, constringuntur arteriæ. Cap. VII.

Negat simul moueri Erasist. & Arab. Affirmat Ar. & Gal.

ERasist. vt ex Galen. habemus 4. de diff. puls. cap. 6. negat vna simul dilatari cor, & arterias. Affirmauit Aristot. lib. de spir. *& pulsant*, inquit, *venæ omnes, & simul inuicem, eò quod appenduntur ex ipso corde*. Arist. est sequutus Galen. licet alio innixus fundamento. Erasistratus, & schola omnis Arabum, suũ sequuta Auic. qui fen. 1. 1. d. 6. cap. 4. *Virtus*, inquit, *vitalis non simul constringit, & dilatat*, & rursus 2. 1. cap. 6. *arteriæ ait, non secundũ modum dilatationis, & constrictionis cordis, sed secundum proprium corpus arteriarum mouentur*. Probat suum placitum experientia Galen. & vidisse affirmat extractũ cor è corpore animalis cum arterię parte, simul dilatari, & constringi.

Quia id docet experientia.

Suadent proprium dogma Arabes ratione, nam si aiunt, dilatato corde, dilatantur arteriæ, impedient sese mutuò in tractione, quando per dilatationem trahunt, & à corde vincentur: nec quicquam è corde excipient, si eo compresso, comprimantur; Quando enim constricta arteria quicquam recipere poterit, aut qua ratione à corde compresso manare? At vero quando monuit Arist. imbecillitatem esse intellectus, relicto sensu, quærere rationem, hanc propter causam sequentes sensum, cor, & arterias vna simul distendi, contrahique affirmabimus, prgsertim cum non desit ratio ad id suadendum, non illa Arist. qui simul cum corde arterias moueri docet, *Propterea quod appenduntur ex ipso corde: mouet autem cor perpetuò. Quare & illæ semper, et simul*; nam venæ etiam cordi sunt insertæ, nec propterea mouentur, vt arteriæ. Prætera distant multũ quędam arterię à corde, sunt aliæ molles, quas non est vero simile à corde moto moueri. Quid ergo nos impellit ad hoc placitum? quæ excogitarunt Medici, nempe eadem est facultas, quæ mouet cor, & arterias: ergo si quo tempore cor dilatatur, constringuntur arteriæ, trahet cor facilius, quod à constrictis arterijs tunc expellitur, quã à pulmone. Quare trahet ab ipsis quod communicarat ijsdem, vnde numquam fiet, vt cor excipiat aerem, refrigeretur, vitales spiritus per vniuersum corpus propagentur.

Quam quia deserere ob rationem aliquam, est absurdum hanc sectamur. Præsertim cũ nec ratio desit, non illa Arist.

Sed medicorum.

Nec cogit aduersarij ratio, quod vel ipsi affirmabunt, si doceamus, quo pacto cum cor constrictione expellat, possint constrictæ arteriæ, quod à corde est expulsum recipere, quod non admodum difficilè: quinimo potest hoc fieri multis modis, ac primum, si dicamus, non ita contrahi arterias constricto corde, nihil, vt admittere valeant, ne aerem quidem, aut tenuissimum spiritũ. Secundo quia arteriæ non replentur ea substantia, quam cor transmittit, quando enim hoc fiet in ijs, quæ longo interuallo è corde sunt seiunctæ? Quid quod certissimum est eas, quæ ad cutim deueniunt, à cuti aerem trahere? at omnem difficultatem remouet constitutio vasorum, quæ in corde inseruntur. Ergo oportet præscire, cor duos habere ventriculos, dextrum alterum, alterum sinistrum: habet ille plus sanguinis, hic spirituum: inseritur in dextrum sinum venæ cauæ ramus, in sinistrum arteria venalis, sic dicta, quia vnica constat tunica, vt vena. Præter hæc duo vasa, quæ in cor inseruntur, oriuntur duo alia à corde, seu eius ventriculis, scilicet à sinistro exoritur arteria aorta vocata à dextro vena arterialis: horum quatuor, duo sũt tractioni dicata, duo transmissioni: trahit arteria aorta à sinistro ventriculo spiritus, atque sanguinem versus membra, vena arterialis deducit sanguinem pro nutrimento pulmonum, deducit ad cor vena caua sanguinem, aerem venalis arteria. Habent hæc vasa in orificijs eorum ostiola quædam, valuulas vocant medici, cũ hoc tamen discrimine, quod vasa excipientia à corde (sunt hæc aorta, & vena arterialis) habent valuulas tẽdentes extrorsum, habent alia, quæ ad cor deferunt, & aerem, & sanguinem introsum illas. Ex varia hac vasorum constitutione fit, vt neque in tractione sese impediant cor, & arteriæ, quamquam simul dilatentur simulque trahant; atque hinc fit, ne quod communicauit cor arterijs per contractionem, per dilatationem referat ad se ipsum. Qua de re, quia exactè Anatomici, & Valles. 3. contr. cap. 3. parcam ego huic labori. Tu si plura desideras, illos consule.

De pulsus vsu. Cap. VIII.

CVM pulsus à facultate fiat, quæ nil facit frustra, aliquem habeat vsum ne.

Duos pulsus vsus esse dixit Galen. de vs. puls. & 8. de plac. 1.

necesse est. Quare erit illud nostro proposito consonum, vt quinam sit, indagemus. Duplicem esse vsum pulsus, scripsit mille in locis Galen contemperationem caloris natiui, & animalis spiritus regenerationem. Hinc diffiniens ipsum 4. de diff. puls. 2. dicebat. *Est actio primo cordis, deinde arteriarum ex diastole, et sistole composita, à vitali facultate procedens, vt caloris naturalis seruetur mediocritas, et spiritus animalis in cerebro generetur.* Constat hoc ex dictis de pulsus natura. Dictum enim, dilatatione trahi aerem, constrictione calfactum aerem vna cum fuliginibus pelli, pelli item spiritus ad varias partes corporis. At vbi pellantur fuligines, pellitur quod calorem intendere poterat qualitate prima, crassitie obstruẽdo suffocare, & extinguere: cum frigidus attrahitur aer, adauctum calorem remittit qualitate: impetuq; quem acquirit ex motu ventilat, hoc est fuligines pellit: vnde adauget. Cum spiritus ad partes effunditur, calor partium roboratur, & gliscit. Quare vere dictum, hunc vsum habere pulsum, vt scilicet natiuum calorem temperet, & spiritus animalis in cerebro regignatur; nam huius opifex calor est naturalis, qui pulsu seruatur. Quare non solum spiritui animali gignendo conducet pulsus, sed & vitali, quod tamquam certum fortasse, omisit Galen.

Nos sequi hęc beneficiu haud negamus, sui tamẽ gratia primũ moueri volumus.

Ego verò, quamquam non negem, hoc pulsus opera fieri, nego tamen cor, & arterias idcircò moueri, vt singularum partium seruetur calor, animalis spiritus regignatur; nam quæcumque mouẽtur, sui gratia mouentur, scilicet vt prosequantur iucunda, vel fugiant, quæ nocitura videntur. Ventriculus, vbi chylo oblectatus, aut saturatus abundè, expellit illum ad hepar, non ideo pellit, vt hepar sanguificet, & vniuersis partibus alimentum suppeditet, sed sanguinem, vbi abunde est saturatum extrudit, quia est ipsi onus: stomachus pellit chylum, quia ab ipso grauatur. Quamquam magnum hinc partibus beneficium resultet. Rudis asellus, qui conspecta, aut equa, aut asina, tanta velocitate, quamquam onustus, & lassus, ad illam accurrit: Quorsũ putatis hoc facere? prolis desiderio fortasse? rudior sim ipso, si id credam sed vt leuetur molestia, quæ à retento semine ipsi infertur. Aqua vbi ascendit, non tam vitandi vacui desiderio adscendit, quam prosequendi aerem, cuius vicinia gaudet: Nec brachium, vbi ictum excipit, capitis in gratiam excipit, sed homo tuendi capitis gratia, brachium tãquam clypeum opponit. Quare & cor, non se dilatabit, vt partium calorem conseruet, quamquam hęc beneficia pulsum sequantur, sed vel ad rei noxiæ fugam, vel vt sequatur quod vtile. At nihil est,

Non vt quicquam consequatur, sed vt vitet molestiam.

quod consequi potest. Quare ad vitandam molestiam sese dilatabit, & stringet, scilicet contentus in cordis sinubus sanguis, mirè ipsum vexat, & quo magis constringitur, inflammatur magis: hinc distenditur ad vitandam caloris molestiã: At quia diu distentum stare nequit, comprimitur: inflammatur compressum, hinc distenditur. Demum quemadmodum vnico motu explosa re noxia, motus omnis cessat: ni excuriatur perdurat; haud secus, quia est perennis feruor ille cordis, perennis quoque est dilatatio eiusdẽ perpetuaque constrictio, non valente corde, quam dilatatione figuram acquisiuerat conseruare.

Dices, nil est in nostro corpore calidius corde. Non itaque à sanguine, aut spiritu potest inflammari. Quare nec ad caloris molestiam vitãdam mouetur: quod confirmatur secundo multifariam, ac primo quia si hæc causa dilatationis ponatur, erit dilatatio præter naturam: responderet secundo huic semper constrictio, nec simul cum corde dilatarentur arteriæ, nam non habent singulæ eũdem caloris gradum. Non pulsarent, quarto refrigerati, cùm quia cessat vsus, tùm quia ventilatione, frigida inducitur in corde intemperies. Demum spiritus est corpus mixtum. Non itaque ex aere gigni ille poterit.

Obiectio 1.

Secundo.

Tertiu.

Quarto.

Quinto.

Sol.

Quatiunt certe hæc non parùm propositam de pulsus vsu sententiam, & oppugnant, non tamen expugnant; nam quod spectat ad primum, quidam tantum abest, vt cordis carnem calidissimam esse fateantur, vt frigidam esse autument, argumento desumpto ab eius duritie, crassitie, incoctibilitate, & aqua multa, quæ in pericardio habetur. Ita Concil. & tribuitur Auerr. Alij, & si calidum esse fateantur, virtute tamen calidam esse docent, formaliter frigidã. Alij, vt Veg. partem aliquam cordis calidiorem esse spiritu dicunt, & ab illa fieri spiritus cõtendunt. Secundi consequentia neganda, alioquin vrinæ, & fæcum expulsio motus essent præter naturam, quod absurdum: Nam tunc esse præter naturam excretio dicitur, cum irritatio præcedens, præter naturam fuerit. Vbi intra limites sanitatis continetur, actio insequens, non dicitur symptoma. Quare cum molestia illa à calore, cordi illata, in quouis animali, vel optimè sano reperiatur, non erit præter naturam dilatatio.

An cor calidissimum.

Tertia, & quarta ratio, non minus nostram oppugnant sententiam, quam communem omnium; nam si ad temperandũ calorem cor, & arteriæ dilatarentur, non gratia sui; cur cum non habeant partes æquales gradus caloris, omnes tamen arteriæ vna simul cum corde dilatantur? Quoniam vero afferre instantiam, non est

Ad 3. & 4.

est soluere, dicimus quamquam ratione motus nullum sit discrimen inter cor, & arterias, esse tamen in alijs multis, ac primum, quia cor quod calidius, non tantū ventilatur pulsu, sed respiratione. Secundo quia maiores arteriæ, maiorem copiam aeris excipiunt. Tertio quia aliæ excipiunt illum magis frigidum, atteratum aliæ.

Cur pulsant refrigerati.

Dixit ad quartum Christoph. Aueg. 1. progn. pulsare refrigeratos, non vt aerem trahant, nullo siquidem egent, sed vt cōtractione expellant fuligines. Quia vero contrahi cor, aut arteriæ nequeunt, ni dilatentur, hinc sese dilatant. Quod non placet si enim id verum, non posset ab intemperie frigida, aut pulsus, aut respiratio tolli. Præterea vbi expelluntur fuligines, non remouetur calor ab ijs inductus. Quare adhuc opus erit aere attracto, qui calidam intemperiem abigat.

Vega.

Alij.

Putanc alij refrigeratos pulsare, & respirare, vt ventilent calorem, & ventilatione intendant, nam vt Poeta.

Mollis alit flammam, grandior aura necat.

Quomodo ventilatio calorem adaugeat.

Quod neque admittendum, & si circunferatur per ora medicorum; nam quamquam sit verum hoc in igne, calor tamen noster nequaquam augetur ventilatus. Fatebitur id quisque qui intelliget, cur ignis ventilatus augetur. Sumit hic incrementum ventilatus, quia fumosa materia in poris ignitæ substantiæ contenta, accenditur ventilatione, & in flammam conuertitur: aut quoniam ventilatus ignis, ad eas alimenti partes se extendit, quas antea quiescens, nō attingebat: aut tertio hoc fit, quia ventilatione, substantia aliqua ignem suffocans, e medio tollitur: at nihil horum in nobis locum habet; nam si quod posset afferre beneficiū, illud esset, segregare fuligines, quod est remouere causam intendentem calorem: quamobrem, non solum ventilatio non intendet nostrum calorem, sed remittit. Quare adhuc indagandum restat, vnde est, quod pulsant refrigerati: Est autem meo videre illa causa pulsationis, nempe vt temperetur calor cordis; nam quamquam partes extimæ frigeant: calēt internæ tamen plus iusto. Quod si frigidus aer expiratur, scias refrigerari in itinere, quamquam calidus emittatur à corde.

Opinio propria.

Quomodo aer temperat calorem.

Ad confirmationē dixit Ludou. Merc. posito argumento inductus, temperari calorem ab aere attracto, non quia calorem remittat, frigiditatis gradum imprimendo, sed quia impedit tantum, ne efferuescat. Quod reijcio. Nam si frigidus aer proximè hęret cordi, quid impedit ipsum ab actione? quod si agit, refrigerando agit. Quare aliquem gradum frigiditatis producendo; Nec tamen laborabit propterea cor intemperie frigida; nam gradus ille caloris, qui ab aere tollitur, non erat naturalis cordi. Quare tantum abest, vt ob hanc causam cor frigida intemperie laboret, vt potius ad meliorem temperiem reducatur.

Reprehendit ob hoc quintum argumentum Auerr. Galen. 2. collig. cap. 19. cui videtur assentiri Auicen. nam 10. 3. tract. 1. cap. 1. dicit, *quod sicut aqua quantumuis non nutriat, facit tamen ad nutritionem, vt vehiculum: ita aer, quamquam ex ipso non generetur spiritus, facit tamen ad generationem, in quantum præparat sanguinem, vt sit materia apta ad generationem ipsorum*. Supra innuimus conducere huic operi aerē, quia reducit ad symmetriam calorem à quo spiritus. Quia vero velle videtur Galen. ex aere tanquam ex materia spiritum gigni, nam in hunc sensum trahit Hipp. dicentē *principium alimenti os, nares, guttur*, idemque monstrare nititur cap. vlt. lib. de vsu. pulsus, dicamus quamquam ex simplici aere spiritus non possit gigni, posse tamen ex eo cum sanguine mixto.

De differentijs pulsuum.
Cap. IX.

Diximus quid sit pulsus, & quæ causæ ipsum producant, recensendæ modo illius differentiæ. Hæ duplices esse perhibentur, absolutæ, & respectiuæ; absolutæ triplices, simplices complicatę, & compositæ: respectiuæ totidem, prima continet rythmum concentum, seù harmoniam. Secunda ordinem, seù ordinis perturbationem. Tertia æqualitatem, & inæqualitatem. Simplices item sunt quinque numero, nam quinque sunt in pulsu; nimirum facultas, mobile, tēpus, spatium, quies: itaque differentia vna sumpta à facultate, ab arteria alia, quæ est mobile. Tertia à spatio. Quarta à tempore. Quinta à quiete, quinque oriuntur differentiæ pulsus simplices: cumq; facultas, quę est mouens, possit esse triplex fortis, moderata debilis: arteria, quę mouetur, mollis, dura, moderata: pertransitum spatium, magnum, paucum, moderatum: tempus quod in motu consumitur multum, paucum, moderatum: quietes, quibus mobile gaudet, antequam contrarium motum aggrediatur, longæ, breues, moderatæ: quindecim erunt differentiæ simplices pulsuum, fortis, imbecillus, moderatus: magnus, paruus, moderatus, à spatio: celer, tardus, moderatus à tempore: creber, moderatus, & rarus, à quietibus: durus, mollis, moderatus, ab arteria.

Differentiæ item, quæ à spatio sumuntur, possunt adhuc in multas alias diuidi; nam cum spatium sit quandoque magnum, alias moderatum, & paucum; magni-

gnitudo autem constat latitudine, longitudine, & profunditate, poterit proinde spatium quandoque esse longum, latum, & profundum, habebit interdum vnam ex dimensionibus alijs contrario modo se habentibus. Si habet spatium omnes dimensiones, fiet pulsus, magnus; si nullas paruus. Cæterum, quia possunt hæ quātitates 27. modis complicari, hinc fiunt 27. differentię pulsuum ab ipso spatio, vt latè Galen. lib. de diff pulf.4.

Simplicis autem pulsus nomine, non intelligimus eum, qui multas differentias nō habet; nam cū quiuis pulsus, vt & motus omnis, habeat motum, mobile, spatium, quietem, & tempus, erit pulsus omnis compositus: simplex itaque dicitur, quia ex diuersorum extremorum differentijs, non constat: compositus, qui ex multis differentijs, non in vnum extremum coeuntibus, sed valdè diuersis coalescit, qui potius complicatus dici deberet, quam compositus, quemadmodū, & prima differentia, composita magis, quam simplex, mœretur dici. Exemplum pulsus simplicis, sit pulsus magnus, celer, creber, mollis: secundi magnus, moderatus, &c. Primi pulsus causa est, naturalis quædam complicatio causarum. Secundum faciunt pariter causæ multæ, & variæ, at non complicantur naturaliter, sed ratione indiuidui, aut ob aliquam causam accidentalem. Hi multiplices esse perhibentur, alijs quindecim esse asserentibus, alijs multò plures. At quoniam parum id confert medicinę faciendæ, omittendum censui, ne imaginaria quadam, & non obseruabili pulsuum numeratione, confusionem, nō mediocrem pariam. At illud attingendum breuiter, cur non diuiditur pulsus in calidum frigidum, album nigrum, plenum vacuum, quando alium dicimus esse mollem, durum alium. Quia illæ differentiæ in medicam veniunt considerationem, quę aliquam possunt prębere notam affectionū, quæ præter naturam: facit hoc pulsus mollis, & durus, vt infra patebit, non albus aut niger, calidus frigidus; nam quidquid monstrare potest calidus, aut frigidus pulsus, illud omne ad vsum adauctum reducitur: vnde censeo, ex antiquorum mente loquutum esse Gal. Auicen. quando huius differentiæ meminere. Et vbi primo de arte cur. ad Glau. pulsus in tertiana calidos esse dixit, non apposuit ly, calidos, vt aliquam pulsuum differentiam innueret, sed ad indicādam arteriæ qualitatem, quæ inter tangendū occurrit. Pulsus plenus, & vacuus, aut est idem, quod fortis, & debilis, aut confunditur cum duro, & molli, nam à plenitudine duritiem nasci, & Galen. multoties docuit, & experientia confirmat. Sed satis de simplicibus, progrediamur modo ad respectiuos, quos triplices esse supra dicebamus, alios, qui continent rythmum, concentum, siue harmoniam, alios qui continent ordinem, aut eo carent, sunt alij demum æquales, aut inæquales.

Rythmici pulsus, quinam sint, non ita facilè constat. Quare vt horum natura intelligatur, aduertere oportet, tametsi rythmi nomen consonantiam significet, nunc tamen sumi, prout idem est, ac temporum, quæ in pulsu sunt mutua proportio, vnde cum sint multa in pulsu, dilatatio, & constrictio, & duplex quies: quidam putantes contractionem percipi non posse, dixerunt esse rythmum proportionem dilatationis ad reliqua tria tempora, nimirum ad cōtractionem, & vtramque quietem. Contendentes alij posse contractionem à medico percipi, rythmum esse dixerunt, proportionem dilatationis, & contractionis, quam opinionem quandoque est sequutus Galen. vt licet colligere ex cap.8.1. de dignosc. puls. At re postea exactius considerata, aliam dixit esse rythmorum naturam: Nā 3. de dign puls. dixit, non esse rythmum proportionem temporum, quæ in pulsu, sed qualitatis motus, contractionis nimirum, & distentionis ad inuicem proportionem. Est autem motus qualitas, celeritas, & tarditas: & inter celeritatem, & tarditatem mediocritas quædam. *Quid pulsus rythmicus.*

Sic igitur rythmorum natura constituta, diuidit Galen. rythmos in duas species æquales, & inæquales: æquales rursus, subdiuisit in tres alias. Prima est quando dilatatio, & contractio est celer. Secunda quando vtraque est tarda. Tertia cum sunt moderatæ. Inæquales rythmos diuisit in sex species. Prima est dilatatio moderata, contractio celer, dilatatio tarda, contractio celer, dilatatio, contractio moderata. Quarta cum dilatatio est moderata, contractio tarda: dilatatio est tarda contractio moderata; cū dilatatio est tarda, contractio celer. *Quid æqualis, aut inæqualis.*

Sunt alij pulsus, qui dicunt respectum ad naturam, & hi sunt duplices, vel enim sunt æquales, vel inæquales: primi adhuc duplices, vel simpliciter æquales, vel secundum quid æquales. Primi sunt, qui in differentijs omnibus æqualitatem habent verbigratia in magnitudine, celeritate, crebritate, vehemētia, mollitie, ita vt in nulla harum mutetur: secundum quid æqualis, in aliqua differentiarum, aliquam suscipit mutationem. Aequalitas insuper potest esse in vna pulsatione, ita vt omnes arterię partes æqualiter incedant in motu, potest esse in multis pulsationibus, ita vt singulæ pulsationes in magnitudine celeritate, crebritate, & mollitie sibi respondeant. Easdem differentias habet inæqualitas pulsus, nā modò aut est inæqualitas simpliciter, aut secūdum *Quid simpliciter, aut secundum quid æqualis, vel inæqualis.*

dum quid, in vna pulsatione, aut pluribus: vtraque tamen adhuc est duplex ordinata,& inordinata:ordinatus pulsus est qui in pulsatione,inæqualitatem cum quodam ordine habet, vt si e. g. quatuor pulsationes sint vehementes,vna debilis, deinde sint aliæ quatuor fortes, vna debilis,est huiusmodi pulsuum inæqualitas ordinata. Inordinata verò, si vnus pulsus sit debilis,alter vehemens.Inæqualitas singularis in vna parte arteriæ, & vna pulsatione, est quando tempus dilatationis,& constrictionis arteriæ in partes diuersæ celeritatis diuiditur; enimuerò, cum tempus non sit indiuisibile, neque admodum breue poterit diuidi in partes perceptibiles sensu, & vna pars motus esse celer,tarda alia. Habet autem hæc inæqualitas tres alias differentias, vna dicitur pulsus imparcitatus, intermittens alia.Tertia dicrotus,seu bis pulsans. Intermittens est, cùm motus diuctionis arteriæ, media quiete interrumpitur, antea quam finiatur, quo circa necesse est, vt interruptum motum prosequatur, quousque ad extremam quietem deueniat. Imparcitatus est continua distentio,ex partibus contrarijs constans, nimirum celeribus,& tardis, vt si velociter incipiat,tardè desinat, aut contra. Dicrotus,seu bis pulsans, est quando arteria incipit moueri, & antea quam absoluat motum, retrocedit, & inde iterū ad eum perficiendum assurgit, vt duplex pulsatio appareat. Inæqualitas singularis in pluribus arteriæ partibus,est quando sub vnica distentione plures digiti mutantur,duo,tres,quatuor, quæ subdiuiditur in multas alias.

Quid pulsus imparcitatus intermittens, & dicrotus.

Tandem est inæqualitas alia collectiua,seu sistematica,quæ in pluribus pulsationibus obseruatur,quæ adhuc duplex, nam vel est inæqualitas æqualiter facta, vel inæqualiter. Pulsus inæqualis æqualiter factus est,quando prima pulsatione, secunda est minor, ac tertia secunda, vt verbigratia, vna vt octo, secunda vt sex, tertia vt quatuor, & hic pulsus dicitur decurtatus,seu myurus, & cauda sorecina. Est autem hic duplex,alter deficiens, alter non deficiens, qui adhuc diuiditur, nam vel perseuerat in eadem paruitate,ad quam deuenit,aut non perseuerat, sed augentur,& dicuntur myuri reciproci,seu cauda soricina alteratiua. Pulsus inæqualis inæqualiter factus est, qui inter plurimas pulsationes, non seruat æqualem distantiam,sed inæqualem,suntque multiplices, vt poteris videre apud Gal. Capiuac.& alios, qui de re ista ad nauseam vsque disputarunt.

De dignoscendis pulsibus. Cap. X.

Exposita natura pulsus, eiusdemque differentijs numeratis, id esset modo consequens, vt qui cuique morbo pulsus sunt familiares, in medium afferremus, huc enim contendit nostra oratio, nec alium ob vsum cuncta præmisimus: Quia vero in dignoscendo pulsu, facilè medicus falli potest, notabo primum quædam,quæ ipsum præscire oportet, ne in re tanti momenti aberretur. Conetur primum medicus dignoscere, quæ pulsus species, nam si vnam pro alia accipiat, aberret necesse est, nedum in morbi cognitione, sed in præsagio. Id vt consequatur,sunt quædam necessaria ex parte infirmi, quædam re ab ipso requiro. Vacet ille omni animi, corporisque motu, manumque supra thoracem locatam in volam pronam,cum digitis neque admodum flexis,nec plusquam ratio postulat extensis,medico porrigat: neque ipso tangente manum agitet: huius enim arteriæ obseruandæ, quia neque aliæ honestius, neque promprius tangi possunt lib.de puls.ad Tyrones. Medicum moneo,vt pluries tangat pulsum,nam cum multa sint obseruanda,est hæc diligentia repetenda, vt quod priori obseruatione consequi non potuimus, consequamur secunda. Dum tangit, suspendat manum quandoque,interdum comprimat, alias nec multum premat, nec leuiter tangat. Primum faciat vbi pulsus est durus, vbi fortis,aut arteria intus recondita:suspēdat,vbi hæc mollis,vbi nimis exposita, vbi languida demum vis pulsandi. Vtatur media ad dignoscendas reliquas differentias pulsuum. Et in hoc se exerceat, nam vt lib. de dignosc. puls. cap. 1. *Quidam in inquirendo clam induitur habitus,vsusque comparatur, qui progreditur pedetentim,neque dum absolutus sit,cæpisse apparet;simul atque completus est,eum late fert omnium exhaustorum laborum quam citissime fructum, adeoque vt rudius dicam, cum ipsa vsura.* Sed quo sit fructus vberior,allabora, vt dignoscas corporis temperati pulsum,hic enim est metrum, & mensura aliorum. Quare numquam excessum aliquem cognoscere poteris, ni medium statuas, ad quod defectus reliquos compares,& excessus. At vbi infirmi pulsum cognoscere cupis, qualem sanitatis tempore pulsum habebat,sub memoriam reuoca,sic enim an multum recesserit, an parum addisces,& quantus sit pulsus intelliges; His vbi instructus fueris rem aggredere. At quando monuimus, ne aberretur præscire necessarium esse quid morbi vi oritur,quid à causa externa, & à natura,propter hanc causam,quos pul-

Pulsus speciē uoca: necesse est medicus.

Quod vt cōsequatur,hæc sunt necessaria.

Omni animi motu vacet æger.

Manumque rectè locatam obseruandam porrigat.

Tangat multoties medicus.

Ac modo leuiter modo premat.

Et in hoc se exerceat.

Potissimum in dignoscēdo temperato.

ſus naturalia faciant, ſunt autem temperamentum, ſexus ætas: quos non naturalia, hoc eſt aer, motus & quies, cibus, & potus, ſomnus, & vigilia excreta, & retēta, animique accidentia: quos res prętet naturam, mox docebo.

Rerum naturalium, non naturalium, & prœternaturam pulſus. Cap. XI.

Quæ pulſus cauſæ.

PVlſum tres cauſę producunt, facultas, inſtrumentum & vſus: facultas eſt vitalis quædam vis, inſtrumentum arterię, vſus calidi naturalis tutela. facultas cum non ſit potentia mere naturalis, quę agat ſecundum vltimum poſſe, non merè libera quæ pro ſuo arbitrio nunc tardius, nunc celerius, nunc vehementius, nunc debilius pulſat, ſed media pro corporis indigentia agens: calidiores, pulſum celeriorem habebũt, tardum frigidi: crebriorem qui multis excrementis abundant, nam purgandorum excrementorum neceſſitas haud patitur diù arteriam in quiete immorari: mollē obtinuere pulſum humidi, durum ſicci, nam quibus humidum eſt arterię corpus cedit facilè, renititur ſiccum. Calidiores ergo, cum ſint mares, frigidiores vt plurimum mulieres, ſicciores illi, hæ humidiores, pauca, & exigua in illis excremēta, copioſa in mulieribus congerantur, hæ imbecilles, illi robuſti, & fortes: erit marium pulſus vehemens, imbecillis mulierum: in illis celerior, in his crebrior: durus in maribus, in fęminis mollis. Hęc ſi teneas, intelliges facilè, quinam ſint pulſus ætatum; enimuerò ſi humiditas cauſa eſt pulſus mollis, calor celeris, excrementorum copia crebritatis, arteria parua & exigua impedit magnitudinem; cui dubium eſſe poterit, puerorum pulſus eſſe paruos, exiguas enim habent arteriolas: celeres, vt hac via ſuppleāt, quod magnitudinė conſequi non poſſunt: crebros demum, quando ob motus inordinatos, & ingluuiem, multa coaceruant excrementa. Cumque frigidum ſit ſenile corpus, debile, nec excrementis refertũ, nam pauca ſumunt: iuuenes contra robuſti, & fortes, calidi, ſicci, erit ſenum pulſus languidus, rarus, tardus, iuuenum fortis, magnus, celer, durus. Nec multũ erit tibi laborandum, vt noſcas quinam ſint pulſus temporibus anni, regionibus, Cœli cōſtitutionibus, motui, & quieti, cibo & potui, cæterisque rebus non naturalibus vocatis à medicis, familiares; nam cum calidiora reddantur ęſtate corpora, hyeme frigida, medio modo ſe habeant veris medio: caleat corpus à cibo, à motu, ni tamen vterque ſit immoderatus, frigeat ieiunum & otioſum:

Quæ cauſa variorum pulſuum.

Qui nam pulſus puerorũ.

Senum.
Iuuenum.

Qui nam pulſus à cauſis non naturalibus.

intelligere hinc facilè poteris, æſtate, à cibo, à motu, pulſus eſſe celeres: quieſcentium plus iuſto, hyeme, & eorum qui diù à cibo abſtinuere, raros, tardos. Demum ſit finis quærendi, calor facit ad celeritatem, ad tarditatem frigus, ad crebritatem ſumma euentandi neceſſitas, ad raritatem exigua: robuſta facultas magnum facit pulſum, imbecilla exiguum, humiditas & ſiccitas mollem reddunt arteriam, aut duram, ex quo fit vt per accidens aliqualis mutatio contingat in pulſu. Nempe, cum ob arteriæ duritiem, non poteſt facultas ſecundum quamcũque dimenſionem mouere, celeritatem conuocat, & crebritatem, vt motuum frequentia defectum magnitudinis ſuppleat. Poſſunt eædem per ſe mutare pulſum, nam poteſt omnis immodica intemperies facultatem deſtruere. Quæcumque ergo, aut pulſus vſum poſſunt variare, aut facultatem pulſificam roborare, proſternere, aut denum arteriam immutare, iſthęc omnia varium efficient pulſum. Valent ad hoc res omnes non naturales dictę, nam hyemalis aer imminuit frigiditate vſum pulſus, auget eumdem æſtiuus: vterque ſi ſit immoderatè calidus frigidus facultatem proſternit. Quare vtrumque anni tempus, ſi nimium fuerit intemperatum, pulſus faciet languidos, & raros: æſtiuum celeres, crebros; cum vero vernum tempus ſeruet ſua temperie temperiem cordis, erunt pulſus robuſti verno tempore, potiſſimum medio, nam eiuſdem principium hyemis naturā olet, ſinis ſapit æſtaris principium. Quare æſtiui erunt pulſus ſub finem veris, hyemales ſub eiuſdem initium. Inconſtās cum ſit Autumnus, erunt Autumno pulſus ſemper varij, cumque inæqualitas tēporis languidam faciat facultatem, erunt tunc temporis pulſus imbecilles. Eodem modo pulſum regiones immutant, mutant enim hæ pulſum, mutato aere. Quare quæ frigidum reddunt aerem, & hyemi ſimilem, pulſum hyemalem producēt, quæ calidæ ſunt, ſiccæue, immutabunt pulſum quemadmodum æſtas: nec ſentiendum aliter, ſi immutetur idem à conſtitutione cœleſti. Quos pulſus faciant motus, quies, alięque res non naturales, intelliget facilè, qui intelliget, quas pariant in nobis mutationes; quamobrem cum conſtet cuique ex libro ſecundo huius operis moderatum motum calefacere, necnon cibum, roborare: immoderatum refrigerare, debilitare, motum quidem diſſipatione ſpirituum, ingeſtionem plus iuſto ciborum ſuffocando calorem: conſtabit iiſdem, à moderato exercitio, pulſus eſſe robuſtos, pulſus vi roborata: celeres vſu adaucto, eoſdemque fieri à cibo moderato. Si in vtroque peccetur, contrarios effici. Eodem modo cum pulſum permutēt res præter naturam morbus

bus nempè, cauſa morbi, & ſymptoma, his nixi principijs medici facilè poterũt intelligere, quinam ſint morbi cuiuſque, pulſus proprij. Quare hac ductus cauſa, nihil addam amplius, preſertim cum Galen. tot, tantaque de re iſta ſcripſerit, detrahi, vt multa poſſint tantum abeſt, vt aliquid addere oporteat. Quod ſi quis hic deſideret, vt de preſagio ex pulſibus quædam afferrem hic idem ſi intelligat pulſus contemplationem hic eſſe inſtitutam, non quatenus prognoſticum eſt ſignum, ſed qua varios poteſt indicare affectus, non ſolum diminutum hic me cenſebit, ſed laudabit, quod vltra propoſitos terminos non tranſiuerim.

Cur de pulſus præſagio non tractatur

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Decimus.

DE PRAEVIDENDIS Morborum euentibus.



Præſagiendi artem medico neceßariam eſſe. Cap. I.



Qui futuros morborum euentus prædicere, diuinum eſſe opus crediderunt, haud procul à vero, mihi fuiſſe videntur; eſt enim diuinum, vniuerſæ humorum fartaginis, inquietæ alioquin, & turbidæ, motiones inſpicere, latentemquè, & prauam eorumdem qualitatem aduertere. At quis eſt qui hoc poſſit? *pauci, quos equus amauit.*
Iuppiter:

Imo quis eſt, quem non fallant vt plutimum morbi, quem non deludant humores? occulta eſt cauſarum vis, latitatque: mutant naturam morbi Prothei inſtar, quo fit; vt vel doctiſſimi medici caligent in re iſta, & cæcutiant. Quid ergo? deſiſtendum? imò inſiſtendum magis; namquæ difficilia pulchra. Adde, quod & multum neceſſaria medico; Qua enim arte impendentes malorum procellas præuerterent medici: prauos naturæ motus declinarent, rectos certa ratione moderarentur, niſi ab ijs, vigilijs multis, laboribus, ſudoribus, hæc diuinandi ars exculta foret? Qua induſtria nobiliſſimũ medicinæ ſtudium à Deo profectum, ab infamia vulgi, poſſet vindicari? equidem cum fieri nequeat, vt conualeſcant omnes, id enim optabilius foret, quam futura predicere, extra omnem notam cenſebitur, vbi mortem prænonerit medicus. Accedit, quod cum deſperatos, non liceat attingere, ni eos prænoſcamus, cogemur inuiti illa infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti. hinc multum laborauit Hip. in re iſta. Galenus medici omnes: ac ſi pro comperto habuiſſent, medicinæ partes has eſſe, quibus ſi careat, mutila futura ſit omnis, & deficiẽs. Quare verſabimur & nos in eodem puluere, ac primum dicemus, qua ratione exitus hi, vt potè qui nulla videantur neceſſitate adſtricti, preſciri poſſint, tum fiet progreſſus ad reliqua.

Ne tamen adhuc quis nos rideat, quod imitati Gigantes, futura prænoſcere tẽtemus, diſcutiemus hoc primum: an poſſint exitus hi, vt potè qui nulla videantur neceſſitate adſtricti prænoſci, qua via, an breui, an facilè: Poſt hæc de arte prognoſtica dicere aggrediamur.

Poſsint ne exitus morborum prænoſci. Cap. II.

PArtem, quæ negat, ſuadent non pauci. Suadet illam primò grauiſſimorũ Philoſophorum auctoritas, qui futurorũ contingentium notitiam vſque adeò deſperarunt, vt nè Deo quidem conceſſerint ipſam: vnde prouerbio ferè dicitur. De futuris contingentibus nulla eſt determinata veritas.

Non dari artem prognoſticam probatur rationibus.

Secũdò morbi omnes, aut acuti ſunt, aut chronici. At acutorum exitus ſunt incerti aphot. 19. in chronicis morbis, difficilè eſt diſcernere, quid ſit futurum 2. progn. 6. Nullius itaque morbi euẽtus prænoſci poſſunt.

Confirmatur nam quamquam morbi quidam, vſquè adeò ſint exitiales, vt mox naturam proſternant: ſunt alij vſque adeò leues, vt à natura facilè vincantur: ſunt poſtea alij multi, & ferè omnes ancipites, quique æquo Marte cum natura contendunt, nullo vt pacto liqueat morbi exitus. Nec demum ſi quædam appareant ſigna, quæ in alteram partem inclinare victoriam demonſtrant, eſt, quod multam ijſdem adhibeas fidem, nàm morbi maligni hoc habent proprium, vt ficta manſuetudine occidant: vnde dictum de illis, quod de malignis, & deprauatæ mentis hominibus, mel ore gerunt, fel corde, & venenum. Sunt alij prætereà, qui à facile mobili humore excitantur, quo fit, vt modo à principe parte ad ignobilem ſeponatur, & ſalus inſperata ſuccedat: modo ab ignobili in principem repat, & mortem afferat inexpectatam. Quare numquam poterunt exitus morborum prænoſci.

Quibus dáderunt manus antiqui, & Concil.

Ita autumarunt priſci quidam medici, nempè Vatibus diuinandi hanc artem attribuerunt, à facultate medica ablegarunt. Videtur his aſſentiri Conc. diff. 2. dum monet, ne quid abſolute pronunciemus, aduerſus quem, vide c.9.l.13.

Et mâle.

At hæc tanti non eſſe, vt à communi ſchola medicorum proptereà recedamus facilè eſt demonſtrare, nam vt benè D. Thom. 1. par. quæſt. 57. art. 3. futura poſſunt cognoſci in ſuis cauſis: certò, ſi cauſa illa effectum producat certò: probabiliter ſi effectum certò producere non valeat: vnde, quia certum eſt, oriente ſole, illuceſcere diem, eſtque item certum, cras nona e.g. hora ſolem eſſe oriturum, nam certi ſunt motus ſupernorum orbium, nec vmquam errarunt, certò prædicere poſſumus tali hora poſtridie illuceſcere: Cumque Roſa ſemper aduentante Vere producat roſas, ficus ficus ſuo tempore, ni contabeſcat intereà: certo quoque licebit futuræ roſæ ortum prędicere, necnon ficuum. Quod ſi cauſa aliqua, vt plurimùm ſoleat aliquē effectum producere, vt plurimum diuinare licebit hoc futurum: contrà ſi rarò, & fortuitò illum inuehat, aut numquàm, aut rarò diuinamus. Nunc vero, vt ad propoſitam diſputationem deſcendā:

Nam euentus quorundam ſunt certi: aliorum dubij.

ſunt quidam morbi certo exitioſi, certo alij ad ſalutē terminātur, ſunt alij dubij: vt e.g. certo occidit fortis apoplexia, phtyſis, febris hectica confirmata, vulnus cordi inflictum, & alij huius generis multi: ſunt alij affectus certò ſalubres, vt diaria, & quartana quantum eſt ex ſui natura, dolor leuis capitis, & infiniti alij. Quarè licebit in his ſaltem certò ſalutē, aut mortem præuidere: in dubijs, ancipites erimus, dubijque. Ergo cum ſint ancipites morbi, aut quia æquo Marte cum natura contendunt, aut quia à fucis ſiunt ſic mobilibus, nequeas, vt prænoſcere in quamnam partem ſint decubituri: malignus morbus hanc habeat naturam, vt vitæ periculum minetur, ſpem tamen ſalutis non adimat: in his id tantùm dabitur prænoſſe, quod dubij ſint, fallaceſque, quo tamen terminaturi ſint, non niſi probabiliter coniectari valebimus. Cumque ſubſit coniecturæ error, iniuſtè reprehendunt medicos tamquam malos artifices, quicumque eos reprehendunt, quod in dijudicandis huiuſmodi morborum euentibus, non ſemper colliment, ſed interdum caligent, & cœcutiant: præſertim cùm leuis error, vel ab ægro, aut miniſtris commiſſus, ſit in cauſa necis plerumque: mortem autem, aut vitam, ſi ab externa aliqua cauſa fiat, non poteſt modo aliquo medicus præuidere, qua re differt à vate; *hi enim*, vt ait Gal. cap. 18. lib. de conſt. art. 9. *ſi ita forte contingerit, ſeruatum iri dicunt hominem, non etiam ſi cuncta rectè adminiſtrantur addentes; huius etenim ipſius præcognitionem, nempe, quod omnia proſpere, vel inſeliciter ceſſura ſint circa ægrotantes profitentur: at medicus non ita prędicit futura: verum ſeptima e.g. die, ſi omnia, vt oportet agantur, ſolutum iri morbum: vbi verò quicquam admiſſum eſt, ſi paruus quidem hic error ſit, relatu ſolutionem ex ſeptima in nonam poſſe: ſi maior in vndecimam: ſi multo maior in decimā-quartam; ſi perquam maximus, periculum pro certa ſalute ſequuturum.*

Quarè iniuſtè reprehenduntur medici, ſi in re hac errant quandoque.

Non debent ſecundo reprehendi ijdem, ſi plerumque dubij ſint, ancipites & more Oraculorum loquantur; ſi enim futura huiuſmodi certo prænoſci non poſſunt: quomodo certi quidpiam proferre medicus poterit? Profectò ſiquis in morbis dubijs, certum quid prænunciet, nulla tamen certa ratione ductus, eſto collimet, temerarius apud me erit, & imprudens, nequaquam doctus. Auic. 5. par. Cantic. cap. vlt. *cum apparebunt tibi ſigna contraria, & debilia, ſequiturquidem ad hæc dubium, unde ſta tunc, & prolonga iudicium.*

Quæ artem prognoſticam omninò è medio tollere conabantur facilem illa habent ſolutionem, nam quantum ſpectat ad auctoritatem Philoſophorum, ita illi explicandi, vt voluerint non poſſe contingentia in ſe cognoſci ab intellectu creato, nam quod eadem poſſint in cauſis cognoſci, nullus poterit negare, vt D. Thom. loco cit. & 1. par. q. 14.

Explicatur Aph. 19. 2. lib.

Locus ex 2. aphor. adductus, tantum abeſt, vt artem prognoſticam modo aliquo demoliatur, vt ipſam dari doceat apertè; ſi enim cum Gal. legas loco omnigò omnium hunc in modum, non omnium acutorum morborum certæ ſunt prænũciationes ſalutis, aut mortis: quis non videt hinc maximo adſtrui huiuſmodi facultatem? Enimuerò quemadmodum

dum si quis dicat, non omnes discipuli sunt docti, manifestè docet maxima ex parte discipulos doctos esse: sic Hipp: dicens (id autem dixisse existimauit Galen.) non omnium acutorum morborũ certi sunt exitus, & euentus, apertè innuit, vt plurimum, & maiori ex parte, acutorum morborum euentum prænosci posse. Quod si textum mutare non placeat, & hoc modo legas, non possunt omninò certò nosci acutorum euentus, adhuc facultatem prognosticandi confirmas; nam veluti Platoni dicenti, Sortem euasisse ex morbo audio, siquis respondeat, non est hoc omninò certum; quãquam anceps sit, & nutet, inclinare tamen in eam sententiam apparet, quę euasisse Socratem affirmat: haud aliter, dum docet Hippocr. non esse omninò certos euentus acutorum morborum, multam certitudinis huiusmodi notitiam habere docet, quod quia Sole clarius, & communis est omnium expositorum sententia: plura frustra non addam.

Loco adducto ex 2. progn. occurrimus facilè; neque enim dicit Hipp. non posse præuideri morborum chronicorũ euentum, sed non posse facilè. Verum vero difficilius, acutorum exitum è longinquo videre, an chronicorum, disputant multis multi, quæ poterit quisque legere apud Porliu Vgo.Sen. in exposit. cit. aphor. necnon Valles. 10. controuers. cap. 10. Ego vero sic breuiter litem dirimi posse censeo. Si prædictio statim sit facienda, difficilius erit præuidere euentum morbi chronici, quam acuti, prædicit enim medicus euentum, inspecto prius robore naturę, & morbi: dignoscit autem robur vtriusque ex pugna, quemadmodum ex lucta dignoscimus, vter valeat magis, ac propterea palmam sit reportaturus: at in acutis statim elucescit pugna, multi enim sunt, qui statim ac incipiunt, & vigent, & florent. Quare à principio facilius est diuinare exitum morbi acuti, quàm chronici.

Quorũ exitus præuideri facilius acutorum, an chronicorum

Dico secundò, vbi ad statum vterque peruenerit, & vtriusque causa perfectè cocta fuerit, æquè facile fuerit fœlicem vtriusque euentum prænunciare; nam nullus cum signis coctionis perfectæ, & in morbi inclinatione, est mortuus.

Dico tertiò, vbi ad augmentum propositi affectus progressi fuerint, difficilius potest exitus affectionis acutæ præuideri, quam chronicæ. Ratio est, quia materia mobilis, à qua plerumque fiunt acuti morbi, vbi incipit concoqui, ineptè à natura ad varias transmittitur partes, & nunc mitius vrget ægrotantem, nunc grauius, prout modo in partem nobiliorem humor decumbit, modo in ignobiliorem delabitur. Non imminet hoc discrimen in chronicis morbis, nam fiunt à crasso humore, necnon viscido. Quare in his certius collimare poterimus, quam in acutis à materia mobili. Idem censeo, si de iis loquamur, qui acuti sunt ob cachoethiam; enimuerò si illud est verum, pulsus bonus, vrina bona, & æger tendit ad mortem, nullum est indicium, quod securos nos reddat. Cœterum si non solum est optimum, exitum morborum prædicere, sed idem consequi artis beneficio possumus, aggredienda erit disputatio ista.

Qua via præsciri possint morborum euentus. Cap. III.

FVturos morborum euentus, si quis certa assequi ratione cupit, morborum naturam inspiciat, animumque intendat necesse est in vires ægroti; sunt enim natura, & morbus veluti duo hostes qui se mutuo oppugnant: eorum finis, incolumitas, perniciesque existunt: bellorum origo, aut elementorum dissidium, aut vnitatis solutio, aut structuræ labefactatio. Vt itaque Athleticæ concertationis præfecti, concertantium robur perpendentes, deprehendunt victorem, & ante partam victoriam, cum alterum viderint altero validiorem, victurũ prænunciant: sic qui morbosis hisce cõcertationibus præsunt medici, non aliunde, quam ex naturæ, & morbi roboris accurata inspectione, futuræ salutis, aut mortis iudicia proment. *Summa* dicebat Galenus de constit. art. 18. & 2. progn. 6. *totius præsagitionis in morituris, conualituris que est, quoties vis morbi, cum ægri facultate confertur; si enim morbus vehementior est: æger omninò morietur: si debilior, quam ægri facultas, haudquaquam morietur, vbi nihil committatur.*

Præsagire volenti, vires morbi, & naturæ sunt prænoscendæ.

Idem habet 3. progn. 6. 1. de præsag. ex pulsibus cap. 17. & 3. epid. 3. tex. 21. sequuntur eamdem sententiam omnes, & est vera, si exactè explicetur: propterea sciendum, quod cum morbi vires possint conferri cum omnibus nostri corporis facultatibus, aut eum vna, idq; bifariam, vel cum eadem, quam offendit, & vexat, vel alia: non esse collationem faciendam cum ea, quam neque per se, neque ex coniensu vexat, sed cum ea, quã morbus suo ingenio aptus natus est lædere. Itaque vbi affectus facultatem animalem offendit, huius robur cum morbo conferendum à medico est: Contra, vbi occurrit alius ex eorum genere, qui vitalem molestat, aut naturalem, harum robur, & imbecillitatem perpendere oportet. Quod si aliquis sit, qui omnibus est impedimento, quod facere plerumque febres quædam solent, actiones quasque inspiciat medicus; nam ex maiori, aut minori earum offensione, quantus morbus sit, quantumuè valeant vires facilè in-

internoſcet, vnde & illud intelliget, ſitnè ſalus ſperanda, an contra morbus ſit exitioſus. Hinc quoniam prauæ febres peſſundando facultatem vitalem, & cordis robur, quod eſt ferè omnium virtutum fons, & origo, actiones quaſcumque ſolent impedire, rectè faciunt medici, dũ inſpiciunt, non ſolum facultatis vitalis robur, ſed & cuiuſuis alterius conditionem perpendunt, & rimantur; etenim vt maior fides pluribus danda teſtibus eſt, quam vni, aut duobus idem affirmãtibus: haud ſecus vbi multa in vnum conſpirant ſymptomata, quæ omnia vnanimiter prauitati atteſtantur, eſt formidandum magis, ſperandum minus. Huc puto reſpexiſſe Hipp. 6. epid. 2. vbi dixit *nihil temere, nihil contemnere*. Nempè, vt aduertit Galen. in com. nulla ne minima quidẽ ſigna negligere oportet, ſed conferre omnia in iudicium, neque his fidere temerè, ſi alia repugnent, ſed diligenter cuncta obſeruare.

Demum, quia vt ſacra pagina habet, non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: aduertat medicus, non ſatis eſſe ad ſalutem prædicendam, ſi à principio ægri facultates longè morbo robuſtiores videantur, ſed ſi ad ſtatum vſque tales ſint. Vbi pro certo habemus futurum, vt perſeuerent, tunc poterimus benè de morbi euentu ſperare, & ſalutem promittere; enimuerò cum in vera declinatione perire non poſſit, non poterit modo aliquo periclitari, qui ad ſtatũ vſq; vires habet morbo ſuperiores. Idcircò placuit quãdoque Galeno, vt licet videre 3. de criſib. vt præter ſcopos propoſitos, longitudinem viæ contemplemur, & futurum morbi vigorem cognoſcamus, quod monuiſſe ſuperfluum videtur; nam cum naturæ vires, non ſint cum quouis morbo conferendæ, ſed cum præſenti, à quo infeſtatur: neque in dubium verti debeat, an ſit natura robuſtior in initio morbi, ſed num ſit illa fortior, ita vt vincere poſſit: certum planè eſt, imbecilliorem eam ſemper dici, quoties non erit ita robuſta, vt morbum vincere omninò poſſit. Comprehendetur itaque propoſitis ſcopis longitudo morbi, neque eſt cur diſtinctum eſſe arbitremur. Quod ſi quis ad maiorem ſermonis claritatem diſtinctum facere velit cum Galeno, non multum contendam. Cœterum ſi is optimus erit præſagitor, qui vires naturæ, morbique dignoſcet, in morbum, atque naturam oculos cõuertere oportet: huc inſpicere, huc intueri: tum ſingulorum vires librare, & ijs, quæ præponderant, tribuere palmam: & certè ſi vires naturæ, morbique nullis velis obtectę eſſent, nil aliud eſſet reliquum, quam corũdem vſum frequenti exercitatione ſubeundo, præuidendi prudentiam acuere: At quoniam ſæpè numero in corpore cõditæ, tanquam in cœco obſcuroq; antro deliteſcunt, monſtranda ſunt ſigna, quibus hæc ita illuſtrentur, vt mentis acie facilè perſpiciantur.

Methodus prænoſcendi vter potentior ſit natura, an morbus.
Cap. IV.

HIppoc. vt à primo parente medicinæ exordiar, 1. epid. com. 3. tex. 1. docet id dignoſci ex propria, & communi omnium natura, ex morbo, ægro, oblatis, offerente, & alijs multis. *Morbos*, inquit, *dignoſcimus, docti ex communi omnium hominum natura, & cuiuſque propria, ex morbo, ægro, oblatis, offerente, num facilius ex his, an difficilius. Præterea ex vniuerſo, & ſingulari cæli ſtatu, ex ſingulis locis, ex conſuetudine, ex victus ratione, ex vitæ genere, ætate, cuiuſque, vna cum ſermone, modis, taciturnitate, imaginationibus, ſomnijs, vigilijs, quibus, & quando vellicationibus, &c.* Dignoſcemus quidem magnitudinem morbi, ex communi, & propria hominis natura: ſiquidem affectiones omnes, per quas homo longè à propria communique natura recedit, graues eſſe admodum conſueuerunt, præſertim ſi nulla adfuerit cauſa externa. Vnde 1. progn. *Conſiderare*, inquit, *oportet ægri faciem, ſitne bene ualentium, & præcipue ſui ipſius ſimilis; ita enim optima exiſtimanda: quæ vero ab ea plurimum recedit, grauiſſimum portendit periculum*. Dignoſcitur hoc ipſum ex morbo; nam dantur morbi omninò læthales, vt vulnus, cordis: ſunt alij omninò ſalubres, vt diaria febris: oſtendit idem tertio æger; nam debiles à quauis cauſa læduntur, fortes non niſi vehementibus cedunt. Oſtendunt quarto id oblata, & offerentes; nam vbi multa fuerint remedia applicita, magna, & à medico inſigni citra leuamen: & grauis eſt morbus, & pernicioſus: contra leuis, cum nulla remedia exhibita ſunt, aut importuna. Hoc idem demum monſtrant imaginationes, ſomnia, vigiliæ: quia tamen citra methodum aliquam hæc proponuntur, quæ vbi deſideretur, aut nihil memoriæ mandari poteſt, aut nihil ſciri, indicemus hanc viam: & quoniam Gal. hanc monſtrare eſt aggreſſus, examinãda illius ſententia eſt, vt ſi quid boni dixerit, aſſumamus: ſi quid deſideretur, quod contendit Argent. ſuppleamus.

Multa propoſuit Hipp.

Pertractans de re iſta Galen. 3. de criſ. 4. tria proponit, ex quibus poteſt medicus noſcere, num conualeſcat æger, an ſuccumbat: morbi idæam, magnitudinem, necnon morem eiuſdem. *Nunquid*, ait, *morietur æger, aut ſaluabitur, ad hæc tria reſpiciens inuenias: Ad idæam, morem, & magni-*

Alia Gal.

gni-

gnitudinem morbi: sed maxime morem inspicere oportet: recte quidem; nam vt dictū, dantur morbi salubres, dantur alij omnino læthales. Quare possumus morbi idea inspecta, morbi euentum prædicere. Quia tamen dantur multi morbi, neque omnino læthales, neque salubres, ad magnitudinem recurrere oportet. Est morbus magnus duplex, alius per se magnus alius per accidens magnus, seu per aliud. Priori magnitudine magni, ex se habent, vt nos maximopere lædant, vnde vocauit hunc morbum quandoque Gal. ratione propriæ essentiæ magnum: alias dixit esse magnum ob affectus magnitudinem. Secundi generis magni, quamquam nos maximè lœdant, non tamen id faciunt vi propria, sed ratione alterius sibi additi, ac propterea dicitur magnus per aliud: est autē hoc vel debilis natura, vel locus, vnde fit morbus magnus ratione partis affectæ: potest esse hoc tertio malignitas, vnde fit morbus magnus ratione cachoetiæ. Exēplo res clara fiet. Sit febris leuis, in corpore tamen senili, & extremæ imbecillitatis, dicetur morbus magnus, quia ad vires collatus, illas superat: sit item vlcusculum in corde, aut pulmone, nullam poterit, si sua natura spectetur, afferre noxam. At quia est in corde, infert necem. Sit item febricula aliqua; maligna tamen: hæc quamquam contemnenda, vulgò videatur, magnum tamen facessit negotium, vt quotidie experimur in praxi. Vbi morbus est magnus respectu virium, est procul omni dubio lęthalis, vt enim conualescit æger morbo euicto, sic succumbit, vbi ille languidior fuerit. At si sit morbus magnus, ob partis affectæ præstātiā, aut ratione propriæ essentiæ: prout maiora, aut minora infert symptomata: pro maiori, aut minori robore virium, modo mors, modo salus prędicenda. Potest tertio idem monstrare mos morbi; nam benignus facilè naturæ cedit, malignus multa præsidia, & generosa contemnit.

Quæ tribus capitibus oppimè est complexus morbi idæa, more, & magnitudine.

Obiectiones

An verò sufficiat hæc tantum inspicere, nec sint alia à medico meditanda, hoc dubium; noscimus enim plerumque euentum morborum, eorum motu perspecto: vnde Hippoc. *febres, quæ tertio die grauiores fiunt, periculosæ*: noscimus idem secundo ex causis: vnde timemus quandoque in morbis vel exiguis, & planè omnino contemnendi videtur, caussæ tamen habita ratione, à qua illi suam trahunt originem timemus. Coniectamus tertio, prauum esse morbum, & malignum, quia praui morbi, & maligni vagantur: vnde anno 1623. à quauis vel leui febricula medici metuebant, quia & si lenes primum videbantur, progressu postea grauiter vrgebant. Non itaque idæa tantum morbi, mos, & magnitudo inspicienda à medico est, sed præter hęc motum quoq; oportet intueri, causas eiusdem, & constitutionem vagantem.

Ita Argent. vnde reprehendit Galenū tamquam mancum: iniustè tamen, vt solet; considerat enim Hippoc. an tertia quaque die morbus ingrauescat, vt cognoscat, an febris, qua æger tenetur, sit semitertiana; est enim timenda; itaque est eius aphorismi hic sensus, febres semitertianæ periculosæ: hæc eadem quocumque modo intermiserit, vel quia à quotidiana liberatur æger omninò, aut quoniam eadem, quæ continua erat intermittit, periculum abesse significatur. Caussæ & constitutio, quæ vagatur, eamdem ob causam à medico debent considerari. Itaque non sunt scopi distincti, quos intueri medicum oportet, vt statuere valeat, morbus nè sit victurus, an natura: sed sunt quædam indicia, quæ manuducunt nos in morbi naturam, qua exactè perspecta, & cum naturæ viribus collata, melius de euentu morbi poterimus coniectari.

Ob has reprehendit Argē. Galen. sed defenditur.

Adde secundò, nec si distincti hi scopi essent, posse iustè Galenum reprehendi; siquidem morbi nomine, & causam ipsius, speciem, & differentiam est complexus; enimuerò si Hippoc. morbi nomine hæc omnia intellexit 1. aphor. 12. vt communis est expositorum omnium eius loci cōsensus. Cur negabimus, Galenum Hippocratis studiosissimum, eumdem loquendi morem sequutum, morbi nomine ea omnia comprehendisse, quæ luxurius enarrat Argenterius? Suspicandum itaq; nullo modo est, ne diminuta sit methodus à Galeno proposita: superfluo potius addere videtur morem morbi, quando alibi dixerat, morbum esse quandoque magnum ratione cachoethiæ. Si quis itaque me audiet, hoc modo de re ista decernet. Sitne morbus victurus, an natura, quicumque dignoscere cupit, vtriusque vires inspicere oportet, conferre, & validiori tribuere palmam. Sitne morbus validior, an contra, dignosces, morbi natura perspecta, eiusdem magnitudine, necnon more. Declarandū propterea, qua ratione his inspectis, euētum morborum valeamus prænoscere, exordio à morbi idæa desumpto.

De præuidendo euentu intemperiei. *Cap. V.*

TRes proposuimus fontes, quos adiēs medicus, morbi exitum præcognoscere poterit; morbi idæam, magnitudinem, & morem eiusdem: esset modo illud consequens, vt de noscenda morbi magnitudine, eiusdem idęa, necnon more ageretur. At quoniam de his actum a nobis lib. 7. neque censeo, quæ semel sūt alibi à nobis dicta, frustra inculcare, perlu-

Intemperies in vniuersum anceps, quare singulæ species perlustrandæ.

lustrabimus singula morborum genera, ac primum videbimus, quo pacto intemperie cognita e. g. diuinare possumus; num conualescat æger, an succumbat: atque vt rem breuiter dirimam, statuo primum, non posse nos, intemperie in genere perspecta, quidquam certi de eius euentu præsagire; (nam vt cuique vel leuiter medicinæ principijs intincto, constare potest,) intemperies in vniuersum, nec salutaris est, neque exitiosa, sed pro varia eius natura, & mortem infert, & in bonam alias; valetudinem terminatur. Erunt proinde intemperiei species, & differentiæ contemplandæ, & quando sunt hæ multæ, calida, frigida, humida, sicca, simplex, composita, cum humore, & citra humorem, continua intermittens, nocturna diurna, in habitudine, nè quæ oriatur confusio, dicemus de singulis.

Ac primum simplicium.

Ergo intemperies calida acrius nostrã naturam infestat, quam cæteræ aliæ: mirus vrget frigida, sed quod vehementiæ subtrahit, diuturnitate rependit. Vnde intemperies frigidæ, diuturniores: breues calidæ, quamquam magis molestæ. Facillima omnium intemperies humida: longissima sicca; nam & resistentia pollet, excellitque cœteris omnibus, & humiditas, à qua est debellanda, quam minimã habet actiuitatem. Id esse verum, declarant melancholici affectus, vt omittam alias mille experientias; scilicet adeò sũt pertinaces, vt fugati redeant, & victi resurgant. vide c.6.lib.7.meth. Hinc patet ad intemperies compositas.

Quæuis simplicitas cæteris paribus, composita peior.

Quid vbi plures sunt, & contrariæ? nulli dubium, difficilioris esse curationis; etenim vbi in eamdem intemperiem partes omnes labuntur, facilè vno remediorum genere proposito emendantur: at quando excalfactum v.g. est hepar, refrigeratus ventriculus, affectus calidus, causa frigida, difficilior curatio; aut enim vni vacans, alterum maiorem reddis, aut si in vtrumque, quod par facere, incumbas; nam vtrique aut vehementiori occurrendum esse monet Galen. altero nõ neglecto, neutrum facilè vinces. Quibus enim vteris? temperatis ne, an extremis per temporum interualla? at remissa contraria, vel extrema, intermissa tamen, aut contrariam intemperiem, non abigunt, aut longo tempore extirpant: ob has omnes causas diuturnus est affectus ille, mirarchia vocatus ab Arabibus; nam vt plurimum in illo affectu hepar calidũ esse reperimus, ventriculum frigidum. Accedit, & aliud, quod ab humore crasso, frigida intemperies ventriculi fouetur: est autem cuiq; compertum, intemperies omnes, quæ ab humore fouentur, difficilioris esse curationis simplicibus, præsertim si sit crassus, & viscidus. Ex his autem, quæ humorem adiunctum habent, certum est faciliores esse intermit-

Et illa quæ humorem habet comitem.

tentes, quam quæ continuò naturam infestant lacessuntque; hic enim numquam respirat natura: in intermittente, restaurandis viribus, & remedijs administrandis tempus vacat. At hoc intelligendum cœteris paribus, alioquin malim ego cõtinua febre, & leui affligi, quam intermittente, magnis comitata accidentibus: vnde miror quosdam, quod nullum in febre intermittente agnoscant periculum: timent à continuis semper, vna Gal. auctoritate ducti, & Hippoc. qui scripsit 4. aphor. 43. *febris quocumque modo intermiserit, nullum habere periculum*: quia neq; à maligna ea fieri putredine potest, nec ab interna aliqua inflammatione. Nam vt omittam, quod multi contendunt, posse, & febrem, quę intermittit, malignã esse, non est tamen (quamquam id cum Galen. negemus) cur propterea curam omnem, metumque abijciamus; nam ratio cur quis ex morbo perire non possit, illa est sufficiens; quia est morbo robustior: ergo erat monstrandum Gal. nunquam fieri posse, vt à febre intermittente prosternatur natura, quod non esse assequutum illa ratione, quia non fit intermittens febris à maligna humorum putredine, neque ab interna aliqua inflammatione, constat inde clarissimè, quia neq; alij morbi læthales, hac via tantum occidunt, scilicet quia à maligna sunt concitati putredine, aut ab interna inflammatione.

Harum vero concursus timenda magis dum cætera pari pacto sunt paria.

Non est tamẽ propterea cõtemnenda intermittens.

Multò magis ridenda est Celsi ratio, & oratio, qui febres omnes, quæ cum rigore, horrore, & signis manifestis inuadunt, tutas esse dixit, qua certò scimus, qua hora nutriendus sit æger; *horror*, inquit lib.3.cap.23. *eas forte antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur, ideoque tutissimæ sunt, maximeque curationes admittunt; nam vbi incerta tempora sunt, neque alui deiectio, neque balneum, neq; vinum, neq; medicamentum aliud recte datur; incertum enim est, quando febris ventura sit: ita fieri potest, vt si subito venerit, summa in eo pernicies sit, quod auxilij causa est inuentum*. Et post pauca. *At vbi certus circuitus est, facilius illa omnia tentantur, quia facilius exponere nobis, & accessionum, & decessionum vices possumus*. Non inquam satisfacit hæc Celsi ratio, nam quamquã ex hoc capite, facilior reddatur curatio harum febrium, non tamen fit propterea, vt sit omni ex capite tutus hic affectus: quid enim prohibet, quo minus hic, vt & alij multi, quæcumque remedia, vel rectè applicata contemnat? Est proindè mea sententia intermittentem morbum, qua voce febres quoque complector, posse interdum lœthalem esse, interdum salubrem: Nullum quantum est ratione sui habebit periculum, cum intermiserit per multas horas: potest mortem inferre, vbi parum intermittat.

Rem

Rem ita esse, quotidiana docet experientia, quique faciunt medicinam, experientur non semel, à tertiana intermittente, extingui ægros, ni multum intermittat. Est quoque expressa Galeni 4. aphor. 59. nam ibi docet tertianam exquisitam, idcirco esse tutam, quia ex 48. horis, duodecim tantum, quod sum num est, ducit inquietas æger, quo fit, vt reliquo tempore possit commodè refici natura. Quod vero eadem vbi intermittat parū, non careat periculo, docuit idem Galen. 1. de art. curat. ad Glauc. cap. 8. vbi loquens de quotidiana intermittente, *quotidiana*, inquit, *longa est, & non sine periculo*, quia vt Trincau. eo loco, parum intermittit. Et quidem si multò incommodius est 18. horarum spatio magnis torqueri symptomatis, quam leniter cōtinuò affici, multo grauior continua febre intermittens esse poterit. Quare si illa habet adiunctum periculum, cur non idem habere poterit febris intermittēs, idque sui ratione? sui inquaminam quod aliunde periculum imminere possit, vt à motu humorum ad principem partem: à syncope: à dolore ventriculi, facto à bili ad os eius illapso: à virtute debili, quæ per rigorem resoluitur. quis audeat negare, quando, & quartana etiam, quæ ratione sui est omnium tutissima, potest obstructione ingenti necare, & rigore.

Nisi vbi per multas intermittit horas.

Neque vllam habet graue symptoma adiunctu.

At quid, quod Hipp. dixit, vbi febris intermiserit, nullum esse periculum? An dicemus, non esse Hippocr. ex sententia propria loquutum, quod innuere videtur verbo illo significatur? ac si dicere voluisset: dicitur hæc febris, vbi intermittat carere periculo, at re vera periculo non vacat. An dici secundo potest, non loqui Hipp. de quauis febre intermittente, sed de ea, quæ per multas horas intermittit? An demum dicemus aphor. illum de semitertiana interpetrandum esse hunc in modum, febres quæcumque non intermittentes per tertiam grauiores fiunt, periculosæ: Sunt autem hæ febres semitertianæ vocatæ, quæ ex tertiana componuntur, & quotidiana: hæ item semitertianæ vocatæ, quæ ex quotidiana, & tertiana componuntur, vbi quoquo pacto intermiserint, nullum habent periculū, quia remota quotidiana, sola remanet tertiana intermittens, hæc autem salubris.

8 aphor. ita explicandus.

Cœterum, quia intemperierum est alia facta, fiens altera, est illud reliquum vt de earum euentu disputemus; nam quamquam omnes in re illa conueniant, difficilioris longè curationis esse intemperies factas, quam fientes: idcirco enim habituales sunt dictæ, quia ita hærent pertinaciter parti, vt vix adimi possint: intemperies fientes curentur facilius; nullus tamen, quem ego saltem viderim, huius discriminis rationem assignat, cum tamen non satis constat, qui fiat, vt pertinacius hæreat cordi hectica, quam quæuis alia putris; enimuero duplici ex causa fit, vt vna qualitas magis resistat, quam alia intensior, aut quoniam in densiori subiecto: qua ratione remissus calor diutius conseruatur in ferro, quam ignis in stuppa: aut propria qualitatis natura, vnde siccitas magis resistitiua, quā aliæ. Nunc verò febris omnis calida est siccaque intemperies, nec vlla est differentia inter vnam febrem, & aliam penes subiectum. Quare non resistet hac causa hectica plus, quam putris. Nec quia eius calor maior, quam putrium febrium; nā quamquam non me lateat, id placuisse Auicenn. 2. 1. cap. 19. de causis doloris: si tamen consulamus sensum, quem debemus consulere in re ista; nam hic verus iudex primarum qualitatum, constat sententiam oppositam esse veram, quando multo maior calor percipitur in febre ardente, quam hectica: quinimo ita exiguus hic est, vt & medicum lateat, & ægrotantem, vnde dictum, incipientem hecticam difficillimæ esse cognitionis, & illud intemperies factas carere dolore. Præterea necat febris ardens citissimè: diuturnus est morbus hectica, & ad multos extenditur annos. Adde demum, si Auic. sententia sit vera, numquam futurum, vt hecticus diaria febre corripiatur, aut putri: nam calidum, vt tria, non est in potentia ad primum, aut secūdum gradum caloris.

Facta intemperies difficilior quauis fiente, vt hectica.

Quam ob causam dubium fuit.

Neque est alicuius momenti illa aduersariorum ratio, est febris hectica ardentis terminus. Quare est hectica, putri quauis intensior; probat enim oppositū, vt propterea nō possim non mirari, adeo turbatos quosdam fuisse hac ratione, vt vel in Auic. sententiam iuerint, aut multa confinxerint, vt illam soluerent, aut insolutam reliquerint; enimuero est hectica effectus ardentis, non eius terminus, vnde si numquam est effectus sua causa nobilior, & ab ardente febre infertur hectica, numquam calor hecticæ, erit calore ardentis febris intensior. Quod si ita est, est iam dicendum, qui nam fiat, vt cum facta intemperies sit minor fiente, nec differat ab illa aut natura, aut subiecto, hæc tamen resistat validius, & subiecto contumacius hæreat? An dicemus, id ex subiecti diuersitate nasci? nō quod aliud membrum à corde, sit febris subiectum, sed quia alia pars cordis est subiectum diariæ, nempè spirituosa: alia humoralis febris, scilicet humorosa pars cordis, alia hecticæ: nimirum densior, solidior, & compactior multò? Ita enim à nobis monstratum lib. 2. huius operis cap. 3. cum de morbi subiecto ageretur. An dicendum secundo, maioris resistentiæ esse hecticam, quia habet maiorem siccitatem adiunctam, constat autem,

Respondetur primo.

Secundo d

Tertio, hanc esse limam caloris, & plurimum ad resistendum conducere? An dicemus tertio resistere magis hecticum calorem putrido, quia est cuicumque, vel minimæ cordis particulæ insitus: non ita multiplicatus calor diariæ, & humoralium febrium.; Vnde qua ratione densitas subiecti conducit ad seruandam qualitatē, quia est multiplicata: eadem ratione cū sit hecticę calor magis multiplicatus (est enim in quauis cordis particula) non aliarum febrium; hinc fit, vt hic magis resistat, quam diaria, & putris.

De præuidendo euentu morbi in figura, Cap. VI.

Morborū, qui in mala figura, quidam curantur facilè, difficulter alij, alij nullo modo.

POstquam diximus, quem habeat euētum vnaquæq; intemperies, doctrinæ ratio expostulat, vt agamus de præuidendo euentu dissimilarium morborum: Cumque morbus malæ figuræ primum locum obtineat inter illos, de hoc primū tractabimus. Morbi in mala figura nullum habent certum euentum. Curantur quidam facilè; nullam alij curationem admittunt: habent alij mediam quamdam naturam, & interdum sanantur, omnem alias respuunt medelam. Nimirum figura, quæ euadit morbosa ob defectum partium, numquam poterit emendari, aut difficulter, quamquam vsus artis restaurandorum curtorum accedat, quia numquam fieri potest, aut admodum rarò, vt deficiens particula restauretur. Quæ resultat à membro aucto partium, facili quodam negotio, tolli potest, quia facilè potest pars, quæ abundat præscindi. Idem censemus dicendum de vitiata figura ob auctam quantitatem, imminutamuè. Varium habent euentum, qui fiunt ob mutatum situm, vlcera, tumores, cauitatesque oblæsas; nam vt dicemus agentes de prognostico huiusmodi affectuum, sortiuntur ijdem varium exitum, & modò à natura abiguntur, interdum naturam prosternunt: hærent alij ita pertinaciter, nulla vt arte superari queant; quo fit, vt ad mortem vsq; hominem comitentur. Idem de figura morbosa ob motus importunos iudicium, vt cum chyrurgi culpa, os fractum, non rectè locatur, aut ob errorem nutricum distorquetur, nempè quia in cunis infantem non rectè disponunt, temerè vel erigentes, vel reponentes, aut immoderatius agitantes, vel ad motum intempestiuè inuitant, vel fascijs inuoluentes, membra arctius vinciunt, aut laxiora dimittunt, quod & puellis etiam contingit, quæ natiua forma numquam satis contentæ, externam semper conantur mentiri figuram; hæc inquam figura hanc ob causam morbosa, vt & aliæ multæ, interdum corrigi poterit, non poterit alias emendari, scilicet cum patiens hunc affectum fuerit tenellus, & nuper natus, poterit quidem, vt docta fuit Galeni sententia lib. artis med. cap. 87. formatione, & alligatione ad naturalem habitum reduci. At si ad duritiem partes malè iam figuratæ peruenerint, nulla arte hæc vitia poterūt curari: partis enim cuiusque figura, ab ossis figura dependet: itaque tunc poterit, quam habet pars figuram deponere, & aliam comparare, cum ossis figura potest permutari. At ossa vbi sunt exiccata, & dura propterea reddita, vt experimur in virgula exiccata, disrumpuntur priusquam aliam figuram recipiant. Quare vbi dura sunt ossa, tolli his vitium nequit. Rectè itaque à Galeno scriptum, *quæcumque partes in figura delinquunt, veluti quæ blesæ, varæ, & obliquæ appellantur, hę cum nuper natus adhuc tenellus est, formatione, atque alligatione ad naturalem traducuntur habitum. Quod si iam aucto infante ad duritiem peruenerit, emendari non possunt.*

At obijcies, nam cap. 93. eiusdem lib. art. med. docet affectum hunc curationē admittere nedum in infante, sed quousque crescit. Quare aut hic falsus Galenus, aut illic, aut sibi contradicit.

Sed facilè contradictio hæc sedatur, si dicamus, in infante posse læsam figuram ossis vitio emendari faciliter, difficulter, & non sine discrimine in ijs, qui iam sunt adaucti; nam vt rectè os efformetur, rumpatur necesse est, mox efformare, & callum inducere: Difficilè hoc autem, & discriminis plenum: vnde refert Haly, senem quemdam ab importuna hac curatione peremptum, vt propterea cēseam, nūquam esse hoc faciendum, solet autem Gal. quod difficulter fit, impossibile appellare, quemadmodum & Arist. inuisibile dicit, quod difficulter videtur.

Læsarum cauitatum prognosticum, Cap. VII.

MOrbos, qui in cauitate fiunt, seù imminuta, & adstricta, seù plus iusto hiante, & aucta, magni ponderis esse, vnusquisque fatebitur, qui vsus cauitatum cognouerit. Videamus propterea, quinam illi, nam inde hauriemus, quantum, & quid ab hoc affectu sit timendum.

Excipit cauitas, seruat, defert, & exitū præbet. Excipit excrementum, alimentum, spiritus. Vbi itaque plus iusto hiant, aut non retinentur alimenta: aut excrementa, & spiritus copiosius effunduntur, quo fit vt vires labascant, & fatiscant: citius, tardius, pro copia, & qualitate varia eorum, quæ effunduntur; nam ni eousque alimentum detineatur, vt in nostri substātiam vertatur, defraudatum

Cauitatum vsus.

Plus æquo hiantes periculosæ.

ali-

alimento corpus breui extinguetur: nec ferre, diu idem poterit excretiones copiosas, præsertim vero vacuatio sanguinis, & spirituum, præsentaneum nobis infert discrimen.

Periculosiores tamen sunt adstrictæ.

Sed quamquam cauitates plus æquo hiantes multum sint nobis incommodæ, videntur tamen aerius vrgere eædem plus iusto adstrictæ. Patebit hoc facilè cuiuis expendenti damna, quæ ex cauitate adaucta inferuntur cum ijs, quæ ab eadem adstricta proueniunt propterea hoc agamus. Retenta alui, aut vesicæ recrementa breui mortem inducunt: longo tempore occidunt eadem copiosius excreta. Imminutæ ventriculorum cerebri, aut cordis cauitates lœthales, & affectus breui occisuri ex ijs nascuntur: si eędem latius peteant, exsoluuntur spiritus, quo fit, vt langueat corpus. Meatus corporis si sint ampliores, prębent occasionem, vt copiosius excrementa effundantur, vnde copiosi sudores. Erunt in causa pariter, vt causæ externę facilè sese insinuent, & nos turbent: at ijdem adstricti prohibito effluuio excrementorum, quę ex tertia coctione resultant, & ingressu aeris, à quo calor noster internus ventilabatur, acerbiora dubio procul omni damna inferunt. Demum vbi imminuuntur cauitates, aut nullo modo poterit pars dilatari, & constringi, aut difficulter; nam quoties pars constringitur, constringuntur cauitates, & pori, vnde exprimũt aeream substantiam, qua erant repletæ: vbi eadem distenditur, consequutione quadam distenti pori, aerea replentur substantia. Neutrum cum fieri possit ijs abolitis, nec distendi pars poterit, nec constringi, cauitate imminuta. At constat, si his motibus animal destituatur, facilè suffocatum iri, vt docet apertè cauitas thoracis repleta. Quare magni momenti hi affectus, & si cum intemperie conferas, haud dubito, quin illos timeas magis; nàm multo magis lædimur ventriculis cerebri, aut cordis repletis, quàm eorumdem corpore intemperato: multoque plus dolemus vesicæ, intestinorumque cauitate impedita, quá vitiata eorumdem temperie.

Præsertim arteriarum: minus periclitamur à venis, aut neruis adstrictis.

Ex vitijs tamen in cauitate adstricta, molestissima sunt, quæ arterijs accidunt, aut cordi: minus affligit cauitas imminuta venarum, omnium minimè nerui; nam inde syncopes: ex obstructione venarum atrophia, & tabes: motus, & sensus priuatio è paralysi: est tamen cæteris paribus difficilioris hæc curationis, nàm pituita quam nerui solent gignere, tenuior est frigidiorque, frigidi ijdem. Quare difficillimè illam coquere, aut quouis alio modo euincere poterunt. Atque hæc de hoc puncto.

Asperitatis, et lenitatis prognosticũ. *Cap. VIII.*

NOn esse hos affectus magni momenti, nec vitam admimere, quamquam actionibus noceant, clarum cuique, & perspicuum, facta in affectibus omnibus inductione; nam cum aspera arteria est asperior reddita, tussim concitat: cum lenis est vteri cauitas, aut ventriculi, hic cibum non valebit continere, semen ille: quo fit, vt fœminæ ob vteri lenitatem concipere nequeant, intestinorum illi lenitate, seu lyenteria laborent. At constat cuique neque tussim necare, nec vitæ, sterilitatem nocere, quamuis propagandæ speciei obsit: Constat pariter nõ facilè mori aliquem ob lyenteriam ab hac causa profectam. Quare, &c. Præterea vterque affectus ab immodica humiditate ortum habet: habet autem hæc minimam actiuitatem, & vim resistendi. Quare hi affectus ab hac causa profecti facilè tollentur. Asperitas, quæ à soluta fit vnitate, maioris momenti: prænunciabit tamen illud idem quod vnitas soluta. Quare cùm mox de prognostico solutæ vnitatis dicturi simus, nil modo de asperitatis euentu ab hac causa profectæ, est cur dicamus.

Auctæ quantitatis prognosticum. *Cap. IX.*

Morbi à quãtitate [illegible]

CVm morbi ab aucta quantitate sint duplices: alij qui carne, pinguedine plus iusto adauctis fiunt: alij, qui à succis plus æquo in parte aliqua coacervatis ortum habent; priores rarò occurrunt: frequentiores isti, & maioris discriminis; nam quamquam illi actionibus obsint, non occidunt tamen, vix adimunt monendi sese promptitudinem, & potentiam ad congressus venereos: quia pinguis illa, & dulcior pars sanguinis, è qua semen debebat effingi, in pinguedinẽ vertitur: aut quoniam mole ventris sic impediuntur, vt vterum pertingere nequeant, aut quoniam laxato penis robore à multa humiditate, vel distendi non potest, vel non potest erigi: quinimo neque tutum est illos curare, nam cùm nequeat aliter hoc fieri, quàm imperata inedia, siti, validis motibus, & vigilia, non poterunt hæc citra discrimen ab eo seruari, qui multum consuerat potare, dormire, ingurgitare, qui demum erat otio deditus, nam vt docta est omnium medicorum sententia, non est tutum consuetudinem permutare, præsertim vero in senibus auctore Galeno, nàm vel non permutabis, aut necabis hominem, aut si ad meliorem fœlici ausu habitum redu-

xcris, cùm parum sit postea superuictu-rus, exiguus erit fructus, qui ex natura habebitur commodiori: labor, dolores, quos in ea comparanda est passus ægrotans, maiores multo. Præbuit mihi huius rei luculentissimum testimonium Ioann. Hieronymus Natalis Reg. Cameræ Summariæ Præsidens; nàm cum extenuandi pinguis habitus corporis ergo, plusquam par erat, potum subtraxisset sibi, aridus enim, & sitiens, aut non bibebat, aut non permittebatur illi à seruo ineptè sedulo, vsque adeo incaluit, vt in diabetem lethalem inciderit. Atque hæc de hoc affectu absolutè considerato. Quid si cumdem cum morbo ab imminuta quantitate conferamus? Leuior multo; nam arduum quod non est facere: facilè destruitur factum.

Grauiores qui ab imminuta.

Cæterum, quod pertinet ad alios affectus auctæ quantitatis, qui ab humore fiunt (tumores vocantur communiter à medicis) cedunt quidam facile: reluctantur alij, & naturę pellenti obnituntur. Facillimus omnium est flatuosus tumor, & aquosus, post hunc erisipelas, vltimū habet locum inflammatio: difficiles pituitosi tumores, prȩsertim si fiant à crassa pituita frigida: nullam admittit curationem schierus exquisitus, quin remedijs magis exacerbatur, ægrescitque medendo, vnde Hipp. 6. aphor. 38. *Cancros occultos habentes, melius est non curare, curati enim citò pereunt, non curati verò, longius tempus perdurant*: Curationem vix admittunt tumores scirrhosi, nam & in illis languet natiuus calor, vnde non poterit remedium admotum actuari. Quicūque tamen sint illi, facilioris sunt curationis exigui, quam magni; illi enim resolui possunt, & vt plurimum in insensibiles halitus discutiuntur: magni resoluuntur numquam, suppurantur frequēter, & non raro natiuo partis calore pessumdato, cancrenā accersunt, & tandem mortem. Externi boni, interni praui, illis enim integris viribus occurrit remediū: ad internos, vel non pertingit exhibitū, aut ita refractum, nullam vt agendi vim habeat. Tumores mobiles, ancipitis sunt naturæ: vbi foras prodeant, & ab internis partibus ad externas, tanquam ad lucem emergant, bonum: tum quia naturam robustiorem indicant, quæ ad cutim noxios deponit humores: cum quia integris viribus remedium occurrens, facilius illum excipit. Ob easdem causas pessimum est, si humore retrocedente à partibus externis ad intimas, delitescat tumor. Vnde rectè Hippocrates. *Erisipelas ab intus extra bonum, contra malum*. Est omninò læthale cum denudatum os superuenit 7. aph. 19. nempe sic languet os denudatum, nullo vt pacto vincere possit superuenientem tumorem.

Quid de tumoribus?

Flatuosus facilis, aquosus erisipelas inflammatio.

Difficilas à crassa pituita & schirrhi.

Facilliores exigui graues magni.

Externi minus mali quā interni.

Recurrentes mali.

Imminutæ quantitatis prognosticū.

Cap. X.

NI nos fallit memoria, notauimus supra, duplices esse morbos in quantitate imminuta, alios, qui parte fiunt dissecta, & mutilata, vnde illo affecti mutilati dicuntur; nam quemadmodum si quid vni parti abundat, vt cùm caro accrescit vlceribus, morbus in quantitate dicitur abundante: sic vbi eidem deficit aliquid, in imminuta quantitate dicetur: fit alias morbus iste nutrimenti defectu, & tabes dicitur, extenuatio, Phtysis, seu vni tantum parti accidat, vt oculis, vnde medici de phtysi seù tabe oculorum, seù vniuerso corpori sit commune vitium. Quare de vtriusque prognostico agendum erit, eius nempè quod fit nutritionis defectu, seù maciei extenuationis, & phtysis, & alterius qui exoritur parte mutilata, seù mutilationis. Prior ille affectus varium habet euentū, & modo exitium infert, alias comitatur ad mortem, quamuis non sit ipse in causa mortis. Curatur idem quandoque, tametsi non pari fœlicitate, sed tardius, citius, prout varia est patientis conditio, causaque extenuationis.

Morbus hic in senibus difficulter curatur: contemnendus ferè in puerulis, habent enim illi exiguum quid naturalis caloris: est in pueris multum: sunt illi siccissimi: sunt hi admodum humidi: caloris itaque vi facilè poterunt alimentū concoquere, & quoniam humidi, pari vnient facilitate: senes contra, quia sunt admodum frigidi, necnon sicci, aut difficulter alimentum euincent, aut non omnem partem superabunt, aut non poterunt agglutinare. Si ex causa externa ortum habeat, contemnendus: magnifaciendus, si vitio fiat subiecti: plus minus pro causa diuersitate. Quamobrem cum fiat extenuatio, quandoque ab immoderata vacuatione, quæcumque fit illa: alias ab intemperie partium, seu ventriculi, seù hepatis, seu propter febrem, habebunt isti affectus euentum varium, & modo abigentur; non poterunt alias vi vlla amoueri. Ergo cum nullam phtysis, hoc est extenuatio ab vlcere pulmonis profecta, medelam admittat, neque possit curari vlcus fistulosum, erit consequenter insanabilis ea macies, quæ ab huiusmodi causis proficiscitur: Cumque intemperies factæ, seù calidæ illæ sint, hecticæ, siuè siccæ & frigidæ, vt marasmus, nullo possunt remedio curari, numquam curari poterit extenuatio hecticorum, aut marasmus frigidus. Contra calida intemperies hepatis multum dissoluens, cum remittatur quandoque, nullo artis remedio, sed ætatis auxilio: stomachi quoque vi-

Extenuatio in senibus grauis non in pueris.

Neque à causa externa.

Ab interna magnifacienda.

Insanabilis quæ ab vlcere pulmonis.

A febre hectica, aut marasmo.

vitium facilè adimitur, non erit ea magni facienda, quæ harum partium vitio (ni tamen altas radices infixerit) ortum habet.

Quacumque tamen ex causa illa fiat, & in quocumque subiecto, si fit ex partium solidarum defectu, tarde abolebitur: citius si ex consumptione humorum, aut spirituum fiat. 2. aphor. partic. *quæ longo tempore corpora extenuantur, lente reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.* Sed veluti in prædicendo huius affectus euentu, & causas maciei cōsiderare oportet, magnitudinem earumdem, & patientis corporis conditionem, ne aberretur: sic nulla alia præmeditatione habita desperanda est curtorum sanatio. Ratio est, quia non potest morbus hic tolli, ni partes quædam spermaticæ regignantur. At verò communis est omnium medicorum sententia, longa annorum serie comprobata, non posse partes spermaticas restaurari, vt cap. sequ. dicemus. Non est itaque huiusmodi affectuum curatio speranda.

Curtorum curatio à natura fieri non potest.

Aduerte tamen hoc verum, si de generatione loquamur, aut aggeneratione. Si in vniuersum id proferas, & nullo modo fieri id posse putes, falleris; nam noua, & antiquioribus medicis incomperta ratio inuenta est, qua omnia isthæc membra, nasus nempe, labra, aures, vel a primo ortu decurtata, vel post abscissa, insitione reficere valeamus. Inuentionis auctorem quemdam nomine Branchum tradunt fuisse, natione Siculum, patria Catanensem: Petro cuidam Calabro Tropienũ, inuenti huius gloriam tribuunt alij. Hodie Neapoli reficit illas summa dexteritate Flaminius Grassus Tropiensis Chyrurgus, & ego oculatus sum testis, duos integros nasos restaurasse, quorum alter homini honestè nato fuerat detruncatus, alterum Hyspana quædam meretrix sæuitia morbi gallici amiserat: fœliciori tamen euentu restitutus est iuueni; nam, vt dicemus in curatione huius affectus, non debent partes intemperie aliqua laborare. Vnde, quia mulier illa non erat à lue perfectè liberata, hinc factum, vt laboratum sit magis in eius curatione. Quomodo id faciendum, dicemus intra.

Ab arte possunt.

Morbi in numero imminuto prognosticum. Cap. XI.

Defectus partis seminalis emendari nō potest.

COmmunis medicorum sententia fuit, si quæ pars sanguinea deperdatur, facilè eamdem regigni posse: si sit illa spermatica, prope impossibile esse, vt eadem restauretur, & si loco eius similem natura producat. Ita Galen. lib. art. med. cap. 87. lib. de cōstit. art. medic. cap. 7. 3. meth. cap. 5. 14. meth. c. 16. & passim alibi. Eamdem sententiam habuit Auic. 4. 1. doctr. 5. cap. 1. Gentilis ibidem Iacob. de partib. Turisanus lib. art. med. cit. Vega, & Valles. ibidem, & 2. controuers. cap. 8. Mercatus, & Garsias disput. 31. super Auicenn. nec quispiam, quem ego saltem viderim, ab hac sententia longa annorum serie, & exacta obseruatione à medicis fere omnibus comprobata recessit. Vnde non quærunt, an hoc verum, sed quæ huius experientiæ ratio tradi possit, inquirunt: nam reuera si rationem quis cōsulat, mox intelliget, habere vtrumque dictum difficultatis nō parum, & æque dubiam esse vtramque assertionem; enimuero si potest caro regigni, & similis deperditæ restaurari, cōsenescet numquam homo, cum tamen sit illud decretum necessarium, omne ortũ occidit, auctumque senescit. Aut si est hæc assertio vera, erit certè altera falsa; nam caro illa, quæ denuo in cauis vlceribus regignitur, nutritur, & sentit. Quare & neruum habebit, nam ab hoc sensus: habebit pariter venas, nam hæ sunt canales, per quos sanguis ad singulas partes corporis deriuatur ab hepate: nec carebit arterijs, nam nulla pars si spiritus vitalis præsentia destituatur, probè coquere poterit, nutriri, aut viuere. At sunt hæ partes spermaticæ omnes. Quare hæ quoque poterunt facilè regigni. Præterea pars quæque spermatica nutritur, & sumit incrementum. Ergo poterit, si quæ eius portio deperdatur, ea saltem quantitate regigni, ad quam per augmentum erat peruentura. Et quidem si plantæ tanta facilitate ramos abscissos regignunt, & amputatæ rependunt cum fœnore; nam pro vno ramo multos solent regignere: cur idem animantibus: cur homini, qui nobilissimus omnium, denegatum credemus?

Quam ob causam dubium.

Sed quorsum rationibus id extorquere conamur, quod passim experientia sub oculos ponit. Nonne videmus deperditos dentes iterum, iterumque regigni? cur ergo in alijs partibus idem posse fieri negabimus?

Negandum nihilo tamen minus, nam spermaticæ cum discissæ fuerint, per primam, vt aiunt medici intentionem vniri non possunt: vnde scripsit Hipp. 6. aph. 19. *Quando incisum fuerit os, cartilago, aut neruus, aut maxilla, aut preputium, neq; crescit, neque coagulatur,* & Gal. negat eamdem cutim regigni, idque eo probauit argumento 14. meth. 16. quia densior ea visu, tactuque sentitur, quod ea ratione suadet, quia pilos non edit cicatrix. Quomodo ergo restaurari aliqua poterit, si per primam intentionem vniri nō potest? Omninò habendum pro certo medicorum decretum est, carnosas partes, si deperdantur, regigni posse, non posse spermaticas.

Refici tamen nequeunt sæcile.

Restaurentur difficulter.

Sed cum sy non posse bifariam sumi possit, vel vt omnem potentiam neget, vel vt magnam difficultatem significet: scias secundo hoc modo sumi, nam vidit Galen. bene magnam portionem arteriæ regeneratam: neque fides oculis est neganda, quamuis aliter ratio suaderet; nam quemadmodum nullus homo cordatus visionem negabit, quia non constat satis, quomodo fiat visio: haud secus, non erit intellectus bene compositi aliter de re ista censere, tametsi ratio aliter sentiendum esse suaderet, vt mittã nec rationem aliter suadere; nam vt priori occurram, non est necessarium senectutem vitari, si regignatur caro; Primum, quia non eadem numero caro restauratur, sed specie, vt latè docet Iacob. de partib. super loc. cit. Auic. Itaque esto regignatur, quia tamen regignitur terrestrior, frigidior; hinc necessariò senectus. Adde nec si eadem, meliorque reponeretur, nullam propterea futuram senectutem, nàm cùm senectus accidat, non tam vitio partium carnosarum, quã spermaticarum: quis non videt modo, cùm hæ semper euadant ficciores, terrestriores, hinc senectutem necessariò futuram? plantæ enim senescunt, quamquam discissis ramis, alij vegetiores succedant: senescunt autem, quia plantæ truncus non permutatur in melius, quã quam rami reiuuenescant. Non monstrat secundo regeneratio carnis, restaurari arterias, neruos, venas; nam neque ad sensationem obeundam est modo aliquo necessarium, vt neruus, in quaque carnis particula inseratur, ad excipiendum sanguinem, venam insinuari: adesse arteriam, ne spiritu vitali destituatur: sunt hæ partes necessariæ, vt ad longinqua membra vis sentiendi mittatur, vitalis spiritus, sanguis, vis sensifica: vt sentiant proximæ, satis est vicinia nerui; quis enim non videt, nullum esse, neque fieri id poterat, in minima quaque particula neruum, venam, arteriam? Possunt itaq; refici carnosæ particulæ. Nec cogemur propterea fateri, regigni spermaticas; quid enim hoc fateri coeget? An quia nutriuntur, augentur? nihil vero minus: nõ quod cum Argenterio putem longe diuersam esse rationem quia efformato iam fœtu, nulla est amplius formatrix facultas, quæ effingat, & formet organicas partes: est nutritiua, quæ similares reficere potest, atque hinc fieri, vt hæ possint nutriri, augeri: nequeant restaurari spermaticæ; nam si vidit Galen. bene magnam portionem arteriæ regeneratam, dentesq; formato iam fœtu, & homine consenescente iam prodeunt, certum est, conseruari vim formatricem; sed quoniam illud est naturę institutum, vt primum regignat quicquid vi caloris est consumptum. Quare vt præexistentes partes nutriat: secundum votum est in augmentum promouere, si eius sit ętatis, in qua possit hoc fieri: Demum si tanta sit vbertas materiæ, tanta vis facultatis, ex reliquiis regignit deficientes particulas. At verò debilis est facultas formatrix, exigua materia. Quare non valebit regignere.

Nec hoc affirmare verendum ob adductas vnde occurritur illis.

44 a.

Cur nequeũt regigni spermaticæ partes.

Afferetur Arg. & reijcitur.

Et vera affertur.

Sed dices, nonnè in vtero integrum efformauit corpus: cur modo particulã fingere non valebit? Quia inquit Galen. p. de sem. 13. vbi in semine erat, erat per quamuis partem seminis diffusa: quocirca applicata singulis particulis seminis, facile modo poterat è varijs eius partibus venas, neruos, arterias efformare. Vbi postea eadem in partibus residet, vix attingit materiam, è qua partes spermaticæ sunt formandæ. Quare non poterit illas fingere.

Cur in vtero tanta molitur formatrix, nõ deinceps. Gal.

Præterea fouebatur eadem à calore vteri: destituitur postea hoc auxilio, quod non contemnendum.

Clamat nihilominus Argent. neq; his acquiescit, nam quamquam debilior fiat has ob causas facultas, non potest tamen vsque adeo prosterni, vt quæ paulò antea, tot & tanta valebat effingere, nequeat modo vel portionem arteriæ restaurare. Quo factum fortasse est, vt non pauci putarint, præter causas positas hinc quoque impediri, ne spermaticæ partes regignantur; nempè quia anticipata sanguinis conuersione in partes sanguineas, nulla materia relinquitur regignendis spermaticis. Qui non placent, nam si hinc inhiberetur, impediretur pariter regeneratio partium spermaticarũ in pueris, quod non videmus. Impediretur pariter earumdem nutritio, & augmentum. Præstat itaque rationibus Galeni adhærere, nec aliam ob Argenterij motiuum afferre; nam si tantam fieri mutationem putat formato iam fœtu, vt censeat extingui vim formatricem: Cur parum verosimile est, sic eamdem reddi debilem, nequeat vt partem reficere?

Argent.

Reijcitur.

Et Gal. defenditur.

Argumentum à dentium regeneratione desumptum, maius facessit negotium, quod ex varijs modis respondendi cognoscere possumus; nam Turisanus 3. art. medic. 19. dixit, dentes esse carnosas partes potius, quàm spermaticas, atque hinc fieri, vt carnis more regignantur. Idem Auic. 1. 1. quamquam Gentilis in alium sensum trahat.

Cur dentes regignatur

Turis.

Dicunt alij, & melius idcirco dentes renasci, vnguesque, non alias partes, quia illæ ex excrementitia materia aluntur: aliæ ex ea, quæ rectè est elaborata, & pura, formantur, alunturque: vnde cum illa abundent mandibulæ, careant hac aliæ partes: hinc fieri putant, vt renascantur dẽtes, non restaurentur alia spermatica membra: nam si è carnosarum numero sunt dentes, cur semel tantùm renascuntur.

Reijcitur, & vera affertur.

tur, non amplius? curuè discissus semel dens, numquam augetur, cum tamen, carnosæ partes discissæ vniantur, augeantur toties quoties discinduntur, aut imminuuntur?

Cur dentes non regignātur tertio.

Atque instabis, si in mandibulis semper excrementitia illa materia existit, & facultas formatrix, cur vbi cadunt, continuò non renascuntur? Respondeo non renasci dentes tertio, quia facultas formatrix ad regignendum est impotens. Non potest autem, vel quoniam ætatis progressu est infirmior reddita: aut quoniam idem humor, qui carnem gingiuarum laxauit, eamdem immodica humiditate labefactauit. Aut demum non reficit tertio dentes, quia alueoli, in quibus debebant figi, ab erodente humore sunt consumpti: est autem certum, ob loci defectum generationē impediri, tametsi ratio desumpta ab imbecillitate formatricis videatur efficacior esse. Ex eadem causa fit, ne dens rescissus augeatur, aut promoueatur, nempe quia abscissione facultas est languidior reddita. Dic secundo non gigni de nouo dentes, pelli tantum, vt lib. 5. de nat. san. c. 4.

Cœterum ne quid te lateat, nota, non posse partem deperditam per generationem restaurari, posse per insitionem.

Cur rami plantarum

Exemplum plantarum multo dispar communi sententia omnium, quamquam non conueniat mihi cum Vega in causa disparitatis. Putat ipse, robustiorem esse vim formatricem in plantis, quam in animantibus: indeq; fieri, vt illæ ramos, vel discissos regignant, & multoties: nequeant ista, vel exiguam partem spermaticam restaurare. Assumptum ex naturę prouidentia colligit, quæ ita sollicitè curat quæcumque produxit, cunctis vt tribuat, quibus sese tueantur, & sua: sic leporem timidum, summa currendi celeritate donauit, vt fuga propriæ saluti consuleret. Quæ pugnam nequaquam detrectant, variis muniuit armis. Erat itaque huic prouidentiæ consentaneum, vt quando plantæ noxia non sentiunt, nec motu possunt eadem vitare, valida vi gignendi donaret, quo partes necessariò perituras reficerent: Enimuerò si gaudet calore vis gignens, & ab hac qualitate roboratur, quis hanc robustiorem plantis inesse dicet, quam homini?

Propterea dicerem, reficere plantas, non animantia, quia abundè plantis materia à terra suggeritur, qua possunt nutriri, augeri, & ramos abscissos regignere: Deficit illa animantibus; esto enim vellent multa assumere ad explenda isthæc omnia, aut non poterunt assumere aut assumpta non coquent. Habes cur nequeant spermaticæ partes restaurari. Ne tamen naturam, propterea accuses, scias insuper, non afferre hoc multum detrimenti humanæ vitæ; nam hanc ob causam geminauit cuncta natura, vt posset pars superstes, alterius defectum emendare, sic multi cùm vnum renem habeant, sufficienter vrinam excernunt: vno oculo vident, vno cum teste gignūt.

Morbi in numero adaucto prognosticum. Cap. XII.

Morbi, qui in numero vocantur adaucto, non solum carent discrimine, sed parum actionibus officiunt. Nunquam itaque medicus multum esse sollicitus debet, vt ipsos extrudat; nam cum parum graue sit partem aliquam redundare, erit fortasse grauius quodcumque remedium, quod ad ipsas tollendas admouebitur. Rem ita se habere intelliget facilè, qui intelliget, quę sit morbi in numero redundante natura. Fit hic aliqua parte redundante: itaq; non est morbus in numero lapis in vesica, non verrucæ, steatomata, meliceridés, non enim sunt partes nostri corporis, sed tumores, causa morbi in cauitate lapis, vt latius lib. 5. cap. 9. Non est item morbus in numero caro adaucta in vlceribus; nam non est caro adaucta quid numero vnum à parte vlcerata diuersum, sed est morbus in aucta quantitate, qui si excitatur in aliqua cauitate, alterius morbi in causa esse solet, nempè in cauitate, imminutæ. Demum, cùm non quęuis pars redundās morbum in numero adaucto constituat, sed quæ redundat efformato iam fœtu: non erit sexus e. g. digitus morbus in numero adaucto, sed vitium naturale, vt lib. 1. latius. Erit itaque morbus in numero redundante, qui fit dente e. g. alijs adnato: Alijs inquam apposito, aut supposito, nam si in ea serie sit fixus, in qua cœteri, nullam fortasse actionem oblædet, tametsi labri contractionem impediat, si alijs dentibus sit appositus: linguæ motum orisque cauitatem, si ab interiori parte mandibulæ emerserit. At verò nullus est, qui non videat, quam leue sit damnum, quod ab huiusmodi dente inferri potest. Quare intelliget facilè hinc quisque, nullum habere discrimen morbum in numero adaucto.

Morbi in situ prognosticum. Cap. XIII.

Morbus in situ si eius natura in vniuersum spectetur, nec mortem minatur, nec certam salutem promittit, sed formidandus plus minus est pro causæ inuehentis ipsum differentia, corporis patientis, partis, quæ è sede sua recessit, loco vario, in quem ipsa decedit, & tempore morbi. Quinque itaq; perpendenda, causa morbi, tempus morbi, corpus

corpus patiens, pars delapsa è sede propria, & locus, in quem delapsa: vel differentiæ hæ morbi considerandæ: scilicet quæ sumuntur à causa; nam quidam situs vitiatur, tracta parte, aut impulsa: fit alias vitio partium continentium, quod quandoque est laxitas, & alias solutio continui: consideranda illa, quæ à tempore sumitur; nam quidã est recens, antiquatus alius: à patiente corpore, nam vel fit in pueris, vel in ætate prouectis: à parte, nam vel mutantur articuli, vel vertebræ, aut internæ partes, vt vterus, omentum, intestina. A loco, nam quandoque partes mouentur sursum deorsum: extrorsum, intus; ante, retro, ad latera, horum enim cõtemplatione præhabita, assequeris propositum; siquidem vitiatus situs parte attracta, aut impulsa, curatur facilè: fatigat nos diutius, qui continente particula, aut rupta, aut laxata ortum habet; illic enim morbo dumtaxat occurrendum, hic morbi & causæ ratio est habenda: quæ si laxitas fuerit, potest quodcumque subiectum hoc patiatur curari: si fuerit soluta vnitas partium spermaticarũ, incurabilis est in ætate prouectis, in pueris poterit coalescere. Luxatio recens in quocumque subiecto curari potest: antiquata, est autem quæ pertransijt quadragesimum diem, nullam admittit medelam: sed & ex parte, quæ è loco decessit suo, certum morbi euentũ, licebit colligere; nam hernia è crassorum intestinorum prolapsu, tuta: vbi intestina tenuia excidant, omentum, vitæ hic affectus minatur. Quare rectè Hippocr. 2. epid. sect. 1. tex. 19. secundum sectionem Vallesij, *abdominis rupturæ, quæ quidem circa pubem sunt, plerumque sunt statim innoxiæ. Quæ verò parum super vmbelicum in dextra parte, dolorificæ hæ, & fastidiosæ, & vomitum stercoris facientes, vt quod Pittaco.* Preterea si humerus luxetur, pes, aut manus, nullum habebit hęc luxatio discrimen adiunctum: at si vertebræ luxentur, aut costæ: quis non videt, non esse luxationem hanc expertem periculi? Præsertim si luxentur colli vertebræ, aut thoracis, ab ea enim faucibus adstrictis, præsentaneum imminet suffocationis discrimen. vnde Hippoc. *Si à febre habito conuertatur collum, & vix deglutire possit, tumore non existente in collo, mortale.* Ab hac inuehetur empiema, breui cor suffocans; vnde idem Hippoc. 6. aphor. *Quicumque gibbi fuerint ex asthmate, aut tussi, ante iuuentutem pereunt.*

Conducit quoque intueri in quamnam partem luxatio fiat, internam ne, an externam; nam vbi vertebræ prominent, facilè impulsæ in sedem propriam redibunt: at si ad internam partem lapsæ illę fuerint, longè difficiliorem excitabunt affectum. Fiet quoque affectus non contemnendus, si ad latera vertebræ intorqueantur, duas ob causas: primum, quia compressa per luxationem spinali medulla, aut ab eadem pituita in tuberculum versa, à qua luxatio, cõpressis neruis proximis, aut conuulsis motus partium, quibus inserebantur deperditur, vnde vel fit paralysis, vel conuulsio auctore Hipp. 2. epid. sect. 2. tex. 28. secundum Valles. & 4. de loc. affect. cap. 5. Est secundò affectus hic prauus, quia ab eodem humore vicinæ partes refrigeratæ, non valebunt concoquere, assimilare, apponere: vnde duas habebunt causas extenuationis: alimenti defectum; nam partes, quæ otio tabescunt, aut parum, aut nihil alliciunt ad se alimenti, & eiusdem incoctibilitatem; nam refrigeratæ, & naturali calore destitutæ, non poterunt alimentum euincere: quod verum esse experientia docet nedum in partibus ijs, quæ luxationem patiũtur, sed in ijs, quę proximè luxatis hærent, communicata nempè ijsdem intemperie: vnde 6. epid. com. 1. tex. 17. *in humeris autem suppurantia tantulis breuioris cubiti eos faciunt:* & 3. de art. *Quibus* ait, *dum adhuc pueri sunt, priusquam corpus integre adoleuerit, & spina in gibberum incuruatur, ijs corpus ad spinam augeri non licet, sed cum crura, & brachia ad perfectam auctionem veniant, illa exiliora euadunt: Quibuscumque etiam supra septum gibber contingit, ijs costæ in latitudinem augeri non consueuerunt.* His nixus principijs. aliorum euentum prænosces facilè, nam percurrere singula, præsentis non est instituti.

Solutæ vnitatis prognosticum. Cap. XIV.

Soluta continuitas, si in vniuersum spectetur, nil certi præsagit, sed pro varia eius natura, modo exitium infert, modo est salutaris: erunt itaque eius species contemplandæ, vt earum euentum cognoscamus. Quæ vnitatem dissoluunt, multiplicia esse, cuique constat, erodentia nempe distendentia, incidentia, secantia, contundentia. Solutiones factæ ab erodentibus, & vrentibus, vocantur vlcera; quæ ab alijs causis ortum ducunt, dicuntur vulnera, fracturæ, & vlcera. Tollunt hæc solam continuitatem: erodentia demendo partem substãtiæ, vnionem adimunt: vnde nedum vnionis defectum, sed magnitudinis etiam includunt: proinde fit, vt vnione sola restituta, curentur vulnera: vt quis conualescat ab vlcere, duo sunt necessaria: primum, vt deperditam substãtiam recuperet: secundo, vt vnionem acquirat. Sunt vtraque multiplicia, atq; vlcus quidem, vel simplex est, vel compositum: vtrumque duplex, aut magnum, aut paruum. Quodcumq; triplex, obliquum, rectum, Vide Cels. lib.5. c.26.

ro-

rotundum: magnum item triplex, longũ, latum, profundum. Compositum est pariter triplex: cùm causa, vnde vlcus cacochimum, rheumaticum: cum morbo, & symptomate: cum morbo triplex, cũ intemperie, magnitudine aucta, vnde vlcus erisipelatosum, schirrosum, & œdematosum: cum symptomate multiplex, prout varia sunt illa, sed hæ frequentiores eius species, fœtidum, dolorosum, saniosum, ichorosum, virulentum, malignũ, venenatum, contagiosum. Non me latet posse, & multas alias vlcerum, vulnerumque differentias adduci, consultò tamen eas prætermisimus; nam quæ à partium varietate sumuntur, non ad hoc opus, in quo de generibus rerum, sed ad praxim spectant; aliæ, vel parum, vel nihil ad euentum prænoscendum conducunt.

Cuiusque solut. vnitatis prognosticum. In vniuersum ergo, simplices vnitatis solutiones, facilius curantur, quam compositæ: citius, exiguæ, quam magnæ; rectæ, quam rotundæ, aut obliquæ; breues, quam longæ; superficiariæ, quam profundæ; angustæ, quam latæ, si tamen medicamenta commodè excipere possint; externæ, quam internæ. Compositæ vnitatis solutiones, quæ causam habent adiunctam, sunt modo salutares, modo exitiosæ pro causæ fouentis varietate. Factæ ab atra bile, incurabilia: quæ ab influxu sanguinis fouentur, facilè curationem admittunt: mediant inter hæc, quæ à bili, aut salsa pituita, ac plus minus periculi inferũt, prout crassior bilis tenuior, acrior, mitior; enimuero ab acri bili, crassaque, fiunt depascentia vlcera. Quæ ferrum, lignum, aut aliquid aliud habent intus reconditum, numquam conualescũt, ni extrudatur extranea illa substantia inclusa. Quæ complicantur cum morbo habent pariter euentum varium, pro intemperiei natura varia, & tumorum in vniuersum tamen plus negotij facessũt, quæ habent tumorem adiunctum, quam quæ cum sola intemperie complicatur; solent enim tumores, nedum magnitudine aucta, sed intemperie quoq; molestare. Intemperierum autem, humida molestissima; nam qua ratione vlcera in hydropicis non sanantur, eadem fit, ne parte plus iusto humectata coalescant. Est quoq; mala intemperies frigida: primum, quia impedit coctionem, secundo quia calida parti admouere oportebit, hæc autem trahent ad ipsam excrementa. Qui tumor cum solutione continui complicatus, plus discriminis inferat, ex ijs, quæ supra dicta sunt, clarum. Ichorosa vlcera, saniosa, virulenta mala, quia cruda excrementa imminutæ sunt coctionis argumentum, *cruda autem, & incocta, & ad malos conuersa abscessus, aut indicationis vacuitates, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. 2. epid. com. 2.* Dolorosa vlcera praua: primum quia priuant ęgrum beneficio somni: vnde malè celebrabuntur coctiones. Quare, & multa in ipso excrementa acervabuntur: accurrent etiam, nam conuocat dolor fluxionem, & febrem. Sunt tertio praua quia dissipat dolor vires. Sunt quarto vlcera dolorifica mala, quia neglecto ipso, cogemur dolori occurrere: quę autem dolorem mulcendi vim habent, ea omnia vlcus adaugere solent.

Contagiosa vlcera, varia; contemnenda scabies, læthalis pthysis: quæ à Gallica lue inferuntur, varium habent euentũ pro vlceratarum partium varietate. Venenata discriminis plena: cancrenosa omnino læthalia: de malignis dicemus, cum de prognostico morbi maligni fiet sermo.

Communium morborum prognosticum. Cap. XV.

COmmunes affectus nihil certi præsagiunt; nàm cùm trifariam dicatur communis morbus: aut quia in plures grassatur, & omnes vno modo affligit, qua ratione morbi endemij, patrij, vernaculi, seu regionales communes esse dicuntur. Sunt pariter communes epidemij morbi, seu sint perniciosi, seu pernicie careant: Dicuntur secundò communes ab Arabibus, quia ex varijs generis morbis sunt compositi, quo pacto tumorem, morbum communem dixerunt, quia vt plurimum præter magnitudinem auctam, habent quoque intẽperiem adiunctam. Dicitur tandem tertiò communis morbus, quia omnes partes corporis indiscriminatim affligit, in quem sensũ, communis voce vsurpata, putant multi febrem esse morbum communem. Certum est, nullum ex dictis aut certò necare, aut salubrem esse: nam si tumores cõsideres, sunt qui facessunt negotium, sunt alij nullius momenti: si febres, contemnendæ ephemeræ, lœthales hecticæ, ancipites putres: vt propterea censeam, longè à vero eos aberrare, qui febrem à feritate dictam putant, ac si quęuis, ferus sit morbus, & feræ instar corpus depopuletur, cui hæret: & ijs assentior, qui febrem à feruore dictam volunt. Communes morbi primo modo dicti, etsi in genere videantur formidandi, nam causa, quæ vsque adeò est valida, vt homines ætate, sexu, & temperie diuersos, variaq; victus ratione nutritos æque affligere potuerit, non potest non esse robusta: cumque agat pro ratione potentiæ, est enim naturalis, validissimum infestet affectum, & morbum: secus tamen fieri docet ratio, & experientia: hæc quidem nam multis communis causæ vitio, seu aer sit, seu aqua, tumores gutturis, obstructiones viscerum, mentisque hebetu-

do: nullum autem discrimen hæc vitæ inferunt. Confirmat quoque idem, nam & si causa communis sit valida, non est tamen necessarium, vt vsque adeò sit valens, & robusta, vt exitiosum propterea morbum inferat. Ergo nihil licebit præsagire, communis morbi natura in vniuersum inspecta, sed variæ eius species sūt contemplandæ, vt id assequamur, & pro specie morbi inducti, magnitudine, & more, modo mortem præsagire, nunc salutem: illud tamen certum, communes morbos perniciosos, hoc est pestem, necare plurimos, paucos ab illa euadere, quod quia clarius est, quàm vt aliqua indigeat probatione, non conteram frustra propterea tempus in re hac demonstranda.

Morbi nocturni prognosticum. Cap. XVI.

Nocturnus affectus, quicumq; sit ille, molestior est eo, qui interdiu affligit: docet hoc quotidiana experientia, & omnium communis consensus. Neq; obstat Hippocr. epid. 3. Galen. ibidem, & Auicen. 1. 4. t. 1. c. 1. nam loquuntur hi de quotidiana diurna. Qui? tamen hoc fiat, controuersum non parum.

Nocturnus affectus diurno molestior, videtur quibusdam ob amicorum absentiam.

Placuit quibusdam, in amicorum absentiam hoc referre. Quare non augerentur dolores omnes noctu, sed mens alibi non distracta, & attentius cogitans ea omnia, quæ sunt sibi molesta, diligenti inquisitione, & accurata intentione reddit molestiora. Ita Alex. 1. problem. 118. quem vide etiam probl. 77. & 78. Censent alij verè dolores fieri maiores, sed Astrologi Solis absentiæ id adscribunt; nam cum sit ille pater vitæ, minuit affectus omnes sua præsentia, mitigatque: quod placitum dilucidantes alij dicunt, à Solis calore, morbum quemcumque reddi minorem, quia suo tepore reserans nostri corporis meatus, & extenuans succos, in insensibiles halitus, illos discutit.

Censent alij vere fieri maiorem ob Solis absentiā.

Tribuunt hoc alij contractioni spirituum; nempè quemadmodum dum pus conficitur dolores, & febres: sic vbi natura contractus intus spiritibus, & sanguine, causarum morbificarum depulsioni vacat, noua producit symptomata, quæque aderant reddit commotione maiora; nam causa omnis morbosa, quanto magis mouetur, magis lædit. Alij maiora cuncta symptomata noctu iudicari censent, quia priuamur somni beneficio. Ita Galen. 2. aphor. 13. Amplector ego has omnes, & interdum maiorem apparere molestiam arbitror, nō fieri: fit alias verè maior. Maior autem fit, non quia strictis meatibus, qui à Solis calore antea erant referati, impeditur causæ noxiæ effluuium; nam neque omnes affectus, qui noctu ingrauescunt, sunt materiales, nec omnes languentes vicissitudinem illam caloris, & frigoris patiuntur, sed æque noctu, ac die tepore gaudent. Non est item euentus huius causa, somni priuatio; nam sequitur vigilia dolores, non præcedit, & aucti dolores somni priuationem inducunt, non accessit vigilia maiores dolores. Maioritatis itaq; assectuum noctu, quænam causa? natura incumbens in depulsionem illorum noctu magis, quamdiu: & quia his molestijs, alia denuo ex somni priuatione succedit.

Dāt hoc alij contractioni spirituum.

Nos fieri verè volumus quandoque maiorem.

Non quia constringuntur meatus.

Aut somni beneficio priuamur.

Sed quia natura cū morbo pugnat magis.

Morborum hyemalium, æstiuorum autumnalium, vernalium prognosticum. Cap. XVII.

De re hac hæc scripsit Hippocr. 25. aphor. par. 2. *æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, longæ autumnales; & maxime quæ hyemem attingunt*, quæ exponēs Galen. in comment. eedum quartanas, sed & alios morbos æstiuos, longe esse breuiores autumnalibus docet; nam si quartana, quæ sua natura est longissima, breuis redditur temporis calore, multo breuiores fiunt alij, vbi æstate gignantur. Num tamen morbi omnes æstiui breuiores, an quidam, & qui, non expressit Galenus, quantum tamen ex ratione, quæ aphorismum probauit, conijcere licet, voluisse videtur, eos tantum morbos, qui ab humoribus fiunt, breuiores esse, si æstate gignantur. Dicit enim, *superflui æstate humores funduntur, per totum corpus feruntur, diffluntur: in quibus itaque vires validæ sunt, noxijs humoribus vacuatis, morbi cessant: in quibus vero sunt imbecilles, dum noxij succi vacuantur, vna etiam ipsæ dissoluuntur*. At primo de cris. 4. vniuersalem facit propositionem, habet enim. *Sic & omnis alius morbus, æstate quidem breuiorem, hyeme vero diuturniorem habet motum*, vel vt alij legunt *indicationem*. Huic consonant, quæ scripsit 1. aph. 12. Habet etenim, *atque alijs singulis morbis æstas addit celeritatem, hiems vero tarditatem*. Non minor inter aliquos discordia; nam Valles. exponens hunc aphor. & 12. primæ part. morbos omnes breuiores esse calidis temporibus autumat. Alij vix in ijs, qui à materia fiunt, verum esse id docēt; nam apoplexia citius necat hyeme, quam æstate: hectica quoque citius curationē admittit, cum tempus est frigidum, quā eodem calido: luxationes, fracturæ, morbi in magnitudine, æque possunt hyeme prorogari, atque æstate. At vero si nos præmittamus, qui fiat, vt quidam morbi cito terminentur, alij vero diu protrahantur, intelligemus facilè, an omnes morbi æstiui breuiores, an quidā, & qui nam illi: nunc autem, ni memoria excidit,

Æstiui morbi breuiores.

An omnes? dubius videtur Galen.

Vnde variæ opinionum à medicis.

At reuera nō omnes morbi æstate breuiores.

dit, quod lib.6. de causis morbi longi, & breuis notauimus, tota ratio, cur quidã morbi cito terminentur, & breui, ex improportione pendet maioris inæqualitatis; enimuero cum causæ naturales agãt pro ratione poteotiæ, si altera longo interuallo excedat alteri, oulli dubium fuerit cito vinci inferiorem atque abigi: sic magnus ignis breui ligna arida exurit, exiguus à multis suffocatur: vbi æqua est vis passi, & agentis, erit actio diuturna: quamobrem cum agant mutuò natura morbusq. vbi æqua fuerit vis vtriusque, diuturnus erit affectus: vbi multo interuallo superat, aut morbus naturam, vel hæc morbum, breui mors expectanda, aut salus fuerit. Cœterum vt terminentur breui affectus quidam, nihil æstas conducit, aut hyems: interit alias noo parum, æstate ne gignatur, an hyeme morbus. Quare quidam morbi æstiui breues, longi hyemales, alij æquè breues, & longi quouis tempore. Minor probatur, nam ossa luxata æque breuiter hyeme, ac æstate repones: æqua pariter difficultate, quouis tempore lapidem è vesica extrahes: nec sentiendũ secus, quia sectio illa citius coalescit æstate, quam hyeme, & partes distenduntur facilius tempore calido, vnde vbi ossa volunt chyrurgi reponere, calfaciunt partes; ex primo enim fit, vt citius vlcus coalescat, non vt citius lapis extrahatur; ex secuodo, vt minus dolorifica sit repositio ossis, oon vt citius reponatur. Morbi in adaucta magnitudine, in soluta vnitate, ab intemperie, videntur minui ab æstate, augeri hyeme, nam frigus impedit resolutionem, idemque vlceribus mordax: at hinc illud sequitur, citius curari hos morbos æstate, nõ terminari citius æstate, quã hyeme; tota enim ratio cur æstate citius curationem recipiunt, ea est, quia imminuuntur ab ambiente; ergo qui intenduntur ab eodem, citius pari pacto terminabuntur, quamquam ad exitium. Quare neque his morbis addent celeritatem, aut tarditatem anni tempora. Quinam ergo morbi citius terminabuntur æstate? æstiui: sunt autẽ hi, qui familiares æstati. Quare calidi, & sicci, & à calida causa siccaque cõcitati. æstiuæ ergo quattanæ, quæ ab atra bili fiunt, aut melancholia, cum calidi humoris miscella, hęc cito ad finem perueniet suum: tardè eumdem attingent autumnales, & maximè quæ ad hyemem vsque prorogantur; nam vel fient à melancholico humore tantum, vel ab hoc vna cum pituita admixto. Negabis id forsan, quia quamquam humor calidus citius coquatur, pellatur, difficilius humor melancholicus, aut pituita, est hoc verum, vbi cætera omnia sint paria; nunc autem imbecillior est vis coctrix æstate, robustior hyeme. Quare cum eadem maneat proportio, æque breues erunt æstiui morbi, & hyemales. Hanc ob causam dixit fortasse Triuer. fortunatum esse, quod æstiuæ quartanæ sint breuiores, autumnalibus: & malè, nam quod casu fit, raro accidit, nunc autem sunt æstiuæ quartanæ, magna ex parte breues. Præstat proindè dicere, quamquam cuncta paria videantur, quia tamen plus valet dispositio materiæ, quam efficacia agentis, esto infirmior æstate, sit calor, hyeme fortior, citius nihilominus vincet natura calidum humorem æstate, quam frigidum hyeme.

Sed aestiui [illegible]

Obiectio.

Triuer.

Reijcitur.

Et asserta vera.

Quid de morbis vernalibus, de quibus nihil Hipp. Forliu. longos esse censet, vt illi, qui hyeme, & autumno gignũtur, ac propterea putat nil dictum de illis ab Hipp. à quo dissentio, nam multo dispar ratio est; autumnus enim est frigidus, & à tempore anni frigidissimo excipitur: est vernum tempus tepidum, & tempus calidissimum sequitur. Quare cum faciat calor celeritatem, idcirco arbitror nihil dixisse Hipp. de quartanis veroalibus, quia idem de istis, quod de æstiuis iudicium.

Vernalium prognosis.

Acuti morbi, & chronici prognosticum. Cap.XVIII.

Acutos morbos periculosos esse docuit apertè Hippocr. nam id sonãt, quæ scripsit 1.epidem.com.3. *Sunt autem acutissimi, & maximi, & grauissimi morbi, & maxime læthales in continua febre.* Quia res ipsa hoc clamat; nam acutus morbus, quicunque ille sit, magnitudinem habet: magni autem morbi, magna symptomata inferunt, seu sint magni ex propria natura, siue ex partis affectæ præstantia, aut quoniam cachoetes. At vrgent. magna accidentia naturam, pręsertim si imprimantur celeriter: nam quemadmodum, quod fit paulatim, facilè natura tolerat, sic omne nimis est naturę inimicum. Itaque duplici ex capite, erit acutus morbus discriminis plenus, quia magnus: quia impetuosus, & vt Arist. dixit violentus.

Acuti morbi periculosi.

Non magni.

An læthalis? haud necessarium: modo itaque exitium afferet, modo in salutem desinet. Hippoc.aph.19.2.p. *acutorum* inquit *morborum non omninò certæ sunt prænunciationes salutis, aut mortis.* Hoc est acutus morbus, quamquam si in vniuersum spectetur, minetur discrimen; quia tamẽ potest natura ita esse robusta, vt illi resistat, hinc fit, vt nihil certi prænunciari possit de eius euentu in vniuersum; enim uero, si quod dicit Gal. incertus esset acutorum euentus, quia fiunt ab humoribus calidis, & mobilibus, hoc est, qui possunt ab infima parte assurgere ad no-

Non tamen necessar in lethales, aut salubres.

Cc 2 bi-

do : nullum autem discrimeo hæc vitæ inferuot. Confirmat quoque idem, nam & si causa communis sit valida, non est tamen necessarium, vt vsque adeò sit valens, & robusta, vt exitiosum propterea morbum inferat. Ergo oihil licebit præsagire, communis morbi natura in vniuersum inspecta, sed variæ eius species sūt contemplandæ, vt id assequamur, & pro specie morbi inducti, magnitudine, & more, modo mortem præsagire, ouoc salutem: illud tamen certum, commuoes morbos perniciosos, hoc est pestem, necare plurimos, paucos ab illa euadere, quod quia clarius est, quàm vt aliqua indigeat probatione, non conteram frustra propterea tempus in re hac demonstranda.

Morbi nocturni prognosticum. *Cap. XVI.*

Nocturnus affectus diurno molestior, videtur quibusdam ob amicorum absentiam.

NOcturnus affectus, quicumq; sit ille, molestior est eo, qui interdiu affligir : docet hoc quotidiana experientia, & omnium communis consensus. Neq; obstat Hippoc. 1. epid. 3. Galen. ibidem, & Auicen. 1. 4. f. 1. c. 1. nam loquuntur hi de quotidiana diurna. Qui? tamen hoc fiat, controuersum oon parum.

Placuit quibusdam, in amicorum absentiam hoc refeere. Quare non augerentur dolores omnes noctu, sed mens alibi non distracta, & attentius cogitans ea omnia, quæ sunt sibi molesta, diligenti inquisitione, & accurata intentione reddit molestiora. Ita Alex. 1. problem. 118. quem vide etiam probl. 77. & 78. Censent alij verè dolores fieri maiores, sed Astrologi Solis absentiæ id adscribunt; nam cum sit ille pater vitæ, minuit affectus omnes sua præsentia, mitigatque : quod placitum dilucidantes alij dicunt, à Solis calore, morbum quemcumque reddi minorem, quia suo tepore reserans nostri corporis meatus, & extenuans succos, in insensibiles halitus, illos discutit.

Censent alij vere fieri maiorem ob Solis absentiā.

Tribuunt hoc alij contractioni spirituum; nempè quemadmodum dum pus conficitur dolores, & febres : sic vbi natura contractus intus spiritibus, & sanguine, causarum morbificarum depulsioni vacat, noua producit symptomata, quæque aderant reddit commotione maiora; nam causa omnis morbosa, quanto magis mouetur, magis lædit. Alij maiora cuncta symptomata noctu iudicari censent, quia priuamur somni beneficio. Ita Galen. 2. aphor. 13. Amplector ego has omnes, & interdum maiorem apparere molestiam arbitror, nō fieri: sit alias verè maior. Maior autem fit, non quia strictis meatibus, qui à Solis calore antea erant reserati, impeditur causæ noxiæ effluuium; nam neque omnes affe-

Dāt hoc alij contractioni spirituum.

Nos fieri verè volumus quandoque maiorem.

ctus, qui noctu ingrauescunt, sunt materiales; nec omnes languentes vicissitudinem illam caloris, & frigoris patiuntur, sed æque noctu, ac die tepore gaudent. Non est item euentus huius causa, somni priuatio; nam seqnitur vigilia dolores, non præcedit, & aucti dolores somni priuationem inducunt, non accersit vigilia maiores dolores. Maioritatis itaq; affectuum noctu, quænam causa? natura incumbens in depulsionem illorum noctu magis, quamdiu: & quia his molestijs, alia denuo ex somni priuatione succedit.

Non quia constringuntur meatus.

Aut somni beneficio priuamur.

Sed quia natura cū morbo pugnat magis.

Morborum hyemalium, æstiuorum autumnalium, vernalium prognosticum. Cap. XVII.

DE re hac hæc scripsit Hippocr. 25. aphor. par. 2. *æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, longæ autumnales; & maxime quæ hyemem attingunt*, quæ exponēs Galen. in comment nedum quartanas, sed & alios morbos æstiuos, longe esse breuiores autumnalibus docet; nam si quartana, quæ sua natura est longissima, breuis redditur temporis caloee, multo breuiores fiunt alij, vbi æstate gignantur. Num tamen morbi omnes æstiui breuioees, an quidam, & qui, non expressit Galenus, quantum tamen ex ratione, quæ aphorismum probauit, conijcere licet, voluisse videtur, eos tantum morbos, qui ab humoribus fiunt, breuiores esse, si æstate gignantur. Dicit enim, *superflui æstate humores funduntur, per totum corpus feruntur, difflantur: in quibus itaque vires validæ sunt, noxijs humoribus vacuatis, morbi cessant : in quibus vero sunt imbecilles, dum noxij succi vacuantur, vna etiam ipsæ dissoluuntur*. At primo de cris. 4. vniuersalem facit propositionem, habet enim. *Sic & omnis alius morbus, æstate quidem breuiorem, hyeme vero diuturniorem habet motum*, vel vt alij legunt *iudicationem*. Huic consonant, quæ scripsit 1. aph. 12. Habet etenim, *atque alijs singulis morbis æstas addit celeritatem, hiems vero tarditatem*. Non minor inter aliquos discordia; nam Valles. exponens hunc aphor. & 12. primæ part. morbos omnes breuiores esse calidis temporibus autumat. Alij vix in ijs, qui à materia fiunt, verum esse id docēt; nam apoplexia citius necat hyeme, quam æstate : hectica quoque citius curationē admittit, cum tempus est frigidum, quā eodem calido: luxationes, fracturæ, morbi in magnitudine, æque possint hyeme prorogari, atque æstate. At vero si nos præmittamus, qui fiat, vt quidam morbi cito terminentur, alij vero diu protrahantur, intelligemus facilè, an omnes morbi æstiui breuiores, an quidā, & quinam illi: nunc autem, ni memoria excidit,

Æstiui morbi breuiores.

An omnes? dubius videtur Galen.

Vnde variā opinatum à medicis.

At reuera nō omnes morbi æstate breuiores.

dit; quod lib.6. de caufis morbi longi, & breuis notauimus, tota ratio, cur quidā morbi cito terminentur, & breui, ex improportione pendet maioris inęqualitatis; enimuero cum caufæ naturales agāt pro ratione potentiæ, fi altera longo interuallo excedat alteri, nulli dubium fuerit cito vinci inferiorem atque abigi: fic magnus ignis breui ligna arida exurit, exiguus à multis fuffocatur: vbi æqua eft vis paffi, & agentis, erit actio diuturna: quamobrem cum agant mutuò natura morbusq. vbi æqua fuerit vis vtriufque, diuturnus erit affectus: vbi multo interuallo fuperat, aut morbus naturam, vel hæc morbum, breui mors expectanda, aut falus fuerit. Cœterum vt terminentur breui affectus quidam, nihil æftas conducit, aut hyems: intererit alias non parum, æftate ne gignatur, an hyeme morbus. Quare quidam morbi æftiui breues, longi hyemales, alij æquè breues, & longi quouis tempore. Minor probatur, nam offa luxata æque breuiter hyeme, ac æftate repones: æqua pariter difficultate, quouis tempore lapidem è vefica extrahes: nec fentiendū fecus, quia fectio illa citius coalefcit æftate, quam hyeme, & partes diftenduntur facilius tempore calido, vnde vbi offa volunt chyrurgi reponere, calfaciunt partes; ex primo enim fit, vt citius vlcus coalefcat, non vt citius lapis extrahatur; ex fecundo, vt minus dolorifica fit repofitio offis, non vt citius reponatur. Morbi in adaucta magnitudine, in foluta vnitate, ab intemperie, videntur minui ab æftate, augeri hyeme, nam frigus impedit refolutionem, idemque vlceribus mordax: at hinc illud fequitur, citius curari hos morbos æftate, nō terminari citius ęftate, quā hyeme; tota enim ratio cur æftate citius curationem recipiunt, ea eft, quia imminuuntur ab ambiente; ergo qui intenduntur ab eodem, citius pari pacto terminabuntur, quamquam ad exitium. Quare neque his morbis addent celeritatem, aut tarditatem anni tempora. Quinam ergo morbi citius terminabuntur æftate? æftiui: funt autē hi, qui familiares æftati. Quare calidi, & ficci, & à calida caufa ficcaque cōcitati. æftiuæ ergo quartanæ, quę ab atra bili fiunt, aut melancholia, cum calidi humoris mifcella, hęc cito ad finem perueniet fuum: tardè eumdem attingent autumnales, & maximè quæ ad hyemem vfque protogantur; nam vel fient à melancholico humore tantum, vel ab hoc vna cum pituita admixto. Negabis id forfan, quia quamquam humor calidus citius coquatur, pellatur, difficilius humor melancholicus, aut pituita, eft hoc verum, vbi cætera omnia fint paria; nunc autem imbecillior eft vis coctrix æftate, robuftior hyeme. Quare cum eadem maneat proportio, æque breues erunt æftiui morbi, & hyemales. Hanc ob caufam dixit fortaffe Triuer. fortunatum effe, quod æftiuæ quartanæ fint breuiores, autumnalibus: & malè, nam quod cafu fit, raro accidit, nunc autem funt æftiuæ quartanæ, magna ex parte breues. Præftat proindè dicere, quamquam cuncta paria videantur, quia tamen plus valet difpofitio materiæ, quam efficacia agentis, efto infirmior æftate, fit calor, hyeme fortior, citius nihilominus vincet natura calidum humorem ęftate, quam frigidum hyeme.

Sed æftiui ... [marginal note, left; partly illegible]

Obiectio.

Triuer.

Reijcitur.

Et affertio vera.

Quid de morbis vernalibus, de quibus nihil Hipp. Forliu. longos effe cenfet, vt illi, qui hyeme, & autumno gignūtur, ac propterea putat nil dictum de illis ab Hipp. à quo diffentio, nam multo difpar ratio eft; autumnus enim eft frigidus, & à tempore anni frigidiffimo excipitur: eft vernum tempus tepidum, & tempus calidiffimum fequitur. Quare eum faciat calor celeritatem, idcirco arbitror nihil dixiffe Hipp de quartanis vernalibus, quia idem dè iftis, quod de æftiuis iudicium.

Vernalium prognoft.

Acuti morbi, & chronici prognofticum. Cap.XVIII.

ACutos morbos periculofos effe docuit apertè Hippocr. nam id fonāt, quæ fcripfit 1.epidem.com.3. *Sunt autem acutiffimi, & maximi, & grauiffimi morbi, & maxime læthales in continua febre*. Quia res ipfa hoc clamat; nam acutus morbus, quicunque ille fit, magnitudinem habet: magni autem morbi, magna fymptomata inferunt, feu fint magni ex propria natura, fiue ex partis affectæ præftantia, aut quoniam cachoœtes. At vrgent. magna accidentia naturam, prę fertim fi imprimantur celeriter: nam quemadmodum, quod fit paulatim, facilè natura tolerat, fic omne nimis eft naturę inimicum. Itaque duplici ex capite, erit acutus morbus difcriminis plenus, quia magnus: quia impetuofus, & vt Arift. dixit violentus.

Acuti morbi periculofi.

Non magni.

An læthalis? haud neceffarium: modo itaque exitium afferet, modo in falutem definet. Hippoc.aph.19.2.p. *acutorum* inquit *morborum non omninò certæ funt prænunciationes falutis, aut mortis*. Hoc eft acutus morbus, quamquam fi in vniuerfum fpectetur, minetur difcrimen; quia tamē poteft natura ita effe robufta, vt illi refiftat, hinc fit, vt nihil certi prænunciari poffit de eius euentu in vniuerfum; enim uero, fi quod dicit Gal. incertus effet acutorum euentus, quia fiunt ab humoribus calidis, & mobilibus, hoc eft, qui poffunt ab infima parte affurgere ad no-

Non tamen neceffario læthales, aut falubres.

bilem,ab hac ad ignobilem labi,esset omnium acutorum euentus, qui tamen ab humoribus calidis concitantur, incertus,& dubius. Quare vel rarò, vel nunquam quippiam præsagire possemus de acuti, & morbi euentu: secus at statuit Hipp. eodem aph.& medici omnes.

Est tamen timendus maximè, qui senem corripit.

Sed quamquam acutus morbus in genere,nil certi prænunciet,& salubris esse possit, & exitiosus: pro diuersa tamen natura,periculosior est, & minus timendus. Vt si inuadat morbus acutus senē, est ille læthalis,non quia frigidum est senile corpus;hac enim ratione,non ægrotaret lethaliter senex apoplexia correptus. Communis ergo ratio cur sit perniciosus morbus acutus in sene, illa est, quia magnam adhibent in viuendo prudentiam,nec vllum erratum committūt, quod magnos morbos, inferendi vim habeat. Quare si quando acuto morbo corripiantur,vehementis causę,& internæ, est inditium: quippe qui rectà viuēdi ratione infringi nou potuit: hanc autem exiguæ vires, cuiusmodi sunt seniles superare, haud valebunt. Colligitur id apertè ex Hipp. vbi ait in *senibus omnia mala, peiora fiunt propter debilitatem virtutis*.

Est quoque formidandus qui corripit vtero gerentem.

Timet ab eodem multum Hipp. si vtero gerentem inuadat. Vnde 5.aphor. 30. *mulierem grauidam, acuto morbo corripi læthale*: Non quod sit necesse mulierem acuto morbo correptam interire, sed quia magna ex parte afficitur perniciosè. Quamquam, si ijs ex causis acutus morbus fit exitiosus in vtero gerente, quia non possunt ea exhiberi remedia, quæ magnum morbum, demoliendi vim habent, non esset fortasse ita nostro tempore formidandum, quo & tutò sanguinem mittimus, & purgamus, nec quicquam facere omittimus, quod ad depellendum morbum conducere arbitramur; vt propterea censeam, non tam ex hoc capite discrimen nasci, quam ex fœtu; enim verò cum sit imbecillior, quam, vt resistere valeat vehementiæ morbi, facilè negotio succumbit. At hoc aut rarò, aut numquam sit sine matris acutè laborantis discrimine;nam labefactata vi morbi, vel impotens erit ad extrudendum fœtū imbecillum, vel in purgandis puerperijs deficiet: hęc autem retenta multum discriminis inuehunt.

Morbi diuturni prognosticum.

Diuturni morbi,vt ferè omnes, ambigui: semel illis correpti senes vna moriuntur: vindicantur ab ijsdem robusti: imbecilles, seu sint senes, seu iuuenes, perimuntur; nam est illud dogma certissimum,morbos,qui à frigidis succis, & crassis, diuturnos esse, si vis languentis vigeat,vbi langueat,certissimum exitium inferre. Sed neque in fortibus, isti omninò tuti, si non solum eorum naturam consideres,sed & ea omnia,quæ accidere solent. Nempè in longis morbis pertæsi ægrotantes vitæ illius generis,delinquūt non rarò,quo fit vt morbus, qui salutaris erat,& diuturnus, exitiosus euadat. Proindè sit continens æger, ne breuis voluptatis gratia, bonum magnum, & diu permansurum amittat: non sit plus iusto indulgens medicus; nam vbi ob incuriam increuerit morbus, inutile erit quodcunque remedium. Hęc de acuti morbi chronicique euentu. Nunc illud esse consequens videtur,disputare nimirum de euentu morbi hæreditarij, comparati post quam prodimus in lucem, contagiosi, & absque contagio: At quoniam hæ morbi differentiæ nihil peculiare habent hic contemplandum;neque enim contagiosi,aut hæreditarij,qua tales sunt,aliquid certum pręsagiunt, parcam propterea huic labori,& ad similes morbos,& dissimiles progrediar.

Morborum similium, dissimiliumque prognosticum. Cap. XIX.

A similibus morbis minus affici docent omnes.

A Simili morbo minus nos affici, plus à dissimili, ac propterea plus à dictis imminere discriminis,à similibus minus,concors fuit medicorum sententia. Docuit primum illam Hipp. aphor. 34. 2 par. Galen.ibid. & omnes expositores: neque vllus,quod sciam,discrepauit vmquam: quamquam non satis conueniat, quid nomine similis morbi, & proportionati sit intelligendum. Dixerunt quidam,vt refert Galen. cit. loc. eum morbum congruere naturæ,ætati, & habitui ægrotantis, qui est contrarius, non qui similis: itaque calidum in frigidis morbis,in calidis,frigidum minus periclitari docent. Suadent hoc quia conuulsio sicca est magis periculosa, quam humida: raucedines, & grauedines cum sint affectus seniles,à senibus tamen numquam coquuntur,& 1.epi.com. . tex.18. *Maxime* inquit *moriebantur, quorum natura vergebat ad tabem*. Præterea, quo est quis aptior ad intemperiem aliquam contrahendam, eo est ad contrariam ineptior. Quare cum frigidi facilè infrigidentur, incalescent ijdem difficillimè. Quare aut curabitur ægrius quispiam, vbi simili morbo correptus fuerit: aut dicendum proportionatum morbum,contrarium esse,non similem,illumque naturæ, ætati, & habitui conuenire.

Controuertunt tamen qui morbi sint sim. &c. Nam quidā contrarium vocant similem.

Inepto tamen.

At falsum id esse probat apertè Gal. Enimuero si id verum, minus periculi inferret causus hyeme genitus, quam æstiuus: quòd licet Aduersarij concedant, eo argumento inducti, quia illius sublationi præstat multum auxilij aer frigidus, constat tamen falsò admitti; nam quamquam, vbi causus est genitus, præstet aerem ad statum frigidiorem conuerti

uerti, ita enim euadet causa salubris, vt tamen talis sit, antequam febris ardens sit prognata, exoptabit nullus. Enimuero, vbi aere algido causus gignitur, validam esse causam significatur, quæ & patientis, & aeris resistentiam vicit. Hinc Arist. 1. probl. 29. *Propter quid hyeme fiunt febres ardentiores magis*. Præterea si ille morbus diceretur congruere, qui contrarius est, & naturæ nostræ, hoc est natiuo temperamento, & aduentitio dissimilis, id enim significat vox naturæ, consuetudinis, & habitus: cum aphorismus hic, nedum habeat veritatem in morbis, & causis, sed symptomatis etiam, vt aduertit Thadeus in com. cit. aphor. Argent. & alij, minus essent symptomata dissimilia verenda, similia magis, quo nihil dici potest, quod aut grauissimis viris repugnet magis, aut veritati; nam cum symptomata sint triplicia, in actione læsa, qualitate mutata, excretisque, & retentis, nullum est, quod si cognationē nobiscum habeat, hoc est similitudinem, non sit minus verendum. Contemplare primum excreta, nam docebunt, quod proposuimus; siquidem aquosa vrina peior multo est in puetis, quam senibus 2. progn. deiectio cholerica multum formidanda in homine temperamenti frigidi, sene, otioso, nullis curis dedito: in iuuene calido, sicco, exercitato, pauco cibo, somnoque contento, tantum abest, vt metum incutiat, vt ferè sit naturalis, aut parum ab illa declinet. Extenuatio insuper multo peior est in iuuene, quàm in puero; nam horum substantia difflatur promptius, iuuenum difficilius resoluitur, & ob eamdem causam est hyeme magis, quam æstate, in homine pingui, quam sua natura extenuato timenda. Quid læsas actiones commemorem? Delirium, quod vsque adeò reformidat Galen. 2. aphor. 2. vt magis ab ipso, quam quouis alio morbo timendum censeat, in ijs qui sua natura sunt temerarij, nullius esse prodidit momenti. Irasci iracundum quis non laudat? & tamen damnat Hip. in homine composito ferox responsum. Intermittentem pulsum temporaneam mortem censet esse Galen. & certum ob hanc causam indicium mortis, si in iuuene tamen obseruatur: non occidit in pueris, & senibus: quodque mirere magis, eam ob causam, quia imbecillam habent facultatem vitalem: quæque à quauis causa, vel leui prosternitur facilè: Sic pro comperto habebat, eos affectus esse magis verendos, qui à potentiori causa originem ducunt.

Nam ægrotis morbus est similis.

Congruentis ergo morbi nomine, similem morbum exponimus, non contrarium. Quare vbi vnicus morbus duas naturas afficiat, cum quarum altera similitudinem habeat, cum altera vero sit dissimilis: afficiet iste morbus naturam simi-lem minus, contrariam magis: ac propterea in dissimili morbo periculum maius, si tamen sint omnia paria, hoc est, morbus, causa morbi, & symptomata, vires æquè robustæ. Ergo quod sicca conuulsio sit periculosior, quam humida, non officit veritati aphorismi, quia non comparamus morbum morbo, sed morbum cum duabus naturis, vt e. g. conuulsionem siccam cum sicca, humidaue natura: nemo autem docet periculosiorem esse conuulsionem siccam in sicca natura, quam in humida, cum maior sit hic à statu naturali recessus, minor ibi. Quamquā neque si morbi cum morbo collatio fieret; concludit propterea quidpiam adducta ratio; nam, vt dictum, debent esse cætera paria: nunc multo robustior est humida intemperie, intemperies sicca: atque hinc intelligitur, cur sunt grauedines plenæ periculi in senibus; nempè ob virium languorem ideoque non dixit Hipp. vt aduertit Galen. in comm. grauedines in senibus nullam coctionem admittere, sed in valdè senibus, ac si indigitare vellet discriminis causam, hinc prouenire, non ex vi morbi maiori. Quod pertinet ad locum Hippoc. dixit Galen. non quamcumque similitudinem minuere periculum, sed eam dumtaxat, quæ est similaris, & temperamenti rationæ: similitudinem officialem, siuè instrumentorum nequaquam: quamobrem cū ad tabem dispositi, qui potissimum hoc affectu correpti moriebantur, ad illam essent dispositi ob malam formationem, non est cur miremur, si ij potissimum fuerint periclitati.

Propterea contrariæ sententiæ fundamentum destruitur.

Cur periculosæ grauedines in senibus.

Imposuit quandoque mihi auctoritas Galeni; re tamen exactius perspecta sua sit ratio, & hos morbos, si similes sint, minus periculi inferre; quis enim non videt, si quis obstructionem patiatur, cui sint venæ angustæ natura, multo minus eo affici, cui fuerint eædem natura latæ, & ampliores? nec negabit aliquis, peius affici eum, qui cùm rectam natura obtinuisset figuram, gibbosus postea est factus, eo, qui sua natura, quoquo pacto, erat curuus. Ergo quod perierint ij, quorum natura maximè vergebat ad tabem, puto ego id factum, quia ij potissimum tabe corripiebantur. Quòd si & alij, quorum natura ad tabem non erat propensa, etiam fuissent correpti, haud dubito quin in illos acrius debacchata fuisset. Adde præterea, quod vt benè animaduertit Valles. io controuers. cap. vlt. textus ille falsò citatur, non enim scribit Hippoc. dispositos ad tabem potissimum perijsse, sed hos primum in tabem incurrisse: hoc autem nihil repugnare aphorismo manifestum. *Quibusdā*, inquit, *incæpit primum: hi sunt, quibus natura vergebat ad tabem*.

Nam est maior recessus.

Obijcies, habens latum thoracem non affi-

afficitur à catharro, tantumdem, quantū is, qui eumdem est fortitus angustum. Quare esto vterique in pthysim incurrāt, semper hi multo magis lœdentur. Quare semper grauius afficientur dispositi natura ad tabem, quam indispositi.

Respondeo negando antecedens: nam quicumque habent thoracem natura latum, suntque propterea inepti, vt in tabem incurrant, aut aliam affectionem dissimilem, vt æquali dicantur laborare catharro, & tantumdem affici, quantum ij, quibus thorax natura est angustus, necesse est maiorem multò copiam pituitæ excipiat, aut purulentæ substātiæ in tabe, alioquin non esset morbus equalis; sed in eo, qui est natura propensus, multo maior. Nunc verò facilius quatuor e. g. vncias pituitæ ad thoracem delapsæ expurgabit ille, cui est thorax adstrictus, quam libram ille, cui thorax est amplus.

Atque hinc patet ad vltimam difficultatem, in qua dicebatur, quo quis est promptior ad intemperiem aliquam cōtrahendam, eo difficilius refrigerabitur. Quare cum calidi facilè incalescant, difficilius refrigerabuntur; quam frigidi: est enim maior illa vera, si causa calfaciens calidum, æquè efficax esset, ac calfaciens frigidum; at res secus se habet; nam quæ calfacit calidum natura, debilis fuit: robusta, quæ hominem frigidum natura, in intemperiem calidam dificcit: vnde cum causa morbosa robullior robustiori indigeat remedio, & difficilius expugnetur, erunt semper dissimiles morbi difficiores expugnatu similibus.

Non me latet Gentilem, vt hanc, & similes difficultates effugeret autumasse, dissimiles morbos ratione signi peiores esse similibus, quippe qui indicant à causa valentiori, & magis robusta inductos esse, & foueri: peiores esse similes, vt causa, quia hi in subiectum dispositū acrius debacchantur. Sed primus modus dicendi probatur magis; nam quæ affert Gentilis, experientia abundè refelluntur; quippe quę docet, à simili morbo mitius tractati ægrotantes, à dissimili grauius, quod nequaquam fieret, si similes morbi, vt causa, semper essent peiores dissimilibus, aut dicat quæso cur scripsit Hipp. 2. aphor. 49. *consueti solitos labores ferre, & si sint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus atq; iunioribus, facilius ferunt*, & aph. 50. *quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint insuetis minus molestare solent*; si morbi habitui congrui acrius nos molestant? Displicet mihi pariter Valles. qui 10. controu. vlt. scribit propositionem illam, quo facilius alteratione aliqua afficitur corpus, eo difficilius afficietur contraria, veram esse de alterationibus, quæ proprio temperamento aduersantur, vbi per eas ad propriam temperiem reducitur corpus, tam facilè inquit trahitur calfactione, cum præter naturam frixerat, quam refrigeratione, cū incaluerat, quoniam ambo motus sunt naturales, quosque sua ipsius natura iuuat, si enim verum id est, non est cur similes faciliores dicat dissimilibus, sed vel vtrosque faciles dicat, est necessarium, aut eque vtrosque difficiles. Videor rem hanc absoluisse: siquis tamen desiderat plura, consulat Gentilem, Vgonem, Forliuium, Thadeum, & alios in expositione illius aphorismi.

Sintne morbi consueti minus graues, Cap. XX.

Pars quæ tenet minus periculi inferre expressè docetur ab Hipp. 2. aph. 49. ait enim, *consueti solitos labores ferre, et si sint imbecilles, aut senes, non consuetis fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt*; & aph. sequenti, *quæ ex longo*, inquit, *tempore consueta sint, et si deteriora sint, insuetis minus molestare solent*. Hipp. adhæsit Celsus lib. 1. cap. 3. Galen. & vniuersa schola medicorum: neque immerito, nam obseruamus in dies, mulierem primiparam, & multum angi gestatione vteri, & grauiter affligi inter pariendum: vbi eadem plures exclusit fętus, neque à gestatione, neque à partu multum molestatur. Nephritici pariter, vbi primum incipiunt lapillos excernere, sæuissimos dolores patiuntur: assuetos cognoui inter sternutandum excreuisse. Multi in aere patrio cum belle se haberent, commutati in aliam regionem sunt morbis correpti. Puella napello assueta, cicutæ vetula, Mitridates veneno nequaquam lœdebantur: vnde Martial.

Affirmant omnes.

Et confirmat experientia.

Profecit poto Mitridates sæpe veneno
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Prouerbio dicitur. Assuetis non fit passio hinc Ouid.

Quod male fers assuesce, feres bene: cuncta vetustas,

Lenit.

Neque tantum ferre calorem, vulnus contemnere docet consuetudo, sed & animi curas leniores reddit: vnde Senec. *Iam tempus illi fecit ærumnas leues*. Qui? vero fiat, vt consuetudo malorum, perpessionem faciliorem præstet, inquirendum, quando & si experientia fit certa, experientiæ tamen ratio, non est ita obuia cuique: cumq; nostra intersit, nedum effectum, sed & causam effectus nouisse, libet in huius inquisitione versari, & si multa sint scripta à Valles. lib. 8. controuers. 5. Christoph. A uega. a. de ar. meden. & alijs.

Quę experientię ratio indaganda.

Putauit Galen. vt patet legenti com. in aphor. 49. 2. sect. idcirco assuetos labores facilius ferri, quia euadimus consue-

Galen.

tu-

tudine robustiores ijs, qui nondum se exercuerunt: quod neque Hipp. consonum videtur, nec rationi; scribit enim ille, consuetos, & si imbecilles, & senes facilius ferre labores, quã fortes, & iuuenes, qui tamen nullo modo assueuere. Experientia pariter nos docet, si accipiantur duo, quorum alter in terra excolenda sit exercitatus, in remigando alter, deinde mutatis operibus, fossor remiget, qui remigabat, terram fodiat, neutrum opera hæc promptè exequi, quamquam habeant vtrique brachia æque robusta. Quod si dicas non esse æque fortes ambo, sed hunc valere multum remigando, fodiendo alterum, debebat explicare, quodnam peculiare robur affert consuetudo: quod cum factum à Galen. non sit, erit saltem eius sententia diminuta.

Argent. Idcirco dixere alij, vt Argent. 2. aph. 49. Mercur. & videtur Ar. 21. probl. 13. acquiri in membris frequentia, seu actuũ siue passionum, qualitatem habitum dictam; nam hic ex crebris actibus oritur, qui quoniam dat potentię promptitudinem quamdam ad operandum, idcirco assueti aiunt, & facilius agunt agenda, & ferunt minus incommodè patienda. At verò, si verum est illud (est autem verissimum) non esse partes habitus subiectũ, esse potentiam actum elicientem (hæc enim iuuatur ab habitu, quo fit, vt facilius edat operationes: cum actiones trãseuntes dictæ, nequaquam recipiantur in potentia, alioquin non essent transeuntes: falsò asserunt vim motiuam frequentibus actibus habitum comparare.

Præterea dat habitus promptitudinẽ, quamdam ad operandum, ad resistendum non conducit. Quare non assignatur ex hoc capite causa, cur assueti quibusdam passionibus, eas ferant facilius, etsi doceant, quare operentur ijdem minori cũ difficultate. Adhuc itaque remanet declarandum, quodnam frequentia actuum comparatur, quo fit, vt facilius peragamus agenda, & patienda minori cum molestia toleremus. Vt vero distinctè procedamus, examinabimus primum hoc in facultate animali motrice; nam in sentiẽte interna, cum ex frequentia actuum habitus comparetur, non est difficilè admodum docere, cur meditationibus assueti, meditentur facilius, mox idem in facultate naturali explicare tentabimus.

Cur assueti motibus moueantur facilius. Auct. sententia. Quantum ergo pertinet ad frequentiam motuum, comparant partes horum vsu qualitatem quamdam, à qua sic disponuntur, vt moueantur minori cum labore. Dico partes motas hanc comparare; nam cum possit bifariam contingere, vt motus aliquis promptius, & cum minori labore obeatur; aut quoniam facultas euadit robustior, aut quoniam instrumenta motus sunt magis accommodata. cum nihil comparari à facultate motrice frequentia actuum sit monstratum, est reliquum dicere, induci in partibus, quæ mouentur, aliquid, cuius beneficio fit, vt facilius illæ moueantur, & promptius. Quare & cum minori dispendio facultatis motricis.

Id vero esse suspicor interdum lenitatem, figuram alias, quandoq; duritiem, alias amplitudinem cauitatum, atq; viarum. Conijcio hoc primum ex instrumentis artificialibus, quorum alia pro figura varia sunt sectioni apta, & incisioni, sunt perforationi alia valdè accommodata. Conijcio idem secundo facta inductione in quibusdam operibus; nam videmus circularores quosdam, sic se inflectere, & in varias figuras conuerti mutari, vt credat vulgus esse eorum spinam disciſſam; cum tamen ob comparatam lenitatem in partibus, facilè hac illac flectantur: sunt alij, qui ob mollitiem manuum aquam haurire non valent, quã nullo labore hauriunt, vbi obcalluerint. Primiparę, & in gestatione, & in partu patiuntur multum: vbi multos excluserint, aut pariunt cum nullo dolore, aut quam minimo, vteri latitudine comparata: sic obnoxij nephriticis doloribus vix dici potest, quam sæuis cruciatibus affligantur, cum primum incipiunt laborare: cum viæ excretione frequenti ampliores sunt redditæ, lapillos citra dolorem excreuisse cognoui, & in me ipso quandoque sum expertus. Tot ergo cum sint, & vsque adeo varia, quæ comparantur à partibus frequentia motuũ, & laborum, malè statuit Suarez tomo 2. metaph. disput. 44. sect. 2. num. 3. quod comparant partes, vt facilius obediant facultati motrici, esse modos quosdam quantitatis, & ad quartam speciem qualitatis spectare, nempè ad figuram, asperitatem, & lenitatem, nam cum quandoque durities sit, siccitas; nàm hàc ob causam deliri validos motus obeunt: atque hæ ad quantitatis modos, aut figuras nõ pertineant, non erit semper modus quãtitatis, qui frequentia motuum comparatur. Confirmatur nam coeundi frequentia, effetati ad libidinem homines redduntur, eam, vt dicunt omnes ob causam, quia ad partes exercitatas maiorem sanguinis, & spirituum copiam solet natura transmittere: ab his autem irritantur ad Venerem. At veru hæc non spectant ad quantitatem, seù figurem. Quare non est semper figura, aut modus quãtitatis, à quo partes redduntur ad motum promptiores.

Quantum ad secundum, si quæratur, cur assuetus, ventriculus multa ingerere, minus à multa copia offendatur, quam alius, qui paucis contentus erat, duo sunt in causa: alterum est, quia à multa copia cibi distentus ventriculus, euadit am- Cur assuetus ventriculus multis minus lædatur à copia.

amplior,& capax multi alimenti. Contra paucis contentus angustus redditur: distendetur itaque cum dolore. Altera causa est, quia assueuit natura pro copia alimenti spiritus ad stomachum mittere.

Cur assueti calidis, vincat illa facilius.

Si quæratur secundo, cur assueti calidis vincant hæc alimenta facilius,& minus in eorum coctione laborent, dicunt multi id contingere, quia esu similium similis comparatur temperies in ventriculo, ac cibis: inter simbola autem cum sit facilis transitus: hinc fit, vt consueta alimenta, tanquam similia, coquantur facilius,& ab ijs minus patiamur.

Obiectio.

Sed dices, si hoc verum. cur subdit Hipp. oportet ad inconsueta transire? An dicemus non esse textum legendum, vt citatur, sed hunc in modum, oportet itaque ad consueta transire? nam in textu græco sic legitur, & hoc ex præmissis infertur; esset enim omninò ridiculum commendatis laboribus consuetis, illud postea concludere: oportet igitur ad insueta transire.

At vero Gal. græcæ linguæ peritus, & qui optima habuit exemplaria, legit insueta: nec male concludit Hipp. commendatis laboribus consuetis, vt ad inconsueta transeamus; ita enim fit, vt varijs, & contrarijs assuescentes, à nullo offendamur, *est enim*, vt ait Gal. in comment. *omnis vniformis consuetudo periculosa, cum omnes homines inopinatis rerum fortibus subijciantur. Ne igitur incidentes aliquando repente in nobis insueta, magnopere offendamur, satius esse inquit omnia tentare.* Debemus prætereaad insueta transire, quia à contrarijs causis calidis, frigidis, humidis, siccis, moderata temperies inducitur, ad nullum extremorum inclinans: hæc autem Galen. teste,& optimas edit functiones.& causæ cuicumq; morbosæ resistit valenter.

Morbi magni, paruique prognosticum. Cap. XXI.

VT supra professi sumus cum Galeno, quo morbi exitum prænoscamus, tria erant à medico contemplanda; morbi idea, magnitudo eiusdem, necnon mos, ergo iure quodam hoc facere aggredimur, quando primum absoluimus. Ne tamen æquiuocatio pariat difficultatem, repetere memoria oportet, quod alibi, ni fallor, adnotauimus, cum morbus bifariam possit dici magnus, simpliciter nempe, & est ille, qui sua natura magnus est, & maximopere lædit actiones, vocant medici magnum ex propria essentia: Est alius morbus magnus secundum quid & per accidens, seu per aliud, hoc est ratione alterius sibi additi, qui triplex, locus, vnde morbus magnus ratione partis malè affectæ, cachoetia, vnde affectus magnus, quia malignus,& debile subiectum, vnde morbus magnus collatione facta ad vires: aduertere inquam oportet, morbum magnum ratione propriæ essentiæ, nihil certi portendere, nisi illud, non esse huiusmodi affectum contemnendum, quando ex eorum genere est, qui magnopere vrget,& affligit: sitne tamen exitiosus, an salubris, nequaquam potest ex eius magnitudine colligi; nam à magnis multos videmus euadere, succumbere alios pro vario gradu magnitudinis & virium patientis.

Quotuplex morbus magnus.

Morbus magnus ratione propriæ essentiæ, quid portendat.

In morbo magno ratione cachoetiæ adhuc hæremus, nec certi quicquã eius more perspecto pronũciare poterimus; diffiniuit enim prauum morbum quãdoque Galenus, eum esse, qui vitæ discrimen minatur, quamquam spem salutis nullo adimat pacto: Ergo ex eius more id tantum habebimus, quod dubius sit, quod fallax: quo tamen terminaturus, incertum. Præterea esto morbi maligni exitium portenderent, quia tamen signa illa non sese produnt in lucem, vnde vulgatum illud circumfertur, pulsus bonus, vrina bona,& æger tendit ad mortem, fit propterea, vt in malignis morbis passim hæreamus dubij, & vbi audaciores plus æquo aliquid proferre tentamus, cæcutimus, & tamquam in tenebris erramus ambulantes.

quid magnus ratione cachoetiæ.

A morbo magno ratione partis male affectæ videtur magis timendum; nam ferè omnes occidunt, vt videre est in apoplexia, vulnere cordi inflicto, & alijs huiusmodi, sed vt quisque nouit, & hi habent quoque euentum varium: neque enim omnis apoplexia est læthalis, sed vt dixit Hippocr. *fortem soluere est impossibile, leuem verò non facile.*

quid magnus ratione loci.

Cum morbus magnus fuerit, facta ad vires patientis collatione, tunc mors formidanda, tunc certò est expectanda; fit enim mors victa vi morbi natura, salus contra; at verò, vbi morbus est magnus collatione facta ad vires, est maior viribus. Quare vincet naturam, prosternetque; ergo mors certa succedet. Ita Gal. 2. progn. 6. 3. eiusdem 6. 4. de præsag. ex puls. cap. 11.& passim alibi. Quod si tunc certò exitum morbi præuidere possumus, & discrimen è longinquo videre, cum sint indicia, quæ huiusmodi morbi magnitudinem indicant, indaganda sunt illa, vt ad propositum finem perueniamus. Sunt fontes signorum, vt lib. 7. diximus,& multis monstrauimus, duo tantùm, non plures, non pauciores, causa nempe,& effectus: sunt morbi effectus symptomata, quæ triplicia, actiones læsæ, excreta,& retenta, qualitatesque mutatæ. ergo actiones læsæ, excreta, & retenta, & qualitates mutatæ certò poterunt nobis hoc indicare. At quoniam hæc symptomata non semper vna simul

quid magnus ratione virium.

cum

cum morbo in lucem emergunt, sed frequentissimè morbo iam producto superueniunt, præstatque vt ait Gal. morbos nascentes dignoscere, consulemus quarto causas morborum productrices, vt valeamus statim exitiosum exitum morbi diuinare.

Abolita actio omnium peßima in vna, & eadem.

Quod spectat ad primum, sunt quędam certa in hac difficultate, possunt alia verti in controuersiam. Nulli dubium est, si fiat comparatio in vna, & eadem actione, esse abolitam peiorem multo imminuta, & deprauata: vnde peior abolita respiratio, quam deprauata, aut imminuta: peior amentia fatuitasuè delirio, aut imminuto discursu. Peior concoctio abolita quam deprauata: 6. aphor. 1. *in longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus superueniat, bonum*. Verumtamen si comparemus nobilem actionem cum alia non adeò necessaria vitæ, oppositum est verum: vnde peius est delirium sensu abolito vnius digiti exempli gratia: inappetentia paralysi brachij; quia motus, & sensus harum partium, non sunt adeò vitæ necessarij quemadmodum appetentia, & discurrere rectè. Vtra grauior sit deprauata operatio, an imminuta, vt respiratio imminuta, an deprauata, hoc est aucta, vel quæ aliter fit, ac conuenit (est enim actio deprauata duplex, aucta, nempè, vt immodica sitis, fames, expulsio, retentio, concoctio, vigilia, somnus; alia, quæ fit aliter ac fieri deberet) hoc non ita compertum: sed fortasse, & hic aliquid certū est, & apertum: nempè si comparamus actionem diminutam cum ea, quæ fit aliter, ac conuenit, est hæc multo magis priori formidanda; etenim multo peius est carbones, & alia praua obiecta appetere, quam parum assumere: minus incommodus animali est imminutus motus, quam deprauati, & abser facti: multoque optabilior est exiguus somnus, & citra incommodum aliquod susceptus, quam longus, interruptus tamen, pertur batus, cum pauoribus, & insomnijs. Itaque hæc actio deprauata, est peior imminuta.

Deprauata imminutâ peior.

Quid de adaucta? hæc quoque peior videtur, nam ab imminuta coctione, crudi succi gignuntur, ab adaucta vruntur: ab imminuta retentione ventriculi, imminuta fit coctio alimenti, vritur idem plus iusto detentum: ab adaucta expultrice inanitur corpus, & debilitatur, si eadem diminutè expellat, multa excrementa congerentur, corpusque grauabitur: est autem peior affectus ab inanitione, quam à repletione concitatus. Sed vel hæc vera sunt symptomatis dumtaxat natura perspecta, aut certè falsori nā in morbo à repletione, adaucta, excremētorum expulsio, minus timēda est, quàm imminuta: quemadmodum in morbo ab inanitione, præstat magis nihil expellere, quam multum. Idem expetendum in virium languore, ni vna cum morbo naturam vehilous corrumpere. Quamobrē cum medicus, vt optimè dicebat Arist. nequaquam curet hominem, sed Calliam, Socratem, timebit modo plus ab adaucta actione, modo ab imminuta formidabit magis, pro varia patientis, morbique natura; enimuero si quilibet affectus, tanto censetur grauior à medicis, quanto recedit magis à naturali statu, vitæ ratione, cōsuetudine, ætate, & anni tempore, erit actio imminuta, quandoque multo plus, quam adaucta formidanda: quippe fieri potest, vt illa plus recedat à naturali statu quam adaucta: & insuper potest fieri, vt adauctam quandoque morbus postulet, vt supra diximus.

Somnus immoderatus an peior vigiliis.

Ex his patet eius difficultatis decisio, qua quæri solet, vtra affectio peior, immoderata vigilia, an immodicus somnus: nempè in corporibus humidis, frigidisq; minus timendus est immodicus somnus, quam vigilia: contra in ijs, qui calida sūt temperie, & sicca, damnandus multo magis immoderatus est somnus, quam vigiliæ excessus: sic vbi morbus ab immodica fit humiditate, vigilare præstat: si à siccitate inferatur, aut inanitione, optandus est somnus. Idem conciliandus in doloribus, & vacuationibus immoderatis; nam dormientes nullum dolorem sentiunt, & somnus omnem vacuationē, sudore excepto compescit. Cæterum, quia tum actio abolita, cum malè obita, vel quia imminuta, aut quia deprauata, potest esse animalis vitalis, & naturalis, & vnaquæque adhuc multiplex: intelligant omnes, cum actio vitalis est læsa, esse magis timendum: minus negotij facessit viciata actio animalis, minimè omniū angit naturalis actio offensa. Patet hoc, nàm cor est fons vitæ, secundas à corde obtinet cerebrum, vltimæ partes hepati debentur: Propterea dicebat Galen. citissimas mortes fieri male affecto corde, longissimas, hepate patiente, medio modo se habere, quæ vitio cerebri contingunt. Quamobrem cum actio vitalis lęso corde lędatur, animalis fiat à cerebro, naturales à partibus naturalibus, inter quas hepar, & ventriculus eminent: apertè hinc deducitur, vitalis actionis læsionem magis esse timendam, animalem minus, omnium verò minime naturalem. Id verò dictum intellige de respiratione, nō de quauis animali actione; nàm quod motus brachij abolitus, non fit adeò malus, quemadmodum abolita eiusdem nutritio, cuiq; compertum, & clarum.

Obiectio.

At quæres, si vitiata actio animalis, vt auditus, visus, vel cuiuscumque alterius sensus exterioris, vsque adeò est contemnenda, vt timenda fit, multo magis læsio actionis naturalis eiusdem particulæ; nam magis est vitæ necessaria nutritio,

tritio, coctio, excrementorum expulsio, quam motus, aut sensus: cur scripsit Hippoc. exitiosum esse non videre, aut non audire? Locus est apertissimus in 4. aphor. 59. quem repetit postea 7. eiusd. 57. & in lib. de coacis prænotionibus *in febre non intermittente, si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, quicquid horum acciderit, mors proxima est*. Cur timet secundo lucis fugam, & lacrymas inuoluntarias reformidat: timet pariter sudatiunculas, cum hæc contentricis animalis languorem significet, non audire, aut videre sentientem virtutem imbecillam? Cur tertio vexat nos multo magis, & acriter vrit ventriculi dolor, quam diminuta eiusdem chylificatio: vnde multos statim ab hoc dolore vidimus pereptos, cum viuant per annos, laborantes ventriculi languore.

Solut. Respondeo non damnare Hipp. quãcumque sensationem abolitam, sed factã ægro iam debili, hoc est culpa cerebri nõ gignentis spiritum animalem, actio autem abolita culpa cerebri ita debilis, peior multo est actione naturali abolita culpa partis determinatæ. Dolor quoque ventriculi timetur magis, quam mala eiusdem coctio, non quia in vniuersum dolor quiuis sit vitiata coctione peior, sed quia à dolore ventriculi dissipantur spiritus, qui vniuerso corpori sunt necessarij: peior autem est totius affectio, quã vnius determinatæ particulæ.

Quod si adhuc insistas, quia ventriculo inepte chylificãte, adhuc corpus vniuersum compatitur, respondeo coaffici quidem, non tamen eo modo; nam vbi non est admodum graue peccatum ventriculi, potest defectus ille ab hepate emendari. Ergo dices, erit semper dolor timendus, multo magis, quando à dolore cuiuscumque particulæ semper corpus vniuersum afficitur.

Respondeo, esse hoc verum quoties corpus ita coafficitur, vt magna sequatur spirituum dissipatio, non tamen semper hoc esse necessarium, patet cuique. Quare non erit semper dolor timendus magis.

Methodus prædicendi mortem, & vitam ex excretis. Cap. XXII.

MOnstrauimus quo pacto possit medicus, actionum vitio perspecto magnitudinem morbi, collatione facta ad vires, cognoscere: nunc vrgẽtes propositum docebimus, quomodo excretis inspectis, possit medicus, futurum morbi exitum diuinare.

Conducet excretorum contemplatio ad rem hanc consequendam multifariã. Iuuabit primum inspicere eius, quod excernitur substantiam, qualitatem: iuuabit secundo quantitatem eiusdem animaduertere, tùm continuam, cum discretam: erit tertiò maximo adiumẽto, si tempus excretionis attẽdas, locumque, modumque. Rem ita se habere intelliget facilè quisque, qui vel parum fuerit exercitatus in Hippocrate; nam quantum pertinet ad substantiam eius, quod excernitur, mille in locis docuit, conferre multum, si ea expurgentur, quæ peccant, nocere tantumdem, si pro succo peccante, alius effundatur 1. aph. 2. vlt. 4. eiusd. 3. 6. epid. sect. 4. text. 12. & in lib. de veratri vsu, *si talia*, inquit, *purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus contra*. Hinc 2. progn. 60. *pinguedines supernatantes aranearum telis similes malæ, consumptionẽ enim significant*. Adde nedum malas esse, vt signa, sed tamquam causa; nam quoties excernitur pars aliqua vtilis nostri corporis, non potest illud fieri absque detrimento naturæ. Ob easdem causas scriptum ibidem est, *sedimenta in vrinis, crassiora ordei tosti non exacte moliti, partes referentia, praua sunt, hisq; peiora laminis similia: alba vero, & tenuia valde praua, atque his etiam deteriora furfurea*. & 7. aphor. 15. *ex sanguinis sputo, puris sputũ, malum, ex puris sputo tabes, & fluxus, vbi secundò sputum sistitur, moriuntur*. Mõstrat morbi exitum rei excret. natura.

Quantitas. Insuper, quod à quantitate eorum, quę excernuntur, tùm continua, cum discreta, non parum possit medicus iuuari ad introspiciendam magnitudinem morbi, & varium eius euentum, habetur apertè ex eodem Hipp. nam cum possit excretio, quæcumq; sit illa, seù per vomitum, seù per deiectionem, seù pituitæ, seù bilis, esse quadruplex, magna, & frequens; magna, & rara; pauca, & frequens; pauca, & rara: nulla est, quæ non multum lucis afferat ad illustrandas has tenebras; nam quæ affatim fit deiectio, & raro, ea omniũ optima, & propterea exoptanda; monstrat enim robur expultricis, alioquin non potuisset multum vna vice vacuare: nec potuisset eadem substinere ad mediocris copiæ congestionem, sed à causa quacumque irritata, & grauata, vacuasset frequenter, non raro & ex longis interuallis. Magna, & frequens, ea omnium pessima. Quare & præ cœteris magis formidanda, hinc 1. aphor. 3. *Non sunt cõpressiones ad extremum ducendæ*, & 2. aph. 51. *Plurimum vacuare, malum, nam omne nimis naturæ inimicum*, & 6. aph. 27. *qui pus in thorace colligunt, aut aqua inter cutem laborant, si vruntur, aut secantur, & pus, aut aqua confertim effluxerit, omninò intereunt*. Ratio est, quia exoluit hæc vacuatio facultatem, & animi defectiones inducit, quod euidenti argumento esse potest, nõ fieri illam facultate expultrice valenter expellente; nam robusta facultas haud

Quid vacuatio magna, & rara.

Magna, & frequens.

vacuat

vacuat immodicè, & ad animi vsq; exolutionem, sed contentrice tenere non valente. Vnde cum præ debilitate symptomati cedit, exoluitur, qua exsolura, redit vacuatio, atque hæc adaucta debilitatem adauget.

Pauca & crebra.

Euacuatio pauca, & crebro facta, magnam indicat irritationem, multum succum, aut prauum, & debilem facultatem expellendi: hoc, quia in exigua fit quantitate, illud quia erebrò. His noxis aliæ non minores succedunt; nam ex assidua irritatione labor, & peruigilium, à labore, & vigilia, facultarum iactura: ab hac deiectio, & à deiectione iterum peruigilium, & labot, vnde & languor.

Pauca, & rara.

Exigua, & raro facta deiectio, & si debilitatem facultatis pellentis nihilo minorem indicet, multo minorem arguit irritationem; nam si magna esset, cum debilis facultas ad multam humoris praui congestionem expectare non posset, frequenter expelleret: Est tamen & hec mala, & propterea damnanda, vnde Hippocrati vacuationes omnes exiguæ sunt suspectæ; nam text. 58. coac. prænot. *exigua*, inquit, *sanguinis stillicidia praua*, & ibidem, *Qui exiguo sudore madens cum febre, male se habent*, & in progn. *Sudores miliares quo ceruix, & clauicula tantum exudant, pessimi sunt*, & 2. prorect. 47. *Si vomitus exigui, biliosique fuerint, malum*: & in vniuersum in com. Galen. *Excerni pauca in agris est vnum ex signis, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue per vomitus tale quippiam quod superfluum sit excernatur. Idem & in sudoribus est, & in ijs, quæ per vterum excernuntur, nihil enim eorum, quæ decretoria existunt exigue conuenit fecernt. Quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt, nàm vel quod nequeãt tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit.*

Qualitas, & color.

Præter hæc, quòd conducat eodem contemplari qualitatem eorum, quæ excernuntur, tantum abest, vt aliquis in dubium verterit, vt affirment omnes, ex vario eorum, quæ excernuntur colore, odore, sapore, & primis qualitatibus, nõ contemnendum sumi argumentum, vt consequamur propositum; quocirca scriptum ab Hippocr. est 4 aphor. 21. *Deiectiones nigræ sanguini nigro similes sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ*, & 2. prog. *nubeculæ, quæ in vrinis inuehuntur, albæ quidem bonæ, nigræ vero malæ sunt*: & ibidem, *Si quod vomitione reijcitur, porrum colore referat, aut liuidum, aut nigrum fuerit, prauum est existimandum. Quod si omnes colores vomitu reijciantur, id exitiale est admodum*: & paulò infra loquens de sputo, *flauum*, inquit, *si sincerum fuerit, periculum subesse testatur: Album autem, viscidum, et rotundum inutile: malum quoque valde viride, aut pallidum, itemque spumans: at si adeò sincerum fuerit, vt etiam nigrum appareat, id illis deterius est.* Ibidem quoque docuit prauum eorum, quæ excernuntur odorem, prauæ affectionis indicium esse. *Liuidus*, inquit, *vomitus si grauiter oleat, celerrimam mortem denunciat, omnesque subputres, et graues odores in omnibus vomitionibus, mali.* Nec tantum vomitiones, male olentes, sunt illi suspectæ, sed & vrinæ, & deiectiones, vt patet percurrenti citata loca 2. progn. Cœterùm quantum ad primas qualitates pertinet, dixit 4. aphor. 37. *Sudores frigidi in acuta febre mortem, in mitiori autem, longitudinem morbi significant*: & aphor. 42. *sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens: frigidus magis, calidus minus significant morbum*: & 1. progn. *aer frigidus ex naribus, et ore expiratus exitialis admodum iam est.* Non minus intererit tempus excretionis attendere; nam quantum vtiles sunt, quæ coctione fiunt celebrata, tantumdem prauæ sunt, & suspectæ, quæ per morborum initia accidunt, 4. aphor. 22. *morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra, vel infra exierit, lethale*: & aphor. 62. *quibus in febribus icteritia ante septimum mala*, & in vniuersum 2. epid. sect. 1. tex. 9. secundum sectionem Vallesij, *decretoria*, inquit, *non statim appareant*, hoc est non ante coctionem; nam vt *coctiones celeritatem iudicij portendunt, securitatemque salubrem, sic cruda, et incocta, aut in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut labores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorumdem recidiuas*, 1. epid. 2. tex. 45. cui conforme est, quod 2. epid. habet, vbi dans rationem, cur decretoria statim apparere non debeant, eam subdit, *quia decernere non possunt; decretoria autem non decernentia, aut lethalia, aut difficilis iudicij; Lethalia si alia adsint signa exitiosa, aut vires sint debiles: difficiles iudicij, si cætera, vt in conualituris appareant.*

Odor.

Qualitas prima.

Tempus.

Locus.

Esse & locum considerandum etiam, vt intelligas quid boni, quid mali prænunciet vacuatio, satis aperte docuit Galen. qui ad crisis perfectionem, & illud quoque desiderat, vt patet ex com. 20. aphor. 1. sect. vt s. fiat per regionem congruam vacuatio. Neque Hippocrates monuisset, vt per eam regionem ducamus humorem, ad quam vergit natura, si tamen sit conueniens, ni magna esset momenti, per congruum locum vacuare, summi detrimenti per loca incongrua humorem educere. Propterea 4. aphor. 25. scripsit, *sanguinem supra ferri qualiscumque sit, malum: infra autem, bonum, cum niger deijcitur.*

Et modus.

Demum quod & modus excernendi non parum faciat ad cognoscendam exactè naturam morbi, constat primum ex Hippocr. qui 2. progn. scripsit, optimũ

esse flatum sine sonitu, & crepitu exire: præstare tamen vel cum strepitu foras prodire, quàm intus reuolui. & Auicen. 1. par. cantic. *si etiam egrediatur ventositas cum sono inuerecundo præter solitum, erit malum*. Constat secundo ratione, nam cum vacuatio quæuis possit fieri absque symptomate aliquo, & cum dolore, grauibusque accidentibus, nullus est, qui non videat, primum monstrare validum expultricis robur, & humoris expellendi obedientiam, contrarium aliam, quæ fit cum summo virium dispendio. Tot ergo, tantaq; cum debeat intueri medicus in vacuatione quauis, summam adhibeat in re hac diligentiam necesse est, ita enim facilè nouerit, vincatne natura, an vincetur, quod est suum propositum.

Monstrant quoq; retenta, & propterea consideranda.

Nec despiciat quæ præter naturam detinentur, longè enim grauiorem affectum hæc concitant, quàm si eadem largius effundantur, excipio] seminis vacuationem. Maiorem ergo esse vitibus morbū longe euidentius declarabunt, quam vacuationes immoderatæ. Attentius itaq: contemplandæ. Ergo cum vacuari debeant excrementa quæcumque, seu quantitate sint talia, vt lac, semen, menstruum, seù qualitate, vt fœces, vrina, sudor, sputum, bilis, melācholia, puerperia, & si quę alia est familiaris vacuatio, poterit medicus à cuiuscumque ipsorum retentione argumentum ad morbum dignoscēdum desumere. Cumque vrina, fœces, puerperia maiorem habeant vim nocendi, quā alia, maiorem hæc retenta morbum arguent, minorem illa. Quare hæc potissimum consideranda, nō contemptis alijs; nam hæc sternent facilè viam ad consequendum propositum. Cæterum, quia non parum etiam adiumenti afferet, si qualitates mutatas dictas consideret, aggrediamur istud enarrare.

Quomodo ex symptomate in qualitate mutata futurus morbi exitus nosci possit à medico. Cap. XXIII.

TErtium symptoma, quod declarare potest medico, sintne vires morbi maiores, an naturæ, illud est, quod communiter medici appellant in qualitate mutata. Propterea ne quid omittatur, quod medicum potest adiuuare, vt propositi voti fiat compos, postquam id declaratum in alijs accidentibus est, conabimur nunc docere, quomodo, qualitatibus mutatis inspectis, possit medicus futurum morbi exitum prænosse: Et quoniam, vt supra innuimus, est hoc symptoma multiplex, in qualitate nempè mutata visiua, auditiua, tactiua, olfactiua, & gustatiua; ne quid effugiat, perlustrabimus illa omnia. Aegroti itaque facies erit in primis tibi consideranda,

Considerāda ægri facies.

sitne bene valentium, præcipueque sui ipsius similis, ita enim optima existimanda, quæ verò ab eo plurimum recedit, grauissimum periculum portendit, qualis fuerit nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ, et contractæ, cutis circa frontem dura, intenta, et resiccata, et totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger, aut liuidus, aut plumbeus; nam si per morborum initia, nulla causa externa prægressa, huiusmodi facies apparuerit, læthaliter homo laborabit. Considera secundò symptomata in qualitate auditiua, proinde vide an dentium patiatur stridorem, an sternutet, an edat profunda suspiria, gemat, singultiat; nam quoduis horum patiatur, affectus, viriumque conditionem declarabit; *stridor enim dentium in febribus, si tamen à pueritia consuetus non fuerit, insaniā, et mortem significat. Quod si deliranti id accidat, erit symptoma admodum exitiale*, 1. progn. Mala quoque suspiria, vnde aphor. 54. lib. 6. *In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria mala*: singultus quoque (per ipsum enim conuellitur venticulus) prauus est: præsertim si à vomitu fiat, & cum rubore oculorum iuxtà aphor. 3. 7. lib. vbi habet Hippocr. *à vomitu singultus, et oculi rubri, malum*.

Symptomata inaudita.

Quod verò & illud quoque prauum sit, si vel æger, vel medicus prauum aliquem sentiat odorem ex ægrotantis corpore exhalantem, nulli dubium; nàm semper fœtor, aut summam putredinem arguit, aut cruditatem ingentem.

Qualitate odora.

Sed quam maximè proderit symptomata quę in qualitate tactiua animaduertere, vt calorem summum, frigus, seù totius, seù partis, & crebram ad vtramque immoderantiam mutationem. Cumque eiusdem generis sint mollities, & durities, erit quoque mollities partium, & durities, suè tensio, præsertim verò hypocondriorum diligenter consideranda: ex multa enim caliditate febris magnitudinem noueris: ex diminuto calore, & sēsu frigiditatis, extinctionem natiui, resolutionem, suffocationem, & ad internas partes reuocationem, vt in internis inflammationibus accidit, quippequè instar cucurbitulæ, & spiritus omnes, & sanguinem ad sese alliciunt: ex crebra illa ad calorem, & frigus mutatione, varias, easque contrarias corporis affectiones, quæ cum breui vinci non possint, si in morbo leui appareat, illius diuturnitatem portendit, mortem verò, si in acutis fiat, quippequi tot dispositionibus, ijsque contrarijs superandis nequaquam suppetit tempus. Hypocondriorum tēsio durities, ferè semper in morbis acutis, inflammati visceris suspicionem inducit, his autem inflammatis, febres omnes

In qualitate tangibili.

nes

nes prauæ, & malignæ iuxtà illud Hippoc. 4. aphor. *Ex bubone febres omnes malæ, præter diarias*, & 21. 2. proreth. *febres ex hypodriorum doloribus malignæ*, licet non de quouis hypocondrio, & quauis febre id verum esse doceat in illo comm. Galen. Propter hanc causam scriptum ab Hip. est 2. proreth. 14. vt primo loco dicta, Hippocr authoritate stabiliam, *faciei color, bonus, & multa mæstitia, malum, quia fieri nequit*, auctore Galen. in comm. *vt ægri ita bene colorentur, vt qui optime valent, pro ea quidem, quæ in illis est affectione, sed ob caliditatem multam intense rubros ipsos factos, & bene coloratis similes videri relinquitur: prauum autem signum est, vel vna parte multum calere, præsertim facie ob viciniam cerebri*, nam vt 4. aphor. 49. *qua parte corporis, aut calor, aut frigus, ibi morbus*. Hinc 2. proreſt. 33. flammantem faciem damnauit, quamquam Galen. censeat in côm. idcirco prauum signum esse huiusmodi faciem, quia indicat sudorem futurum, cum tamen nullam afferat iudicationem, quod deterrimum, nam decretoria non decernentia, aut læthalia, aut difficilis iudicij. Ob eamdem causam scripsit 7. aph. 1. *in morbis acutis frigus partium extremarum malum*; & 4. aphor. 48. *in febribus dicebat non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores vrâtur. & sitim habeant, læthale*; & 2. progn. 4. *Si caput, manus, ac pedes frigeant, ventre costisque calentibus, malum est*; contra est optimum, si totum corpus æqualiter calidum sit, & molle: æque inquam sit calidum, atque molle, non in quibusdam: quamquam æque sit calidum, vt in ardentibus febribus, non tamen æquè est molle. Demum, quia huiusmodi intemperiem arguunt hypocôdria tensa, & dura, idcircò scripsit idem Hippocr. 3. progn. 27. *optimum autem est, si hypocondria sine vllo sensu doloris in vtraque parte æquabiliter mollia sint: inflammata vero dolentia, et intenta, aut dextrum à sinistro varium, et inequale, hæc omnia vereri oportet*, & tex. 29 *ædema in hypocondrio durum, et dolorem afferens, si totum hypocondrium obsideat, peximum est: si autem alterã tantum partem, minus periculi habet quod sinistram*. Cœterum de genere hoc adeo sunt multa, loquacem delaxare valent Fabium: Propterea, ne pariam lectori fastidium, hæc attulisse sufficiat, præsertim cum plura cupienti, occurrant passim loca mille in Hippoer. qui tanta de parte prognostica scripsit, nostrumque institutum haud sit singula hęc cognoscere; sed methodum tantum præuidendorum euentuum docere. illud addam posse sumi argumentum à qualitare mutata gustatiua ad dignoscendos exitus morborum 2. aphor. 33. *In quouis morbo mente constare, et bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum: contrarium verò malum*.

Quæ methodo licet ex causis euentus morborum præuidere. Cap. XXIV.

MOnstrauimus abundè, quomodo ex effectibus morbi, seù symptomatis, possit medicus ipsius euentum, è lôginquo videre: restat modo, vt declaremus, qua ratione possit idem consequi, inspectis causis, quę ad morbi, exortum conueniunt. Ergo cum morbi causæ sint duplices, vt diximus lib 2. huius operis cap 3. materiales aliæ, aliæ vero effectrices: illæ multæ, temperies nimirum, ætas, sexus, habitus corporis, consuetudo, & ratio vitæ: effectrices duplices, internæ, externæ: sunt illæ humores, hæ vero sex res, non naturales à medicis vocatæ, dicendum superest, quomodo ab ætate, temperie, sexu, consuetudine, habitu corporis, vitæ ratione, aere, aerisque mutatione, cibo, & potu, somno, & vigilia, motu, & quiete, excretis retentis, animique accidentibus varijs, possit medicus discere, morbus ne sit victurus, an natura.

Quomodo ex materialibus.

Quantum est ratione subiecti patientis, scire breuiter oportet, eos in vniuersum, quocumque morbo corripiantur, acrius ab ipso vexari, & læthaliter affici, quorum vires magis sunt eneruatæ, & confractæ; nam vt facultas robusta omnia vincit, superatque, sic debilis à quauis leui causa prosternitur. Ergo, cùm inter ætates, senectus sit maximè omniũ imbecillis, post hanc pueritia, inter sexus muliebris, inter habitus corporis, crassus naturaliter 2. aphor. 44. necnon rarus: inter temperamenta, humidum, nam humiditas inter omnes qualitates est aptissima pati: quod pertinet ad vitę rationem, intemperantes, gulę ventrique dediti 2. aphor. 39. tenuiter nutriti, 1. aphor. 4. aut alimentis praui succi, attriti laboribus, grauibus pathematis animi conflictati: erunt morbi potissimum formidandi in senibus, pueris, mulieribus, natura crassis, habitu raro corporis præditis, laxis, & vt vnico verbo cœtera comprehendam, malè nutritis.

Eadem ratio cum habeat locum in partibus nostri corporis: laxæ, raræ, debiles, malè nutritę, & quibus ægre remedia adhiberi possunt, ægrotabunt vt plurimum perniciosè. Idcirco praua hæc vlcera, quæ in fauces nostro tempore grassari cœperunt, aut nullam curationẽ recipiunt, aut difficulter aliquam admittunt, quia nulla remedia faucibus adhiberi possunt, neque vbi admoueas, diù ibi consistunt. Adde partium laxitatem, mollitiem, & suscipiendis cerebri recrementis obnoxiam. Ob eamdem causam

non

non possunt extirpari illæ febres, quæ à schyrrosa inflammatione, seu lienis, seu hepatis originem ducunt: non vacuari humores, qui penetralia corporis occuparunt.

Obiectio. At obijcies, quo quis imbecillior est, eo facilius à quauis vel leui causa prosternitur: minus itaque periclitabuntur debiles correpti morbis, quam robusti, & validi. Confirmatur, nam tractās Gal. vtrinam laborent perniciosius, cum pulsum intermittentem habuerint, pueri ne, & senes, an robusti iuuenes respondet, esse huiusmodi symptoma multo magis timendum in iuuenibus, cōtemnendum, si senes inuadat, aut pueros: quodque miretis magis, eam affert propositæ decisionis causam 2. de præsagit ex pulsib. 4. quia pueri, & senes sunt imbecilliores iuuenibus. Audi ipsum nostra lingua loquentem, *vnius pulsus, aut paulo amplius sæpe numero conspeximus intermittente motu arteriarum confirmatum hominem esse, præsertim cum ætatem senilem ageret, quamquā hoc videri absurdum posset; etenim si vel sua sponte imbecillus senex est, laborantque eius ante valetudinis infirmitatem facultates, quem expectemus euentum, si ad ætatis imbecillitatem altera accesseris ex morbo? nempe hac de re non est periculosum, sed eo potius leue, quod imbecillæ facultates à paruis sæpe occasionibus fiat, vt offendātur; at firmæ tantum deijciuntur à maximis.*

Sol. Respondeo, propositionem nostram semper veram esse, posita paritate causæ morbosæ. Nempè vbi vna, & eadem causa agit in subiectum debile, & robustum, semper illa validiorem morbum inuehet subiecto imbecillo, quam robusto, siquidē receptissimum est, quo minor fuerit resistentia passi, eo citius agens operati, & validius. Quare quod minus timeat Galen. intermittentem pulsum in sene, & pueris imbecillibus, quam in robusto iuuene, haud quidem minus timet, quia senum, puerorumque vires languidiores, sed quia intermittentia in pueris, atque senibus, fit vitio flatuum, quos pueri cōgerunt ob voracitatem, senes vero ob defectum natiui caloris: in iuuenibus contra fit vitio dissolutę facultatis. Est autem grauior multo affectus, qui resoluta fit facultate, quam qui à flatuosa substantia concitatur. Posita itaque paritate causæ, est quod semper magis timeamus imbecillibus, quam robustis, & fortibus.

Quænam cau sæ graues. Quod si quæras, quænam sint graues causę, vt valeamus distinguere, harum ne violentia, an propter imbecillitatem subiecti, factus fuerit morbus, mox illas enarrare aggrediar, præsertim cum id initio capitis promiserimus. Sciendum itaque inter causas valentes magnos morbos inferre, primas aeri deberi, vt lib. 2. huius operis diximus, non cuicumque, sed mutato, ac propriam naturam non seruanti, conseruat enim nos, cum naturaliter se habet, non corrumpit) cumque possit idem mutationem pati substantialem, & accidentalem, & hanc multiplicem, occultam, manifestam, calidam, humidam, siccam, frigidam, compositasque, sciendum quamcumque si excessus sit magnus, graues inferendi affectus vim habere. Vnde quia venti ob impetum, magnā in permutando facultatem obtinent, idcircò constitutiones ventosę potissimum in hac re valent. Propterea à putri, & venenato aere, qualis est per æstatem palustris, pestilentes morbi. Idcircò ab eodem à venenatis, & putridis inquinato halitibus, pestes: Cumque summus calor eiusdem, aut immodica humiditas disponat apprimè humores ad putredinem, erit & aer ad hanc intemperiem declinans, idoneus ad graues quosque affectus inuehendos; nam quamquam omnis immodica intemperies actiones destruat, vt tamen doctè Hippocr. scripsit partic. 3. aph. in vniuersum, *siccitates salubriores sunt imbribus*: quantumque constitutio calida succos ad putrefactionem disponit, tantumdem præseruat, & vindicat frigiditas. Insuper cum nihil æquè sit nostrę naturæ inimicum ac repentina mutatio, vt declarat Autumnus, qui hanc ob causam præcipuè morbos facit exitiosos, aut difficilis iudicij, vt 3. aphor. 9. Galen. inconstans anni tempus præsertim erit noxium: cumque agens omne ad agendum mora indigeat, tunc temporis potissimum graues morbos oportet expectare cùm diù graues illæ temporum cōstitutiones perdurāt, vnde ab Hip. scriptum aphor. 1. 3. partic. *mutationes temporū maximè, morbos pariunt*.

Nedum ab aere, sed & à cibo potuque, grauissimas induci affectiones, si vel in eorum quantitate multum peccetur, aut eorumdē electione aberretur, quod faciant ij, qui gulę mancipati, nullum habent eorum delectum, declarant multę historiæ recensitæ ab Hippocr. in epid. Galen qui in seipso non semel hoc fuit expertus, vt cap. 1. lib. de bonit. & vit. succ. scribit. Arist quoque 1. sect. probl. 13. habet aquarum mutationem esse morbidam, tot demum hominum grauissimorum auctoritas, idem confirmat, vt factū sit inde prouerbium, plures occidit gula, quam gladius. Et quis vsque adeo rudis est, qui ignoret, idcirco à summa rerum omnium inopia pestes, quia praua assumere edulia coacti, perniciosos congerunt succos à quibus morbi lethales? neuè quis secus opinetur aduertens non statim sui pœnam ab errore commisso, aduertit Galen. cap. 13. lib. cit. de cibis boni, & mali succi, non esse propterea ciborum delectum contemnendum, nam & si in iuuenta nihil, quod sensu percipi queat incommodi videatur afferre, paulatim

latim tamen increscente noxa, & inclinata tẽporis progressu ætate, perniciosi morbi in lucem prodeunt, vt propterea censeam non minus vere, quam eleganter à Fernelio scriptũ esse, *sæpe morbus emergit repente, cuius causa sensim radices egerat*.

Eamdem facultatem non esse negandã cæteris rebus non naturalibus, manifestè constat ex ijs, quæ lib. 2. à nobis sunt dicta, enimuerò si est illud compertum, posse ab incongruo earum rerum vsu induci morbos, non poterit quispiam negare, quin ab ijsdem causis graues fiãt, si grauiter in vsu earumdem fuerit peccatum: Præsertim verò hoc faciet immoderata venus, grauiaque pathemata animi; ab vtraque enim causa fit maxima spirituum viralium dissolutio. Quare naturalis caloris iactura, ergo & certa pernicies.

Docebunt demum grauitatem affectus aliæ causæ internę morborum; enimuerò cum possint illi à varijs succis excitari, morbis, symptomatis, vt febres, quæ ex visceruum inflammatione, doloribus, vigilijs: nemo est, qui non videat, quod veluti facilè abijciuntur, qui à pallida bili, sanguine, & pituita non admodum crassa: sic ferè semper sunt perniciosi, qui ab atra bile, bile æruginosa, vitellina, pituita salsa, quique ab alijs morbis, aut symptomatis grauibus suam ducunt originem: nempè recidiua timetur magis, quã propria radix ob subiecti imbecillitatẽ: cur non omnes affectiones, quæ viribus ab alio affectu confractis superueniunt? Monstrarem id pluribus, sed quia res clara, & methodum construere est animus, hæc innuisse sufficiat.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Vndecimus.

DE PRAEVIDENDIS EVENTVVM modis, seù de Crisibus.



Consilij ratio, & vtilitas, ordo. Cap. I.



RIA sunt, quæ doctus tenetur præcognoscere medicus, morbi euentum, euentus modum, & tempus eiusdem. Quare vbi actum de primo, nostræ erunt partes modo, de præuidendis euentuum modis pertractare; nam vt explorata huius rei cognitio, magnam afferre gloriam potest medico (magnum enim est, ne dicam diuinum futurum sudorem, fluorem sanguinis, alui fluxionẽ multò antea tempore præuidere) ita huius ignoratio perniciosa est ægro; nam si quo die criticat natura, mouear medicus, aut illam distrahet, aut eamdem præcipitem dabit; benè enim Auicen. *ventrem soluere super ventris solutionem timorosum*. Aggrediemur ergo disputationem de crisibus. Ne tamen confusa illa euadat, dicemus primo, quid crisis, quot eius differentiæ, tandem de notis cuiusque.

Quid crisis. Cap. II.

CRisis, si nomen spectes, iudicium est, quod de alicuius capite profertur: itaque vbi in foro controuertitur, num quis sit absoluendus, an morte plectendus, controuersiam illam, crisim vocarunt antiqui: vnde quia idem in foro medicinæ contingit, hinc nomen crisis à foro ad medicorum gymnasia ab idiota quodam translatum fuit, vt scribit Gal. 1. de cris. 2. 3. prog. 1. de dieb. decr. 2. nam vt in foro, est actor, reus, Iudex, testes: ita vbi iudicatur de vita ægrotantis, est actor, nempè æger, reus, nimirum morbus: est iudex, scilicet ipse medicus: sunt demum symptomata loco testium: & veluti, vbi de alicuius capite sententia fertur, pendet animi reus, sic imminente crisi,

Crisis cur sit dicta.

Prima opin.

Stunda. Tessia vera.

crisi, timet languens, timent adstantes, & plerumque optimi medici perterrentur. Alij quia iudicis nomen non satis conuenire videbatur medico; nam hic semper ferre opem tenetur naturæ, iudex contra fauere nulli, deductum id volunt à separo, & disiungo, ac si crisis idẽ sit, quod separatio: nam vt litigantes lata sententia cessant altercari: sic facta crisi, morbus, & natura non amplius pugnant. Ita Auic. 2.4. cap. 2. Thadeus, Nicol. & alij; Qui neque collimarunt, nam non nisi de crisibus completis hoc verũ. Quare melius censent ij, qui crisim dictã putant à verbo creo, hoc est pugno, quia in crisi maximè natura, & morbus concertant: & veluti duobus dimicantibus alter vincit, superatur alter: haud secus in crisi, aut causa morbi extruditur, aut natura à morbo victa succumbit.

Quid eadem. Quidem turbationem putarunt esse.

Quid sit hæc pugna, controuertere medici. Quidam motionem, seu turbationem esse volunt, Gal. fortasse auctoritate moti, qui primo de dieb. decret. c. 1. *nos*, inquit, *turbationem in morbo adeo subitam, iudicium, seu crisim appellamus* & 1. de cris. cap. 20. *sed*, inquit, *clarum est, quod huiusmodi solutionem, neq; crisim nomine, si qua vero vniuersa fiat permutatio, et multò magis adhuc eam agitationem, quæ ipsam præcedit, crisim appellare consueui*, Sed eodem Galen. auctore, reijciendum; nam 2. de humoribus 21. *iudicatio*, inquit, *cum certamine nobilique perturbatione plerumq; fit*: non ergo semper. Quare nec de crisis essentia. Docens præterea 2. aph. 13. cur nox præcedens crisim fit molesta dicit, *quia in ea fit perturbatio insignis, natura bonum à malo secernente*. Præcedit ergo perturbatio crisim, & clarius 3. de cris. 2. loquens de criticis vacuationibus, *antecedit*, inquit, *huiusmodi excretiones, et abscessus, non mediocris perturbatio in corpore agrotantis*.

Localem motum alij.

Hinc alij, crisim esse dixerunt, localem motum humorum: localem dicunt, quia in crisi tria necessariò contingunt. Agitatur primo à natura humor, secernitur secundo ab innoxio noxius, expellitur tertio. Quare in aliquo horum, crisis natura consistit; at non est crisis agitatio, vt dictum: nec secretio, nam hoc ad coctionem spectat. Erit itaque humorum expulsio, qui si sint praui, optima erit crisis, si vtiles pexima; *nam si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, et leuiter ferunt*. Est hæc opinio Valles. Fracast. & aliorum multorum. Non est tamen doctrinæ Galen. consona; nam primo de iudic. cap. 14. ponit excretiones dictas causas esse crisis. Quid ergo illa erit? videtur velle Galen. 2. aphor. 13. subitam morbi, vel ad sanitatem, vel ad mortem mutationem: idem Auic. vnde 2.4. cap. 2. diffiniensis crisim, *est*, inquit, *alteratio, quæ*

Alij subitam morbi ad sanitatem, aut mortem mutationem.

fit subito ad latus sanitatis, aut ad latus mortis. Quæ nec omninò satisfacit. Primum, quia non complectitur eam crisim, quæ vel ad peius fit, vel ad melius: secundo, quia non declarat, qua ratione morbus ad sanitatem possit moueri, vel ad mortem; nec tertio docet, à quonam fiat illa humoris extrusio.

Proinde ita crisim diffinio, est subita languentis ad bonum, vel malum mutatio, facta à natura humores extrudente, vt pelleret, quod sibi erat infestum. Dixi esse motum ad bonum, aut malum, vt crisim quamcumque complecteretur diffinitio: addidi subitam, nam quæ paulatim fiunt mutationes, solutiones morbi sunt reueta, crises nequaquã 4. c. de cris. primo. Apposuimus illud, à natura humores extrudente; nam si vacuetur humor auxilijs medicis, non erit modo aliquo dicta vacuatio crisis. Apposuimus, & causam finalem, quæ est, vt vindicetur à molestia. Diximus languentis, quia 1. de crisib. cap. 1. & 2. aphor. 13. & comm. 23. crisim esse Galen. autumauit, subitam mutationem in morbis.

Nos subitam languentis ad bonum, aut malum mutationem à natura, humores extrudente factam, vt pelleret, quod erat molestũ.

Ita censent hodie communiter medici omnes, vt Fuchsius lib. 4. Instit. cap. 2. Valleriola lib. 3. loc. commun. cap. 6. & alij multi, vnde Mercat. lib. 3. par. 2. quęst. 194. quantumuis ait nomen crisis tria significare videatur, tamen cum hoc ex communi sapientium decreto propriè, & legitimè solum designat subitam ad salutem mutationem; nam perturbatio præludium est, & futuræ mutationis indicium, ideoq; signa huiusmodi perturbationis potius signa critica, quam signa crisis dici merentur, sicut euacuatio, quę non crisis, sed quid necessarium, & requisitum ad veram crisim, seu mutationẽ ad salutem habenda est. Confirmatur, quia ex varietate huius mutationis, varias crisis species dari infert Gal. vnde quia mutatio hæc quadrifariam contingere potest, ad salutem, mortem, peius, melius, hinc duas colligit dari species crisis, completam nempè alteram, alterã verò incompletam, & vnam quamque duplicem, ac primam, quidem ad salutẽ, & mortem, secundam verò ad melius, & peius: Quod nequaquam inferret, ni pro comperto haberet, esse crisim formaliter subitam mutationem languentis ad bonum, aut malum, peius, melius.

Ex hoc infero, partum verè crisim nõ esse; non enim morbosa est mulier, quæ parit, sed sana: non fit partus in morbis, nec natura pugnante aduersus causam morbificam. Potest impropriè crisis dici sumendo nomen crisis, prout complectitur quemcumque motum vehementem naturæ ad rei cuiuslibet noxiæ expulsionem, in quem sensum accepit nomen crisis Hippoc. quando dixit, *mulieribus*

Corollarium.

ribus autem, & fœtus conceptiones, & abortiones, et partus eodem tempore indicantur, quo et morbi, et sanitas, et mors cunctis hominibus, licet aliqua istorum diebus, alia mensibus, alia dierum quadrigenarijs fiant, sicut alia spacio annorum.

Corollaria 2. Infero secundo, veram crisim in ijs tantùm morbis fieri, qui pendent à causa materiali, & propriè ab humoribus; neque omnibus, sed acutis tantùm, & magnis; hi enim cùm fiant ab humoribus calidis, & mordacibus, excitant naturam ad pugnam: longi, quia ab humoribus pendent frigidis, non irritant naturam. Quare aut nulla crisis in morbis diuturnis, aut valdè rara, vt infra latius. Veram dixi crisim, nam siquis eius nomine abusus, quamcumque morbi solutionē, crisim appellare velit, quemadmodum quandoque crisis nomen accepit Galen. 2. de iudic. 1. sic crisis nomine accepto, in quouis morbo crisim expectare licebit. Sed plura de re ista, quam putatam, progredior propterea ad differentias.

Crisis differentiæ. Cap. III.

Quatuor esse species crisis Hipp. voluit. QVatuor esse species crisis, voluit Hippoc. 1. epid. comm. 3. text. 16. vnam ad salutam simpliciter, ad mortem alteram, tertiam ad peius, quartam ad melius. Totidem, agnouit ibidem Galen. at primo de dieb. decret. recenset alias, & quasdam dicit esse bonas, quasdam malas, alias tutas, alias cū difficillimis symptomatis: perfectas, deficientes, ex quo licet intelligere, vbi differentiæ nulla proposita methodo proponuntur, semper dubitari posse, an sint aliquæ omissæ, an aliæ superfluo numerenrur. Quare ne in eundem lapidem impingamus, erit res ista methodo diffinienda. Crisis est motus: quot ergo habet differentias motus, tot crisis habebit: habet motus nonnullas differentias, à mobili, à termino, nonnullas à tempore alias à spatio. Quare, & crisis easdem habebit: proindè dicamus crisis, vel terminatur ad bonum vel ad malum vel ad melius, vel ad peius: dicuntur hę crises incompletę, completæ priores. Crisis nomine prolato, perfectam intelligimus: at vbi de imperfecta loquuntur medici, vel de mala, malam crisim vocant, ad melius, vel peius. Ita Galen. 3. de cris. primo, 3. progn. 1. & passim alibi. Vnde licet mirari eumdem, qui explicans aphor. 20. lib. 1. *Quæ indicantur, et indicata sunt arti*, exponit per ly *arti*, integrè contenditque, non posse sumi eam dictionem pro nuper, & diebus æqualibus; hæc enim omnia poterat significare. Non sumi pro diebus ęqualibus ostendit, quia tunc aphor. faceret huoc sensum: *Quæ indicantur, et indicata sunt in diebus æqualibus, ea neque mouere oportet, neque innouare*: cui autem non est manifestum, si quid iudicetur malè diebus æqualibus, aut sit iudicatum, esse inhibendum? Non esse sumendum ly, *arti*, pro nuper, probat, quia non congruit ly, iudicantur. Concludit proinde esse legendum aphor. *Quæ indicantur, et indicata sunt integrè, cumulatè, et perfectè, ea nec oportet nouare, nec mouere: quæ vero imperfectè, illa et nouare licet, et mouere*. Liceat inquā mirari Galen. nam si vbi absolutè, crisis nomen profertur, de perfecta intelligitur, & cōpleta. Quorsum Hipp. aphoristicæ breuitatis amator addidisset ly, integrè. Ni dicere placeat, ad maiorem intelligētiam ly integrè appositum; nam primo de dieb. decr. 9. *Interdum vero interpretationibus defectiuis appellatis vtentes, iudicia nominamus vniuersas quatuor differentias, citra appositionem mali, vel imperfecti*: idem 3. progn. 1. & passim alibi.

Quod si nuper, adhuc aphorismus habebit commodam expositionem; est enim sensus, quæ iudicantur, & iudicata sunt nuper, non sunt illa statim mouenda; nàm quamquam natura imperfectè iudicarit, solet tamē postea, quod inchoarat, perficere. Proinde expecta tantisper donec illa absoluat. Quod si ociosa, nil amplius operetur, tunc poteris manum deficienti porrigere. Neque reijcienda hęc expositio est, quia nuper nō potest vtrique particulæ cōuenire, quomodo enim quosdam dicemus iudicari nuper? satis enim est, quòd ly iudicata applicari possit; nam neque ly integrè, particulæ iudicantur conuenire potest. Quare si hæc ratio obstet, neque Galeni lectio erit admittenda. Confirmatur, nam vbi iuditium non sit integrum, aut hoc fit, quia natura est debilis, aut quia humor est cōtumax. At vtrumq; prohibet vacuationem. quare non est statim supplendum. Confirmatur secundo, quia docens aph. 22. quando purgandum, concocta dixit medicari. Sed hæc parergon, nam loco commodiori de re ista sermo redibit, redeo modo ad inceptum iter.

Secunda differentia: in quadam crisi expellitur sanguis, in alia bilis, flaua, aut atra, per aliam, pituita. Tertia sumetur à loco, per quem humor pellitur, vnde quædam per deiectionem, alia per fluxū sanguinis à naribus, aut renibus per vesicam. A tempore quædam crisis fit cocta materia, quædam cruda, quædam in die critica alia in die non critica, quædā noctu quædam diù. Quinta tandem differentia sumitur à loco, in quem humor deponitur; nam quandoq; extra corpus expellitur, interdum ad aliam partem corporis deriuatur, & fit crisis per abscessum, seu permutationis.

Cri-

Ee

Sub ist alias sub.

Anti-statem.

Crisis futuræ notæ. Cap. IV.

ESset methodo consonum, vt explicatis differentijs crisis, progrederemur modo ad causas illius: sed quoniam vbi de notis agemus, de eiusdem causis agere est necessarium, ne eadem propterea nullo rerum fructu repetamus, de crisi noscenda dicere aggrediemur.

Quatuor sunt, quæ crisim futuram monstrant, natura, tempus, magnitudo morbi, & robur virium.

An crisi ergo terminetur morbus, an paulatim soluatur, quatuor sunt, quæ docere te poterunt, natura morbi, magnitudo eiusdem, tempus, & tenor facultatis. Natura inquam morbi, nàm si in soluta vnitate sit morbus, situ, aut mala figura, vel asperitate, aut lenitate, nullam est, quod expectet crisim medicus; fit enim crisis natura extrudente humorē, à quo morbus: at nullum ibi humorem licet fingere, qui morbi sit auctor. Quare nulla erit in illis affectibus crisis expectanda. Quod si medici in vulneribus, quę ad partes internas vsque extenduntur, timent multum, ne ineptè criticante natura, pro certa salute, mors inopina succedat: scias, illud timere medicos, nō quia morbi, quos supra recēsuimus, vim aliquam habeant sua natura criticandi, sed quoniam ad partē vulneratam solet fieri humorum confluxus, aut ab ipsa ad principem aliquam morbo progrediente delabi, vt in cranei fractura quotidiè obseruamus. Quare à nouo morbo timor, & malæ crisis discrimen, non à soluta vnitate, aut mala figura; siquidem crisis, nonnisi in morbis humorum consortium habentibus, contingere potest, vt docent Thadeus Florent. Vgo Senen. & alij 2. aphor. 24. & Mercat. lib. 3. par. 2. quæst. 104. Neque in hisce omnibus, sed in ijs, qui habent magnitudinem adiunctam, & sunt in subiecto robusto; nam quod contingit in animalium pugnis, idem morbis cum natura certantibus: Nunc vero robusta animalia, imbecilla contemnunt: imbecilla à magnis timent. Quare nulla inter ea, quæ sunt maximè dissimilia pugna; nempe imbecilla non audent: dedignantur robusta, & fortia. Eodem ergo propemodum pacto, vbi vires languent, morbus valet, nulla crisis: fiet hęc, vbi & morbus, & vires magnitudinem habent, 3. de cris. 9. *Vbi natura plurimum à morbo superatur, tunc neque certare aduersus ipsum aggreditur; sine certamine autem crisis non fit.* Et c. 20. *est autem primum, ac maximum in morbis mortalibus signum, quod sine crisi sit mors subsequutura, virium imbecillitas: nam virtus ita prostrata, ad pugnam contra morbum non excitatur, etc.* Idem accidit, vbi exiguus, natura robusta, vnde 3. de cris. cap. 4. *Vtrum vero per solutionem, an per crisim terminabitur morbus, magnitudine, & paruitate distinguitur; siquidem magni iudicantur omnino, parui vero soluuntur solum.* Adde & rationē: nam ni stimuletur natura, nequaquam ad expellendū insurget. At exigui morbi ab exigua causa excitati, vrgere non possunt; prostrata natura, quamquam molestetur, non potest insurgere, omninò ergo, & magnitudo morbi, naturaque robusta ad crisim faciendam requirūtur.

Dignoscitur id quarto ex morbi tempore; nam si fuerit morbus in principio, augmento, vel statu, est quod expectes crisim: nulla at speranda, si in declinationem abiuerit; nam cum sit crisis, timemus: nunquam autem moritur æger morbo iam inclinato. Vide Galen. 3. de cris. cap. 5. Praeterea crisim præcedunt vehementia symptomata, vigiliæ, graues somni, difficiles anhelitus, tenebricosæ vertigines, dolores capitis, demum, *quibus futura est crisis, ijs non præcedens molesta est*, natura agitante humorem: nihil autem tale in declinatione fieri potest. Quare vbi morbus inclinauerit, vbi sit exiguus, cum natura est imbecilla, cum morbus non est materialis, nulla crisis speranda.

Et tempus morbi.

Temporis in quo crisis notæ. Cap. V.

PArum est prænoscere crisim, ni tempus eiusdem prænoscamus; nam cum nil fieri liceat mouente natura. Qui serues religiosè hoc dogma, si tempus crisis ignores? Ergo hoc explicandum.

An cito fiat crisis, quatuor indicabunt morbi: anni, tempus, motus, & coctio.

Quo sit tempore iudicatura facultas regens nostrum corpus, quatuor sunt, quæ medico declarare possunt, auctore Hippoc. 1. aphor. 12. & Galen. ibidem, quos postea medici omnes sunt secuti. Declarabunt primum hoc morbi: faciēt hoc secundo anni tempora; conducet tertio ad hoc consequendum successiua incrementa circuituum inspicare: valebunt quarto multum mox apparentia. Enimuero quæcumque monstrant breuem, aut longam morbi constitutionem, illa eadem declarabunt, breuinè expectanda sit crisis, an longo post tempore. At verò constat ex ijs, quæ lib. 7. cap. 16. sunt dicta, à quatuor illis fontibus esse petenda signa breuis longæq; constitutionis morborum. Quare vbi morbi ex eorum sint genere, in quibus criticabit natura, isthæc eadem docebunt, breuinè, futura sit crisis, an contra tardius. Vide proinde quomodo illa quatuor morbi constitutionem indigitant; nam vbi hæc noueris, facili negotio intelliges futuræ crisis tempus. Dignosci quo sit tempore iudicatura natura, ex morbi motu, signisque cruditatis, & coctionis certum: nam coctio si appareat statim, statim crisim futuram prænunciat: 3. epid. com. 2. text.

Quomodo ex coctione.

text.45. *coctiones celeritatem iudicij portendunt*. Et quidem si fit crisis secreto humore nocuo ab innocuo, idque fit coctione; non potest non imminere crisis, vbi coctio appareat. Potest illud secundo colligi ex motu morbi; nam qui celeriter mouentur, celeriter quoque iudicantur: vnde cum extremè peracuti primo quaternario finiantur, peracuti simpliciter primo septenario, acuti quatuordecim diebus, acuti ex decidentia 20. aut 40. die, primi generis morbi intra quatuor dies iudicabuntur, septem secūdi, 14. tertij, alij intra 20. dies, vel 40.

Quomodo ex motu.

Idem motus pari ne, an impari die, crisis fiat, declarat; nam fit hæc in paroxismi exacerbatione. Quare si paribus diebus exacerbatur morbus, pari die crisis fiet, impari si in imparibus 3. epid. cōm. 3. quamquam secus contigisse bis obseruauit Archigenes, semel Galen. & miraculo adscribit 3. de cris. c. 4. Valere eodem inspicere anni tempora, & successiua incrementa, apertum.

Qua die haud addiscemus à diebus indicatorijs.

At monstrant hæc, num citius, an tardius crisis fiat: certo die fieri illam, quæ docent? Quidam ad dies indicatorios confugiunt, atque si quid illa die fiat, decretoria die, cuius illa est index expectant crisim: vnde cum quarta sit index septimæ, hæc vndecimæ, si sanguis quarta die stillauit, septima sanguinis fluorem expectant. Quartam esse indicem septimæ, vndecimam quartæ decimæ, decimam septimam vigesimæ probāt ex Hippoc. qui 24. aphor. 2 p. *septennorū*, inquit, *quartus est index*, & 4. aphor 71. *quibus*, inquit, *futura est crisis in septima, ij nubeculam quarta die habent*.

Sed alium esse sensum illius aph. cap. 3. sequentis lib. dicetur. Ex hoc non colligi, quod intendunt, mox enarro; non enim dicit Hipp. quibus nubecula in 4. apparet, ijs septima fiet crisis, sed *quibus futura est crisis in septima, ijs dicit apparere nubeculam in quarta*, vt valeat dicere. Sortes habebit crisim die septima, ergo aliquæ notæ coctionis obseruabuntur in quarta: non valet conuersim, habuit nubeculam in quarta die, habebit ergo crisim in septima; nam potest morbus paulatina concoctione terminari. Quando autem non constat ex hoc loco, & Gal. quandoque in septima terminari docet, interdum in longius tempus prorogari: quo respiciemus, vt certam crisis diem valeamus prænoscere? ad incrementum symptomatum. Hæc ergo si cocto iam morbo, & fere euicto increscant, cum vi morbi adaugeri nequaquam potuerint, ex pugna naturæ cum morbo, necessariò fient; nam *quibus futura est crisis, nox præcedens molesta est*, noctis nomine diem quoque intelligens, si noctu crisis fieri debeat: noctem itaque posuit non vt excluderet diem, sed quia quiuis labor, noctu laboriosior euadit.

Sed ex labore & incremēto symptomatū cocto iā morbo, & vbi declinauit.

Futuri abscessus notæ. Cap. VI.

QVibus inditijs possit crisis prænosci, supra ostendimus, agendum modo de notis peculiarium crisium, quæ quia duplices aliæ, quæ hostilibus succis è finibus corporis eiectis fiunt, aliæ quæ in obscuram quampiam partem relegatis contingunt; priorque multiplex, sanguinis fluxus, vomitus, sudor, alui, & vrinæ profluuium, & vnaquæque adhuc duplex: bona, aut mala: fida, aut infida: proponam primo abscessus notas, deinde accedam ad reliqua. Quoniam vero abscessūs nomen est multiplex, & interdum sumitur, pro quouis humorum decubitu de parte ad partem, siue in illa firmētur, seu per eam extra corpus mittantur, vnde difficultates intestinorum, stranguriās, lienterias, abscessus vocauit Hipp. 1. epid. com. 2. t. 35. Quandoque sumit abscessum pro transitu vnius morbi in alium, vnde in historia Hermocratis vocauit Galen. abscessum icteririam: tertio sumitur pto suppuratione, vnde 1. prog. 26. tumores in ventre, minus faciunt abscessum, quam in præcordijs. Sumitur quarto pro apostemate, ita dicto, quia ob affluxum humorum pars vna ab alia abscedere cogitur, noto abscessus vltimo hoc modo sumpti, quæri modo inditia.

Hippoc. 3. progn. 24 *si qua*, inquit. *febris prorogatur salue affecto homine, nec dolore detinente, aut ob inflammationem, aut ob aliquam aliam occasionem euidentem, oportet expectare abscessum*. Cuius sensus est: cum morbus, multis ex causis prorogari possit; fit enim quandoq; longus ob partem aliquam curatu difficilem, vt cum habet originem, ex iecoris, lienisuè obstructione, inflammatione, ad schirri naturam declinante, eorumdem intemperie calida, aut pulmonis vlcere: propagatur secundo ob errorem medici, languētis, prauum domicilium, regionem, victum, animique accidentia, si sit diuturna febris, non ex his, causis, abscessu illa terminabitur; præsertim si hyeme id fiat, tunc enim maior crudorum copia congeritur, congestique non difflantur, vnde text. 29. eiusdem 3. *Sciendum tamen, quod abscessus hyeme potius fiunt, quia tunc temporis frigidiores facti humores, minus recurrunt, vnde nec extra corpus facilè pelli poterunt*. Cæterum, quia nondum dixerat, quæ febris diuturna, & num idem censendum de intermittente, & continua subdit, *oportet talem expectare abscessum per febrem continuam, si vero febris intermittat, erraticaque sit, in quartanam mutabitur, præcipuè si proximus autumnus sit*. Ergo, si quę febris continua & salutaris; vigesimum pertranseat diem, non ob er-

Futuri abscessus indicia Hippoc.

Ee a rorem

rorem externum, aut partem aliquam capitis difficilem, eaque affligat iuuenem initio hyemis: abscessu hæc terminabitur: etsi intermittens eadem fuerit, & more erraticarum innadat, in quartanam definet, præsertim si autumnus sit proximus. Porrò vt hæc febris diuturna à causa interna, iudicetur abscessu, si fit in iuuene, non sene, suadet ratio; languida enim vis senum, haud tanti est, vt crassos humores, viscidosque extrudere possit. Puto etiam, si intermittat eadem, non terminari abscessu, quia vt dictum, crisis in magno morbo obseruatur, & natura robusta: nec nego eamdem, si erratico modo apprehendat, autumnusque immineat, in quartanam desinere: nam adusta ab æstatis calore melancholia, seu bilis, & autumni frigiditate detenta, facilè quartanam infert: at quod continua febris, & diu iuuenem affligens terminetur abscessu, nulla videtur ratio cogere; cur enim non excretione, aut coctione? cur non depositione humorum, non ad vnū locum, sed varias partes citra abscessum, nam 4.aph.43. *Quibus ait febres longæ, iis tubercula, vel dolores in articulis fiunt*. Sed non posse excretione finiri, aut coctione, est certissimum; tenuia enim excernuntur facilè: quæ crassam habent substantiam, viscidamque vix euelles, & vt è corpore extrudas, vecte quasi est opus: ac vis vel robustissima, morbi diuturnitate languescit. Quare humores crassos extra corpus pellere nequaquam poterit.

Nec paulatim concoquere, nam morbi diuturni à multa fiunt humorum colluuie, alioquin non possent tam diu diurnare: multi autem humores facultatem grauabunt. Quare expellet: at quod coqui debet, retineri debet, non eijci. Si itaque facultas sit fortis, materia multa, crassaque, abscessu, non coctione febris hæc terminabitur: præsertim si sit æger assuetus abscessibus, vt podagræ, articulos habeat debiles, aut aliqua parte corporis doleat, trahit enim dolor, vt & cucurbitulæ, estque inditium humoris confluxi.

Locum Hippocr. multi, vt Triu. coniunctim legunt hoc modo, *quibus febres longæ, iis tubercula, & dolores in articulos fiunt*, cui consonat locus alter Hippocr. 3.progn. scribit enim, *si febres longæ, sed tamen salubres sine dolore perseuerant, quem vel inflammatio, vel alia manifesta causa excitarit, abscessum cum tumore, ac dolore in aliquo articulo, præsertim in imis partibus expectare oportet*. Sed esto tex. non corrigatur, non officit tamen, nam dolor articulorum, abscessus quoque species est, vt docent communiter medici.

Num & calidi morbi abscessu quandoque finiuntur? puto: nam non rarò erisipelas, & inflammatio, febres à calido humore iudicat: quandoque excretione.

Dubit.

Solut.

Terminentur ne abscessu quandoque morbi calidi.

Vbi humores sunt tenues, facultas languida, expectamus abscessus. Idem timendum, vbi virtus fortis, humores crassi. Vbi isti tenues, natura robusta, excretione febres terminabuntur. Lege si placet Galen.3.progn.29.

Futuræ vomitionis, & deiectionis inditia. Cap. VII.

Si quis intelligat, quibus ex causis vomitio fiat, à quibus deiectio, facilè hic idem, & vomitum, & alui fluxionem prænouerit. Fit vomitus humore lacinante ventriculum, & præcipuè os eius: huiusce lancinato multa accidunt, partim ipso patiente: dolor, rigor, indicibile quoddam fastidium, sputio, vnde Hippocr.1.pror.comm.1.t.3. *Si in phreniticis cum perfrigeratione, fit sputatio, nigra reuomuntur*; non enim alia ratione inquit Galen. phrenitico id potest accidere, nisi à stomaco emissa pituita; nam quod spectat ad cerebrum, exiccatum est à phreniti. Quare ab eodem descendere muccosa substantia, nequaquam potest. Insuper, quia habet ventriculus tunicā cum ore, & labijs communem, cum cerebro neruos; hinc fit, vt bili ipsum molestante, tremat labium inferius, caput doleat, oculi que caligent: cumque vicinæ partes, quidquid spirituum habent, ad dolentem transmittant, frigent infernæ partes omnes, dolente ventriculo, & vomituro. Quare rectè Hippocrates 3.prognost. 30. *Si quis per febrem non exitialem dixerit, se capite dolere, atque sibi tenebrosum aliquod ante oculos apparere, atque cardiogmos huic accesserit, biliosus vomitus aderit. Si autem rigor euenerit, & inferiora hypochondria frigida fuerint, citius adhuc vomitus aderit*.

Partim alijs conficitur sic ipso patiente.

De notis futuræ deiectionis per aluū, nihil ferè Galen. Quædam Hippocr.l.de coac. præn. nam ad rem hanc facit sententia illa, *quibus ructus, flatus, crepitus ventris, eiusdem inflatio, bis rapide fertur aluus*. Nimirum vbi humores ad intestina mittuntur, eleuantur ab ijs, non secus, ac moto sterquilinio, & calida aqua agitata, vapores multi, vnde alij ad os supernum ventriculi attolluntur, detruduntur ad intestina inferiora alij, alij tandem in ipsis met intestinis, tanquam in carcere concluduntur. At faciunt hi moti rugitum: primi illi ructum, alij crepitum. Quare rectè Hippocr. *Quibus ructus flatus, crepitus, ventris eiusdem inflatio, bis rapidè fertur aluus*. Et apertè addit in epid. lumborum dolorem, nam distenta, aut flatuum copia, aut humorum farragine intestina, premunt renes. Nec minus aptè addiderūt Arabes vrinam albam, nam deposita ad secessum bili, necessariò albicabit vrina. Quare erunt vrinæ igneæ bonæ,

Futuræ deiectionis inditia.

vbi

vbi in dysenteria,& Diarræa appareant, ni tamen fiant ob hepatis vehementem ardorem,qui cuncta comburit,non deriuatione humoris ab inteſtinis ad viam vrinarum.

Erupturi ſudoris,& profluuij vrinæ inditia. Cap. VIII.

Sudorem duo monſtrant inditia rigor,& vrinæ ſuppreſsio.

SVnt ſudores familiares febribus, frequenter tamen accidunt ardentibus. Quare ſi quis erupturi ſudoris notas rectè calluerit, & frequenter gloriam aucupari potuerit,& ægros iuuare. Putant quidam duo eſſe futuri ſudoris inditia, ſuppreſſionem vrinæ, & rigorem; hunc quidem, quia effuſus ad partes externas humor, quod in rigore neceſſariò accidit, nonniſi per ſudorem expurgari poterit. Quò fortaſſe reſpiciens Hipp. 63. aphor. 4. lib. dixit, *quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur.* Poreſt eſſe, & vrinæ ſuppreſſio hac ratione ſudoris erupturi inditium, quia eadem eſt,& ſudoris, & vrinæ materia, vnde eſt probabile, vbi retineatur vrina, ſeroſam materiam alibi confluere, & per cutim purgari. Sed niſi hæc rectè examinentur, & falleris plerumque,& alios falles; nam quod ſpectat ad rigoris materiam, haud ſemper in habitu corporis illa continetur, ſed quandoque ibi fit alias rigor, humore vellicante ventriculum, & partem quamcumque ſentientem. Quare haud expurgatur ſolis ſudoribus rigoris materia, ſed interdum deiectionibus, interdum vomitibus, quandoq; his omnibus: non rarò per inſenſibilem halitũ. Non eſt neceſſarium ſecundo, vt vrina retenta, in ſudorem abeat; nam poreſt tranſmitti ad ſeceſſum, vnde illud, *Mictio noctu plurima,manè paucam egeſtionem ſignificat*, & vt communis eſt omnium ſententia, copioſa alui deiectio, vrinæ excretionem imminuit. Secundo poteſt mitti vrina ad habitum corporis, & rigorem facere,non ſudorem,quod innuiſſe videtur Hippoc. 6. epid. com. 1. t. 10. dicens, *ante rigorem, vrinarum ſuppreſſiones*. Ita ergo ſententia illa limitanda, ſi cui rigor acciderit, aut fuerit vrina ſuppreſſa, citra alui fluxionem, aut vomitum, huic ſudor ſuperueniet; præſertim ſi alia innuant, quæ ſudorem prænũciare ſolent, vt calor partium omnium extimarum, faciei robur, calidi vaporis ſenſus, pulſus mollis fluctuans,& vndoſus ex menre Galen. & quod alij addunt, cutis mollis, docti fortaſſe ab Hipp. qui ſcripſit, *Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & duræ, ſine ſudore moriuntur: quibus vera laxæ,& raræ cum ſudore*.

Cauẽ tamen hoc proferendum.

Ita hoc dictum limitandum.

Profluuij vrinarum, nulla certa ſigna traduntur, coniectura quadam probabili poteſt illud dignoſci hunc in modum: ſi adſint futuræ criſis inditia, nec ſint aliqua,quæ alui fluxionem eſſe nuncient, non ſudorem,non ſanguinis fluorem,vrinæ profluuium eſſe ſuſpicare.

Sanguinis fluxuri inditia. Cap. IX.

SOlet natura per tres partes ſãguinem frequenrer expellere, per vterum, hemorroides,& nares; eſt prima mulieribus propria, cœteræ communes ſunt omnibus: illa vbi commode fiat, liberari ſolẽt mulieres omni morbo, nam per illã vacuationem nedum ipſe,ſed & vniuerſũ corpus expurgatur: nec ſanguis tantum effunditur, ſed & mulra excrementa, tamquam ad corporis totius cloacam emittuntur. Hemorrhagia narium, & febres ardentes,& inflammationes quaſcumque iuuare poteſt. Hemorroydes, quę ſanguinem melancholicum fundunt (fundunt autem eæ venæ,quæ à porta deducuntur) liberantà morbis multis, qui ex humore melãcholico fiunt 6 epid. com. 5. tex. 25. quæ ſunt cauæ rami, plenitudinem imminuunt, vnde à morbo quouis, qui à ſanguine,nos præſeruant: vbi omnes effundant,& à morbis melancholicis,& iis, qui à plenitudine, nos facilè liberant. Hinc 6-epidem.com.3 tex. 37. *qui hemorroides habent, ij neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neq; phagedena, neque furunculis, atque terminthis,fortè vero etiam neque lepra, ac forte, neque alijs.* An & à nephritide? Affirmat Hippoc. 6.aphor. 11. habet enim,*melancholicis, & renum vitio laborantibus,hemorroides ſuperuenientes bonum:* at vt bene aduertit ibidem Valleſ. eos renum affectus iuuat, qui à craſſo ſanguine ortum habent: vel vt Holler. ſiniſtri renis lenict dolorem, quacumque ex cauſa, ille fiat; quia melancholici ſanguinis effuſione detumeſcet fortaſſe lien, vnde qua ratione inanita inteſtina mitigant dolorem renum,ſic leuabuntur ijdem detumeſcente liene, quia non prementur: aut quod fortaſſe ad Hippoc. aures magis accommodatum, corrigendus aphor. & cum antiquis Mercur. Marinel. & alijs legendum phreniticis non nephriticis; nam repetens eamdem ſententiam aphor. 21. non habet nephriticis,ſed vno verbo delirium omne comprehendens, *inſanientibus*, inquit, *ſi varices, vel hemorroides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio*, & 6.epid.com. 3. tex. 37. cum faciat catalogum affectuũ omnium, à quibus nos præſeruant hemorroides, nullam facit nephritidis mẽtionem: ſed quidquid ſit de re hac,quam pluribus examinare, non eſt præſentis loci: hemorrhagiam his, docuit prænoſcere Hipp. 3. progn. 33. *quibus per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculis effuſis,*

Proſunt ne Hemorroides nephriticis.

Hemorrhagię notæ ex Hip.

tur humor noxius: alterum quia nullo erit emolumento. Vbi itaq; morbo proportionata non fuerit, nec per cõgruam fiet regionem, neque conferet eadem, aut facilè ab ægro tolerabitur. Quare nulla in Galeno contradictio est, sed in altero pluribus conditiones bonæ crisis explicauit, absoluit hoc alias paucioribus; vbique tamen bene. Et quidem, quod optima crisis cum signis coctionis fieri debeat, manifestum est, debet enim expelli humor nocuus, & naturę prorsus inutilis; separetur itaque necesse est ab vtili, & bono: at seiungi nonnisi coctione potest. Quare peracta coctione crisis molienda. Quoniam verò absoluitur cõcoctio in statu, non in augmento, & principio, non debet propterea antequam morbus ad statum perueniat crisis fieri. Hinc Hippocr. *decretoria non statim appareant*, & lib. 4 aphor. 22. *morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra, vel infra exierit lethale*, & passim mille alijs in locis. Ob eamdem causam Galenus acturus de crisibus, ante omnia declarare necessariũ censuit signa futuri status; nam in statu debet optima crisis fieri.

Insuper, quod melior multo illa sit, quam per euacuationem molitur natura, ea quæ per abscessum, est pariter manifestum; vbi enim humor è corporis cõfinio extruditur, vindicatur prorsus infirmus à morbo, & sanitati pristinę restituitur: at vbi abscessu morbus præcedẽs terminatur, non liberatur ab omni morbo æger, nam primus in sequentem commutatur.

Est secundo certum, quod fieri eadem debet cum tolerantia, atque conferentia; debet enim per crisim nocuus humor, & ille, à quo morbus, vacuari: at hoc vacuato non potest non melius æger sese habere: eamdem facultas facile tolerabit, exoneratur enim ab eo, quo veluti sarcina premebatur, tollitur quod illi erat multis modis infensum: quod quia vix fieri, est quod speres, ni fiat vacuatio per congruam regionem, & per directum; nam inflammationes hepatis, hemorrhagia facta ex nare dextra curat, quæ ex sinistra tollit inflammationes lienis, fit quarto vt bona crisis debeat per directum fieri.

Demum, quod eadem crisis, critica die fieri debeat, inde habetur, quia longa est experientia comprobatum, certis articulis temporum naturam aggredi singulare certamen cum morbo, atque eo die fœliciter colluctari cum illo, infœliciter, si vel id facere differat, aut anticipet: hoc enim summæ irritationis est argumentum, nulla enim alia ex causa cogi potest natura, vt ante tempus præscriptum aggrediatur certare: illud summæ ignauiæ indicium, aut imbecillitatis maximæ: nam cum natura sit insitum cuiq; animanti, & animantis vnicuique particulæ, vt noxia quæque pellat, prosequantur vtilia, iucunda: vel non sentiet quæ molestant, si nullo modo extrudere studeat, vel non valebit expellere, si molestantem causam patienter ferat. Rectè itaque à Galeno scriptum, sex conditiones ad crisim salutarem requiri, vt fiat cum signis coctionis, per excretionem potius, quam abscessu, per directum, vt sit quarto indicata, fiat quinto in die decretorio, fiat demum cum tolerantia, & conferentia.

At obijcies, confluxus partium omnium nostri corporis vnus est, auctore Hippocr. conspiratio vna: quauis itaq; via pars quæuis corporis nostri expurgari poterit. Quare superfluo in crisi salutari desiderat Galen. vt per directum fiat vacuatio. Superfluo idem secundo poscit, vt fiat eadem in die decretoria; nam si talia purgentur, qualia oportet purgari, semper confert, & leuiter vacuatio illa feretur; nihil itaque referet septima ne, an sexta die contingat vacuatio, dummodo vacuetur humor peccans, non pro eo alius. Tertiò mittit sanguinem medicus, & vtiliter in morborum principio: eodem longè progresso, nullus sanguini vacuando locus superest; exhausta enim est tenuitate victus, vigilijs, alijsque vacuationibus plenitudo, viresque à morbo eneruatæ. Ergo saltem crisis per fluorem sanguinis haud fieri debet, postquam signa concoctionis apparuerint, sed in illius principio: aut si in sententia proposita insistere libeat, assignanda causa diuersitatis est, & docendum, cur medicus salutariter sanguinem à principio vacuat, inutiliter progresso iam morbo: natura contra, cocto iam morbo vacuat eũdem ad animalis commodum, infœliciter idem in principio tentat.

Obiectio.

Secundo

Tertio.

Respondeo, quamquam vera sit sententia Hippocr. partes nostri corporis inter se conspirare, mutuamque consensionem habere, non esse propterea negãdum (patet enim istud ad sensum) quasdam commodius per vnam regionem vacuari, per aliam difficillime, & cum nõ paruo incommodo; habent enim quædã cum quibusdam cõsensionem maiorem, alioquin nulla posset tradi ratio, cur patiente ventriculo cor cerebrumque potissimum coafficiantur, nõ brachia, & crura. Quare cum optimæ crisis, & omni ex parte laudatæ conditiones inquirantur, rectè statutum est, hoc præter cœtera in ea, quæ optima est, desiderari, vt scilicet per vacuationem fiat, non per abscessum, & eam partem quæ directè respondet illi, quæ principaliter est affecta.

Sol.

Quod si quæras, quid est hæc rectitudo, in quo consistit, & cur per rectum facta vacuatione prodest crisis, si secus

Quid rectitudo.

con.

contingat, aut erit detrimento, aut nullo saltem vsui. Dicam paucis, quod spectat ad primum; nam de re hac lib. de vacuat. fortasse redibit sermo, rectitudinis nomine non intelligi à medicis eam, quam mathematici describunt; nam altero crurum laborante, reliquum Gal. scarificat, posterioremque partem capitis dolente, vena secta in fronte iuuat, auctore Hippoc. quæ cum tramite recto, ductuq; non opponantur, & rectitudinem nihilominus seruet Galen. Hippoc. certum est, nequaquam consistere in rectitudine partium, seu recto earum tramite, quemadmodum vox sonare videtur, sed vt communis est hodie medicorum consensus, in quadam communione vasorum, per quæ fit expurgatio, cum vasis partis male affectæ, & laborantis. Ita Iobertus parad. 9. 1. decad. Salu. Sclanus 1. aphor. 21. Vallesf. lib. 7. controu. cap. 4. Mercat. lib. 1. de indicat. cap. 4. & est expressa Galeni multis in locis, nam 2. ad Glau. 2. *humorem*, inquit, *fluentem oportet ad contraria reuellere, fluxum verò, sed non firmatum, debemus ad propinqua deriuare, vtrumque verò fieri debet per venas communes*, & 13. meth. *oportet*, ait, *sanguinem mittere ab illis venis, quæ vna cum parte affecta aperiuntur, itaut pars euacuari possit, ac si ipsa aperiretur*, & paulò infra, male affecto hepate dextri cubiti venam secandam esse concludit eam ob causam, quia vena illa per satis amplam viam cum vena caua, & iocinore communicat: & 7. meth. vlt. quæ sunt in cauo iocinoris, per os, & aluum docet esse euacuanda, quia adsunt manifesti meatus, per quos materia in hepate existens vacuari potest. Quia vero, vt plurimum accidit, vt partes cum ijs potissimum communicent, quæ rectè opponuntur, vnde hepate calido existente, dextræ manus planta potissimum incalescit. dexter testis; dexteraque pars vteri, ac propterea in hac parte mares potissimum gignuntur. Capite ex vtero dolente, vertice dolet, è ventriculo fronte: ab hepate dextrum latus affligitur, à liene sinistrum, & sanguine misso è sinistro brachio, sinister cordis ventriculus inanitur, vacuatur dexter, dexteri brachij vena secta; hinc fit, vt rectitudo medica, quæ in vacuatione quaque maximè obseruari debet, ferè semper cum ea, quæ mathematica dicitur coincidit. Causa autem præcipui huius consensus inter eiusdem lateris partes, illa eadem fuit, quæ naturam coegit, vt multa nostri corporis membra geminaret. Itaq; vt duos construere oculos voluit, totidem aures, renes testes, brachia, ne facta vnius iactura, statim animal cæcum euaderet, surdum, mancum, & ad gignendũ impotens; Sic præcipuum inter eiusdẽ lateris partes consensum esse voluit, non tantum cum alijs, ne facta vnius lateris iactura, vniuersum corpus disperiret. Ex his licet intelligere cur vacuatio critica secũdum rectitudinem facta commendetur. Nempe bona illa est in ratione causæ, & signi. Causæ quidem, quia humor morbum faciens vacuatur. Signi quoque, quia monstrat totius corporis robur; nã si pars male affecta vsque adeo fuit robusta, vt humorem extrudere valuerit: qualem futuram putamus, quæ non fuit vsque adeo fatigata? Contrarium cum colligatur ex vacuatione, quæ fit rectitudine nequaquam seruata, mirum non est, si hanc damnauit Galenus, Hippocr. medici demum omnes, reprehendant, laudent illam. Cur vacuatio secundum rectitudinem laudetur.

Ad secundum dicimus, quod tametsi loco citat. Galen. scripsit, duas tantum conditiones sumere, quo causa aliqua salubris dicatur, idem tamen monuit ibidem se plerumque tempus apponere maioris gratia facilitatis. Quare non est illi vitio vertendum, si volens apertè docere salutaris crisis, & optimæ conditiones, tempus quoque apponendum censuerit.

Ad tertium, & vltimum putauit Prosper Alpin. lib. 5. de præsag. vita, & mor. cap. 5. aliquando sanguinis fluxum, & si fiat citra signa coctionis iudicare morbos, idque confirmat historia Methonis, quæ habetur 1. epid. com. 2. tex. 7. & hist. Periclis, & virginis Abderæ, quæ habentur 3. epid. com. 3. ægroto 6. & 7. Vacuatio sanguinis crudo morbo an bona.

Sed certè siquis attentè legat historias adductas, nihil licebit ex illis colligere, quod ad probandum propositum conducat; nam quantum pertinet ad Periclem, grauius conflictatus est febre, postquam fluxerat sanguis: & virgini Abderæ, cum in morbi initio menstrua erupissent, grauia illi superuenere symptomata sexta die: neque aut hæc, aut ille, quod conualuissent, fluori sanguinis debent acceptum referre. Historia Metonis videtur magis vrgere: sed & huic sanguis multis diebus fluxit, intra quos potuit natura humorem concoquere; esto demus, conualuisse citra coctionem, non probat propterea propositum; nam regulæ tradendæ sunt de ijs, quæ contingunt, vt plurimum.

Dicerem itaque si natura pelleret sub morbi initium sanguinem, vacuationem illam bonam fore, vt causa; nam vacuatur quod vacuandum: alioquin non mitteret medicus sanguinem in initio morbi: esse tamen malam in ratione signi; nam cum natura habeat in more, vt facta per coctionem secretione expellat, vbi hoc non seruet, sed intempestiuè id tentet, signũ est, irritatam expellere, vel ab humoris copia, aut praua eiusdem qualitate. Atque hæc de proposita difficultate, & disputat. de crisib. dixisse sufficiat.

A N-

ANTEPRAXIS MEDICAE Liber Duodecimus.

DE DIEBVS DECRETORIIS.



Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



Xposcit perfecta crisis, ni nos fallit Gal. vt sit indicata, & in die decretoria fiat; nam quãquam satis superque laudata sit illa vacuatio, qua nocuus humor educitur, & qua copia peccabat, nunquam tamen eius sortis fuisse videtur, quæ die decretoria nõ contingit: adeo certum, certis diebus, & temporum articulis, vbi irritata non sit, operari naturam. Quare ne imperfecta præcedens disputatio existat, aut quicquam desideretur, quod ad futuros morborum euentus prænoscendos conducit, erit apprimè necessarium de criticis diebus disputare. Ne tamen in obscuro procedamus, dicemus primum, an dentur decretorij dies, quid dies decretorius, & quot differentiæ illius: agemus secundo de causis illorum.

Dentur nè decretorij dies. Cap. II.

Explicatur titulus.

AD primi intelligentiam noto primum, non verti in controuersiam, an detur dies aliqua, in qua natura aggressa pugnare cum morbo, & copiosa facta humoris morbosi vacuatione, vel subitam inducat salutem, vel pro depositione humoris extra corpus, ad principem partem eodem transmisso, necis inopinatæ sit causa; nam cum sit certum naturam criticare, & hoc fieri non possit, nisi certa die, hora, temporum articulis: certum pariter est, decretorios dari, lato hoc modo sumendo nomen decretorij diei. Controuersia est, an dentur decretorij dies vere dicti, in quibus magnæ fiunt mutationes, firmæ tamen ad salutem, atque frequentes; nam cum hi tales dicantur à crisi, quemadmodum crisis nomine, absoluta, & perfecta intelligitur; sic decretorij ij proprie dicuntur, qui frequenter, & tuto iudicare solent.

Putauit Celsus lib. 3. cap. 4. nullum esse in morbis dierum delectum, quod ad solutionis tempus attinet, sed merum esse figmentum, quod de hisce diebus Hippocr. docet; eo quod nullo die non contingat, aut homines mori, aut conualescere: quinimo sæpè morbo in iudicationem eunte, dies permutari videmus, ita vt qui leuissimus esse cœperat, grauissimus fiat. — Assertur opinio Celsi.

Idem statuit multo antea de re hac Asclepiades, vt idem Celsus refert cit. loco, & alij multi, vt ex Galen. habemus cap. 2. 1. de dieb. decretor. Negarunt autem hos dies eam ob causam, quia non admodum inter eos consentiunt, qui de diebus iudicatorijs scripsere, sed hi plures illi pauciores esse autumarum: quidã hos, quidam illos, vnoquoque pro libito sentiente. — Asclepiadis

Haud multo diuersa sunt, quæ eandem sententiam Celso persuaserunt, quę omnia, quia exigui sunt momenti, vt infra loco opportuniore dicetur à nobis, propterea cum Galeno, & Hippocr. statuimus, nõ esse negandos dies decretorios; nam quamquam possit æger quauis die mori, & sanari, non est tamen omnium dierum in re ista dignitas æqualis, sed quidam frequenter iudicãt, vt septimus, raro alij, vt 12. & 16. vnde scribit Galen. cap. 2. 1. de dieb. decret. nullum iudicatũ vidisse in 12. aut 16. in 7. tot, tantosque, vt numerare non valeat. Iudicant præterea alij cum difficillimis symptomatis, vt 6. minuunt alij de labore, vt septimus: vnde hic regi, sextus sæuo assimilatur tyranno. at hi sunt vere decretorij dies, qui frequenter, ac tuto decernunt. Quare cum longa sit experientia hoc cumprobatum, neque experientiæ fides sit detrahenda, sunt admittendi dies decretorij. — Et reijcitur

Nec secus cum antiquis opinandum, quia non vna fuit de hisce diebus opinio, nam neque vna fuit de numero elementorum, principiorum, aut corporum cęlestium sententia, nec propterea dari elementa, principia, corporaq; cælestia

negamus. Videndum proinde quid sit decretorius dies quando illos admittimus.

Quid dies decretorius. Cap. III.

Vnde dictus dies.

DIes, si nomen eius spectes, ita dictus videtur auctore Festo 4. antiq. Rom. quod diuini sit operis, sue à Ioue eius, vt putabant rectore, qui Grecę *Dios* appellatur: si quaeras naturam est naturalis dies, quatuor, & viginti horarum spatium. ciuilis, & artificialis cum constituatur ex mora Solis supra Horizontem, modo longior est, modo breuior, prout plus minus Sol in hoc Horizonte detinetur. Decretorius itaque dies erit illud temporis spatium, quo indicat de morbo natura, siue criticat. à crisi itaque, quae illo articulo fieri consueuit, criticus, à iudicio iudicialis, à decreto decretorius dicitur: vnde quia nomen hoc crisis, non vno modo accepit Galen. sed quandoq; vocauit crisim omnem solutionem morbi: interdum mutationem subitam, ad salutem, aut mortem: hinc diem decretorium eum omnem vocarunt, in quo morbus soluitur. Vocarunt alias diem decretorum, illud tempus dumtaxat, in quo magnæ subitæque fiunt mutationes, seu bonæ sint, seu malæ. Alias eam decretoriam esse dixerunt, in qua mutationes magnæ contingunt, firmæ tamen ad salutem, atque frequentes, & hi propriè sunt dies decretorij; nam cum tales dicantur à crisi, quemadmodum crisis nomine, absoluta, & bona intelligitur, sic decretorij propriè ij debent vocari, qui frequenter, & tuto iudicare solent. Hinc 2. de dieb. decret. 3. ex frequentia, & firmitate criticandi probat diem decimamseptimam decretoriam esse, & 1. eiusd. c. 7. *fides*, inquit, *in iudicio a die expectatur, atque hic est dierum iudicialium vsus*; quod confirmans 2. progn. 54. dicebat, diem decretorium facere ad firmitatem iudicij: quam ob causam 2. aph. 29. inter alias conditiones bonæ crisis, eam quoque desiderat, vt in die fiat decretoria, & 4 aphor. 29. damnabat rigorem sexta die accidentem,

Quid dies naturalis. Quid ciuilis.

Quid decretorius. Cur ita dictus & qui propriè decretorij.

Notatur Cels.

Ex hoc patet, nō bene Celsum & alios dixisse, quamcumque diem esse decretoriam; nam quamquam omni die solui morbus possit, non potest tamen solui quauis die per crisim: nec frequenter contingit quauis die, sed in septima, decimaquarta, & vigesima potissimum, & propterea hi potissimum decretorij erunt.

Quot horis constat. 24. constare quidam putant.

Quantum tamen sit temporis spatium, quo dies hic decretorius concluditur, non admodum constat inter medicos. Voluere quidam, vt Valles. 10. controu. 7 & alij multi, decretorium diem, non secus, ac solaris, horis 24. constare, vna Galeni auctoritate moti, qui primo de crisi 17. habet, *in prima quidem die, sic vero ex me omnino intelligas totum ex die, & nocte tempus in 24. horas partitum*; quia vero videbant hinc fieri, vt 21. dies decretoria esset, non 20. subdunt, 14. diem bis esse numerandum, semel vt finis secundę septimanæ, iterum tamquam principium tertiæ: bis autem numerata quartadecima, in hunc modum 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. vigesima dies est tertiæ septimanæ finis, non vigesima prima; quinimò hinc colligunt non esse modo aliquo horas detrahendas, quia si detrahantur non esset, cur dies quartadecima bis numeraretur, vt voluit Galen. 2. aph. 24. & Hippoc. dixit enim die 17. quartā esse à 14. quod esset falsum omnino, ni 14. bis numeraretur.

Confirmari idem potest, quia eodem aphor. Hippoc. scripsit, octauam diem esse secundæ septimanæ principium, quod nullo modo haberet veritatem, ni singuli dies decretorij horis 24. constarent.

Male tamen. nam detrahendum aliquid.

Non est tamen illa acceptanda, quia mensis lunaris, à quo decretorij dies vim sortiuntur, è mente Galeni, non constat 30. diebus integris, sed mensis illuminationis est spatium 26. dierum, peragrationis 27, coniunctionis 29. & quibusdā horis. Quare non poterunt decretorij dies, horis 24. constare. Præterea si sumantur integri, erit 21. decretoria; nam quod respondent, nequaquam id futurū, quia dies 14. bis numeratur, nulla moti ratione id dicunt, nulla auctoritate; quāquam enim id affirmet Gal. 2. aphor. 24. authorum tamen placita inde petenda, vbi ex proposito de re illa pertractant: nunc vero docens 3. de diebus decret. 9. cur dies 20. non 21. sit decretoria, quia inquit, septimana non integris septem diebus constat, veluti prius expositum est: cumque dubitaret, ne id alij reijcerent, confirmat illud Hippocr. authoritate, qui 3. progn. scripserat, *Verum huiusmodi supputatio per integros dies fieri non potest, quippe cum nec annus, nec menses ipsi integris numerentur diebus*, quo circa subdit, *vt igitur annus ad 365. dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet, tum mensis ad 30. dies absoluendos, vnius dimidium desiderat, sic & septimana sexta maxime diei parte, vt septem integros habeat: indiget*. Quamobrem tres septimanæ, nō vnum, *& viginti dies integros, sed minus ferè vnius tota dimidia parte consequuntur*. Vide Galen. nam longum transcribere integrum caput. Non ergo vigesima dies decretoria, quia 14. bis numeratur, sed quia integri dies non assumuntur. Ita communiter reliqui.

Quantum.

Nec Hippoc. discrepat, nam cum dies decimaquarta constet diebus 13. & horis 21. decimaseptima verò diebus sexdecim,

cim, & hora pariter vna supra viginti: certum est ex hac computandi ratione, quam in fine huius capitis apponemus, quamquam decimaquarta nõ repetatur, & bis numeretur, esse 17. quartam à decimaquarta: Cumque septima dies critica constet sex diebus integris, & horis 18. clarum est octauum esse alterius septimanæ principium, & septimum etiam; nam vtraque dies conspirat ad generationem primi diei alterius septimanæ. Confirmatur, nam posita Aduersariorũ sententia, falso diceremus tertianam, inuadere de 3. in 3. quartanam de 4. in 4. quia ab vna accessione ad aliam, nequaquam intercedunt tres, aut quatuor integri dies.

Capiuac. afferitur, & reijcitur.

At petes, si non constant eodem horarum spatio dies naturales, & critici, sed isti minore, maiore illi: quot horę sũt detrahendæ à naturali. Docet Capiuac. singulas horas, quarta tamen parte minus à singulis diebus esse detrahendas, idemque alij multi, quod vel ex eorum fundamento falsum esse colligitur: dicũt enim cum triplex sit mensis lunaris, peragrationis, quo Luna circumuoluitur ab vno puncto ad idem; constat hic 27. diebus, & 8. horis: coniunctionis, seù coitus, quo Luna coit cum Sole, donec iterum ad coitum redeat: constat hic 29. diebus, & 12. horis: illuminationis, seu communis impressionis, ita dictus, quia quo tempore Luna illustratur à Sole, & terram illustrat, tunc præcipuè in inferiora hæc influit, constat hic mensis diebus 26. & horis 12. computationem dierum, non esse faciendam iuxta mensem peragrationis, nam dies iudiciarij non insequuntur solum motum Lunæ, sed Lunæ impressionem: imprimit autem, vbi est illuminata, & nobis conspicua: vbi eadem latitat, vt in nouilunio, nihil ferè agit. Necesse est ergo, vt dies decretorij computentur ex mense peragrationis, & illuminationis: est mẽsis peragrationis spatium 27. dierum, & 8. hor. illuminationis 26. dierum, & hor. 12. Quare mensis, qui ex horum combinatione consurget, constabit diebus 53. horis vero 20. eiusque medictas erit, spatium 26. dierum, & horarum 22. At vero si singulæ tantum horæ detrahuntur, mensis hic constaret 28. diebus, & horis 18. Quare multo plus est detrahendum; tantum vero, vt quatuor septimanæ mensem peragrationis conficiant, & 20. dies sit decretorius, non 21. quod vt facilius addiscas, & memoriæ commendes, hanc schedulam apponere placuit ex Astrologis, & optimis quibusque Auctoribus sumptam 4. criticus, & index constat diebus 3. horis 9. 7. diebus 6. horis 18. 11. criticus, & index diebus 10. & horis 3. 14. quartus criticus diebus 13. horis 21. 20. diebus 20. horis 6. 24. diebus 23. horis 15. 27. diebus 27. horis 8. ad locũ Gal. diximus legendum esse, vbi ex professo hoc tractat. ad Hip. die 8. lunarem esse principium secundæ septimanæ, & 11. esse 4. lunarem.

Auctoris opin.

Quodnam diei decretorij initium. Cap. IV.

Variæ de diei naturalis initio opiniones.

Litigant de re hac medici, non minus, ac gentes de diei naturalis initio; nam, vt constare facilè cuique potest, magna fuit inter illas de re ista varietas; Babilonij enim, vt refert Gell. lib. 3. noct. Attic. & Macrob. 1. saturn. à Solis ortu initium diei sumebant: ab occasu Athenienses: à meridie Vmbri: Romani quorum consuetudinem, nunc seruat Ecclesia, mediam noctem diei principium constituerunt: vnde Plebis Tribuni, quos nullum diem à Roma abesse licebat, si ante mediam sequentem reuersi fuissent, vnicam abfuisse diem non dicebantur, quoniam ante horam noctis sextam reuersi, aliquam diei partem in vrbe consumebant.

Nec minor dissensio de initio diei decretorij.

Sic medici non pauci (vt eo reuertatur oratio, vnde fluxerat) à primo die decubitus, censet dies decretorios numerari debere: errore magno, vt aduertit Gal. 1. de dieb. decret. cap. 6. nam quidam sunt ita molles, & delicatuli, vt nondum morbo correpti: sed neutra dispositione affecti, lecto accumbant: alij contra, vel quia robusti, aut quia grauioribus sunt occupati negotijs, tardius quã deberent, decumbunt. Quare præstat dicere, diei decretorij initium, coincidere cum principio morbi, non eo principio, quod morbi cruditatem significat, aut tres primos dies, aut primum morbi insultum, sed ea morbi parte, qua sensibiliter lædit actiones.

Nam quidem numerant male à die decubitus, vel Maref. hist. 9. affid.

Nec à lęsa actione sensibiliter.

Sed quoniam multi cum vno tenerentur morbo, alio deinde corripiuntur, vt cum parturientibus, aut cranei fracturæ, superuenit febris, dubitatio hic maior, vnde nam computatio facienda dierum, à die partus. fracturę, & inflammationis, an febris? est item dubitatio, vbi à morbo quis cõualescens, iterum in morbum relabitur, vnde numerandum, à die recidiuæ, an ab eo temporis articulo, quo quis prima vice, cæpit ægrotare; atque vt ab hac difficultate, rem ordiar, puto, & est communis ferè omnium sententia, vbi morbus, qui repetit, non habet distinctam à præcedenti naturam (esset enim hæc permutatio morbi, non recidiua) neque prior omnino extinctus erat, sopitus potius, numerandum à die esse, qua quis prima vice cæpit ægrotare; ratio est, quia vnus est morbus; nam si diuersus, quia intermisit, numquam intermittente febre laborans, primam diem

Vnde numerandum cum quis patitur recidiuam.

pertransiret, sed tot laboraret distinctis febribus, quot esset correptus accessionibus. Quo autem pacto intermittens morbus sit vnus, non est præsentis loci indagare. sic Hippocr. 3. epidem. in hist. Hermocratis recidiuam primario affectui iungit: vnde scribit 14. *die à febre liber esse est visus*: 17. *rursus febricitauit*: 20. *febris expers*: 24. *eadem rediit*, tandem 27. petiit. Iunxit autem 14. diem cum 15. quia die 14. haud perfectè à febre conualuerat, eamque ob causam, auctore Galen. in comm. Hippoc. dixit, visus est à febre liber, quia verè à febre nondum euaserat: vbi autem reincidit quis in morbum, non ob errorem aliquem, sed ob morbi reliquias, debet fieri à prima die febris computatio, non autem à die recidiuæ. Colligere idem licet ex historia Anaxionis, quæ habetur 3. epidem. com. 3. habet enim 20. die sudauit: febre liberatus est omninò: 27. rediit, 34. perfectè est iudicatus. Itaque, & Hippocr. auctoritate constat, & ratione, vbi fit recidiua ob reliquias in morbo relictas, à primo morbo esse numerandum, non ab eo die, quo facta est recidiua. Verumtamen, si morbus succedens sit à priori diuersus, aut eiusdem naturæ, priori omnino extincto, & curato, erit hoc casu facienda computatio ab ea die, qua inuasit nouus morbus, est hoc certum; nã succedens diuersus, diuersam naturam habet. Quare & constitutionem. Succedens priori omnino extincto, habet suũ initium, eo articulo temporis, quo actiones cœpit manifestè lædere. Quare & ab eo puncto, decretorii dies numerandi; nam si à die, quo alius inuasit, numerare velis, non video profecto, cur qui modo laborat tertiana, si post duos annos simili corripiatur, triennalem esse negemus, quando ab eadem bili originem duxit.

Vnde numerandum cum febris superuenit puerperæ. Hipp. varius.

Sed sunt hæc clariora, quam vt maiori declaratione indigeant: alia difficultas difficilior diuersitate opinantium; nam à partu quidam numerant, moti ex Hipp. qui 3. progn. 12. scripsit, *Pari modo in mulieribus iudicationes fiunt à partu*, & Galen. qui in com. citati loci, *principium*, inquit, *numerationis tibi fiat, non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint*. Quia vero videbant iidem, non raro Hippoc. quasi mutata sententia, non à partu, sed à febris die numerasse, vt vxore Dromeadæ 1. epidem. com. 3. t. 27. & in muliere, quæ apud frigidam in Thaso habitabat, dicũt quidam, epidemiorum libros ad memoriam scriptos fuisse ab Hippoc. prognosticorum libros, necnon aphorismorum, doctrinales esse. Proindè inferunt, ex his esse addiscendum, quæ fuerit Hippocr. de re vnaquaque sententia, non ex opere epidemiorum, quod ad memoriam tantum composuerat, non vt diuulgaret, & alios doceret. Ita Moxius 3. de curat. enixarum cap. 26.

Distinguunt alii, vt contraria de re hac Hippocr. loca conciliarent. Ergo dixit Christophorus à Vega 3. prognost. comm. 10. si post duos, aut tres, à partu dies superueniat febris, à die partus esse computandum: à die febris, si post quinque, aut sex dies à partu superueniat illa: Dat rationem, quia febris post duos, aut tres dies, à partu succedens, humorum motum sequitur, qui partus die cœperunt moueri; at vbi fiat eadem post multos à partu dies, sequitur tunc illa humorum putrescentium motum. Propterea in hac numerandum à die febris: in illa, cum pepererit mulier. Distinguunt item alii de partu naturali, ac præter naturam, cũ grauissimis symptomatis facto; atque vbi naturali, succedat febris, à die febris numerant: vbi præter naturã partui superueniat, à partus die: non ea, qua excluditur infans, ex sententia Valles. 10. controu. cap. 4. & 3. progn. sed quo parere incœpit; nam tunc cœpit moueri materia. Auicen. quamquam alii conentur aliter interpretari, manifestè videtur statuere, à die febris esse numerandum, dicit enim, *etsi pepererit mulier, deinde accedat ei febris, tunc si non computetur ex febre, & non nisi ex partu est illud error*. Et certè, vt rem fatear ingenuè, id ratio suadet; est enim partus procatartica quædam causa succedentium morborum, quia agitauit, quæ antea quiescebant excrementa; at non est necessarium, vt mota excrementa statim corrumpantur, & febrem inuehant. Quare si à partu quis numerat, continget non raro, vt eam faciat primam diem febris, in qua nulla fuit; vt propterea reiicienda sit eorum sententia, qui tunc à partu censent numerari debere, cum post tres dies à partu superuenit febris; si enim nulla antea fuit, qua moti ratione dicemus, tertiam diem febris? atque si necessarium non est, vt à partu præter naturam, fiat statim febris, nam multi cum grauissimis conflictentur doloribus, non febricitãtes non est cur propterea dicamus, vbi partus est præter naturam, à die quo partus doloribus correpta fuit, numerari debere.

Vega sententia.

Vallesi.

Auicen.

Auctoris

Nec rationis robur eneruat Valles. dicens, esto febris non adsit, satis tamen esse, quod praua cœperit moueri materia: vnde quia in parturitione moueri cœpit, à parturitione inquit, est computandum, nedum à partu; si enim satis esset adesse causam antecedentem febris in venis, cum eadem præexistat non rarò multo tempore ante exortum febris in venis, possemus propterea inde febris dies enumerare: at nunquam hoc faciũt medici. Nec si vellent possent; quibus enim indiciis nosceret medicus, quæ fuerint illius humoris primordia? Non itaque

quę is tantum temerè faciet, qui à parturitionis die numerare tentabit, sed neque à die partus licebit id facere. Confirmatur, quia computatio facienda ab hora qua cœpit putrescere humor, non moueri totaliter.

Ex hoc patet, neq; Moxij solutionem admittendam esse, qui à partu eam ob causam numerandum censet, quia quamquam febris nondum in lucem emersit, est tamen in enixa causa febris,& in causa morbus: esto enim contineatur in potentia causæ, certum est id satis non esse, vt à partu propterea computemus, quia adhuc febris putris antea quam in lucé prodiret, erat in potentia humoris, qui in corpore extabat, nec tamen propterea à die, qua causa est prognata numeramus, sed à febris exortu. Cur modo in casu proposito non idem seruabimus?

Quia dices, cum febris capiti vulnerato superuenit, à die inflicti vulneris numeramus, non à die febris. Quare eodem computabimus modo cum febris superuenerit partui.

Vide quam dispar est ratio: febris, quę superuenit capiti vulnerato, est veluti symptoma morbi in soluta vnitate: vnde cum non sint numerandi symptomatum superuenientium dies, alioquin cum non omnia vna die appareant, turbaretur sẽper ratio computandi: à die inflicti vulneris numeramus. Contra febris, quæ à partu superuenit, est morbus ab humoribus putrefactis dependens, non ab alio morbo: propterea à die febris, non partus numerandum.

Hæc cùm vidissent contrariæ opinionis assertores, adhuc instant. Ergo saltem in partu, qui est præter naturam, in quo puerperia retinentur, vel quia viæ obstructæ, aut quoniam vis expultrix vteri irritata à mordacia calidorum succorum, alio puerperia repellit: aut tandem, quia adeò est debilis, vt expellere non valeat, in hoc saltem partu; nam huius culpa febris, erit à die partus numerandum.

Conantur alij plus extorquere, & dicunt, adhuc partus est morbus, multos enim aduehit dolores: est præterea crisis: hæc subita in morbo mutatio. Quare vbique par ratio; ergo vt à die vulneris inflicti capiti computamus febrem superuenientem, sic computandum à partu, non à febre.

At sunt priorum conatus inanes, quáquam adhibuerint vltimos. Posteriores falsò quædam effutiunt, vt propriam sententiã tueantur vtcumque; quis enim partum morbum dicere audebit, ni ex eorum sit numero, qui amore propriæ sententiæ allectus, non videt quæ morbi sit, quæ partus natura; est enim partus exclusio fœtus. Quare motus: non itaque morbus. Præterea est partus actio naturalis: morbus quid pręter naturam. Partus nõ est morbus.

Non est idem vera crisis, quia nullus in ipso morbus; nam dolores, qui in partu naturali contingunt, non sunt vsq; adeo magni, præsertim in ijs, quæ pepererẽ multoties, vt extra limites sanitatis patientem constituant.

Attulere probabiliora priores, sed neque admittendi. Primum, quia non semper in partu præter naturali retinentur puerperia, aut vitio vteri, vel ob viarum angustiam, sed quandoque crassities sanguinis est in causa. Neque vbi retineantur ob morbum, ab affectu, qui est causa retẽtionis computandum: alioquin. Cur non ab ortu calidæ intemperiei iocinoris, calidiorem bilim progignentis, aut maiori copia, non numeramus in ardentibus, vel tertianis, quando numquam fit tertiana non malè affecto hepate? Ratio diuersitatis est, quia febris, quæ capiti vulnerato superuenit, habet se ad modũ symptomatis, non sic febris, quæ à partu, ni sit ex genere earum, quę inflammationem vteri sequuntur. Nempè solet multiplex febris à partu superuenire, ephemera nempè, & putris. Prior duplex, alia, quæ fit à doloribus partus, & lactis generatione, est alia, quæ ab vtero inflammato exoritur. Putres item, adhuc sunt duplices, continentes aliæ, excitatæ à sanguine in venis magnis vteri putrescente: sunt aliæ continuæ periodicæ, quæ fiunt ab humoribus, haud quidem putrescentibus in venis amplis vteri, sed alijs, & minoribus, pro quarum curatione controuertunt medici, an conueniat sanguinem mittere ex venis superis, & expurgare. Si loquamur de febre putri, ab hora, qua exoritur computandum. At si loquamur de ea, quæ est symptomatica, & ephemera, in hac numerandum eodem prorsus modo, quemadmodum facimus in ea, quæ capiti vulnerato superuenit. Quare eum computemus in illa ab hora inflicti vulneris, sic in ea, quæ succedit à partu inflammato vtero, cum sit veluti symptoma, à die partus erit numerandum. Trifariam itaq; cum possit computatio fieri, mirandum non est si modo hanc, modo illam rationem numerandi probarit Hippoc. Quod quidam dixit in vniuersum, computandos esse dies criticos ab hora partus, in particularibus mulieribus à die febris, respuo, reijcio. Si enim in vniuersum homo est animal, quomodo Petrus homo cum sit, non erit idem substantia animata sensibilis? Si ergo censeat in vniuersum ab hora partus, diem numerandum esse, doceat necesse est, cur postea propositum computandi præceptũ non obseruet, sed à die, qua febris inuasit enumeret, quod cum non fecerit, sed id gratis affirmet, iure quodam facere videbimur, si id resoluamus, & tãquam gratis dictum nullo modo admittamus. Febris à partu multiplex.

Dierum

Dierum decretoriorum species, & differentia. Cap. V.

Dilucidauimus critici diei naturam, nunc recensendæ eiusdem differentiæ, ne à proposito ordine recedamus. Sunt dies decretorij sic dicti à crisi, quę in illis contingit. Quare vt crisium quædam est bona, mala alia, sic criticorum dierum alij ita boni sunt, vt Regi comparentur: sunt alij vsque adeo mali, vt sæuo assimilentur tyranno. Prioris generis sunt 7.14.20. posterioris 6. auctore Galen. 1. de dieb. decret. c. 3. Rursus cum horum criticent alij ex sua natura, per accidens alij, quidam dies critici, sunt per se decretorij: habent alij vim decernendi per accidens: vocantur intercidentes, intercalares, prouocatorij, quia natura haud consulto aggreditur pugnare cum morbo, & criticare, sed irritata à causa morbosa, & vt ita dicam prouocata. Priores adhuc sunt duplices, nam alij sunt decretorij tantum, sunt alij critici, & indices, siue indicatiui, & manifestatiui, quia non tantum decernendi vim habent, sed indicandi, & manifestandi, quia tamen plus valent indicando, quam decernendo, iure medici hos vocarunt indices, illos decretorios. Vtrique decretorij, seu principes, seu non principes, seu per se tales, seu per accidens tales, adhuc sunt duplices, pares nempè, & impares. Admisere has dierum differentias omnes medici. itaque considerāt decretorios dies intercidentes, siue intercalares, indices, seu indicatorios, & manifestatiuos, vacuos siue medicinales, vocant alij dies artis. Vacuos, quia illa die non solet mouere natura, medicinales, & artis, quia potest illa die medicus aliquid moliri, & mouere. Cur vero indicatorij dies sint ita dicti, an quia indicant, quidnam futurum sit decretoria die, cuius ipsi sunt indices, an quoniam morbi exitum nunciāt, an quia crisim indigitant, in hoc non video omnes conuenire.

Dies indicatorij cur sic dicti.

Mars. Cagn. opinio.

Putauit Cagnat. in exposit. aph. 24. 2. partic. non esse dictos indices hos dies, quod vim habeant præmonstrandi quid sit in decretorijs futurum; enimuerò si huiusmodi facultatem haberent, monstraret 4. quid septima esset molitura natura, 11. euentum 14. 17. quid futurum vigesima; hoc enim videtur innuere aphorismus ille, & in hunc sensum trahunt Hippocr. interpretes omnes eius loci: at constat esse hoc falsum, non solum multis obseruationibus proprijs, sed ex multis historijs Hippocr. nam Philisco, vt narrat idem Hippocr. 1. epid. comm. 3. quarta die exacerbata fuit omnia. Quare si illa interpretatio respiciatur, expectanda erat crisis aliqua in septima, & tamen die sexta perijt. Meto pariter cum quarta die grauius laboraret, conualuit sexta, & Erasinus cum quarta molestissimè se habuisset, quinta perijt. Qui in Dealcis horto decumbebat; excreuit quarta die stillam sanguinis, vnde cum iuxta regulam positam septima mori debuisset, quinta fuit perfectè iudicatus. Non ergo quid septima futurum die sit, quarta dies demonstrat.

Nec vndecima est index decimę quartæ, nam cum Philini vxor vndecima die dormire cœpisset, haud melius decimaquarta habuit, & Epicratis vxor cum die vndecima sudasset, nedum melius decimaquarta non se habuit, sed multo grauius fuit conflictata.

Sed nec decimaseptima vigesimæ est index, nam Hermocrates decimaseptima recidiuam est passus: vigesima melius se habuit: vigesima septima perijt. Rursus qui in Dealcis horto decumbebat, decimaseptima sudauit, & leuatus est, tamen cum vigesima die morbus omnino iudicari debuisset, ad quadragesimam vsque ægrotauit.

Tradit insuper aphor. 71. 4. partic. à septima nonnumquam decimam quartā indicari: vndecimam interdum indicasse decimamquartam, interdum vigesimā. *Cui* inquit *in septima apparuit, decimaquarta fuit indicatus: cui autem in decimaquarta, hic in vigesima apparuit: cuidam alteri in vndecima, qui decima septima est indicatus.* Et 4 acut. 66. *si febricitans*, inquit, *quarta die conturbata quædam loquatur: & aluus excernet biliosa, & liquida, is delirabit:* quando tamen, tacuit, quia incertum, & in Coacis prænotionibus *stillationes die vndecima contingentes difficiles*: & 2. epidem. sect. 3. ait, *sanguinis contingentes die vndecima eruptiones ægrè indicant*: an decimaquarta, nequaquam affirmat. Affirmaret autem, si vndecima esset eius index.

Proinde concludit 4. vndecimam, decimamseptimam contemplabiles dictas esse, non quod indicandi vim habeant, quid septima fiat die, decimaquarta, aut vigesima, sed quia prępmonstrant, quemnam sit morbus exitum habiturus: quod confirmat tum alijs obseruationibus proprijs: cum quia Græcus codex non habet septennorum, vt communiter legitur, sed septem, ac si dicere vellet, ex septem diebus, qui vnica hebdomada comprehenduntur, quarta solum est index, non diei septimæ, sed euentus morbi; nā quamquam mutationes quæcumque in alijs diebus factæ idem indicent: quia tamen quæ quarta die fiunt, ad hoc valent præcipue, idcireo has contemplabiles esse dixit.

Rejicitur.

Sed dum vir iste à communi sententia medicorum recedit, à veritate recedit; enimuero si ex septem diebus, quarta

dies

dies idcirco est contemplabilis, quia monstrat potissimum quem sit morbus euentum habiturus, dignior esset quarta dies septima, vndecima decimaquarta, decimaseptima vigesima, quod nedum Gal. & Hippocr. repugnat, sed communi sensui medicorum: quin nec ipse affirmare modo aliquo auderet.

In communis probantur.

Præstat itaque dicere, dies indicatorios ita dictos esse, vt passim hucusque docuere omnes, quia crisim futuram præmonstrant, tempus crisis, vt an citò, an tardè, & qualitatem eiusdem, vt an salubris, an lethalis. Quod monstrent tempus crisis, colligitur apertè ex aphor. 71. 4. sect. vbi hæc scripsit, *Quibus futura est crisis in septima, ij nubeculam habent quarta die in vrina*. Et aphor. 12. 1. partic. *Si coctio*, ait, *circa initia*, hoc est circa quatuor primos dies, auctore Galen. 10 com. *appareat, morbum breuiat*. Et 1. epid. com. 2. tex. 45. *coctiones celeritatem iudicij portendunt, securitatemque salubrem*; si itaque coctio circa initia apparens, celeritatem iudicij portendit, & sanitatem securam, & speciem crisis, bonam nempè, præmonstrare poterunt quaternarij, & tempus eiusdem.

In rationibus Cagnat. sit [illegible]

Nec opinandum est aliter ob rationes à Cagnato adductas; vt enim benè animaduertit Galen. 1. de dieb. decret. c. 11. est dies quartus per se, hoc est ex sui natura perpetuò index septimi, si nullus error contingat, neque ab alia causa interna, eaq; potentiori impediatur: externarum autem causarum nomine intelligo ægrum, medicum, adsidentes, & exteriora, vt 1. aphor. 1. idem Galen. docuit: Per internas autem causas, morbi, & ægrotantis naturam. Nimirum, si morbus peracutus fuerit extremè, impediet quo minus septimum, quartus indicet, quia primo quaternario morbus absoluetur: si moueatur dein tardius, nec seruet cõstitutionem legitimam, ad vndecimum, decimumquartum, & vigesimum vsque quandoque prorogabitur. Est quoque & ægrotantis natura non rarò in causa, ne quartus septimum indicet; nam si sensu plus iusto exquisito insigniatur, non poterit ad præstitutum vsque diem differre crisim, sed citius ipsam molietur. Idem continget, si vi benigni alicuius influxus roboretur, nempè citius pugnã aggredietur. Contra si eadem imbecillior fiat, vel crisis nullo modo fiet, aut tardius, aut mors pro salute. hæc cum passim accidere possint, non est cur miremur, si quandoque quaternarijs, septenarij proprij non respondeant; nam hãc ob causam dixit quoque Gal. 1. de dieb. decret. cap. 4. vt plurimum quartus septimum prænunciat. Preterea vbi dicitur quartum esse indicem septimi, vndecimum decimiquarti, decimumseptimũ vigesimi, haud credendum voluisse Hippocr. quartæ respondere septimam, vndecimæ decimamquartam, decimæseptimæ vigesimam in grauitate, & lenitate symptomatum, quod est commentus Cagnatus, & impugnat; nam siuè exacerbetur per pares morbus, seù per impares, numquam fieri poterit, vt quartæ proportione quadam respondeat septima: sed docere voluit, vbi futura est crisis die septima e.g. præmonstrari à quarta: ab vndecima, vbi decimaquarta criticatura est natura; à decimaseptima si vigesima e.g. sit decretura de morbo; nam cũ homo sit paruus quidam mundus: illud idem contingere verosimile est, cum crisis est futura in paruo hoc mundo, quod passim obseruamus contingere, cum crisis est futura in magno mundo: at vero quoties imminent tempestates, aut insigues, & magnæ temporum mutationes, solet notas quasdam natura præmittere in aere, aqua, aut alijs, quæ futuram pluuiam, aut aeris serenitatem prænunciãt. Quare eodem modo vbi crisim in paruo hoc mundo est molitura facultas, quæ nostrum corpus gubernat, & regit, præmittet pari pacto notas aliquas, quæ ipsam prænunciandi vim habent, vt nautæ periti instar, futuram tempestatem præcaueamus: has verò notas apparere in quarta, si crisis futura sit septima die, obseruauit Hippocr. in 11. si 14. 17. si 20. & sic deinceps. Quare verè dici potest septenarij cuiusq; quarta quæque est index, vnde 11. est index 14. 17. 20. & sic deinceps.

Ex his soluitur illa difficultas, quæ multos solet torquere, est autem ista: morbi peracuti celerius mouentur acutis: hi si exquisitè tales fuerint, ad finem properabunt celerius, quam affectus acuti ex decidentia: vnde illa septima, verè acuti 14. acuti ex decidentia, vigesima die terminantur. Non ergo verisimile est, indices omnes tribus diebus distare à die critico, sed vbi quarta die crisis nota apparet, aut citius illa fieri deberet, cum morbus sit peracutus: aut vbi 17. in medium se prodit, haud 20. crisis expectanda erit, sed in longius tempus differetur, quia morbi acuti ex decidentia tardius mouentur. Soluetur inquã siquidem celerior, aut tardior motus morbi, id facit tantummodo, vt citius aut tardius fiat coctio, citiusq; aut tardius appareat nota, quæ crisim futuram prænũciat: non tollit tamen quo minus apparentibus notis futuræ crisis, decimaseptima e.g. die, quin 20. possit illa fieri; nam neque in ijs quæ fiunt in magno hoc mũdo crisibus, succedit res aliter, sed exiguo distant interuallo horarum, aut dierum notæ futuræ crisis à critica die. Quare, & quarta septimæ index esse poterit, & 11. 14. & 17. 20. & sic deinceps, sed multum in re ista morati sumus, propterea

pterea plura nequaquam addemus.

Num vigesˢ.ᵃ dies, an 21. critica dici debeat. Cap. VI.

POstquam recensuimus species criticorum dierum, est modò videndum sub qua specie singuli contineantur, vt intelligamus, quinam & quales sunt critici dies, qui intercidentes, siue intercalares, qui indicatorij, qui demum vacui, & medicinales; nam nisi hoc recte calleamus, aut operabimur aliquid die critica, qua quiescere conuenit, cum sit dies naturę, aut die medicinali abstinebimus, sinentes inutiliter labi opportunam agẽdorum occasionem. Cœterum, quia principes primum sibi locum vendicant, videbimus primũ, quinam principes dies critici, præsertim cum ex decisione huius difficultatis multæ aliæ facilè dilucidentur.

In re ista est vnum, in quo omnes conueniunt, est aliud controuersum, & dubium: fatentur omnes, & septimam diẽ, & 14. principes decretorias esse, tantum abest, vt aliquis dubitarit, habeant ne vim aliquam criticandi: sitne 20. tertia decretoria princeps, & ab Arabibus radicalis vocata, an 21. in hoc non video medicos conuenire. Non conueniunt inquam in principibus; nam omnes fatentur, vtramque diem decretoriam esse, & vim criticandi obtinuisse: vtra tamen sit princeps, de hoc litigant.

Primo opin. Vigesimæ primæ tribuit principatum Diocles. Idem Archigenes, & Celsus 3. sui operis cap. 4. nec Hipp. discrepare videtur; nam 7. epid. comm 3. text 14. *circuituum*, inquit, *qui iudicantur diebus imparibus, primus est* 3.5.7.9.11.17.21. & aph. 36. sect. 4. *sudores*, inquit, *febricitantibus boni, qui manare cœperunt die* 3.7.11.14.17.21. Idem innuit lib. de dieb. iudic. Huic quoque ratio attestatur, nam est finis tertiæ septimanæ. Quare si septima, & 14. ob hanc causam sunt criticæ principes, erit consonum rationi, vt de 21. nos idẽ affirmemus, quando hæc tertiam septimanam terminat, non vigesima. Addatur, & illud, quod cum decretorij dies in morbis acutis obseruentur, qui à succis calidissimis concitantur, vt à biliosis, per impares dies exacerbabuntur. Quare fiet 21. accessio maior; at coincidit dies critica cum die maioris exacerbationis. Quare vigesimæprimæ, non 20. diei criticæ principatus deferẽdus erit.

Secunda Gal. Pugnauit pro contraria sentẽtia acerrimè Galenus 3. de dieb. decret. 8. & passim alibi, nec solum experientia probauit, magis criticam esse vigesimam diem, quam vigesimamprimam, verumetiam rationem inuenit, qua id suaderet. Ergo ait, si à Luna habent dies vim criticandi, ac propterea ij potissimum facultate hac pollent, qui septimanas terminant, erit procul omni dubio 20. præferenda, quando hæc finis est tertiæ septimanæ. Vt probet minorem, mirum quanta commentatur, & fingit. Ponit itaque, quod cum triplex sit lunaris mensis, coitus nempè, siue coniunctionis, peragrationis, seù progressionis, & illuminationis, non sortiri dies vim criticandi ab eo, quod influit Luna, dum est cum Sole; nam tunc temporis, aut nihil Luna communicat, aut nihil profectò commentatione dignum: neque hoc sumere à Luna, dum orbem signiferi peragrat, aut lumen in nos refundit; nam & lumine, & motu in nos agit, sed vim criticandi sortiri concludit à mense medicinali, qui cum componatur ex mense peragrationis, & illuminationis, qui simul iuncti faciunt dies 53. horas verò 20. nam dies peragrationis constat diebus 26. horis vero 12. erit huius medietas dies 26. horæ verò 22. quartaque eius pars, quæ septimanam constituit spatium sex dierum, & horarum 17. At si hoc spatium ter numeretur, facient tres septimanæ dies 20. horas verò 2. aut 4. vt numeremus minuta etiam. Quare dies 20. magis erit critica, quia hæc finis tertiæ septimanæ, non 21.

Confirmatur idem secundo auctoritate Hippoc. nam dixit Hipp. 17. esse contemplabilem, hoc est indicem, quod falsum, si vigesimaprima decretoria esset; nam de decimaoctaua asserendum illud fuisset. Præterea illo posito, non esset 27. decretoria, 35. 40. 60. 80. 100. sed 28. 36. 4?. 6?. 84. & sic de alijs, quæ cum repugnent iis, quæ de ratione computandi passim scripsit Hippocr. fatendum est, Hippoc. voluisse 20. magis criticam esse, quam 21.

Hæc medici quidam cum exactè perpendissent, dixerunt, quandoque 20. quãdoque 21. maiorem criticandi facultatẽ habere: sed licet multi veniant in hanc sententiam, non omnes tamen eodem illam modo exponunt. — Tertia media aliorum modo ab alijs explicata.

Dixit Concil. differ. 105. vbi facultas, quæ humorem debet coquere, & expellere est valida, & fortis, siue sua natura, seù quia est roborata vi alicuius influxus benigni: materia verò faciens morbum est substantia tenuis, qualitate calida sicca: quantitate neque exigua admodum, neque multa, sed tanta, quanta est satis ad inferendam molestiam, non multum grauare, neque tanto esse oneri, vt nec pellere valeat vis expultrix, nec concoctrix vincere: quod vero spectat ad sitũ, in parte calida posita, & apta nata moueri: tunc, inquit, temporis, fiet crisis perpetuò 20. die. Quare hæc maximè critica erit. Contra vbi facultas, & coctrix, & pellens est debilis: materia verò, vel — Conc8.

multa,

multa, ita vt oneri, aut adeo exigua, vt facultatem non valeat stimulare, qualitate frigida, substantia crassa, & in frigidiori contenta loco: hæc quoniam tardius stimulabit, illa tardius coquet, & ad pellendum insurget: vigesimaprima magis decretoria erit. Vbi quædam ex his conditionibus adsint desiderentur contra aliæ, inchoabitur 20. crisis, absoluetur 21.

Secundus modus.

Dixere alij, morbos, in quibus natura criticat, duplices esse, alios, qui paribus exacerbantur diebus: sunt alij, qui in diebus imparibus habent accessiones. Quo posito, subdunt, vbi morbi diebus paribus exacerbantur, vigesimam esse magis criticam, quam 21. Contra, vbi accessio per dies fit impares, vigesimaprima erit decretoria magis. Sunt ducti in hanc sententiam auctoritate Hippocr. nam 1. epid. comm. 2. tex. 13. scripsit, *quæ paribus diebus accedunt, paribus exacerbantur, quorum sunt in imparibus accessiones, in imparibus iudicantur.*

Tertia Vgonis.

Existimauit 3. Vgo Sen. posse criticum diem bifariam sumi, pro eo, in quo fit alteratio, seù humoris concoctio, & pro eo, in quo coctus humor expellitur; nam & crisis, à qua dies critici appellantur, solet pariter bifariam sumi, pro separatione nimirum boni humoris à malo, & pro expulsione, quæ factam secretionem subsequitur. Si, inquit, dies critica sumatur pro ea, in qua fit humoris commotio, erit 20. magis critica: at si accipiatur pro ea, in qua fit humoris expulsio, magis, inquit, critica est 21. 20. minus.

Displicuit vterque modus dicendi nõnullis, quod à Galeni mente sit alienus; ponunt enim vtriq; causam criticorum dierum à motu humorum pendere, & 20. esse decretoriam, & 21. prout varia est natura humoris, quæ modo citius mouetur, & stimulat naturam, modo tardius, ac propter hanc causam nunc 20. insurgit ad extrudendam causam facientem morbum, nunc 21. quo quid à Galeni mente alienum magis fingi potest, est nihil, quippe qui vbique contendit, potissimum verò 3. de decret. dieb. à Luna fieri, vt quidam dies frequenter, & tuto criticent, non ab humore.

Quartus modus.

Dixere propterea alij, dies fieri criticos duplici ex causa, superna altera, est vero Luna, altera inferna, est autem humor impellens, & vrgens naturam, hæc stimulata, & insurgens. Si loquamur, aiũt, de criticis à causa superna, vigesima est magis critica, quam 21. at si quæratur, vtra magis sit critica à causa inferna, nunc dicunt est 20. nunc 21. illa enim maiorem criticandi facultatem habebit, in qua maiorem fieri accessionem contingit; at verò contingit fieri vtrumque, & quandoq; magis exacerbatur morbus in vigesima, quandoque in 21. Quare à radice inferna quandoque criticabit hæc magis, quandoque 21. Iuxtà hanc decisionem, aliam difficultatem determinant, qua quæri solet ab Auicennistis 2. 4. tr. 2. præsertim verò à Thadæo, sitne 13 dies, magis critica, an 14. Si aiunt, loquamur de criticis diebus à causa superna, est 14. magis critica: at si quæratur vtra magis sit critica à radice interna, nihil certi statui potest; nam nihil perpetuum, sed interdum 13. quandoque 14. maiorem fieri accessionem contingit. Inferunt præterea, nullam esse in Hippocr. vel inconstantiam, aut contradictionem, quãquam aperta esse videatur, cum modo numeret quosdam inter criticos dies, vt in epid. quos silentio inuoluit in aphor. & prognosticis; nam in his inquiunt, libris, eos dumtaxat numerauit dies, qui vim habẽt præcipuam criticandi à causa superna mutuatam: in epidomijs eos addidit pariter, qui à radice inferna habuere, vt possint iudicare. Inferunt tertio, septimam diem esse omnium dignissimam, quia habet facultatem criticandi à radice inferna, & superna, cum acuti morbi imparibus diebus exacerbentur. Ex his, quæ hinc inde collegimus potest facilè vnusquisque intelligere, decisionem propositæ controuersiæ ex alterius decisione pendere, quæ est de causa criticorum dierum; si enim putet aliquis, dies criticos fieri, qui ea die humor magis stimulat, & naturam ad pugnam inuitat, alia minus, non poterit idem ab ea sententia recedere, quæ statuit, quandoque vigesimam, quandoqne 21. esse criticam magis; nam quandoque morbus 20. magis exacerbatur, vexat alias magis cum ad diem peruenerit 21. At si præter hanc causam criticorum dierum, aliam, eamque cœlestem agnoscamus, non erit id decidere admodum facilè. Cœterum quia, vt mox dicemus, causa criticorum dierum est vnica inferna, nempe motus humorum, præter hanc nullam cœlestem agnoscimus; idcirco statuimus, & vigesimam, & 21. esse criticam; nunc magis vnam, nunc digniorem alteram, prout morbus modo exacerbatur per pares, nunc per impares dies, vel modo occurrunt causæ, quæ crisim promouent, nunc aliæ, quæ eamdem retardant. Quæ sint illæ, habes ex opinione Conciliatoris.

Auctoris opinio.

Vbi instatur, hoc posito, sequi 42. esse criticam, 28. & 63. & sic deinceps, libenter hoc concedimus; nam quamquam Hippoc. posuerit 20. & 80. esse criticas, non negauit tamen, quin aliæ criticæ pariter esse possint: Imò ex hoc habetur apertè, nostram sententiam Hippocratis esse, quia has omnes dies criticas posuisse est certum.

Gg Qui

Qui dies decretorij pares, qui impares. Cap. VII.

POstquam vidimus quinam sunt dies critici principes vocati,& radicales, esset consequens modo, vt de diebus indicibus sermo haberetur. Quocirca sub examen reuocari deberet, an 4. dies sit index 7. an 11.14. an 17.20. & sic de alijs, quemadmodum apertè videtur innuere Hippoc. aph.24. 2.partic. Quoniam verò de re hac actum abundè, ni fallor, est c.5. huius libri, propter hanc causam hoc omisso, dicemus, quinam dies decretorij pares, quinam impares.

Videtur discrepare Gal. ab Hipp. Non conuenit in re ista Galen. cum Hippocr. hic enim 1. epidem. com.3.14. hos in parium catalogo numerat 4. 6. 8. 10.14.28.30.48. 60.80.100. inter impares recenset tertium 5. 7. 9. 11.13. 21. 27.31. Gal. contra 4. de ratione vict. 56. imparium dierum, qui in morbis acutis decernunt catalogum faciens, hos recenset 5. 3. 7. 9. 11. 14. eorum qui in diuturnis criticant 60. 80. medios inter hos esse statuit 20 30.40. Quare sunt hi omnes impares Galeni sensu 14. 20. 34. 60. 80. manifestè, vt patet, nedum cum Hippoc, sed ratione pugnans; nam quicumque numeri in æquales secantur, sunt pares, huiusmodi sunt 14. 20. & reliqui omnes: sunt itaque pares. At si ita est, non erit 14. dies vere critica in acutis; nam iudicia fiunt ijsdem diebus, quibus exacerbationes; cum itaque hæ fiant in diebus imparibus, vel non erit 14. dies decretoria aut erit impar.

Conciliantur tamen. Sed facilè conciliantur, si dicamus, bifariam posse numerari vsque ad 14. Potest fieri numeratio successiuè omnium dierum, possumus secundo computare dies,& 14. potissimum per septimanas: si primo modo numeres, par erit 14. dies, at si per septimanas, erit eadem impar, quia 14. est septima secundæ septimanæ, vigesima est pariter septima tertię septimanæ, in secundo vigenario, 34. est pariter septima secundæ septimanæ, & 40. tertiæ: tertij vero vigenarij 60. septima est tertiæ illius septimanæ, septima pariter 80. quartæ septimanæ. Quare hi dies omnes impares. Posteriori hoc modo numerauit Gal. priori Hippocr.

Obiectio. At obijcies, tres septimanæ faciunt diem vnum supra viginti, sex, vnum supra 40. eædemque multiplicatæ facient 61. 81. 101. dies, non 60. 80. aut 100. Sol. Respondetur, quod facerent, si integri dies assumerentur, nunc autem detrahendas esse aliquot horas, supra est à nobis dectetum; nam quod alij dicunt, 14. diem bis numerandum esse, semel tamquam finis prioris septimanæ, ac denuo tamquam principium tertiæ, summa ratione negatur, cum nullo fundamento dicatur; cur enim 14. dumtaxat bis numerabitur, non alij dies, cum alij quoque sint pariter finis vnius septimanæ, & alterius principium? Scio hunc modum dicendi ortum ab Hippoc. dicente, 17. esse quartum à 14. die, & septimum ab 11. quod falsum ni 14. bis numeretur, sed saluari Hippocr. adhuc potest subtractione horarum; nam quatuor sunt inchoati, quãquam nõ completi. Quare cum hoc probabilius, id mihi magis probatur.

Desideraret forrasse nunc aliquis, vt postquam declaratum à nobis est, quinã sunt dies critici principes, qui indices, qui pares, qui impares, explicaremus modo quinam sunt dies intercalares dicti, qui artis, ac propterea medicinales vocati, quiuè inter principes, indices, atque alios omnes digniores; ita enim videremur ea omnia absoluisse, quæ de disputatione proposita quæri possint, & ab alijs, qui in huiusmodi arenam descẽderunt, sunt agitata. Quoniam vero, quod spectar ad dignitatem criticorum principum, conueniunt omnes, primum locum septimo deberi, 2.14. 3.20. neque aliqua est controuersia de intercalaribus, aut medicinalibus, quis enim est vsque adeò rudis, qui vbi semel cognouit intercidentes dies, siuè intercalares eos esse, in quibus vi accessionis stimulata natura de morbo decernit, non statim intelligit, ferè nullam diem esse, quæ hac ratione non possit dici critica? Quæcumque enim dies, aut par est, aut impar, morbique omnes, aut paribus exacerbantur diebus, aut imparibus. Quare cum quauis die maxima exacerbatio cõtingere possit: quæuis dies intercalaris esse poterit, & ratione causæ inferioris criticare. Est hoc vel Galeni testimonio certissimum; siquidem numerat inter decretorios 4.5.6.7.8.9. 11.13.14 15. 17.18. 20.21.24.27. 31.34.37.40. 100.120. Neque prima dies videtur excludenda, quamquam Hippocr. 1. epidem. 2. 14. primum decretorium tertiam diem faciat; nam diariæ prima, qua incipiunt die terminantur, apoplexia quoque,& angina prima die faciunt mutationem ad melius, quandoque secunda, cum autem fiat ad melius mutatio illa, humore à ventriculis cerebri ad neruos deriuato, quo fit, vt paralysis excitetur, prima, aut secunda die vera crisis fieri poterit. Quare, & critica esse. Nec Galenus abnuit, ait itaque 1. de dieb. decret. cap. 10. *si crisim vocamus perturbationem, quæ vacuationem præcedit, neque primam diem, neque secundã esse criticam: verum si crisis nomine insignire velimus quamcumque morbi solutionem, & criticos dies eos omnes vocare, in quibus vtcumque morbus terminatur, negari non poterit, quin prima dies sit pariter decretoria.* Ne itaque in rebus cuique obuijs,& quę

Nulla dies est, quæ non possit esse critica.

Etiam prima.

facilè

facilè possunt apprehendi detineamur, absoluemus quod reliquum. Ergo de causis criticorum dierum dicere aggrediemur, capite tamen proximè sequenti, vt vitetur confusio.

Dierum criticorum causa. Pythagoraeorum sententia affertur, & reijcitur. Cap. VIII.

DVO erant de criticis diebus examinanda, quid esset decretorius dies, & quot eius species, quæ eius causæ secundo. Quare vbi actum de primo, etit modo proposito consonum, vt de causis agamus; vt tamen intelligatur, id quod quærimus, scire primum oportet, non verti in controuersiam, qui fiat, vt natura septimo e.g. die criticet; nam quisque scit, vel parum in medicina versatus, falso id quæri, cum videamus quotidie, quauis die indiscriminatim criticare naturam, sed cur criticet frequenter septimo, & benè, & certa sit iudicatio hac die facta, siuè ad salutem fit, siuè ad exitium, dubia si quinto, aut nono fiat, hoc controuersum, hoc dubium.

Replicatur titulus.

Pythagorici in numerorum dignitatē, causam huius euentus reiecerunt: affirmant ergo, idcirco naturam, septimo ex g. die, fœliciter vna cum morbo colluctari, quia septenatio roborata pellit morbosam causam valentius, qua dignitate, quia alij numeri carent, non est cur miremur, si alijs diebus, aut non pugnet natura, aut pugnam aggressa succumbat. Esse septenarium familiarem naturæ, & dignissimum obtinere locum inter alios numeros, ex septenarij natura colligūt, & ex mutationibus multis, quas per septenarios natura molitur; septenarius enim nec ab vllo numero eorum, qui in denario continentur, gignitur, neque alium gignit, cum tamen cæteri gignantur, vel alium generent; nam replicatus binarius, facit quaternarium, triplicatus sextarium, quadruplicatus octonarium, si quinquies replicetur denarium: ternarius bis, teruè acceptus senarium, vel nonarium constituit; replicatus quaternarius facit octo, quinarius decem, senarius, octonarius, & nonarius, quamquam alium numerum eorum, qui in decimo continentur, nequaquam gignant, gignūtur tamen à binario, ternario, quaternario replicatis: solus septenarius, neque alium gignit, neque ab alio gignitur: vnde Pythagorei, huc fortasse respicientes, vocarunt ipsum Mineruam, quæ ex nulla matre fingitur progenata: & virginem, quia vt Minerua, nullum numerū gignit. Lege Phylonem lib. de opificio mundi. Frequentes mutationes fieri per septenarios, multa docent, quæ omnia

Affertur Pythagoraeorū sententia.

Fundamentum.

elegantissimè Græco epigrammate complexus est Solon, sic latinè reddito à Gregorio Gyraldo: proferam in mediū illud.

Impubes, & adhuc infans, cum septa molaris,
Educit primum, septimus annus erit.
Cumque alios septem, Deus huic perfecerit annos,
Apparent pubis, mollia signa nouæ.
Tertia mox vestit, tenera lanugine malas,
Heu nimis ætatis, flos cito præteriens.
Iam iuueuem viresque facit tibi septima quarta,
Virtutis profert, certaque signa viri.
Coniugijs ætas maturum, quinta ministrat,
Natorū, & quibus est posteritatis amor.
Sexta homini mentem, cunctos adducit ad vsus,
Qui queat ingenio, rebus, adesse suis.
Septima mente valet, & lingua, & simul istis,
Octaua, ambæ annis quatuor atq; decem.
Nona ætate etiam mage mollia dicere quibit,
Virtutem ad magnam, lingua etiam & sophia.
Si quisquam ad decimæ mensuram, exegerit annos,
Intempestiuam, non habet ille necem.

Pythagoræos sequuti sunt multi, & si Celso credimus lib. 3. cap. 4. medici quoque in eadem sententia; nam hinc fit fortasse, vt semper septem pillulas propinent; nempè arbitrantur, vt musici per constitutos numeros, animi moderantur affectus; sic ipsi tumultuantes humores, certo numero pillularum ad symmetriā reducere: neque Arist. ab hac sententia alienus fuisse videtur; nam primo de Cœlo, mire extollit ternarium: & Scriptura sacra, carum fuisse septenarium Deo docet Hippoc. quoque dixit 2. aph. 24. idcirco vndecimam diem, decretoriā esse, quia est quarta secundæ septimanæ; decimæseptimæ eamdem dignitatem censet tribuendam esse, quia est pariter quarta à 14. & ab 11. septima; aperte numeris virtutem criticandi attribuens. Quid ex petientias commemorem, quæ aliquā numeris vim inesse ostendunt? Nimium protraheretur oratio, si singulas velim recensere, propterea pauca tautum attingam; ac primum colligo hoc ex climaterico anno, & partu octimestri, qui nonnisi ob vim numeri sunt læthales, hi quidem fœtui, & matri quandoque: ille senibus. Colligo secundo ex herba pentaphillon vocata; nam vnicum eius folium admotum, ephemeram curatis sanant tria tertianā, demoliuntur quatuor quartanam. Nihilo tamen minus sententia, quæ nullam vim numeris tribuit, est longè probabilior, tum si dicentium auctoritatem ponderes; nam hanc tenet Arist. Galen.

Idem videtur placuisse medicis.

Reijcitur, quia contrarium fundamentum verū nullam scilicet esse virtutem in numeris.

Galen. medici demum omnes, & Philosophi, paucis quibusdam Platonicis exceptis quos nemo ignorat, vocasse numeros ipsas rerum sensibilium essentias, quas è rebus sensibilibus seiunctas ponebant, cum si momenta rationum perlibres; nam numerus constat ex vnitatibus, est vnitas indiuisio: Quare negatio. Quare nihil positiui habebit. Confirmatur, quia accidentis vnitas pendet ex subiecti vnitate, & numeri subiectum, si spectetur remotum, sunt plures substantiæ interdum numero, interdum genere, aut specie differentes: si proximum constat ex pluribus quantitatibus, quæ quamquã singulæ sint sua natura continuæ, nullam tamen habent inter se vnionem. Quare numquam subiectum per se vnum constituent, vnde 3 phys. 7. dicebat Philosophus numerum esse vna plura quantauè quædam, & 10. lib. metap. cap. 9. scripsit, numerum esse multa vna: purum itaque ens rationis erit: nec obstat, quod Arithmetica de numero tractet, quod sit sensile commune; nam numerus à sensu priuatiuè percipitur, continuitatis carẽtia. Arithmeticus tractat de illo, quia materiale numeri, est quid reale: formale rationis. Esto tamen reale quid sit: quantitas est: nullam autem habet quantitas facultatem agendi. Septenarij dignitas, numquam nobis imponet, vt agendi vim ipsi tribuamus; nam alij extollunt, qui narium, vt licet videre apud Plut. in l. de ei in foribus templi Delphici inscripto, vnde dixit Ammon. vt refert Plutar. citato loco, vnumquemque numerum facilè laudare volentibus, materiam sui laudandi præbiturum. Quod Deus septimo die quiescere voluerit, altiora habet misteria abscondita. Hipp. quod ad ipsum pertinet, haud quidem putauit, vt suspicatus est Celsus, idcirco diem quartam decretoriam esse quia est quarta, sed quia quarta die ea facit natura, vel causa morbosa, quæ crisim proximo septenario futuram clarè indicant. Patet, nam si quarta dies, vt quarta indicatoria esset, esto nihil natura ea die moliretur, indicaret. Indicaret præterea semper, quia semper est quarta; at si nihil noui, aut morbus, aut natura ea die moliatur, nihil nobis valebit indicare. Quare non erit numerus, aut indicis diei, aut decretorij causa.

Quod habet Arist. 1. de cœlo ex aliorum sententia affert, Pythagoræorum nimirum, quos citat ibidem, vnde Auerroes in comm vocat famosam illam rationem .s. quia sumpta à vulgi sententia est, & consuetudine. Quod septem pillulas deuorandas dent medici, nõ idcirco faciunt, quod aliquam septenario numero vim putent inesse, sed quia præfinita illa quantitas in septem diuisa bolos, commodè potest ab ægro deglutiri, idcirco in septem pillulas illam diuidunt

Cur medici dent pillulas septem.

nihil de cætero moraturi, si ægro, aut in minores placeat contrahere, aut eamdem in multoplures partiri, dummodo in quantitate continua nulla sit mutatio. Aetates septimo quoque numero annorum diffiniunt, quia certo illo numero annorum, euidens fit mutatio in radicali humido, & naturali calore; est enim ætas mensura actionis caloris in humidum. Itaque non est numeri septenarij dignitas causa variarum ętatum, sed actio caloris in humidum, quę quia certo numero annorum, & proprie septimo quoque anno euidens est; hinc dicimus singulis septenarijs ętates induci, à calore tamen agente in humidum, non à vi aliqua numeri septenarij, quam nullam cognoscimus. Vnde quia actio hæc caloris in humidum radicale, potest esse maior minor; hinc fit, vt quidam consenescant citius, tardius alij, quod nequaquam contingeret, si in virtutem numeri septenarij esset causa huius effectus referenda.

Cur annus scalaris sit periculosus.

Gell.

Climatericum annum, seù scalarem sic appellant 63. reddidit infamem Augustus, nam auctore Gellio lib. 15. noct. Attic. cap. 17. publicè gratulatus est, suæ incolumitati abundè prospectum existimans, quod illum euasisset; siquidem senibus infestissimus obseruatur: vt propterea multi id admirati inquisiuerint, cur vltimus vitæ terminus, sit vt plurimum.

Card.

Vindicauit at illũ ab hac nota Cardanus, & numquam salubrius vixisse affirmat in comm. super lib. de septim partu, quam annis climatericis: Esto tamen sit ille infaustus, in quo plerumque cum valetudo, tum bona fortunæ periclitentur: sit idem, si sic placeat Deo perpetuò læthalis: an erit propterea ad numerorum vim necessariò recurrendum? minimè vero, quicquid dixerunt aliqui, quos refert Censorinus, autumasse idcirco hunc annum apprime vitæ infensum esse, quia ex nouem septenarijs, aut septem nonenarijs resultat: quamobrem cum pertineat ad corpus septenarius, nouenarius ad animum, autumarunt propterea esse hunc annum discriminis plenum, quia simul corpori, & animo bellum infert. Potius ducerem fateri cum Seneca, abditam esse huius euentus causam, nondũ mihi innotuisse, quam has nugas probare, quamquam videam non improbari Vallesio hanc de virtute numerorum sententiam; siquidem lib. de sac. philosoph. capit. 7. huic nixus principio docet, idcirco annum 49. 63. 70. 80. 81. 100. & 120. fatales esse vitæ humanæ terminos, quia 49. septem constat septennijs 63. nouem 70. decem, 81. nouem nouenarijs, 80. contra decretorium esse ait, quia octo constat decennijs, decem 100. duodecim 120. Quod si ab eo quæras, cur modo per septenarios numerat, & nonarios, nunc

per

per denarios,quia inquit,idem accidit in annis vitæ humanæ fatalibus, quod & in diebus decernentibus morbos. Ergo subdit,vt in morbis dantur alij acuti, in quibus dies impares sunt decretorij, præcipuè vero septenarij: dantur chronici,qui cum per pares dies exacerbentur, pares potissimum decernendi vim habent,vt 40.80.60.100.sic duplices dantur vitæ humanę termini,breuiores quidam,longiores alij,atque illi impares, & propriè per septenarios procedentes: pares alij,& per denarios mutationes inferentes.

Astrolog. op. Sed quæres,si non est in numeros causa huius euentus referenda, cui ergo illam adscribemus?Quidam Astrologi pro eorum more in dominium Saturni vitæ humanæ perpetuo infensi, recurrerunt.

Leuin.Lemn. Leuinius Lemnius lib.2.de occult.nat. mir. cap. 32. in magnam humorum eo articulo temporis congestionem, quorum
Reijciuntur. nulli assentior: non Leuinio Lemnio, quia non semper morbi, qui eo tunc fiunt, à plenitudine fiunt, aut magna cachochimia. Præterea hoc admisso esset adhuc ratio tradenda, cur tanta humorũ farrago per hos annos perpetuo congeratur. Quare aut falsa est huius viri sententia,aut certè est illa diminuta.

Non assentior insuper Astrologis, quia quicquip sit de eorum placito(nolo enim modo contendere, an possit perpetuò anno illo dominium Saturni contingere)certum est, numquam esse æternis illis corporibus facessendum negotium, cum opera inferiorum causarum licet illa expedire,quod facere aggredimur.

Aut.opinio. Sciendum itaque quod veluti mutationes temporum,auctore Hip.3.aph. & Arist.1.sect. probl.morbos pariunt: sic illæ, quas ætates nostris corporibus inferunt, varias, easque morbosas affectiones inducunt: vnde Hippocr. cit.lib.3. aphor. nedum recenset morbos, quos variæ, & multiplices temporum mutationes inferendi vim habent, sed & eorũ quoque cathologum facit, qui passim vitio,& culpa ætatum contingunt: vnde statutum apud medicos est, dari morbos seniles, pueriles, & vnicuique ætati proprios, ac familiares. Aduertendum secundo, quod veluti non omnes ob temporum mutationes ægrotant, sed nonnulli valent rectius,ad melius commutata temperie,nam vt 2.aphor.3.sect.*naturarum aliæ quidem ad æstatem, aliæ verò ad hyemem benè, maleuè se habent*: sic non semper ætatis mutationes sunt morbosæ, sed quandoque præcedentium morborum remedia, vnde aph.45.2. sect. *quicumque*,inquit,*pueri* id enim iuuenum nomine ibi intelligit(*morbo comitiali laborãt, mutatione maximè ætatis liberantur*,eamque ob causam scriptum ab eodem est aph. 7.5. sect. commori epilepticos omnes, nec vllam amplius curationem admittere quantum est ætatis ratione,qui adolescentiæ beneficio curari non potuere.

Ex his redditur ratio difficultatis propositæ,& cur annus 63. sit climatericus. Nempè hic annus fert exordia senectutis maturæ, concluditque crudam, viridemque senectam,quæ cœperat anno 49. at verò mutationes,nedum temporum, sed ætatum etiam,morbos inferendi vim habent. Quare non est, cur miremur, si hic annus frequenter sit infaustus,& morbosus. Quod si dicas, cur lethalis, cur non quandoque salubris, quod in alijs ætatibus passim experimur. Respondeo læthalem esse hunc potissimum,quia in senibus,omnia mala,peiora multo fiunt, ob eam,quam affert virium imbecillitatẽ: vnde quia hæc ętate vlterius progrediẽte,fit maior, non minus falsè, quam verè dixit Franc.Petrarca, magis climatericũ esse annum 64. quam 63. Cumque non omnes eodem spatio temporis mutationem hanc patiantur,sed quidam tardius, alij citius consenescant: hinc fit, vt annus 63.non sit respectu omnium climatericus, sed quidam citius, alij tardius ad fatum perueniant suum: & insuper quia quicumque sibi viuunt, & optimam seruant victus rationem, tardius consenescunt,citius alij, qui vitam ducunt plenã ærumnarum: propterea Dauid psal. 89. *dies annorum nostrorum septuaginta anni: si autem in potentatibus 80. amplius eorum labor, & dolor*. Demum, quia non quæuis mutatio ętatiua, morbosa est, hoc quoque commune habet cum alijs climatericus annus, vt paulo supra ex Cardano monstrauimus. Vnde vel ex hoc intelligere licet, non esse aliter de climaterico anno opinandum, ac de quacumque alia mutatione ætatiua.

Quod octauo mense exclusi pereant viuentibus septimestribus, & nonimestribus,si tamen certò pereunt nati octauo mense,sunt enim qui putant, & octimestres pariter vitales esse, quibus fauere videtur Arist.nam 2. de histor. cap.4. *sed cum cætera* inquit *animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiat (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est)homini vni multiplex datum est,nã & septemo mense,& octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo nonnulla etiam vndecimum attingunt*. Idem 10.problem.40.& 5. de genet. anim.4. cuius vestigijs hærens,vt solet Auerrois, eamdẽ sententiam ibidem profitetur apertè. Esto tamen verum esset assumptum,& octimestres omnes necessario perirent,septimestres contra sua natura vitales essent, nõ cogimur propterea in commentitiam hanc septenarij dignitatem, causam huius euentus referre, sed in aliam longè magis probabilem, & vsque adeò rationi consentaneam, vt miret,fuisse qui Auertois

Octimestres cur lethales.

tois

rois rationi 4.de genet.animal.4. ſcriptę, non acquieuerit. *Cauſa*, inquit, *ob quam nati in ſeptimo menſe & in nono viuunt, in octauo verò rarò viuunt, quamuis plus in vtero maneant, quam natus in ſeptimo, eſt, quia quod in ſeptimo naſcitur, eſt multæ caliditatis & humiditatis, & perficitur eius figura, naſciturque in hoc tempore, quod eſt minus tempus, in quo poſſit perfici figura hominis: ſed qui in nono naſcitur, mi.orem habet caliditatem, & humiditatem, quam nati in ſeptimo, & ideo perficitur eius creatio in tempore longiori. Nato tamen in octauo, tempus id non eſt ſibi naturale: tempus eius eſt nonus menſis, accelerauit tamen exitum propter aliquod accidens: aut eius tempus erat ſeptimus, & tardauit exitum propter aliquod accidens: & ideo vt in pluribus non viuit, quia natus in octauo eſt de neceſſitate vnius trium diſpoſitionum, ſcilicet vel quod eſt complexionis nati in ſeptimo, aut nati in nono, aut complexionis mediæ inter ſeptimum, & nonum, vti euidenter id apparet. Si igitur eius complexio eſt ſeptimi, contingit ipſum tardare vſque ad octauum propter aliquod accidentale, & non eſt natus ſecundum naturalem vſum. Similiter ſi eius complex o eſt noni, feſtinauit exitum propter rem accidentalem. Quod ſi eius complexio fuerit media inter iſta duo, tunc talis partus in tali hora erit naturalis, & ſi ita rei habuerit, viuet, vt viuunt nati in nono, & in ſeptimo.* Confirmauit, & ſimul declarauit hoc bellè Fracaſt. cap.11 lib. de ſimpath.& antipath exemplo frugum. *Quēadmodum* inquit, *in genere tritici eſt quoddā ſemen, quod tribus menſibus generat, vnde & trimeſtre vocant, alij ſetanium appellant, quoddam verò quod menſibus nouem: ita & in genere humani ſeminis, quoddam eſt, quod ſeptem menſibus parit, quoddam, quod nouem. Partus igitur, qui editur octauo menſe, eſſe quidem non poteſt ex eo ſemine, quod ſeptem menſibus gignit. Quare ex eo erit, quod nouem menſibus ſolet maturum producere. Igitur cum ante nonum menſem editus ſit, indicat imminutum eſſe, ac vi aliqua eiectum: talis autem vtpotè immaturus, & præcox moriturus enatus eſt, cuius ſignum eſt quod certis regionibus, vt in Aegypto octimeſtres partus etiam viuere ferant, quod bonitate regionis, defectui immaturitatis ſatisfiat.*

Cur autem duo tantum ſint humani ſeminis genera, & alterum ſeptem, alterum nouē menſibus partum edat, eandem habet quæſtionem, cur & in genere tritici duo ſimiliter ſeminis genera ſint. Cauſa in vniuerſum eſt analogia talis agentis ad talem mutationem, nam quis quærat cur tanta flamma tantum roboris abſumat in hora vna.

Ad experientiam ſumptam à certo pētaphilli numero aduerſus febres, quia patet ex iis, quæ ſupra de ſeptenario numero pillularum diximus, alia afferre ſuperuacaneum cenſeo, aliorum propterea de re iſta ſententias perpendemus.

Reiicitur Galeni, & Aſtrologorum ſententia, & propria aſſertur.
Cap, IX.

EX dictis licet inferre, nec Galeni ſententiam admittendam eſſe, qui, vt ſupra cap.6.diximus, putauit ſeptimam e.g. diem eſſe criticam ob virtutem ipſi communicatam à Luna: non eam, quam habet à motu, aut ob lumen mutuatum à Sole, dicunt alij ob menſem illuminationis, aut peragrationis, ſed ob illam, quam influit per menſem compoſitum ex mēſe illuminationis, & peragrationis, medicinalem ipſe appellat, fortaſſe quia ad medicum ſpectat ipſum contemplari. Enimuero ſi vt ſupra aduerſus Pythagoræos eſt dictum, per intellectum conficta nihil poſſunt reale producere, non poterit menſis hic medicinalis, cum ſit Galeni commentum eſſe cauſa realis effectus. Ad intelligentiam repetere oportet, Galenum precibus amicorum compulſum, indagandę cauſæ criticorum dierum quandoque inſudaſſe, eamque ad Lunæ motum retuliſſe; cum enim ordinati critici dies ſint, ab ordinata fiant cauſa neceſſe eſt, & numquam errante. Ergo cælitus, nam in ſupernis illis corporibus ordo, hic cuncta perturbata, & confuſa. A Luna vero quia hæc menſtruis mutationibus præeſt, aquis, & quibuſque liquidis, ac demum, quia hæc per ſeptenarios magnas facit commotiones quemadmodum in criticis diebus contingit. Vt verò monſtraret 20.magis criticam eſſe, quam 21. menſem quemdam medicinalem confinxit, cuius natura vt cunctis innoteſcat ſcire oportet, Aſtrologos tres menſes lunares conſtituiſſe, coniunctionis nempè, ſeu coitus, (eſt autem totum illud tempus, quod inter vnā coniunctionem, & aliam interiacet, conſtat hic 29.diebus, & 12. horis) peragrationis (eſt autem tempus, quod ab vno puncto Zodiaci, quouſque luna ad idem punctum redeat conſumitur) & illuminationis, eſt autem interuallum à primo naſcentis Lunę conſpectu ad vltimum vſque diem, quo euaneſcit, & nobis occultatur: Galenum inſuper quartum addidiſſe medicinalem quod illis ſuos criticos dies, præſertim vero 20. non poſſet modo aliquo accomodare, nam, vel excedunt 20.vel non attingunt; ſiquidem ſeptimana menſis coitus, conſtat ſeptem diebus, & nonnullis horis, vnde tres eius ſeptimanę dies viginti duo, & quaſdam horas conſtituunt: tres ſeptimanę menſis peragrationis 20.dies faciunt, & duodecim horas, nulla vt ratio ſit, cur 20.potius decernendi vim habeat, quam 21. nā conſtat ille menſis diebus 27. & horis 8.

ſep-

septimanæ mensis illuminationis non attingunt, nam cum constet vt plurimum diebus 26.& horis 12. licet quandoque sit maior, interdum minor, tres eius septimanæ faciunt dies 19. & horæ 21. Vt ergo suaderet 20. esse magis criticam, quartum mensem composuit ex mense peragrationis, illuminationis, qui iuncti cum faciãt dies 53.& horas 20. erit mensis medicinalis dierum 26. & horarum 22. cuius tres septimanæ cum faciãt dies 20. tantum,& horas quatuor, erit 20. dies magis critica, quam 21.

Accessere magis ad veritatem Astrologi, qui cum viderent naturam per septenarios certò criticare, quemadmodum Luna, in Lunam causam criticorum dierum referendam putarunt. Sed dum vlterius volunt declarare quo pacto à Luna hęc fiant, & motus humorum Lunæ motibus quadam proportione respondeant, hoc opus, hic labor, quo factum, vt alij aliter fuerint opinati, vt semper in magnis difficultatibus accidit.

Sunt qui dicunt, hæc à Luna fieri, non ob varios aspectus, quos habet ad solem, qua ratione euadit nunc falcata, nunc plena, vnde dari dicimus nouilunia, plenilunia, & Lunæ quadrata, nam quauis die contingit crises fieri, nec quauis die recurrunt dicti aspectus. Quare non poterit hac ratione Luna esse causa criticorum dierum: fieri proinde concludunt dies criticos ob varios aspectus, quos habet ad signa Zodiaci, quæ percurrit; constat enim ex Aegyptiorum obseruationibus, Lunam signa hæc peragrantem in suis quartis insignes mutationes efficere, nedum simpliciter spectatis, sed in quartis cuique ægro proprijs.

Videntes contra alij Lunam ob varios aspectus, quos habet ad Solem, inferna hæc potissimum immutare, hac quoque ratione posse crises fieri à Luna opinantur. Nec à proposito hoc recedunt, quia aspectus hi non semper criticis diebus respondẽt, nam vt Ptolom. lib. de astror. iudic. cap. 12. mutationes vi Lunæ in his inferioribus, non solum eo articulo temporis contingere possunt, quo Luna signum illud pertingit, sed interdum ante tres ferè dies tempestatum significationes elucent, interdum post tres dies ab interlunio, plenilunio, & quadratis apparent. Quare cum nulla sit dies, in qua vi Lunæ mutationes fieri non possint, quæuis dies vi Lunæ poterit esse critica.

Sed quamquam hi melius senserint, adhuc tamen sunt reijciendi. Primum, quia, vt Fracastorius Astrologiæ peritissimus docet cap. 4. lib. de diebus critic. falsò asseritur, Lunam per cœli quartas commotionem maiorem infernis his dare. Secundo, quia numquam poterunt explicare, quantumuis in re ista allaborent, qua ratione Luna certis quibusdam diebus, & statutis horis humores commoueat, nam cum bifariam possit fieri, vt vnum moueatur ab alio, aut quoniam recipit ab ipso motum, qua ratione serra ab artifice, artifici ratione mouetur, vnde quiescente principali agente, nõ amplius secat serra: aut quoniam recipit ab alio virtutem, quæ impressa, in causa postac est (quamquam agens principale perierit) vt moueatur passum: neutrum licet de Luna affirmare in hoc casu. Et quidem non moueri humores, Luna motum ordiente, neque ea silente, morbum conticescere, vel ipsi Galenistæ fatentur; plurimi enim morbi sub diuersis Lunæ temporibus oriuntur, ac modo plena, & falcata impetum faciunt. qui ergo fieri poterit, vt easdem modo cum Luna stationes progrediantur? non potest dici alterum, imprimi nempè à Luna vim quamdam naturæ, quæ in causa postea est, cur certi illi motus, certis diebus cõtingant, nam quamquam vis impressa, cũ sit veluti semen quoddam agentis, valeat consequenter efficere, quicquid causa principalis, quæ impressit; vnde vt Luna mota per quadras, & septenarios, magnas facit in hisce inferioribus mutationes, sic vis illa à luna impressa, & ipsius motum æmulata, consimiles faciet mutationes; quia tamen qualiber die, & quauis hora diei contingere potest, vt fiant crises, quauis die, & hora, idem influeret Luna, quod absurdum.

Propterea adhærerem Philosophis, præsertim cum non liceat astris negocium facessere, vbi vi horum inferiorum expediri illa possint, quod posse fieri, vel ipsemet Galenus fateri tenebitur, si mõstremus, non esse alicuius momenti rationem, qua ductus confugit ad cœlum. Cẽsuit Galenus, idcirco à Luna causam criticorum dierum petendam esse, quia certus ille dierum iudicialium ordo, nõ nisi à certa causa, cuiusmodi non est in hisce inferioribus, prodire potest. At quam falsum, non esse in hisce inferioribus ordinem? Tollat necesse est omnem decorem mundo huic sublunari Galenus, si eidem ordinem adimat. Propterea ipsemet Galenus tractans secundo de differentijs febr. vltimo, qui fiat, vt quidã paroxismi certa die, hora, momento repetant, in congestionem humorum certo tempore à causis inferioribus factam, recurrit, nulla causa supernis corporibus data. Quomodo ergo nunc sui vel immemor, vel secum pugnans, quem ibi tribuerat ordinem internis causis, nunc adimit? Tertio non sunt ita certi, & fatales dies critici, & eorumdem indices, vt non contingat aliter sæpissimè. Quamobrem cum sit ab Hippocr. dictum quartum esse indicem septennorum, monstratum ex eodem Hippocr. est, cum esset crisis à quarto indicata; frequenter quin-

Philosophorũ sententia probatur.

quinta aut sexta perijsse ægrotantem, aut diutius morbum protractum, citra aliquam crisim; nec si adeo certus esset dierum iudicialium ordo, sufficiens causa luna esset illius euentus, nam cap. 4. 3. de dieb. decret. scribit, non æquali semper temporis spatio, in coitu cum sole lunam delitescere, sed interdum diutius, interdum minus: vnde nunc citius mensem peragrationis ordietur, & illuminationis, nunc tardius: At ab hoc mense dies critici. Quare si hic incertus, incertus quoque erit dierum iudicialium ordo. Quarto est communis Philosophorū sententia, cui non refragantur Astrologi, si materia horum inferiorum non obediat ad nutum motui cœlestium orbium, multoties futurum, ne sortiatur effectum cœlestis ille influxus, vnde Ptolomeus, huc fortasse respiciens dixit, *sapiens dominabitur astris*. Quare adhuc poterit crisis impediri ob ineptitudinem succi, esto natura cęlitus roborata aggrediatur expellere. Negabant illi proportionem agentis ad passum, esse causam criticorū dierum, quia cum possit variari hæc proportio mutata materia, vel vi expultrice, continget modo citius, modo tardius. At eodem modo immutari illa poterit, si à cœlestibus orbibus id fiat, nam vbi benignior fuerit influxus, maius addet robur, vnde insurget citius, tardius, cum minus roborabitur natura. Illud videtur magis huic Galen. sententiæ patrocinari, quod crises quæ hisce diebus non eueniunt, aut infidę sunt, aut diminutæ. Qua alia ratione nisi posita, nimirum quia septima die mouent vna cum natura cęlestes orbes? Possem huic assumpto subtrahere fidem, nam tertio arr. med. idem Galen. docuit, quo causa fiat salubris, duo tantum requiri, qualitatem, & conuenientem quantitatem, & passim Hippocr. docet, vbi ea vacuentur, quę peccant, conferre; ne tamen negando experientiam, videamur difficultatem subterfugisse, fatemur vltro, esse illaudatam crisim, quę die decretorio non accidit, ob eam tamen causam, quia signum est, aut irritatam plus iusto naturam, anteuertisse tempus, aut plus æquo otiosam, vel postratam, non fuisse aggressam: est autem id pessimum: & certè si cum dentes, quos septimo mense solet natura extrudere, aut quinto expellat, aut decimo malum est, ob has causas, quia aut materia est admodum rebellis, & contumax, aut caro gingiuarum dura nimis, expultrix debilis, & ob easdem causas damnatur partus immaturus, aut tardus: Quid quæso est, quod ad occultas causas, & abditas, modo coget recurrere? Equidem vt temerarium est, numquam velle à cęlestibus orbibus opem petere, cum constet inde inferiora hæc gubernari: sic otiosi erit cœlorum auxilio ea velle patrare, quę proprijs possis viribus assequi: Cum sic res se habeat in causa criticorū dierum, nam nos sufficienter docemus, cur certo die expellat natura, cur vbi recedat ab hac lege præscripta, sit mala crisis: non est, cur cum Astrologis, confugiamus ad cœlos.

ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Decimus tertius.

MONITORVM.



Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



Onstrauimus viam, ne in vndoso hoc mari præsagiorum medicus erraret: addam nunc monita quædam, quæ quamquam ad artem haud pertinent, sunt tamen iucunda magis nec fructuosa minus. Enim verò & si medicæ scientiæ clauus regat propriè medicum, nunquam tamen benè reget sine vsu, & auxilio magnetis prudentiæ. Quid nocumento illa medico erit, non iuuamento, vbi ista deficiat: & quod Cicero dixit, *eloquentiam sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam*, idem ego de medicinæ scientia; oberit, non proderit, si nulla eam comitetur virtus, exornet prudentia nulla. Igitur iure de illa præmittam, sed aliorum ferè verbis,

bis meo tamen sensu. Nam quamquam veritas sit ita robusta, *ut ne tot quidem sæculis, quibus nec Pyramides ipsæ obstiterũt, aut intericrit, vel consenuerit, fit tamen nescio quo pacto, ut eadem à graui viro vibrata, acrius feriat auditorum animos, & aculeos quosdam cogitationum relinquat infixos.* Cæterum, quia vt ille dixit, principium cuiusque virtutis, est nosse vitia, notabo primum scopulos, quibus nauis allisa frangi solet, & periti agricolæ in star, noxias primum herbas, inutilesque frutices resecabo, immittam deinde semen, & excolam, quo crescat lætius, & vberiorem nobis segetem reddat. Muret. in orat.

Quid primum cauendum medico, qui præsagire rectè velit. Cap. II.

QVicumque futuros morborum euentus prænoscere cupit, ab omni affectu vacuum, hunc esse decet. *Nam haud facilè verum peruidet animus, vbi illa officiunt: neque quisquam omnium, libidini simul, & vsui paruit.* Salust. scilicet, vt coinquinatus bile oculus, vel in quem phlegma est illapsum, aut nullo modo videt, aut vitiosè; sic animi prænitidus vigor, quem prauæ affectiones inumbrant. Noctu exercebantur iudicia in Areopago, & in tenebris positi Iudices, aut absoluebant innocuos, aut plectendos tradebant nocentes, quo non dicentes, sed dumtaxat, quæ dicerentur, agnoscerent: sic à vero deflectit animus, vbi vel leui aliquo perturbationum flatu agitatur. Verum ergo videre si cupis, caue hunc scopulum; nam rectè Boetius.

Nubila mens est,
Iunctaque frænis,
Hæc vbi regnant.

Et Arist. *animus sedendo, & quiescendo fit prudens:* à pathematibus intellige; nam deambulando, eumdem docere consueuisse legimus. 7. Phy. 20. Vide cap. 2. lib. infeom.

Contumaciam primum cauendam esse. Cap. III.

PRimum autem contumaciam, cui pleriq; medicorum obnoxij, nullo idem censente, *ne videatur alterius accessio.* Plin. l. 29. cap. 1. Cicoream hic probat, aut endiuiam: sapit alterius palato borrago: indulget guttã aquæ hic ægro æstuanti, interdicit alius morosus, rixosus: nec tam contradicit, quam studet, vt contradicere videatur: consilij illius, idcirco inimicus, quod nõ ipse attulerit. Definite, heu quæso, definite medici, super asini vmbra disceptare. Senes alloquor, qui iunioribus plerumque infensi.

Vel quia, nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt.
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ Horat.
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Quorsum litigas mi homo? ex voto successit? aut nullam, aut momentaneam gloriam es consequutus; Curt. l. 9. *cito enim obsolescit gloria in sordidis hostibus: nec quicquam indignius est, quam ibi eam consumi, vbi non possit ostendi.* Idem ibid. Falleris, non parum tuę doctrinæ fama, quam nec fallere, nec falli vnquam posse crediderat vulgus, denigrabitur; *indecorum enim est ab inglorioso homine vinci, & superari.* Te metipsum ergo mi medice, *ad ea serua pericula, quæ magnitudinem tuam capiunt; nam vbi paria sunt periculum, & præmium, & secundis rebus amplior fructus est, & aduersis solatium maius;* & rectè ille.

Trophæum me ferre à forti viro, pulchrum est: Accius.
Sin autem vincar, vinci à tali, nullum est probrum.

At non vincar dices? stulte, quæ hic securitas? vincet te sœpè delira anus: non me audis? audi saltem Curtium, hęc prudenter monentem. *Nihil tam firmum est, cui non sit periculum, etiam ab inualido: Leo ipse aliquando, minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit:* & alium.

Nemo se tutò diu
Periculis offerri, tam crebris potest; Seneca in Herc. fur.
Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit.

Cupiditatem secundo vitandam esse. Cap. IV.

VItanda secundo cupiditas, nam

Quod nimis miseri volunt,
Hoc facilè credunt.

Imò vndecunque sibi blandiuntur, & quiduis in omen optati euentus trahũt: sitiat infirmus, & ardet? naturalem hepatis caliditatem causantur, iuuenilem ætatem, & anteactos motus immoderatos: tepescit corpus exhalante calore? febrem in declinationem abire lœtantur: delirium, nugas appellant: somnum vocant, vigilandi impotentiam, singultum ructum: excretiones, vi contentrice extincta, aut expultrice irritata, specioso crisis nomine cohonestant. Quid moror? omnia in alimentum suæ spei rapiunt. Plin. lib. Nil ergo impensè cupias medice; nam vt bene ille, *perniciosissimum, & in omni quidem vita, quod nimium.* Quare nec quid miserè metuas; nam

Quod metuit nimis,
Nunquam amoueri posse, nec tolli putant, Senec. in Herc. fur.
Prona est timori semper in peius fides.

Quid quod nec explorare vera poteris? *nam falsa per metum augurantur:* vnde contumaces illi *Iudæi de superioribus pugnantes,* Hegesipp. lib. 5 cap. 49.

Romanos sibi videre videbantur, quia quod metuebant animo, oculis præfigurabant, &
Tacit. 2. ann. *mentis pauor, fiebat imago visus.* Germanici item milites *à fœda illa tempestate elapsi, miracula narrabant, vim turbinum, & inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum, & belluarum formas: visa, siuè ob metum credita*; nam vt rectè Sophocles, *formidoloso strepunt omnia.* Quid ergo? deponendus ne omnis ex animo metus? absit, quinimò vbi instat discrimen, satius multo est timere magis, quam nimiū sperando deludere hominem: *nam vbi*
Curt. *à daugemus timorem, adaugebimus simul*
Prob. in vita Tiasib. *diligentiam*: prouerbio fertur, *matrem timidi flere non solere.*

Omnia vereri prouidè, timidi est nimis:
Nihil vereri prouide, stupidi est nimis:
Steph. in Crisp. *Illum beatum iudico, si quis pedem,*
Vtrinque referens, sede se media tenet:
Nec cuncta semper anxius, misere timet,
Pind. apud Paul. *Nec dissolutus mente, nil vmquam timet.*
Sapientes hoc verbum, Ne quid nimis
præter modum laudarunt.

Quæ medico amplexanda. Cap. V.

NOtaui, quæ fugienda medico: proponam nunc, quæ sunt amplexanda. Morborum exitus diuinare qui cupit, cuncta hic consideret, & perpendat,
Cels. quæ *vel metu nos terrent, vel spe possunt solari.*
Lip. *Ite procul linguaces, quorum vis virtusque in lingua est posita.* Tu considera loca, tempora, ætatem, & temperiem: inspice morbos, morborum causas, symptomatumque cohortem: nec quicquam omitte, aut prætermitte, quod ad rem hanc, commodè, laudabiliterque gerendã pertinere intellexeris. Turpe est dicere sapienti, non putaram: proinde examina cuncta, ne merito inconsideratus dicaris, & perpende; nam ni perlibres numquam noueris, morbus ne vincat, an natura: idque non semel facito; obseruant hoc ementes, & qui vendunt, æquanditique ponderibus, & mensuris publici sunt præpositi magistratus in benè constituta
Tiu. lib. 22. Republica; tu hæc cursim inspicies? caue, caue: *Est enim festinatio improuida, &*
Man. in adag. Festina lentè. *cæca*, & vt benè Græci, *multis malorum est causa præcipitatio.* Cauebis autem hoc potissimum in morbo maligno; de huius enim euentu.

Crisp. *Nihil esse certum constat,*
Et constat nihil, hoc præter ipsum nempè.
Imprudens, qui cœlo nimis confisus sereno, nauim esse in portu prænunciat.
Steph. in Crisp. *Sæpè nautas inscios,*
Ad saxa torquet aura, quæ bellè vehit.
Præsertim si non omnia concinant, sed turbidum quid ingruat, cujus causa te lateat: nam
Idem ibid. *Quæ causa tantos concitas motus latens.*
Olim hac apricum nacta, nequaquam est leuis.

Instat procella fœda; cum vento tument
Tranquilla nullo maria.
Ergo *festina lenti*, nec quicquam contemnas; *nam sæpè scintilla contempta, ma-* Curt. l. 9.
gnum excitauit incendium: nihil tutò in hoste despicitur: quem spreueris, valentiorem negligentia facies. Atqui, difficile id esse conquereris, nec fieri facilè posse, vt tot tantaque quis inspiciat, & perspiciat: nō
nego: *præposuit enim natura pulcherrimo* Quintil. lib. 10. cap. 3
cuique operum, difficultatem; quæ nascendi etiam hanc fecit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Tu tamen hæc cape subsidia.

Quæ ad rectè præsagiendum subsidia. Cap. VI.

IN primis venerator Deum, *vniuersè* Plin. in panag.
enim verum est, nihil ritè, nihilque prudenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicari. Quid?
Omnia, cum tibi sint dono concessa Deorū, Mart. l. 11.
Si quod habes non vis ergo, quod accipias?
Prisci illi mortales in atra rerum caligine palpitantes, vbi quid inceptarent, illud præfari soliti: *Quod bonum, faustum, fœlix, fortunatumque sit, quod fœliciter eueniat; quod Dij benè vortant*: nos in tam claro Sole caligabimus? ab Orco nati illi sensus, & ad Orcum relegandi. Non adeant frequenter templa medici, ne
otiosi esse videantur; nam si *omne bonum* Iacob. 1.
optimum de sursum est, descendens à Patre luminum. Qui? poris bonum quid accipere, Deo non largiente? *Ad precationem* Synod. de orat. Dom.
itaque confugere oportet tamquam ad vnam omnium optimum, & indigentiæ nostræ interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus. Quare templa adeunda, nam quamquam *optimus animus, pulcherrimus Dei* Senec.
cultus est, religioni tamen parendum, nec patrius mos contumaciter repudiandus. Scipio
Aphricanus, non ante ad negotia publica, vel priuata ibat, quam in cella Iouis Val. Max.
Capitolini preces fudisset: tu futura prædicere audebis, non implorato Numinis auxilio? vane vanè: diuinatio, furorum præsensio est dicta, quo innuerent, aut Dei tantum esse, futura prænoscere, aut eorum, quibus diuinitus hoc ipsum daretur. Quid ergo inquies? ad preces me totum conuertam, nec aliud quicquam actitem? haud sanè; *non enim* Sallust. in Catil.
votis, neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, prospere omnia cedunt. Græcorum adagium, *Dij bona laboribus vendunt*: proinde allabora, & iuxtà Pythagoræ carmen, *Numina ante precatus, opus facito.*

Secundum subsidium, bonorum Auctorum lectio. Cap. VII.

B. Ind. EVolue secundo nobilissima de re hac scripta; *Ibi enim sine labore reperies, quæ alij cum labore collegerunt.* Sed nedum errantem, & cæcum in consilium adhibes cæcutias, fallaris, & erres, ingeram tibi scriptores aliquot veluti specimen. Eminent inter omnes Hipp. & Galen. nempè iecit ille optima semina, excoluit iste, & vastis suę doctrinæ fluminibus irrigauit: rem ille fide narrat, exponit Galen. factum illc prodit, hic quomodo, & quare quidque gestum sit, addit, vt non modò casus, euentusque rerum, sed ratio etiam causæque noscantur. Euolues autem, si me audies prognosticorum libros, aphorismorum, & historias illas, quæ in libris epid. habentur; nam in prorrethicis multa obscura, pleraque vana, non pauca, vel ipso Galeno iudice falsa: illic cuncta rationis lance librata, & longa obseruatione comprobata inuenies, nec præter dispositionem, & methodum, desideres aliud. Auic. Cels. Ætius intactam partè hanc reliquere: tetigit illam Rasis, & pleraque ad rem hanc pertinentia congessit, non tamen digessit: proposuit, sed nec disposuit, nec exposuit. Itaq; multa confusa, pleraque obscura, non pauca superstitiosa, vniuersa fœda verborum barbarie horrentia: omne videtur punctum tulisse Nicolaus Flor. nam quamquam sint idem quidam moderniores ag grcis, aut rem magis tentarunt, quam perfecerunt, aut Hippocr. commentarijs illustrarunt, noua methodo eadem haud scripserunt.

Tertium subsidium exercitationem esse. Cap. VIII.

EXercebis te tertio in obseruandis morbis, ijsque curandis. Magni hoc momenti, & è Galen. sensu, nullius aut exigui fructus lectio, ni exercitatio accedat. Nempè continget tibi frequenter, quod præconibus. Quare, *vt isti, quamquam notas fugitiui mancipij proferant, fugitiuum tamen præsentem non agnoscunt*, sic te fugient, vel imminentes morborū euentus, ni in ijs dignoscendis assiduo exercearis, & diu. Hinc hauries varias mutationes morborum, conuersiones, exitus, vitæ humanæ imbecillitatem, præcipites casus: demum experientia cognosces, *contingere monstra in arte, vt in natura*. Apte Galen. duobus niti cruribus, medicam facultatem dixit, experiētiæ nempè, & rationi. Quare ne claudices, lectioni assiduæ exercitationem adiunge. Imò, vt breui consequaris quod optas. Audi Plin. *vidi etiam multos paruo ingenio, literis nullis, vt benè agerent, agendo consequutos*. & Senec. *nihil. est tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio. Didicerunt quidam tenuissimis, & aduersis funibus currere, & ingentia, vix que humanis toleranda viribus onera portare; & in immersam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice, perpeti maria: tu diffides hæc assequi? exercitatio potest omnia.* Lib. 6. 2. de ira.

Medicum non debere prognosticum semper ambagibus tegere. Cap. IX.

HIS vbi instructus fueris, apertè quid putas futurum, prænunciato. Damno ambiguos, qui ita compositi, *vt ex euentu rerum aduersa abnuant, vel prospera agnoscant*, alioquin nihil differet à cæteris medicus, si cum refrigeratus est homo, moriturum dicat, conualiturum, cum morbo est releuatus. Nouerunt vel mulieres, quibus remedijs æger indigeat, longo vsu, & medicorum consuetudine doctæ: nequeunt at salutem, aut mortem è longinquo prospicere. Quare si & medici erunt, huius facultatis expertes, nihil præter cęteros medici præstabunt: at quam hoc est indecorum, quam inglorium *Medicum vti prouidentia, optimum* optimè probauit Hippoc. *nam præsagientem ægri admirantur: admirantes parent: parentes, citius conualescunt: deinde prauisa tela minus feriunt, & medicus sæpè obuiam it præcognito malo. Postremò præuisæ salutis auctor creditur: mortis insons:* nec minus scitè Galen. agricolis eum comparauit; nam vt hi statim ineunte vere, *quid herba sit, quid triticum nuper enatum, quid hordeum, quid zea, & quidnam aliorum vnumquodque*, sic debent medici nascentes affectiones internoscere: & sanè frustra inquirendis signis futuræ mortis, & vitæ laboramus, si est omnino illud in animo fixum, numquam esse pronunciandum, quid huic, quid illi in posterum, sit euenturum. 1. progn. 2. Vega Lat. m. 1. Porret.

Non debere paruum morbum attollere. Cap. X.

NON tamen, si me audies, vulgarium more medicorum, morbum quemcumque leuissimum magnifacies, quod multi faciunt hodie, ne si fortè æger occumbat, id se ignorasse videantur, aut parum præstitisse, si curetur; equidem si non falleris, fallis, nec semel eris derisui, quibus vis esse miraculo. Quid, quod nec parum, nocebis infirmo? *Quippè sic* con- Idem ibid.

consternatus animus, aut non adhibet vulneri curationem, quia putat non posse curari, aut creat periculum, quod aberat. At inquies, adstantibus id manifestum fiet, ægro res tota celabitur: erras, erras, *nam quodcumque domi fingitur, rumor in publico fit*. Et quomodo id celes? *Prodit se, quãlibet custodiatur simulatio, nec vnquam tanta fuerit eloquendi facultas, vt non titubet, ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt.*

Idem ibid.

Quid quod vbi *cuncta intro recondere tentabis, vultus ipse loquetur? speculum cordis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana*; nec si id assequaris, turpem notam vitare modo aliquo poteris: nam vt recte ille, *Histrionis est rem paruam attollere, quo plus profecisse videamur.*

Idem.

Cels.

Magnum morbum non paruifaciendum esse. Cap. XI.

VIde tamen, ne morbum plus nimio negligas, dum histrionis notam vitare cupis; nam dum spe ægrum implere contendis, & ipsum, & te quoque perdas. Illum quidem, *nam facies, vt in multo maiori mœrore versetur, cum aut morbus deterior efficitur, aut vltra promissa producitur; præterea in nullo constituti periculo, medicorum dicta non audiunt, quo fit, vt in grauissima discrimina incurrant*; imò vt ad interitum tendant; *vt enim destituto auxiliis morbo, medicoque, & ægro aduersus se vnum pugnantibus, magna futura victoriæ spes ostentatur: ita contra, in nulla spe ponendum est, si æger pro morbo stet contra medicum*. Nam verè prouerbio, *Ne Hercules quidem aduersus duos*. Pareret, & id tibi dedecus, *Nam nisi æger tamquam Deum medicum veneretur, scito numquam eius dictio audientem fore*. At qui fiet, vt pro Deo veneretur, à quo se deceptum esse intelligit? Quin potius à morbo stabit, vnde faciet tibi *duplici nomine iniuriam: primũ, quod solum destituerit, deinde, quod duos, fecit, qui antea vnus erat; necesse est autem, vt duo sint vno fortiores*. Ergo *vbi grauis metus, sine certa tamen desperatione est, indica necessariis periclitantis, in difficili rem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videaris*. Necessariis tantum, non patientis ita censet Damasc in suis aph. *Et oportet*, inquit, *salutem te ægro promittere semper, nec vnquam eum à spe deponere, & si ipse desperes; complexio enim corporis, animi affectui semper inhæret*: quod laudo, si formidolosus sit æger, si suspitiosus, & cum Gal. moneo, *omnia dicito, quo meliore sit animo, ita tamen, vt ne magnopere mentiaris*. Quare neque certò conualituerum dicas, nisi illud addas, *sanitatem quidem adfuturam, si modo cuncta rectè fecerit, medicorumque præceptis obtemperarit; ita enim, neque ille animum despondebit, & tu persæpè vera dices; nam plurimi periculosi morbi ægros medicis non obedientes interficiunt, cum alioquin admodum pauci prorsus homines tollant, si neque medicus, neque æger, neque ministri errent, nec quicquam extrinsecus noxium fortè occurrat*. Tegenda ergo quædam timido ægroto, quæ ipsum conturbatura vides. At vbi immorigerum aliquem, & medicorum præceptis non obtemperantem nactus fueris, terre, terre, & omnia maiora fingito, vt quẽ vera dicendo, coercere non vales, terriculamentis cohibeas: licet hoc animorum medicis, & anilibus quibusdam persuasiunculis faciunt, vt cum Poeta dicã,

Gal 6. epid. com. 2. t. 42

Gal 6 epid. com 4 t. 9

Idem 2. epi. com. 2. t. 52

Cels. lib. 5. c. 26

5. ep. com. 2 tex 41

Animos humiles, formidine Diuum
Depressosque premunt ad terram.

Lucr. l.

Cur non & tibi? hoc imbibe, cuncta pro salute ægrotantis tentanda. Quare, si ad hanc rectà ire non licet, eundum obliquà.

Quo vultu mortem debeat prædicere. Cap. XII.

AT tristem vultum indue, fac me audias, cum ægrum morituum prædicis, *Et sic te compone, tanquam inuitus, & magno cum tormento, ad nunciandum venias; propè enim est, vt libenter damnet, qui cito*. Quam verò immane, eius nece gaudere, quem vt valentem redderes, nullus non erat labor subeundus? Quamobrem non possum non irasci Callianactæ medico, *quem cum æger rogasset, an moreretur, hoc fertur illi carmen concinnuisse*.

Sen. de Clem.

Gal 6. epid. com. 4. tex 9

Te peremit, multo præstantior ipse Patroclus.

Inepte, quid locus, tempusque postulat, non attendis? An ignoras, naturæ beneficio factum, vt pereamus inuiti? Quod igitur inuiti patimur, huc nos hilari vultu, atque ore pertrahis? Porrò, vt indecorum est, amarulentum esse, melius cum æger se habet: sic eo in deterius labente, lætum esse non decet: non decet autem, neque tua interierit: Interierit autem? imò illud afferet odium, hoc gratiam conciliabit; nam rectè Seneca,

Dulce, in immensis posito ruinis,
Neminem lætos habuisse vultus.

In Troad.

Magni, at hoc emolumenti, nam rectè dicta, factaque plus æquo extollent, atque si quid peccatum fuerit, vel silentio obuoluent, vel amicè excusabunt. Ægrorum ergo calamitas, te sollicitum habeat, & illud rectè dictum puta, *Cruces ægrorum, sunt cruces medicorum*.

Non esse contumaciter negandos errores. Cap. XIII.

CÆterum, cum non rarò contingat, in prauidendo euentu cæcutire, ne, quæso, contumaciter contendas, nequaquam fuisse deceptum, sed illud potius asseras, contingere monstra in arte,

vt

et in natura. Quorsum enim neges? An ne imperiti artificis notam subeas? At verò laudatissimus Hippocr. eum maximè laudat, qui parum delinquit, *nam exactam certitudinem raro habere contingit*. Quocirca, non erubuit fateri, à futuris fuisse deceptum, more scilicet, *magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium; nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt: magno ingenio, magnaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio, quod vtilitatis causa, posteris traditur, ne qui decipiantur, eadem ratione, qua quis est antea deceptus*. Galenus quoque scripsit, numquam errare, solius Dei esse, frequenter imperiti, quandoq; artificis. Vide proinde, nedum Dei solertiam, temerario ausu affectas, famam peruicacis acquiras, & quibus cupis esse admirandus, videaris iure optimo irridendus. Hactenus medice, *quæ mihi vtilissima factu, visa sunt, quæque tibi vsui fore credidi, quam paucissimis potui, præscripsi*. Plura propterea non addam.

Cels.l.1.c.9

Salluft ad Cesar.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Decimus quartus.

DE MORBO ABIGENDO.



Dicendorum occasio, & vtilitas. Cap. I.



QVÆ oportebat prænoscere curationis rectè instituendæ causa, iam absoluimus: declarabimus modo, qua arte possint morbi à medico pelli. Disputatio omnium, quæ in medicina habentur præstantissima; nam hanc medicus cũcta alia dirigit. Nempè morbi naturam rimatur, vt expellat; neque enim abigi potest, si ignoretur. Perpendit eiusdem differentias, quia vt non decet, vnum calceum omni pedi induere, sic nec vno collirio mederi omnibus. Scrutatur causas, quia non possunt morbi, è medio tolli, ni prius causæ extrudantur. Cupit prænoscere morborum euentum, ne reus fiat mortis, si insanabile vulnus curandũ accipiat; itaque est nobilissima omnium hæc disputatio. Est eadem maximè medica; nam & si medici est, & corporis, & morbi naturam perdiscere, habet tamen hanc contemplationem communem cũ Physicis: in hac nullus alius artifex versatur. Est tandem vtilissima, quod inde potest quisque intelligere, quia ij omniũ præstantissimi habentur, qui in hac parte valent plurimum. Nempè admiratur quisque medicum, qui de cuiusque morbi natura, & causis, acutissimè disputat: diuinatorem vocat, & tamquam alterum vatem suspicit, qui in prædicendis euentibus non aberrat: eum tamen quisque arcessit, quem optimè curaturum existimat: atque si quid in alijs peccet partibus, excusationem nedum apud vulgares, sed prudentiores inuenit, dissimulatoque prædicendi errore laudant, magnasque ex restituta valetudine dant gratias, referuntque. De optima ergo curandi ratione agendum, at quia id consequi nõ licet, ni primum noscatur quid sit illa, hinc ordiemur; nam & Arist. quoque antequam media ad consequendam fœlicitatem opportuna indagaret, fœlicitatis naturam inuestigauit. Nempè optimè norat, non posse media ad finem consequendum eligi, ni finis natura antea explorata esset. Propterea fit prima controuersia.

Quid curatio. Cap. II.

MOrbi depulsionem esse docent multi: addit præsentis Augen. tom. 3. epistolarum med. lib. 12. c. 3. & hanc est commentus curationis diffinitionem. *Est curatio correctio subita morborum præsentium*: præsentium inquit, vt à præseruatione eamdem distingueret, quæ morbis futuris debetur. Quia vero videbat, plerumque Galen. & alios Scriptores dicere, curari symptomata, & affectũ quemcumq; præter naturam, addit, non omnem curationem, esse morborum præsentium correctionem, sed exactam dum-

Quid curatio

Morbi depulsionem dicit multi. Addit præsentis Aug.

dumtaxat. Quare non multum differt Augen. ab alijs, qui hunc in modum curationem diffiniuere]. *Curatio est depulsio affectuum præter naturam, in humano corpore existentium, facta à remedio rectè administrato, vt actiones læsæ pristinæ suæ dignitati restituantur*: neque hi à Fern. qui primo met. cap. 2. scripsit, *est curatio recta, atque conueniens remediorum administratio: remedia dicimus quæcunque affectum præter naturam, depellunt. Horum autem idonea, atque conueniens vsurpatio est, cum idonea quantitate, & modo, ratione que congrua adhibetur.*

Latius diffiniuere alij.

Fern. quoq;

Recedo tamen ego ab omnibus: à Fern. quia rectam remediorum administrationem esse dixit. Enimuero non fit semper curatio, vi remedij opportunè admoti, sed & à natura; nam vt Hippocr. 6. epid. 5. *Naturæ morborum medicatrices*. Recedo, & ab alijs, quia cuncti volunt curationem esse, aut morbi tantum, aut affectus præter naturam in vniuersum correctionem, quod displicet; nam cum curatio vsu contrariorum fiat, numquam morbo contraria adijcimus. Quare numquam morbus verè curatur. Minor patet, nam contrarium morbo, in vniuersum, est sanitas: quantitati auctæ, imminuta, huic adaucta, cauitati adstrictæ ad aperta: nunquam autem quis morbo sanitatem opponit, nec quantitati adauctę: imminutam, imminutæ adauctam, aut intemperiei, temperiem. Nec vbi quis symptomata vult abigere, dolori voluptatē opponet, colori icterico, rubrum, retentis immodicè, excreta: vitiatæ actioni probe factam: sed extenuato e. g. pro varia causa extenuationis varia admouebit præsidia, quæ causam imminutæ quātitatis demoliantur: vt si ab obstructione impediente chyli trāsitum fiat, deobstruentibus medicus vtetur: si à frigida discrasia ventriculi, calfacientibus: si à calida, ijs, quæ vrentem calorem temperandi vim habent. Demum, quod cuique, vel parum in medicina versato est notissimum, oppugnat semper medicus, quoties curationi incumbit, morbi, & symptomatis causam.

Instãs.

Dices curationem fieri vsu contrariorum, quæ per se, vel per accidens morbo opponuntur; nunc autem, quæ causam morbi expugnāt, quamquam morbo per se, non opponantur, sunt tamen illi per accidens contraria, vnde erit consequenter semper verum, curari morbum ijs, quæ per se, vel per accidens sunt illi cōtraria. esto detur hoc tibi. Cur, non ergo, & symptoma curari dices, quando remedia, quæ morbum expugnant, per accidens saltem sunt contraria symptomati? an quia, hoc aboletur, amoto morbo, quia sequitur morbum, velut vmbra corpus? At neque omne symptoma sequitur hoc modo morbum, vt lib. 3. diximus: & morbi, qui causam habent cōiunctam (habent autem omnes ex nostro sensu) amota causa, statim abolentur. Quod si, idcirco voluit Galenus, nullam deberi symptomati curationem, quia ipsum aboletur ablato morbo, atque si quando illud medicus lenire conatur, tunc illud facit, cum exuta symptomatis conditione, causæ naturam subinduit, nullus morbus vere curatur, si nullus potest causa proxima amota, in corpore humano consistere. Quare nunquam fuerit curatio, aut morbi correctio, aut symptomatum: vnde neque affectuum præter naturam depulsio.

Impugnatio.

Quid proinde erit? causæ morbum facientis depulsio: facientis inquam, nam vbi ea adimatur, quæ factura erat morbum, haud erit illa curatio, sed pręseruatio. At passim Gal. docet, morbo curationem deberi. Quare, &c. opponerem huic loco alium 3. art. med. 34. vbi docens factum morbum curare, *facta* inquit *ægritudo curabitur, sublata ea dispositione, à qua primum ea, quæ secundum naturam est, læditur operatio, quam quidem morbi causam esse dicimus*: afferrem in medium caput 23. 24. 25. lib. ad Thrasib. in quibus, multis docet, nil vtile ab affectu monstrari; *nam siquid* inquit, *ex vsu indicaret, eodem affectu vexatis, eadem adhiberemus præsidia: at si vrina supprimatur à lapide, secamus: si ab inflammatione, cataplasmata superducimus: si à nimia vesica distentione, catheterem immittimus*: At quoniam locum artis medicinalis, quidam corrigunt, & loco causæ, substantiam leguntnam grecæ voces consonant: vt Leonic. alij vt Turis. legit causā in ablatiuo, vt sit sensus, quam quidem læsionem dicimus esse causa morbi, hoc est gratia morbi, alij vt Saluus dicūt loquutum esse Galen. ad mentem Antiquorum, qui putantes læsam actionem esse morbum, tenebantur consequenter dicere, non à morbo, hoc est læsa actione, sed à causa lęsionis sumi debere indicationem: liber Thrasib. est multis suspectus, & spurium Galeni partum esse arbitrantur præsertim Comes Montan. nec si legitimus ille sit, probant propositum rationes adductæ, sed concludunt aduersus Methodicos, qui vrinæ suppressionem, adstrictum esse affectum autumabant: non conuincunt Galenistas, qui vrinæ suppressionem, symptoma esse dicunt, ac fatentur, nil vtile indicari à symptomate: opponere demum, non est soluere: dicamus vbi Galen. morbo curationem deberi affirmat, vulgarem loquendi modum sequutum esse; vnde cum multi non attingentes rei naturam existimarent, intemperiem e. g. non esse impotentiam, aut improportionem, sed calorem, aut frigus, iuxtà horum sententiā loquens Galenus, morbum inquit curari debere, vt Argent. 3. art. med. aduertit. Aut dicas posse morbum bifariam sumi

Nam est expulsio causæ morbum facientis.

for-

formaliter, nempe, & est impotentia ad bene operandum: & materialiter, hoc est pro fundamento, & causa proxima huius impotentiæ, quæ vel est qualitas aliqua plus iusto excedens, aut vnitas soluta, aut partium organicarum mala formatio, atque Galen. asserere morbo materialiter sumpto curationem deberi, quod idem est, quod causa coniuncta: nos id negare de morbo formaliter & physicè accepto.

Valeatne ars, morbos non nullos curare. Cap. III.

PRæstat hoc indagare, nam si à natura sola morbi omnes curentur, aut nil moliri medicus tenetur, aut de seruanda natura tantum sollicitus esse. Verumtamen si secus res se habeat, est quod aliud faciat medicus; proinde id inquiramus.

Argent. Voluit Argent. 1. art. med. cap. 1. numquam beneficio medicæ facultatis sanitatem induci. Quare neque morbosam affectionem depelli, aut curari, ea tamen fieri, ad quę postea sanitas consequetur. Probat hoc, argumento ducto à simili, quia imperator, cui est medicus quamsimillimus, numquam vincit, tametsi huc adspiret, huc inhiet, sed strenuè pugnat: pugnam postea victoria sequitur.

Reijcitur. Dignus profectò hanc ob causam qui acriter cædatur: vt excusetur verberas, vel ab eodem Argenterio; neque enim damnum aliquod Argent. verberans inflixisset, sed à flagris malè affectus. Propterea flagrum puniendum, suspendendum; equidem & si Arist. scripsit 2. phys. nautæ absentiam, si quatenus agens physicum spectetur, causam esse per accidēs submersionis nauis, docent tamen omnes, si nautam consideremus, prout est agens morale, per se causam esse, cur nauis submergatur; nam cum teneatur assistere, & tempestatem futuram è longinquo videre: vbi ingruat, sic vela moderari, vt nauim ad portum deducat, nemo est, qui non censeat iustè eumdem accusari, tamquam per se nauem submersisset, quando proprio muneri defecit.

Valles. Modestius egit cum facultate medica Vallesius, siquidem credidit ipse 6 epid. com. 1. tex. 1. posse artis beneficio morbum quemcumque imminui, nullum tamen perfectè posse deijci, & extirpari funditus contendit, nisi naturæ auxilium accedat, *porrò*, inquit, *ars multa facit sola, perficit tamen nihil, neque vllus morbus potest opera solius artis persanari, nam suturæ non sanabunt vulnera, nisi natura agglutinet: neque repositio ossis erit satis, nisi natura firmet articulum ligamentis. Neque scissio conferet, nisi natura pellat malum, quod suberat, vt pus, aut os curiosum: neque carnem extirpari erit satis, nisi desinat natura repugnare, & cicatricem producat. Neque sanè ad inflammationis, aut articularis doloris curationem, satis sit fluxionem auertere, nisi partis affectæ natura id morbi quod factum est demoliatur: itaque illos ipsos morbos, quos mittentium partium natura fecit, partium recipientium natura sanat.*

Reijcitur. Iniquè tamen adhuc sentit, & indignè satis de medicinæ scientia, nam omninò ociante natura, ars sola potest sextum v. g. digitum obtruncare, & morbum in numero adaucto tollere: eadem potest os à propria dimotum sede ad suam cauitatem reducere, distortam partem dirigere. Quare omninò sufficiens ars sola fuerit morbos nonnullos funditus extirpare. Nec obstat quod dicit Vallesius, non esse satis carnem extirpari, ni desinat repugnare natura, & cicatricem producat, nam & si vulnus ex obtruncatione productum, ad cicatricem nequaquam perducatur, id tantum curandum superest, morbo in numero, aut aucta quantitate, omninò extirpato.

Obiectio. Obijcies, naturæ morborum sunt medicæ 6. epidem. com. 5. tex. 1. vel nihil ergo ars poterit curare, quod contendebat Argen. aut nihil sola absoluet, quod putauit Valles.

Sol. Respondeo, neutrum colligi ex loco adducto, non enim est propositio illa vniuersalis, sed indefinita; hæc autem, vt logici docent, pro particulari supponit.

Auct. sententia. Est ergo quod putemus morbos quosdā solius artis auxilio curari: naturam solā alijs mederi, alios naturæ, & artis beneficio abijci. Curat ars sola morbos in situ, numero, & quantitate aucta, cauitate deficiente, vitiosa figura: natura sola morbos in quantitate imminuta: curat quandoque eadem sola intemperies, solutiones continui, asperitates obstructiones, adstrictiones, & affectus omnes, qui intēperies sequuntur: Laborant quandoque ambo in abigendis ijsdem. Imminutum partium numerum, si sit pręter naturam, neque ars poterit, nec natura curare; nā vbi puero dentes cadunt, nullo præter naturam affectu pueri detinentur. Quid tamen præstet ars, quid natura, quaue industria morbos demoliatur, non admodum patet.

Quomodo ars curat. De arte certum, ea ratione conferre, quia opportunè admouet actiua passiuis; nam cum sit sanitas forma naturalis, non nisi à natura produci illa poterit. Quare vbi os reponitur à perito chirurgo, reponitur ab illo, prout agens est physicum directum tamen in operando ab arte.

Quomodo natura curat morbos qui cum materia. Est certum secundo curari à natura morbos, qui à materia fiunt extrusis succis modo per sudorem, nunc per vomitum, aliquando per sedem, aut insensibili halitu. Manifestum est tertio, morbos ab inanitione curari ab eadem, cibis in probos succos conuersis, quemadmodum

cu-

curat vlcera carne genita.

Quomodo intemperies simplices.

Quod pertinet ad intemperies simplices nulli dubium est, illas curare contraria qualitate producta, vt inducta frigiditate, cum auctum calorem vult è medio tollere, aut inducto calore, cum vult frigus morbosum depellere. Admittendũ quoque est, calorem à natura induci, vel auxilio alterius partis calidæ, vel accedendo ad ignem, motu, cibo, potu, vel spiritu, & sanguine ad partem refrigeratam transmisso, quemadmodum frigiditatem inducet, vel admotione rei frigidæ, seù pars corporis sit, seù quodcumque aliud extrinsecus refrigerandi vim habens, vel accedendo ad frigida loca, vel spiritu, & sanguine à parte illa abducto. Possitne vero natura per naturalem quamdam emanationem idem consequi, non secus ac aqua calfacta frigiditatem producit, hac via se ipsam refrigerans, & ad natiuã frigiditatem se reducens, hoc incertum, hoc dubium.

Possit ne natura per emanationem primas qualitates producere.

Negat Thomas Fiænus.

Negat Thomas Fiænus lib. satis docto, de viribus imaginat. art. 6. id ab anima fieri, nam si, inquit, id anima posset, & hac virtute donata fuisset, frustra dedisset natura corpori natiuum calorem, frustra tot potentias, tot & varia organa, ad illius tutelam excogitasset, cum posset anima, vi illa eminenti, calorem producere. Præterea, numquam calor deficeret, cum sit anima humana indeficiẽs. Tertio produceret illa omnem qualitatem, cum non sit maior ratio, cur hanc producat, non illam. Posset quarto, si hæc vis illi insit, ne dum proprium corpus, sed & externa quæque, vt sol mutare. Probat demum experientia, non posse, id ab anima fieri, nam quoties vult vnam partem corporis calfacere, vel calida parte admota, id facit, vel accedendo ad ignem, vel spiritu aut sanguine, ad eam partem, transmisso.

Nos affirmamus.

Puto tamen ego, non esse vim illam animæ denegandam, aut temperamento substantiali: nam vt ipsemet docet cõc. quinta est anima forma corporis: formę autem partes sunt, perficere materiam, quam actuat: non poterit id assequi anima, ni virtus hæc illi tribuatur. Quare concedenda. Præterea est illud aquæ à natura tributum; cur ergo nobilissimæ formæ negatum credemus? An quia superuacaneum illud est, & otiosum? At aqua actu est frigida, nec negamus propterea illi inesse vim quamdam frigiditatis productricem. An quia, ociosa essent, tot instrumenta, arteriæ nimirum, cor, eius ventriculi? At habent hæ partes, & multos alios vsus. Non itaque obstat prima ratio. Nec secunda; nam quamquam anima sit indeficiens, parte ea tamen, qua vegetat, & restaurat deperditum, dependet ab organo. Vnde deficit vis illa, & consenescit. Nec si corruptionis omninò sit illa expers, esset propterea perennis, qualitatum productio, & temperiei in eodem & gradu conseruatio; nam quemadmodum aqua calfacta, & in igne detenta, non potest calorem euincere, quia maior est causa impediẽs: sic vbi validiores sint causæ, quæ intemperiem inuehunt, non poterit anima, cõtrariam qualitatem producere, quamquã vis producendi, illi insit. Ad tertium cõcedimus, quidquid infert: neque id absurdum putamus, nam attractrix facultas, contraria omninò est pellenti, nec quisquam negauit, vtramque animæ inesse. Quarta ratio si est efficax omninò concludet, posse corpus, externum ab anima informari, moueri. Nec Solis exẽplum cogit, nam magis illimitata, vis Solis est, quam animæ nostræ. Ergo si potest ipsa per emanationem, qualitatem omnẽ in proprio corpore producere, poterit natura, vel sola, vel artis beneficio adiuta, omnem intemperiem corrigere. Vnde notandus Roder. Vega est, qui lib. art. med. scripsit, vnum morbum in quantitate imminuta, a natura curari: & vt rem liberè fatear, detrahit hic multum naturæ: tribuit eidem multum Valles. quod vt faciat, artis beneficia extenuat: an æquiores nos æstimatores, dijudicent alij.

Sit soluimus eiusdem argumenta.

Reijcitur perperam Vega.

Quid debeat præstare medicus, quo absoluat curationem. C. IV.

Debet medicus remediũ rectè administrare.

POstquam cap. superiori monstrauimus, quosdam morbos solius artis beneficio tolli, curari alios naturæ, & artis auxilio, est modo consequens illud examinare & docere, quid facere nempe debeat medicus, vt morbum abigat, e corporis confinio extrudat, votique sui sit compos.

Id vt absoluat, quid sciendum.

Vt verò certa ab incertis separemus, suppono primum tamquam cuique compertum, id medicum præstare debere, vt consequatur quod postulat, remedium nempe rectè administrare. In quo verò recta hæc administratio consistat, hoc non admodum certum, & propter hanc causam declarandam.

Galen sententia adducitur.

Putauit Galen 3. art. med. tex. 7. causam quamcumque rectè administrari, si nullus error in eligenda ipsius qualitate committatur, nec in dimetienda eiusdẽ quantitate peccetur. Vult itaque cibũ conferre, & salubriter administrari, si inanito exhibeatur, & quantitate decenti, non minori, nam inanitio non tolletur omnino, nec maiori, nam pro inanitione succederet repletio. Motum pariter cẽset, causam salubrem esse, si eo egeat corpus, nec moueatur plusquam ratio postulat, aut minus; nam si multum exerceatur pro bona sanitate succederet labor: sin citius quam par erat, quiescat, non nanciscetur beneficia multa, quæ modo-

rati exercitij vſus afferre ſolet. Cęterum quia alibi præter quantitatem, & qualitatem, temporis quoque fecerat mentio nem,ne quis aut ipſum obliuionis accuſaret,aut inconſtantiæ, factam id ſubdit ab ipſo quandoque maioris euidentiæ cauſa, non quod putaret tertiam quamdam conditionem à qualitate remedij, & eiuſdem quantitate diuerſam, tempus eſſe; *ſi enim*, inquit, *tali re,ac tanta allata egeat corpus, nemini dubium eſt, quin & in tempore oportuno offeratur*; conſideramus enim nos tempus, quia pro varia ipſius natura patitur corpus noſtrum mutationem,& vices: Cumque continuò cor pus noſtrum mutetur,poſcet modo hoc præſidium corpus, quo antea nequaquã indigebat: ſic cibum oblaturi, hyems ne ſit an æſtas inſpicimus,vt temporis conditione perſpecta, virtutis tenorem cognoſcamus,nam quo validior,eo plus alimenti eſt offerendum: Quo languidior calor,eo minus ingurgitandum. Vnde quia hyeme ventres ſunt calidiores, plus dandum cenſemus, æſtate minus, quia minus valet concoquere facultas. Idem 1.ad Glauc.cap.9.& 2.meth.cap.7.

[illegible] Sed quamquam multi dederint Galen. quantitate remedij,& qualitate, tempus pari pacto includi, negarunt nihilo tamẽ minus,nil aliud à quantitate, & qualitate requiri,quo cauſa ſit ſalubris; nam ſiquis duabus cibi libris indigeat, vnica aquæ, bibat tamen antequam alimenta aſſumat: certum eſt,hunc peccaſſe, ac propterea deterius habiturum, & tamen non poteſt hoc peccatum in quantitatem referri, aut qualitatem,quia tam aqua, quam cibo & illa quantitate indigebat: in ſolum itaque ordinem referri debet. Quare præter quantitatem,& qualitatem, ordo quoque requiritur, vt cauſa ſit ſalubris. Ita Valleſ.in expoſit.3.art.med. Quocirca concludit multo rectius alibi,quam ibi ſenſiſſe Galen.

Sed aliud fortaſſe eſt,quod deſideres in cauſa ſalubri,ſubſtantiæ nempè proprietatem,nam non pauca ſunt, quæ hac ratione lædunt. Conſideranda item regio, per quam fieri debet vacuatio, Pars cui admouenda remedia, & modus remedij adminiſtrandi, nam hæc omnia verbis illis eſt complexus Hip.6.epid. 2. tex. 33. *tranſitus aperiri,vt nares,& alia,quibus opus eſt,& vt conuenit,qualia, & vbi, & quantũ, & quando oportet*.

Defenditur. At vero diminutam non eſſe ſententiam Galeni admittent facile omnes, ſi quid per quantitatem,qualitatemque voluerit explicemus, & declaremus pariter, quid ſit modus vtendi; propterea hoc faciamus. Qualitatis nomen apud medicos, interdum cum quantitate confunditur vt 6.aphor.5.& 1.de differ. feb. cap.1.febrem enim magnam appellat, & paruam,cum tamen vehementem, & mitem potius dicere deberet. Secundo ſumitur qualitas verè,& propriè ſic 1. de elem.2. dicebat Galen. numquam poſſe abſque ſubſtantia qualitatem inueniri, quo ſit, vt quamquam medici frigiditatẽ tantummodo exoptent quandoque,corpus frigidum admouent,aquam nempè, aut oleum roſaceum. Sumitur tertio qualitas apud Galeum pro certa, & determinata rei ſpecie,hoc eſt ſubſtantiæ, aut cuiuſuis alterius prædicamenti, ſic nomen qualitatis accepit Hippoc. 1. apho. 2.auctore Galen.vnde exponens verba illa,ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, per ly qualia interpretatur determinatam ſpeciem humoris,ac ſi dicere Hippocr.voluiſſet,ſi is humor purgetur,qui peccat,vacuatio confert. Trifariam itaque qualitas cum poſſit ſumi,hoc vltimo modo ſumpſit citato loco Gal. vt ſit ſenſus,cauſa alterans, tunc ſit ſalubris,& conſeruans,cum ſpecies determinata, cibi, & potus, & in conuenienti quantitate exhibetur. Non itaque reprehendendus Galenus, quod modum ſubſtantiæ omiſerit, aut proprietatem: non quia vt dixit loco illo Sanctorus, nõ poteſt ſubſtantia citra qualitatem agere, ſed quoniam quamuis agat immediatè, ſub qualitate etiam comprehenditur. Comprehenditur etiam ſub eadem ordo, nam vbi ab aqua ante cibum ebibita quis læditur,idcirco lęditur,quia aqua tunc temporis non egebat. Quare non eſt illud præſidium admotum corpori, quale eſſe debebat.

Ad eamdem qualitatem, aut quantitatem pertinet vtendi modus, nam vbi lactucam per modum ſtillicidij applicamus, idcirco eligimus hunc modum vtẽdi,quia ſi ſecus fiat, non pertingeret vis remedij ad partem affectam, aut confractis iam viribus. Quare non eſſet in debita quantitate, & morbo propulſando idoneo.

Huc quoque pertinet regiò, nam vbi humor non vacuatur per illam regionẽ, quæ humori vacuando eſt idonea, aut nõ educetur,aut non ea quantitate, qua decet. Eodem modo vbi quis importune aut pharmacum exhibeat, aut porrigat cibum, neque remedium, neque cibus habent qualitatem congruam,quia non indicantur: nec poſſunt quantitate conuenire,nam cruda vacuationi reluctatur, vnde cocta iubet Hippocr.medicari.

Cœterum quamquam poſſint quæcum que ad rectam faciunt adminiſtrationem remedij,duabus illis conditionibus com modè concludi,quia tamen,vt idem Galen.eſt auctor, facilioris gratia intelligẽtiæ,tempus tamquam tertiam quamdam conditionem à cœteris diuerſam conſiderauit quandoque: perpendit pariter modum adminiſtrãdi remedium, locumque cui adhibendum, vt clarè patet ex 1.

ad Glaue. propterea ne nostra methodus euadat obscura, docebimus primum, an debeat aliquid medicus moliri, vt morbosas qualcumque affectiones extrudat: quid sit illud, qua quantitate, quando id facere expediat, & vbi admouendum; his enim perlustraris, nil superesse video, quod à medico possit desiderari.

Quid indicatio.
Cap. V.

CVrationem nõ quouis remedio exibito fieri, sed vbi fuerit rectè administratum, tunc ex voto succedere supra diximus: adhiberi autem rectè subdebamus, cum in electione remedij, & quantitatis eiusdem, aberratum non fuerit: non peccatum in tempore, modo, & loco (vtendi rationem solent medici cõditiones has vocare). Ne itaque tamquam cœci ambulemus in tenebris, tradenda methodus est, quæ ita nos dirigat, vt collimemus. Quoniam vero curatiua methodus per indicationes procedit, dicẽdum modo esset quidnam indicat qualitatem remedij, quid quantitatem eiusdem, & rationem vtendi, vt ijs inspectis, & quid faciendum, & qua quantitate remedia admouenda forent, nosceremus. At quia decernere id non possumus, ni primum declaremus, quænam sint indicantia, seù illa, quæ inspecta, hæc docere nos possunt. neque hæc assequi possumus, ni ante omnia constet, quid sit indicatio, hinc auspicabimur.

Diffinit Galen. 2. meth. 7. indicationem
Galeni sententia affertur. hoc modo, *Est agendorum insinuatio, seù eius, quod agendum est explicatio*. Quoniam verò non quæcumque agendorum insinuatio indicatio dici potest, sed quæ fit absque discursu, exactè magis, quid ipsa sit explicauit cap. 11. lib. de opt. sect. dicens, *Est indicatio comprahensio iuuantis, cũ comprehensione nocentis, absque obseruatio-*
Et explicatur. *ne, & ratiocinio*: ad cuius euidentiam scire oportet, posse medicum tribus medijs adiutum, inuenire oportuna præsidia ad curandum: sunt autem experientia, siuè obseruatio, historia, analogismus, seù trãsitus ad similia, qui fit per discursum: inueniunt idem rei extrumpendæ, aut seruandæ natura perspecta. Quomodo experientia docti, & historia, multa nouerint medici, cuique vel parum versato in re medica notum. Analogismus, Galen. auctore, lib. de opt. sect. 11. est inuentio, seù perceptio causarum per similitudinem, vnde analogismo inuenire, nil aliud est, quam ex aliorum similitudine inuenire, quæ triplex, in affectibus, partibus affectis, & materia remediorum. Prioribus medijs vsi sunt empyrici, & vniuersim omnes medici, cum adhuc infans esset ars medica, & nondum exculta perfectè: itaque experientiæ, & analogismo innixi docebant, quæ facere, quæ cauere oportebat in quocumque affectu: proinde rogati, cur febricitanti frigida exhiberent, vitarent calida, quia dicebant his lœdi, illis iuuari experimento didicimus, quod diuidebant in tres differentias, fortuitum nempè, seù casuale, naturale, & consultum; discei enim aliquid potest experientia, vel ab alio facta obseruatione, & vocatur historia: Cumque bifariã contingere possit, vt illud experiamur, casu, & fortuito, vt cum cadenti ab alto, & sanguinem expuenti, excretionem sanguinis profecisse experimur, vel à natura hominum, vel brutorum edocti, quę multa remedia aduersus multos morbos nos docuere, diuisere illam in naturalem, & fortuitam. Vtebantur ijdem analogismo; enimuerò cum numquam fieri potuisset, vt omnium affectionum remedia, experientia comperta haberent, sed multoties obijcerentur curandi morbi omninò ignoti, vtebantur ad indaganda præsidia oppotruna transitu ad similia, seù faciendus esset transitus ad affectum similem, vt cum mitti sanguinem in erisipelate eam ob causam cõijciebant, quia inflammatio cui similis, venæ sectione adiuuatur, seù faciendus esset transitus ad similem partem, vt cum inflammato crure mitti sanguinem concludebant, quia inflammato brachio profuit. Vtebantur quoque eodem, deficiente materia remedij: vnde cum adstringendi indicatio occurrebat, nec cotoneum aderat, vtebantur mespilo, nam facultate cotoneo est simile. Vtebantur methodici communitatibus illis, omne laxum est adstringendum, omne adstrictum laxandum.

Tot itaque cum sint media ad indagãda præsidia, dicit modo Galenus, esse indicationem, comprehensionem, hoc est certam quamdam notitiam, non per experientiam, aut discursum habitam, qui fit analogismo, sed ex simplici rei seruandæ, aut tollendæ cognitione comparata. Quia verò cognitio, alicuius obiecti est cognitio: de non ente enim nulla habetur scientia, subdit esse comprehensionẽ iuuantis vna simul cum comprehensione nocentis: quæ verba communiter interpretantur Doctores in hunc modum, est indicatio certa quędam cognitio, & eorum, quæ facere expedit, vt tollatur quod pręter naturam, seruentur verò naturalia, & eorum, quæ sunt euitanda, vt concepti voti compotes euadamus; equidem vbi nouit medicus, febrem esse affectum calidum præter naturam, ac propterea tollendum, non solum statim intelligit, refrigerandum esse, humectandũ, sed & illud quoque habet compertum, non esse calfaciendum, & siccandum, quia adaugent morbum, Quos admitten-

ten-

seudos non censeo; non quod putem, falsum esse, quod docent, vtque adeo enim clara est eorum doctrina, vt cœcus sit, qui ad tantam lucem caligat, hebescitq; sed quoniam à Galeni mente videtur aliena; dixit enim 2. meth. 7. Galen. esse indicationem insinuationem agēdorum, ergo est cognitio eorum, quæ fieri expedit tantum. Quare per verba illa cum comprehensione nocentis, non debemus exponere per eamdem haberi cognitionem eorum, quæ vitanda, sed explicare medium, à quo huiusmodi notitia habetur; enim verò cum comprehensio iuuantium haberi posset experientia, eaque multiplici, aut analogismo, & ex cognitione rei nocentis, hoc est rerum præter naturam, quæ sanitati, & viribus officiūt, vt vna simul explicaret Galenus quænā notitia esset indicatio, & quo medio à medico comparatur, ait, est comprehensio eorum, quæ iuuat facere, quæ simul habetur cum compreheōsione rerum præter naturam nocentium; nam statim vt intelliget medicus, febre e. g. teneri Socratem, & affectu calido, mox statim cognoscit frigida esse Sorti admouenda; & vbi nouit menstrua esse adstricta, mox mente comprehendit, esse prorītanda.

Obiectio. Obijcies virtus est indicans, indicat autem cum sit res naturalis conseruationem sui ipsius: at hæc cognitio non habetur ex cognitione rei nocētis Quare exponendum per comprehensionem nocentis, cognitionem oppositi, quia vbi noscimus, esse virtutem conseruandam similibus, cognoscimus pariter non esse modo aliquo eamdem contrariorum vsu destruendam. Secundò aer indicat, auctore Gal. 9. meth. 14. & tamen ab aere nulla huiusmodi cognitio habetur. Quare, &c.

Solutio. Dixit ad primum Altimarus sub diffinitioōe tradita indicationis, non comprehendi indicans vitale. Contendit Saluus 1. aphor. vniuersalem esse diffinitionem & omnia indicantia complecti, cui censeo esse adhærendum, nam cùm alimenta exhibenda esse concludimus, idcirco illa damus, quia virtutem deficere conijcimus. Deficere autem ob defectū humorum, spirituum, aut partium carnosarum. Ergo cum hæc cognitio, quam ex indicante vitali habemus, adhuc habeatur ex notitia rei nocentis, nimirum inanitionis, & defectus, eamque ob causam de restauratione cogitamus, negandum non est hoc indicans sub communis indicationis diffinitione contineri.

Ad secundum dicimus, indicans esse duplex, alterum verè & propriè, quod facienda, & cauenda præscribit, & hoc triplex morbus, causa morbi, & natura seu virtus. Est aliud indicans non tamen verè, & propriè siquidem faciendorum ratio ex eo nequaquam habetur, potest tamen dici indicans, quia ad rectam præsidij administrationem conducit ipsum inspicere, & contemplari. Dari duplex hoc indicans habetur expressè ex duplici diffinitione indicationis, quam dedit Galenus; nam vbi indicationem esse dixit comprehensionem iuuantis, &c. verè indicātia diffinitione illa est complexus: Contra vbi indicationem diffiniuit esse insinuationem agendorum, indicantia quęuis comprehendit. Quo posito, dicimus aerem, vt alia multa, de quibus infra, non esse verè indicans, ac propterea ipsius natura cognita, nequaquam habetur notitia faciendorum. Est tamen adhuc indicans aliquo modo, quia cognita ipsius conditione conducit non parum, vt faciendorum quantitatem metiamur, vt latius infra.

De indicantibus. Cap. VI.

CVM sit indicatio certa, & exacta notitia eorum, quæ facere oportet, seu seruare velis sanitatem præsentem, seu deperditam recuperare: videre, est modo consequens, quænam sint indicantia, vt ijs inspectis, possit medicus faciēda prosequi, cauenda auersari.

Quid facienda indigitet, facilè diuinabit quisque, qui memoria teneat, quæ supra exponentes naturam indicationis, à nobis sunt dicta. [D]iximus faciendorum insinuationem, seu certam notitiam haberi, ex eorum, quę nocent notione: est enim indicatio comprehensio iuuantis ex compreheōsione nocentis comparata. Proinde videamus, quænam, & quot nocent; nam indè acquiremus eorum omnium, quæ indicant cognitionem. Quæ nocent, seu nocendi vim habent, tria sunt; morbus, est enim dispositio præter naturam immediatè lędens actiones. Causa morbi, quæ morbo medio idē facit: & inanitio, quæ ex vtilis substantię iactura resultat. Quare tria erunt dumtaxat indicantia, non plura, non pauciora, morbus, causa morbi, & virtus. Morbum dicunt esse indicans curatorium, causam præseruatorium, virtutem verò indicans vitale; causæ enim debetur pręseruatio, curatio morbo, virtuti conseruatio. Confirmatur, nam seu curare velimus, seu præsentem sanitatem tueri, nō occurrunt alia, quæ aut possint, aut debeant indicare. Quare tria tantum erūt indicantia. Et quidem quod pertinet ad sanitatem tuendam, cui dubium est, non nisi seruandæ illius indicationem, & curam habendam esse.

Tria sunt indicantia morbus, causa, virtus.

Quod verò non sint alia indicantia in curatione rectè instituenda, inde habetur apertè, quia ad rectam curationem duo sunt necessaria: alterum est, vt quæ sunt præter naturam abigantur: alterum

Non plura.

Ii 2 est,

est, vt quę sunt naturalia cōseruentur. At quæ sunt præter naturam, duo sunt tantummodo causa, & morbus, natura vnica. Quare vbi hæc seruetur, illa duo tollantur, absoluta erit curatio omnis.

Obiectiones. Cæterum, quia non pauca sunt quæ aliter esse opinandum suadent; nam quędam rationes, vt detrahamus huic numero suadent, suadent aliæ, vt multiplicemus, examinemus singulas adamussim.

Quantum ad primum, natura est morborum medica, ergo de huius tantum tutela debemus esse solliciti, nulla amplius morbi ratione habita. Confirmatur, quia morbus cum sit nihil, nullam habere potest vim lædendi. Nec morbo vmquam contraria admouemus, sed causæ morbi. Quare à morbo saltem nulla erit indicatio desumenda, vt expressè Gal. lib. de opt. secta c. 24. & 25.

Quæ contra plura esse suadent, hæc sunt. Non minus lædit symptoma, quam morbus; nam dolor, & vigilia immodica vires dissipant, & vna actio læsa lædit aliā. Quare symptoma quoque inter ea, quæ indicant reponendum. Præterea numerat inter ea, quæ indicant Galen. & passim medici temperiem, ætatem, sensum partis exquisitum, aut hæbetem, consuetudinem, habitum corporis, crassum tenuem, densum rarum, figuram, & compositionem partis malè affectæ, & situm eiusdem. Considerant aerem, regionem, tempus anni, vitæ genus, & mores. Quare aut nos diminuti, aut Galenus superfluo hæc omnia enumerat.

Soluuntur, & tria esse indicantia monstratur. At verò non esse detrahendum ternario numero certissimum, vt rationes primo loco adductæ demonstrant, nec persuadent aliud secundo loco propositæ; nam quamquam sit verissimum, naturam esse medicam morborum, & huic tantum seruandæ medicum vacare debere, adhuc tamen ex ista ratione deducitur, & morbi, & causæ morbosæ curam esse suscipiendam; nam cum bifariam possit aliquid conseruari, per se producendo quid simile deperdito, & per accidens remouendo contraria, atq; vtroque modo debeat conseruari natura; per se nempe restaurando deperditū, & per accidens remouendo ea, quę ipsam immediatè corrumpunt, vt morbus, aut mediatè, vt causa 9. meth. cap. 13. nullus est, qui non videt, & nutritioni esse incumbendum, & tollendo morbo, causęq; morbificę. Quare tria indicantia, morbus, causa, & natura. Vbi dicitur morbus non lędit, vide quę diximus lib. 1. Cum instatur, morbo nihil opponimus, vide cap. 2. huius libri. Loco cit. ad Trasibulum id tantum contendit probare Galen. à primis illis morborum generibus, laxo nempe, & adstricto, nihil vtile indicari, & quod sit ex vsu; siquidem id tantum habemus à morbo, remouendum esse, & per contrarium, quod vel brutis notum, ne dicam plebeis. Propterea 3. meth. cap. 1. vocabat hanc indicationem carcerem, vel vt Altimarus traducit par. 1. de febr. cap. 25. excitamētum: haud tamen negare prorsus contendit, nihil omninò morbum indicare, vt apertè cognoscet, qui caput illud perlegerit.

De loco illo, qui legitur 9. meth. cap. 15. in hunc modum: *Cum autem contrarij hi affectus sint; necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio, itaque ita rursus vna erit curationum, maximè generalis indicatio, nempe contrarietas*, legunt alij contrarium, scio magnam esse excitatam controuersiam inter Argenterium, & Galenistas, quam multis examinare, & discutere, haud necessarium iudico, sed illud tantum censeo aduertendum, sensum loci illius hunc esse, cùm morbus, & causa sui remotionem indicent, fiat verò remotio per contrarium, generalis indicatio in curatione contrarium, adde tu, adhibere; nam vsu contrariorum tollitur morbus, & inanitio, seù deperditio substantiæ; nam additione est restaurandæ; constat autem hinc nihil colligi posse, quod ternario numero indicantium officiat.

An plura apponemus? minimè verò, Non plura. nàm nulla adducta est ratio, quę id cogat asserere. Non quæ à symptomatis sumitur, nam vt in fine primi libri diximus, non lædit symptoma, quodcumque sit illud. Quare nulla ab ipso indicatio desumenda.

At dices, adhuc lenimus dolorem, & Nam symptoma nil indicat. de illius curatione solliciti sumus: haud abnuo, nego tamen, dolorem aliquid indicare; nam quantum pertinet ad lenitionem, quæ fit vsu eorum, quæ vim habent anodinam, hæc quoque remouent causam, dum leni calfactione aperiunt meatus, & faciunt, vt causa doloris leniter perspiret. Curatio facta Narcoticis adhuc ad eam reducitur, quæ fit causæ amotione; nam de ea, quæ vacuato fit humore, non est quod dubitemus. Quare si semper symptoma causæ amotione curatur, clarè hinc deducitur nihil, aut nihil vtile indicari à symptomate. Ergo quod medici distinguunt curationem illam, quæ fit anodinorum vsu ab ea, quæ fit amotione causæ, & auferentibus sensum, sciant id clarioris doctrinæ gratia à medicis factum; nam cum dolor semper curetur auertentibus animum, stupefacientibus, & vacuantibus causam factricem ipsius, tolletur ille semper causæ amotione.

Dices, quandoque symptoma trahit ad se medentis scopum, vt cum in dysenteria, contempto vlcere, quod exiccantia poscit, & abstergentia, enema ex lacte inijcimus, & in immodico fluxu adstringentia porrigimus. Quare indicat ali-

aliquid symptoma, & cogit, vt sibi vacemus, quamquam semper illud auferre, amota eius causa conemur; nam ad immodicam excretionem, partis laxitas sequitur, ac propterea adstringimus quandoque. Galen. 11. meth. cap. 1. concedit, quandoque symptoma indicare per accidens, hoc est per illud quod symptomati accidit: accidit autem subire rationem causæ: quæ sententia quamquam multis arriserit, ego tamen, vt rem fatear ingenuè, non percipio mentem Galeni; trahit enim symptoma ad se curationem, quando maximè vrget, non vbi causæ induit rationem, eo autem vrgente, & curationem propterea ad se alliciere, haud exhibemus aliquid aduersus ipsum, sed adhuc occurrimus causæ inducenti illud; nam, vt in eodem dysenteriæ exemplo stemus, vbi ad leniendum dolorem, enema ex lacte inijcimus, & rebus pinguibus, quæ vlcus adaugent, & sordidum reddunt, aduersus acrimoniam humoris exasperantis vlcus, & adaugentis pugnamus, & vbi in fluxu adstringentia adhibemus, remedium hoc adhuc pugnat aduersus causam fluxus; nam ad fluxum immoderatum sequitur laxitas retentricis; ni enim debilitata esset, immoderatus fluxus nequaquam fieret.

Quod pertinet ad alia, quæ indicare pariter videtur voluisse Galen. dicimus breuiter; nam mox multo plura, non indicare modo aliquo facienda, sed rectam faciendorum administrationem, quod lõge diuersum. Quomodo hoc fiat, passim infra dicemus.

Quo intuendum, vt noscamus, sitnè aliquid faciendum à medico. Cap. VII.

Facienda, à morbo, causa morbi, & virtute indicari supra diximus: rectam faciendorum indicationem ab aere, regione, anni tempore, ætate, temperie, sexu, victus ratione, consuetudine, & alijs. Id verum esse, quia facile fatebitur quisque, si inductione facta in faciendis, & recta agendorum administratione, ita rem se habere monstremus, eia age hoc faciamus; ita enim declarabitur pariter recta medendi methodus. Cœterum, quia ad rectam curationem illæc omnia medicum oportet prænosse. An sit aliquid agendum. Quid, quantum, quando, quomodo, & vbi, videamus à quonam singula ista indicentur.

Quantum ad primum, an sit agendum aliquid, docebit te abundè morbi, & virtutis conditio. Propterea oporter vtrúque contemplari. De morbo videndum an sit exitiosus, an salutaris; si fuerit ille certò lethalis, nullum oportet admouere præsidium, sed solis præsagijs relinquere; nam reus fies mortis, si insanabile vulnus curandum suscipias. Quod si cõtra speretur, morbum salubrem fore, vide viterius, an sit ex genere eorum, qui non possunt à natura curari, quemadmodum sunt morbi in numero adaucto, situ mutato, an contra eius sit naturæ, vt à natura, & arte vinci possit. Si sit primi generis, debet statim se medicus curationi accingere; nam inutilis est, nocuaque cunctatio omnis, vbi ex cunctatione, nullum speratur auxilium. Quod si secundi sit generis, inspiciat insuper medicus, possitnè morbus à sola natura curari, an numquam id assequetur, nisi artis beneficium accedat: cognosces hoc autẽ collatis morbi viribus cum natura: nempè vincet hæc, si sit morbo superior: vincetur, si vires naturæ morbo sint inferiores; nam in vniuersum, semper victoria sit à proportione maioris inæqualitatis. Si possit morbus à sola natura vinci, sedeat in hoc casu medicus, & sedendo vincat; habet enim Hippoc. 1. aphor. 20. *quæ indicantur, & indicata sunt integrè, neq; mouere, neque nouare oportet, sed sinere*, hoc est morbis, quos potest vincere, aut vicit, aut vincit natura, ne manũ adhibeas, sed spectator sedeas; sunt enim præsidia medica nostræ naturæ infensa, & aduetsa, eamque propter causam, ni summa instet necessitas, vsurpari non debent. Deuitat Hippoc. glandem. 1. de rat. vict. & ea vti non vult, si sponte exierit aluus. vide quid facturus, si maiora præsidia essent exhibenda. Auerr. quoq; 1. physic. comm. 50. *qui potest*, inquit, *sanare modica actione, ille aget actione artificiali: si autem laborauerit actione maiori, ociosè faciet, & superfluè, & ita est de natura, sicut de arte*, ex quo patet, quod nihil est superfluum in natura, nec in arte. Hæc vellem imbiberent animo quidam medici, qui, vt aliquid facere videantur, numquam recedunt ab ægro, quin præscripserint aliquid, verè vt de illis dici possit, quoties accedunt ad ægrum, toties peccant; enimuerò, si exiguis morbis sola natura est satis, quorsum ipsam vel à proposito opere diuertis, aut præcipitem agis? *Dum natura mouet, noli mouere tu*, iubet Princeps, audi proindè ipsum, & vbi natura sedulo causæ coctioni incumbit, & debellando morbo, ne quæso aliud quicquam moliaris. Contra verò vbi ipsa suis nixa viribus morbum expugnare non potest, tunc aliquid operare; nam hoc proprium est medicæ facultatis munus, naturæ deficienti opem ferre. Vnde idem Auicenn. *& dum natura non mouet, moue tu hora motu eius.*

Obijcies, Galen. 10. meth. cap. 10. sumit curationem hecticæ confirmatæ, & progressæ: neue quis illi obijceret, quod ipsemet dixerat 11. meth. cap. 9. impudétis

Marginal notes: Quo contra pilda ad propositi consequutionem. — Obiectio.

tis nempe consilij esse apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti, subdit Thucididis auctoritati innixus, *necessarium arbitror agentes aliquid vel periclitari, quibus cum alia salutis ratio non est, & quæ vnica videtur, ea dubia, necesse arbitror aduersus periculis ire.*

Sol. Respondeo cum Vgone, & alijs, perniciosos morbos esse duplices, sunt alij certo perniciosi, & lethales: sunt alij, qui quamquam metum incutiant, certum tamen exitium nequaquam minantur. Priores adhuc sunt duplices, alij breui sic affectos perimere solét, sunt alij chronici, & diuturni. Omninò desperati, qui breui sunt perituri, non sunt modò aliquo attingendi, sed solis debent relinqui prognosticis: vel si quod velis adhibere remedium, leue illud sit, & aliorum precibus coactus id facias; nam cum, admoto remedio, non tamen ob admotum remedium periturus sit æger, referet semper vulgus in præsidium medicum necis causam. Verumtamen si sic affecti diu sint victuri, poterimus graue aliquod medicamentum exhibere illis, vnde medici præbēt lac phtysicis, & balnea aquæ dulcis tres ob causas; prima est, vt mulceamus dolores, aut vitam quo magis fieri potest prorogemus: secūda est in gratiam infirmorum: tertia est in gratiam nostri, nam desinent suspicari adstantes, potuisse ægrum iuuari, qui longo tempore vixit, si quæ opportunè essent illi remedia exhibita. Sunt pariter exhibenda remedia illis, qui quamquam pessimè sint affecti, non sunt tamen certo perituri; etenim cum sint exitus morborum incerti, sæpe enim destitutos conualuisse videmus, alios contra miserè peremptos, quos medicus esse in tuto putabat: expedit in his morbis aliquid moliri, & cūcta tentare, quæ modo aliquo profutura conijcimus. Habes quomodo morbus indicat, an sit aliquid faciendum à medico: declarandum modo, quo pacto quid agendum, seù remedium indicetur à morbo, sed faciemus hoc cap. seq.

Quibus fiat curatio, seù de qualitate remedij. Cap. VIII.

Cōtrariorum opera fieri docent omnes.

CONtrariorum vsu curationem absolui, receptum est dogma in schola medicorum. Itaque si quis vt physicus tenter demonstrare illud, aut quouis alio modo persuadere, omninò hic certè otio literario abutitur; nam si curatio est morbi, aut causæ morbum proximè facientis expulsio, aut corruptio, omnisque corruptio fit à contrario, quemadmodum seruamur à simili, contrariorum vsu curationem absolui, hinc euidenter deducitur. Vnde Hippocr. 2. aphor. 22. *morbi quicumque à repletione fiunt, inanitione curantur, & qui ex inanitione sunt excitati, repletione sanantur.*

Eodem discursu monstratur solis cōtrarijs posse affectus omnes præter naturam curari, & abigi; nam ab his tantum corruptio: similia, tantum abest, vt perimant, vt conseruent, & foueant. Quare numquam erunt similia curationi opportuna, sed continuò erunt eligenda contraria. Quoniam verò non defuere, qui Paracelso dediti plus iusto, similium vsu curationem quamcumq; absolui docent, vt omninò verum illud esse appareat, nullum esse dogma vsque adeo absurdum, quod suum non inuenerit fautorem, erit propterea illud examinandum. Ergo aiūt isti. Natura est morborum medicatrix, medicus verò naturæ minister, ergo natura tantum iuuanda, seruanda, vt curatio quæuis ex voto succedat; nam hac repugnante, aut prostrata, sunt irrita omnia. At verò conseruari nonnisi similibus potest. Quare fiet omnis curatio similium vsu: atque hæc Paracelsus. Confirmari idem potest auctoritate nostrorum, qui vomitum curant vomitu, fluxū fluxu, dolorem dolore, febrem reubarbaro, theriaca, mitridato, alijsque rebus calidis: ad tetanum frigidum, frigidæ infusionem commendant. Antecedens notum est, vel ijs, qui medicinæ praxim à limine salutarunt; siquidem patientes nauseam, & vomentes, vt vomant hortamur, præsertim si sub accessionis initium hoc patiantur: & in sanguinis sputo, aut fluxu menstruali, mittimus sanguinem, & multoties: quodque mireris magis, Galen. lib. de præcogn. ad Posthumum, cap. 8. in cura fluxus muliebris laudat diuretica: dysentericos nostri expurgāt, acrique clistere nonnulli sanarunt: dolorem demum coxendicis, exustione tollunt: auulsione dentis, quæ magno fit cū dolore, dolorem dentium. Quid moror? monet in vniuersum Hippocr. 6. epid. 2. tex. 9. vt curaturi, similia faciamus, *efficere inquit, similia, vt dolor dolore sedatur.*

Præter Paracels.

Ob hanc causam.

Et alias.

Stat nihilominus proposita sententia menti: est illa communis præsertim Galen. cit. loco 6. epid. 2. text. 9. enimuerò inconcussę veritatis est illud, omne quod corrumpitur, à suo contrario, seù per, seù per accidens corrumpi. Quamobrem, cum in euratione hoc intendamus, morbum nempè, & causam morbi abijcere, prosternere, nonnisi contrarijs curationem perfici, manifestè hinc deducitur, quando similia nequaquam corrumpendi vim habent, sed conseruandi. Quod si videantur nonnullæ affectiones, non à contrarijs vinci, sed curari à similibus, scias, curationem illam non fieri ab illis, qua similitudinem aliquam cum affectibus habent, sed quatenus sunt illis contraria, & aduersantur, quod vt clarissimū fiat, examinemus adducta; nam facilè hoc inno-

Reijciendus nihilominus ob hanc causam.

Et argumētis adductis occurrimus.

innotescet, atque vt eodem quo sunt proposita ordine discutiantur, ordiamur à vomitu. Hic vomitum curat, causam vomitus demoliendo, nempè excrementa ventriculo hærentia, solent plerumq; facere, ne possint ingesta contineri; vbi ergo vomitus arte factus irritantia expellit excrementa, sublatione causæ vomitum curabit. Eodem pacto sanguinis sputum, aut fluxus muliebris, sanguinis missione curatur; nam cum habeat sanguis, cum vino affinitatem magnam, & contineatur in venis, quemadmodum in dolio vinum: contingit è venis prodire ob easdem propemodum causas, ob quas vinum è dolio effunditur; itaque velut vinum foras prodit quandoque, quia dolium tantum vini capere nequit, vel quia plus immittitur, quã capere queat, vel quia à calore rarefactum maius spatium desiderat: alias foras prodit culpa dolij, quia fractum, erosum, quia rarefactum: sic sanguis interdum è venis emergit; quia plus iusto adauctus non potest in angusta venula contineri: est autem auctus, aut vero augmento, & reali, aut quia rarefactus: prodit alias culpa venæ erosæ, ruptæ, aut rarefactæ. Quare nihil est, quod miremur si vacuata plethora per venæ sectionem refrigerato sanguine, & alio auocato, curetur misso sanguine, fluxus sanguinis à copia, quauis è causa abundet, vel quia multus re vera, aut quoniam rarefactus: iuuetur ille, qui fit erosa vena, & in vniuersum quauis à causa dependens, cum reuellat à vena, ad quam ipse foras prodituruș accurrit. Consultò dixi, sputum ab his causis factum iuuari, curari contra illud, quod fit aperta vena a copia sanguinis, vt intelligant medici, non esse æquè sanguinem in quouis sputo, & fluxu extrahendum, sed vbi fit à copia sanguinis, aut eiusdem feruore, multum extrahi debet, & multoties; vbi ab alijs causis ortum habet, parcius est mittendus, & rarius, quod nõ aduertentes multi medici, dũ plus iusto audaciores in quouis fluxu multum mittunt sanguinẽ, in grauia pericula conijciunt ægros, præsertim vbi caput à repetitis venæ sectionibus refrigeratũr plus iusto, vnde augetur destillatio, quæ plerumque in causa esse solet huius affectionis.

Declarantes quomodo vomitus curat vomitum.

Sanguinis missio fluxum sanguinis

Vacuando pariter causam muliebris fluxus, conferunt diuretica, etenim cum proximè vterus hereat vesicæ: quis non videt serum humorum ab vtero ad vesicam deriuari, aut auocatum ad renes, reuelli ab vtero?

Diuretica fluxum muliebrem.

Dysenteriæ negant quidam purgationem conuenire, quod iubeat Galenus, non esse humorem ad partem affectam trahendum. Qui tamen concedunt (concedunt autem communiter medici; nàm vbi confertim per intestina humor vacuatur, nullam infert noxam vlceri, quemadmodum nec carbo ignitus calefacit manum, tantum abest, vt vrat, ni detineatur) idcirco putant iuuare, quia vacuato humore per pharmacum, qui sensim delabendo, & mordicabat, & vlcerabat intestina, nullus amplius fluit humor: atq; si qui à pharmaco superfuerint, poterunt à natura detineri, vnde coercebitur alui fluxio.

Vacuatio dissenteriam.

Clisteres pariter acres non conducũt omnibus, sed ijs tantum, qui vires habẽt robustas, & sensum nõ adeo exquisitum: conducunt verò vacuando erodentem humorem, & exiccando vlcus, & abstergendo.

Curat exustio dolorem coxendicis, & dentis extractio, dentis dolorem tollit, non inducendo dolorem; sed exustio hoc facit, tollendo humidam, frigidamque intemperiem: extractio dentis, tollendo causam, dentium dolori conducit. Nempè, ipso extracto, aufertur fluxionis occasio, quæ semper fit ad partem debiliorem, vt propterea medici non quoties dentes dolent, statim de ipsorum extractione cogitent, sed tunc tantum, cum sunt perforati, denigrati, & ita debiles, vt facilè quæcumq; excrementa susceptẽt. Confert secundo tollendo dolori dolor, auertendo humorem, & alio ipsum aduocando, vt cum dolente capite, fricamus crura: aut facit idem tertio auocando animum, nam ob hanc causam scriptum ab Hippocr. est, auctore Galen. 2 aphor. duobus doloribus infestãtibus, minorem à maiori obscurari. Frigida curat tetanum, cohibendo spiritum, & per antiparistasim adaugendo calorem. Hinc quia antiparistasis non habet in omnibus locum, sed in ijs dumtaxat, qui robusti sũt, & calidi, dixit Hippocr. *est autem vbi in distentione sine vlceratione, iuuene bene carnoso æstate media, frigida aquæ multa perfusio, calorem reuocat: calor autem hæc soluit.* Est ergo compertum hæc omnia, etsi similia videantur, curare tamen affectiones quascumque, quia sunt contraria per accidens. Ergo cum temerè, quæ per se possunt conducere omittantur, retentis quæ possunt ex accidenti aliquo iuuare, temerarij medici fuerit, vt benè ait Valles. 2. epid. sect. 5. tex. 29. ea experiri, à quibus, ex accidenti, aliquod speratur auxilium, si nihil prohibeat ijs, quæ per se sunt vtilia curare. De argumento Paracelsi diximus supra. Cæterum quia contraria sunt duplicia, æqualia, inæqualia, hæc maiora minora: quibus fiat curatio declarandum.

Exustio dolorem.

Dolor dolorem.

Frigida Tetanum.

Nota.

Aequa-

Aequalibus ne contrarijs, an inæqualibus absoluatur curatio, seù de quantitate remedij. Cap. IX.

Gal. sententia asseritur.

PRobauit Galen. 3. simp. 12. contrariorum æqualium vsum, damnauit maiora, minora; nam hæc morbum depellere nequeunt, illa nouum arcessunt. *Porrò, inquit, vt vno verbo exprimam, tanto abesse à medio, quod medebitur, quanto ipsum, cui medela adhibetur, oportet: nimirum, cùm in contrarium vtriusque vergat excessus; nam quod eamdem in partem, cum corpore curando, idq; æquo temperamento recessit, id quidem idoneum non est, quod alterationem vllam inuehat. Quare affectum neque lædet, neque iuuabit. Quod autem minus, aut plus recessit, alterabit quidem omninò affectum, sed quod longè plus distat, protinus etiam nocebit, at quod minus est, iuuabit quidem, non tamen persanabit. Ergo si affectio quidem frigida sit, & calor medicamenti tepidus, omnino necesse est affectum iuuet quidem, verum affectum, haud quidem ad naturalem symmetriam reducere poterit. Quare nec persanabit. Rursum si affectio quidem sit parua, nempè vt à symmetria naturæ caliditate ad tepiditatem declinet, sitque medicamen frigidum, omnino refrigerari affectum, lanquo frigore necesse erit. Eodem quoque modo si calidior sit moderata temperatura affectus, à similibus ipsius medicamentis in eodem statu seruabitur: lædetur autem à validioribus. Porrò iuuabitur ab ijs, quæ si sunt minus calida, non tamen penitus persanabitur.*

Examinatur

Galeni dogma quamquam sequuti sint multi, habet tamen difficultates quamplurimas; nam gutta longè imbecillior duro saxo, continuo allisa, saxum durissimum excauat, & acutissimus gladius, si in molliculam ceram frequenter impingatur, hebescit; vt propterea senserint multi graues Philosophi, & ferè omnes, posse validum agens, pati ab alio minoris virtutis, & superari, si passum sit in maiori quantitate, aut aliud integris viribus, priori succedat. Quare poterit morbus, à minori contrario superari.

Maius contra semper eligendum videtur. Nam actio omnis, aut saltem actio quęuis cùm victoria, fit à proportione maioris inęqualitatis: maiora ergo tantum contraria morbum debellabunt. Nec timendum, ne contrarium illa, affectum inducant; nam omne agens agendo repatitur: nec si nullam faciunt agendo iacturam, contrarium propterea morbũ continuò inueherent, quinimò naturalẽ ægri intemperiem corrigent. Finge hominem natura calidum, febre correptũ, largo aquæ gelidæ potu, ita infrigidari, vt nedum calor igneus abigatur, sed & aliquid naturalis caloris deperdatur: an hunc putabis frigido teneri morbo? laudatam magis temperiem est adeptus.

Defenditur.

Ista cum perpendisset Valles. 8. controu. cap. 4. dixit, haud quidem negasse Galen. posse curari morbos contrarijs maioribus, minoribus: negasse dumtaxat, rectè posse id fieri ab inęquali contrario: nam perfecta curatio, duas debet conditiones habere, alteram, vt si tuta, alteram, vt sic cita: præstat enim, vt pro deteriori natura, melior succedat citissimè. Nũc minora contraria, citò morbum non abigunt; faciunt id maiora, at cum periculo; nam repentina mutatio, quæ ab illis inducitur, periculosa. Præterea non semper in intemperiem similem delabũtur, nec si intemperati simbola intemperie laborent, tutum est illos maioribus curare contrarijs, quia non possumus certo scire, quantum agendo repatitur ad motum remedium, & quanta sit naturalis illa intemperies.

Quomodo à minori contrario curatur.

Aptè sane: vrget nihilo tamen minus difficultas proposita, actio cum victoria, semper fit à proportione maioris inęqualitatis: numquam itaque aut æqualia cõtraria, aut minora, morbum abigere poterunt. An dicemus cum Vgone 4. 1. cap. 1. de medic. vniuers. q. 13. propositionem illam, curatio fit vsu contrariorum æqualium, intelligendam esse de æqualibus effectiuè, non formaliter? vt sit sensus. Intemperies calida, vt duo e. g. emendanda est ijs, quæ vim habent producendi duos gradus frigiditatis in corpore; ita enim pristinæ restituetur valetudini? minimè verò, nam conficta illa est, nec conuenit ijs, quæ habet Gal. est præterea inartificiosa; adhuc enim posset quis quærere, quænam valẽt duos gradus frigiditatis producere, frigida formaliter vt duo, an vt quatuor, an vt vnum.

Asseritur Vgo.

Reijcitur.

Et probatur sententia Gent.

Dicamus, & melius cum Gentil. cit. loco, propositionem illam, inter æqualia non cadit actio cum victoria, ita esse intelligendam, non cadit inter æqualia actio, cum victoria, ita vt vnum vertatur in aliud, sed ex æqualium actione, potest gigni tertium, vnde ex aqua frigida admixta calidæ, fit aqua tepida. Quare & frigidum vt duo, si parti vt duo excalefactæ, occurrat, symmetriam gignet, quare & morbum depellet.

Et alia expositione.

Dic secundo, remedia æqualia, aut minora, naturæ beneficio adiuta maiora reddi: redduntur autem maiora, nõ quia ex gradibus frigiditatis, quæ in corpore inest, & gradibus frigiditatis remedij admoti, maior quædam frigiditas resultet; nam, vt probabilior est Philosophorum sententia, non fit intensio ex multitudine graduum, nec poterunt duo calida, vt tria, quintum gradum caloris producere. Sed quia potest natura corrumpe-

re

re vnum gradum caloris febrilis, e.g. qui erat vt quatuor, ita vt fiat vt tria quo facto poterunt postea remedia frigida vt quatuor, quod reliquum est febris omninò extirpare; nam extincto vno gradu caloris, euadit postea remedium maius calore febrili. Potest autem id assequi natura bifariam, vel extrudendo è corpore, putris, e.g. portionem humoris, à qua calor ille febrilis dependebat: vel potest idem facere ob eam, quam habet frigiditatem: nec obstat, quod sit illa minor, quam calor febrilis: hinc enim fit, ne omninò vincat, non tamen impeditur, quin agat aduersus calorem: Si agit, infrigidabit: at non potest infrigidare, ni gradum aliquem caloris corrumpat. Quare, &c.

Tertio. Possunt tertio minora contraria, æqualia morbum maiorem vincere, si frequenter exhibeantur, & multoties; nam quemadmodum gutta semper aliquid detrahit è saxo, quod temporis progressu fit conspicuum; haud secus remedia minora, & æqualia, quamquam primis cōgressibus, non solum morbum non vincant, sed ab ipso vincantur; quia tamen in victoria deperdit aliquid, si iterum remedia exhibeantur, adhuc aliquid morbi imminuetur, quamquam vincat ille præsidium. Quare, vt saxum longo tempore atteritur tandem, & quod inconspicuum erat primis ictibus progrediente tempore fit conspicuum; haud secus morbus, nedum ab æquali contrario, sed à minori, frequenter tamen admoto, superabitur.

Quarto. Quartò potest hoc fieri, quia infracta vi morbi à remedio, producit natura per naturalem quamdam emanationem viteriorem gradum qualitatis: Nimirum, vt aqua remota ab igne, à principio intrinseco, ad naturalem frigiditatem reducitur, haud secus refracta remedij vsu, pertinacia morbi, familiares quasq; natura qualitates producit. Scio quædam horum non placuisse Mercenario, qui huius difficultatis solutionem ab Augenio rogauit, vt constat ex epist. 1. 5. lib. 2. tomi. At si quis veritatis magis amicus, quàm studio contradicendi captus, hæc perpendat, non dubito, quin illis acquiescat.

Quando maioribus, quando minoribus, aut æqualibus perficienda curatio. Cap. X.

DAT huic difficultati occasionem, præcedentis decisio; enimuerò, cū dictum, posse morbos abigi contrarijs, æqualibus, & inæqualibus, seù maiora illa sint, siue minora: conducet scire non parum, quando hęc, quando illa expediant magis.

Antiqua fuit Erasistrati opinio, vt refert Galen. 5. meth. c. 15. à minoribus sem- Asseritur Erasist.
per curationem esse ordiendam, tùm si nihil illa proficiant, tentanda maiora. Idem videtur placuisse Mesuę, nam scripsit in sua praxi, *Incipiamus à lenioribus, sicut consueuimus, procedentes ad maiora*. Nec aliter opinatur Auic. nam. 1. 3. *Oportet*, inquit, *in cura Soda, vt incipiamus à debiliore medicinarum, & gradatim procedamus donec sciamus, ex dispositione morbi, quod ipse est iam abscissus*, & in cura apoplexiæ, *Incipias*, inquit, *à debiliori vnctionum, si confert, & si non, permuta te ad illud, quod est fortius*. Curans denium paralysim ait, *Non properes in vsum medicinarum fortium in principio, imò tarda vsq; ad quartum, septimum. Quod si fuerit ægritudo fortis, vsque ad decimam septimam*. Confirmat idem ratio, nam omnis repentina mutatio, est ad modum naturæ nociua, &, vt dicebat Hippoc. *plurimum refrigerare, calfacere, humectare, siccare, replere, manire, malum. Nam omne nimis naturæ inimicum*. Quare numquam ex vsu fuerit, validda admouere pręsidia in morbi initio.

Probat id Galen. in leui morbo: ubi Limitatur à Gal.
est idem magnus, & exitiosus, statim validis manum admoueri transcribam, quæ de re ista scripsit 5. meth. 15. *Minime*, inquit, *sicut medicorum nonnulli, à paruis incipiendum auxilijs est: neo sicut illi dicunt, sentiendum, ista scilicet prius tentanda esse, mox si nihil profecerint, aggredienda maiora; nam in morbis, quibus periculum non impendet, vera ea opinio est; at vbi moriendum ægro, prorsus est, si ptboe semel exceptus sit, alienissimum à ratione est, à minoribus inchoasse; nam sicut omnia ab Hippoc. tradita, ita quoque illa sententia rectè est dicta, nempè ad vltimos morbos, vltima valere remedia*: & paulò post, *Erasistrate idem facis; quod Gubernator, qui vbi per suus incuriam, nauis euersa est, vectorum cuipiam asserem in manum dat, indeque salutem comparare suadet*.
In eadem sententia puto fuisse Hippoc. Et Hipp.
alioquin vbi locum haberet aphorismus ille, *Medicari in acutis eadem die, si materia turgeat, tardare enim in his malum est*: & illud: *Occasio preceps*; enimuerò quoties verba hæc perpendo, hæc declamantem Hippoc. audire videor. Nil æquè conducit rebus aptè gerendis, ac temporis opportunitas; est autem hæc fugax, & vbi semel elapsa è manibus est, vix licet sperare, quin amplius in sinum illa tuum recurrat. Prudens proindè esto, & vbi illa occurrit, vrge, insiste; nam si ociosus cuncteris, clam, furtimque elabetur. Leuis ergò, aut mediocris affectus, lentè, paulatimque eximatur; nam valens remedium, citra naturæ dispendium, exhibere non licet: nec licet vim illi inferre, nisi ijs in morbis, qui breui sunt illam oppressuri:

Sed neque id semper, indiscriminatim

tentandum, sed cùm vires valent, morbus verò est manifestè exitiosus; si vel anceps huius natura, vel illæ langueant, non quod morbus exposcit, sed quod vires ferre possunt, exhibendum. Quid ergo ociosi iacebimus? ita prorsus, si prorsus langueant vires; *Neque enim oportet infamare præsidia, quæ multis fuere saluti*, & in eo medicus semper incumbere debet, vt prosit, numquam noceat. Quod si vigor earum, nõ est prorsus extinctus, & morbus impatiens moræ, nullas det inducias, sunt leuia remedia opportuna; nam & huc quoque conueniet illud, *satius est anceps consilium, quàm nullum*. Côueniunt eadem, vbi non est affectus, exactè exploratus; nam in morbis, qui non satis tenentur, tentanda curatio est, non absoluenda; nec quis nos accuset, quod protrahamus morbos; sat enim citò curatur, si sat benè. Demum non quoties exitiosus est morbus, notusque, & vires valent, æquè tutò exhibebis maiora contraria, sed tunc audacter id facies, cùm humida siccis, sicca humidis sunt offerenda; nam cum hæ qualitates minimè agendo valeant, resistant valenter, non poterit remedium humidum, quamquam multum excedat, contrariam intemperiem inuehere. Contrario, cum se habeat modo, calor, frigiditas, cautius in calidiorũ oblatione, aut frigidorum procedẽdum. vide Gal 6. de sanit. tuend. cap. 3. Auicen. 4. 1. cap. 2. Auic. haud est in alia sententia, quamquam aliter videatur sentire; nam quod dicit de apoplexia, tunc est seruandum, vt monet Iacob. de Part. cũ à purgatione, ita est æger leuatus certò, vt sperare possimus esse euasurum; sin minus, festinare iubet, & vt à valida vnctione ordiamur. Idem facere præcipit Rasis in cura paralysis, nec Auic. aliter opinatur, quamquam Gent. censeat, esse inter ipsum, & Rasim, non leuem discordiam, quam nititur sedare eo loco, & cũ ipso Iac. de Part. distinctione præhabita, de paralysi minante periculum, & salutari; enimuero cum fiat paralysis à materia crassa, tenaci, viscida, & omninò inepta vacuationi, iubet, & rectè Auicen. ne hanc statim fortibus pharmacis vacuare tentemus: præparemus primum: *id vbi peractum fuerit, euacua*, inquit, *cum euacuationibus fortibus*. Quod si Rasis statim exhibet pilulas fœtidas, aut hoc facit in paralysi minante periculum suffocationis: aut si in quacumque indiscriminatim id facit, in eo posita erit controuersia inter Auic. & Rasim, sitne cruda illa materia statim vacuanda, an præparanda, primum, coquenda, tum educenda: qua de re, quia infra, inde constabit, vter et rectius senserit.

> Sed & horum dicta limitant.

Quæ indicent quantitatem remedij. Cap. XI.

EXistimauit Capiuac. lib. de meth. meden. ab actione morbi dosim materiæ remedij, sic appellat continuam quantitatem remedij, indicari: itaq; cum triplex possit esse remedij dosis, summa, minima, mediocris, summam statuit à summa morbi actione, à minima minimã, à mediocri demum mediocrem indicari, quod omnino falsum, & propter hanc causam nullo modo admitti à medico debet. Morbi enim actio læsio est, siuè actio læsa, & vitiata, hoc symptoma: at symptoma nullam indicandi vim habet, nisi idem causæ subeat rationem. Non poterit itaque morbi actio quantitatem remedij indicare. Confirmatur, quia eadem permanens non est; tamdiu enim est actio vitiata quamdiu fit, quod autem non manet, indicare non potest. Secundò lædit morbus sensibiliter actiones. Quare numquam minimum lædet, nam læsio vsque adeo exigua adhuc in latitudine sanitatis reperitur. Tertio agendorum quantitas ab eodem debet indicari, à quo indicatur quid agendum; nam vt mox dicemus, quemadmodum quid facere oporteat, indicantis essentia, seù natura demonstrat, sic eiusdem quantitas faciẽdorum quantitatem præscribet. Nunc verò quid facere expediat, nedum morbus indicat, sed causa morbi, & defectus, seù virtus vt deficiens, vt repletio vacuationem, defectus nutritionẽ. Quamobrẽ cùm quantitas remedij communis sit remedio à causa indicato, & à morbo, malè statuit Capiuacc. remedij quantitatem à quantitate actionis profectæ à morbo indicari; nam quantitas vacuationis à quãtitate repletionis, alimenti quantitas à quantitate defectus præscribitur.

> Capiuac. sententia.
>
> Reijcitur.

Proinde dicerem, quantitatem remedij in vniuersum à quantitate indicantis præscribi: Indicantis inquam non morbi tantum. Suadet hoc ratio; nam quemadmodum genus, seù natura indicantis, genus remedij indicat, sic quantitatem eiusdem, indicantis pariter quantitas præscribet. Quamobrem cùm sit indicans triplex, morbus, causa, inanitio, seù defectus, quantitas cuiusque indicantis, indicati remedij quantitatem diffiniet. Quoniam verò morbus omnis, ægri vires conuellit, prosternit vacuatio, repletio suffocat, aut multis congestis excrementis, quam plurium morborum ortui dat occasionem, ea debet lege indicatum hoc temperari, vt morbosas adimat affectiones, viribus quantum fieri potest, quam minimum oblæsis: vt in vniuersum duo sint, quæ remedij quantitatem diffiniunt, indicantis nempè quantitas, & fa-

> Sic propria effertur.

& facilis virtutis tolerantia.

Ratio. Neque aliter oportet putare, quia Galen.1. ad Glauconem ad cognoscendā remedij quantitatem, situm partis male affectæ inspicit, densitatem eiusdem, raritatem, duritiem, mollitiem, sensum exquisitum, hebetem, proprietatem indiuidualem, tempus anni, regionem, locumque, rationem victus, consuetudinem; non enim hæc idcirco contēplatur, quia remedij quantitatem præscribendi vim habent, sed quoniam his attentè inspectis, poterit nosse medicus, qualesnam, & quantæ sint vires, & quantum sit indicans. Nimirum proprietatem, considerat, vt cognoscat, sit necnè facultas toleratura: consuetudinem ob eamdem causam; nam quę consueta, minus molestare solent. Hoc ipsum induxit medicos ad cōtemplandum sensum partis habitum, necnon anni tempus; nam quæ exquisito sunt sensu insignitæ, grauia quędam remedia non tolerant: Neque eadem patiuntur, quæ rari sunt habitus, atq; mollis. Renuit remedia tertio summo à calore dissoluta facultas, aut ab ingenti rigore ferè extincta. Quare cautè hæc omnia medicus contemplatur, quando ex his indicijs conijcit, quale, & quantum sit robur facultatum, quantus sit à statu naturali recessus, vnde, & quantum esse remedium debeat, quam optimè noscet: situm partis, & humoris locum idcirco attendendum esse docet, quia intus recōdita pars, & in penitioribus corporis absconditus humor, si permutari illa debeat, hic vacuari, aut præparari, valentioribus semper remedijs est opus, nam debilia in via dissoluuntur. Quo factum, vt alij medicamenta, quæ habent vim penetrandi, admisceant, vt integris viribus ad locum diffinitum perueniant. Quod si hæc vera sunt (verissima autem esse nō est cur dubitet aliquis) duo sunt præcipuè attendenda, vt plane constet remedij exhibendi quantitas, virium nempe status, quantitasque indicantis. Cœtera intuebitur medicus, vt qualesnam sint vires, quantumue sit indicans, quantum fieri potest exactè conijciat.

Obiectio. At obijcies; nam Hippocr. 1. aphor. 3. volens docere quantum vacuare expediat, quantum, inquit, tolerant vires; nō itaque à redundantiæ quantitate, medicamenti quantitas diffinietur, sed à virium tantum tolerantia.

Solutio. Respondeo, omissum id ab Hippocr. tamquam clarum; nam cuique certum extremis morbis extrema remedia conuenire.

De indicantibus locum remedij. Cap. XII.

HAud satis est scire quo curatio rectè instituatur, an sit aliquid faciendum à medico, quid, quibus, quaue quantitate sint illa vsurpanda, sed locum quoque nouisse est necessarium, cui indicata remedia debent admoueri: Ergo postquam docuimus salutarem morbū, qui naturæ solius beneficio expugnari non potest, artis auxilio extrudendum esse, accommodato tamen non quocumque indiscriminatim assumpto: accommodatum autem esse contrarium morbo per se, per accidens, æquale, inæquale, maius, minus: est modo ordini proposito consonum, ita enim methodus medendi absoluetur, vt declaremus, quonam intueri necessarium est medico, vt cognoscat locum, cui remedium debet applicari, ne collirium calcaneo admouentes, nullius frugis simus ægrotis, cœteris verò quàm maximè ridiculi, mox hoc absoluto cętera prosequamur, vnde dicemus quando exhibendum remedium, & quomodo idem administrandum.

Quantum spectat ad primum. Existimauit quandoque Capiuac. vt patet ex ijs, quæ scripsit lib. meth. med. lect. 28. vbi agendum à subsistentia materiæ indicari; nam Gal. materia existente in intestinis inferioribus, clistere vritur, laudat vomitum cùm illa in ventriculi cauitate stagnauerit. Assertu Capiuac.

Dixit aliàs lect. 21. eiusdem libri, fortasse odoratus non omnem morbum à materia pendere, indicari vbi agendum à substantia, vt consequitur essentiam indicantis, hoc est quantum possum ex ijs, quæ subdit diuinare, à substantia morbi; nam volens suam sententiam probare, illa eam ratione confirmat, quia in febre balneum vniuerso corpori applicatur, quia vniuersum corpus febris occupat.

Vbique tamen imminutus ille est, vbique mancus, & deficit. Et quidam non indicari continuò vbi agendum à subsistentia materiæ, declarant abundè affectus immateriales, nulla enim est in ijs materia, à qua posset agendorum indicatio desumi. Quod verò neque ab affectionis subsistentia, indicatio hæc desumi debeat, quod placuit etiam Argent. vt patet ex ijs, quæ scripsit lib. 2. de offic. medic. cap. 17. & Fernelio lib. 1. methodi cap. 9. colligitur apertè ex affectibus ijs, qui per consensum fiunt, impedito spirituum influxu, vt cum e.g. vires partium omnium patiuntur per syncopem, motusque, sensusq; earumdem per apoplexiam deperditur: haud vniuerso corpori medicamenta admouemus, sed vni

Ea reijcitur.

An à subsistētia morbi?

cordi occurrimus, cerebroque. Non erit itaque perpetuò verum, vbi agendum à substantia affectus indicari:, nisi addas per essentiam.

Fern. sententia.

Enucleauit rem magis Fernel. dixit n. 1. meth. cap. 9. remedia, quæ adhibentur duplicia esse, alia nimirum, quæ vacuant, alia, quæ immutandi vim habent, & vitiosum affectum depellendi: Hæc subdit bifariam possunt administrari, nã extrinsecus quandoque applicantur, assumuntur alias, aut in sedem interiorem immittuntur. His præmissis, subdit, remediorum alterantium locum, si admoueri illa debeant, à partis externæ malè affectæ loco indicari. Itaque eidem admouebuntur, quæ paritur: aut si interna sit, illa pars externa eligetur, cui interna directè subijcitur, nam cum actio quæuis tactu fiat, erit semper pars affecta, aut illi proximior eligenda, quo remedij facultas facilius communicetur. Ex quo deducitur secundò, si sit interior aliqua corrigenda, indicari locum à consensu, quem habet cum alijs partibus, nam ex eligendæ, per quas facilius ad partem vsque affectam insinuatur remedium: vnde quia caput est vndique ossibus obuallatum, patiente cerebro suturæ coronali remedia admouemus: immittimus per os eadem, naresque, & aures, nam comesta, & bibita parum cerebro immutãdo conducunt. Cæterum quod spectat ad remedia vacuantia, cùm fieri vacuatio debeat per vias patentes, & communes, locum remediorum vacuantium, ab ijs censet indicari particulis, quę cum affecta habent consensionem, vt latè inductione facta citat. loco declarat, & nos infra dicemus.

Reijcitur.

Est tamen adhuc ista sententia diminuta, & principio nixa non admodum solido. Imminuta est quidem, nam cum multa alia à medicis exhibeantur remedia, quæ neque immutando conducunt quicquam, nec vacuando, vt facimus curantes morbos in situ, aductam in vlcere carnem adimentes, sextum digitum obtruncantes, abundantem dentem extrahentes, lapidem è cauitate vesicæ eximentes: tenebatur docere, à quonam, horum remediorum locus indicatur, neque id alto silentio transigere.

Quod verò falsò eadem statuat, vacuationis locum indicari à consensu partiũ cum affecta, manifestum est ex ijs, quæ supra de numero indicantium statuimus: enimuero si certum est illud, tria esse indicantia, cœtera verò contemplari medicos, quatenus manu ducunt nos ad dignoscendam morbi magnitudinem, vt ea perspecta quantum esse remedium debeat, valeamus statuere, non possumus ijs assentiri, qui alia censent intuenda esse, vt vacuationis locum oportunum, & commodum eligamus. Propterea non video cur aliud esse debeat indicans locum alterantis remedij, aliud vero quod locum remedij vacuantis indigitat, vbi enim discutere est animus humorem, qui fluxit ad pedem, pedi resoluentia adhibemus, idemque facimus, cum extrahere humorem volumus ab internis partibus ad externas. Nempè dolenti particulæ admouemus, non habenti cum illa consensum. Partem pariter tumefactam, cum coctus est abscessus, secamus, non habentem cum illa consensum. Quare seu alterare velit medicus, seu vacuare, semper erit locus remedij idem cum loco indicantis morbi, aut causæ. Nec opinari aliter debebat Fern. quod vacuare ab hepare volentes, capite, in stomachum remedium immittimus, non in hepar, aut caput, nam quemadmodum partem anticam capitis alterare volentes, non fronti, sed suturæ coronali admouemus, quæ murant, quoniam ea via facilius medicamenti vis ad partem malè affectum deducitur: haud aliter cum est animus vacuare, ingerimus pharmacum, & in vẽtrem immittimus, quia absorptum, ad hepar vsque poterit permeare, & caput si admoueas, non attrahitur. Quare nec pertinget. Et quidem quod hanc ob causam videmur quandoque inter curandum à loco affectionis recedere, potest inde colligi, quia intestinis infernis male affectis probamus clysteres: supernis patientibus, aut ventriculo: vomitiua, superna parte ventriculi grauata; deiectoria si pars inferna fuerit oppressa. Ad vterum male affectum vterina commendamus, diuretica renibus dolentibus, semper locum affectionis intuendo.

Adde demum, quod & si vni loco vacuantia præsidia semper non admouerentur, non esset propterea dicendum, ab alio indicari locum medicamenti alterantis, ab alio locum vacuantis præsidij; nam vacuare volentes à capite, exhibemus cephalica, hepatica in affectibus hepatis, splenica laborante liene: cum autem hæc partem determinatam respiciant, esto immittatur pharmacum in stomacum, remorum à capite; quia tamen medicamentum exhibitum caput respicit, adhuc dicere possumus, locum vacuantis præsidij, à loco morbi aut causæ indicari. Propterea censeo dicendum, remedij locum, à loco indicantis demonstrari. Itaque cum indicans sit morbus, causa morbi, & virtus, quæ sui refectionẽ exposcit, si locus morbi sit corpus vniuersum, vniuerso erit corpori medendũ: dummodo totum corpus per se patiatur, non ex consensu laboret, vt in apoplexia, nec non syncope. Vni tantum particulæ admouebitur, si vna tantum fuerit male affecta. Idem dico de causa, nempè, si vniuersum illa corpus occupet, vt in scabie, lepra, hydropisi, vniuersum

Auct. sententia.

sum corpus erit vacuandum. Quare vniuerso corpori remedium vacuans admouendum, aut illi particulæ, per quam commodè poterit corpus vniuersum vacuari. Contra vbi vna pars tantummodo est repleta, ac propterea illius dumtaxat vacuandæ est indicatio, hęc tantùm vacuanda. Quare illi tantùm erit admouendum remedium, & eius facultatis, vt aliũde succos allicere nequaquam valeat, sed eos dumtaxat vacuare, qui particulam illam obsedere. Quæ verò sint loca, per quæ pars vnaqueque commode vacuari potest, dicemus lib. 18. & 19.

Demum, quòd locus remedij à loco indicantis demonstretur, docet nos pariter indicans vitale, nam vbi pars aliqua est extenuata, de illa impinguanda solliciti, illi tantum remedia adhibemus: cõtra vniuerso occurrimus corpori, si totum laborat. Cæterum, quia interdum vacuando intendimus deriuare, alias humorem fluentem reuellere: est alias animus vacuare humorem, qui partem obsedit: intelligatur omnes deriuare volentibus, eligendum esse remedium, quod ad partem vicinam male affectæ deducat: cum reuellere volumus, deducenda est materia ad partem vicinam mitienti: cũ vacuare partem laborantem intendimus, erit eidem parti remedium euacuans adhibendum. Hęc quoniã clara, & omnium sententia, rata, plura non addam.

Indicantia tempus remedij.
Cap. XIII.

Quanta huius quæsiti vtilitas.

QVanti momenti sit in morbis rectè curandis opportunitas, & si multa declarent, inde tamen euidenter colligitur, quod hac tantum ratione præstantissimi medici ab imperitis differunt, & rudibus. Nempe nullus est, qui ad abigendos morbos, & quamcumque aliam affectionem extirpandam, non pharmacia vtatur, chirurgia, & diæta: imperitus tamen, & medici nomine indignus prorsus, hæc nulla temporis habita ratione administrat, opportunè peritus, & arte Hippocratica dignus: vnde hic iuuabit, nocebit ille, aut saltem nullo erunt remedia profectui. Conducet itaque multum intelligere, quænam sint indicantia tempus opportunum agendorum, ne hoc ignorato, occasionem turpiter finamus labi, aut intempestiuè, falsa specie diligentiæ inducti operemur. Vt verò intelligamus id, quod quęrimus, placet primum aduertere, non esse in animo cõtrouertere, quo inflammationis e.g. tempore repellentia conueniunt, digerentiaue, quod malè fecit Fernel. lib. 1. meth. cap. vlt. non enim spectant hæc ad generalem methodum medendi, quam constituere cępimus, sed ad curationem pertinent inflammationis in genere. Inuestigamus itaque tempus opportunum, & commodum agendorum, seù cuiuique remedij in vniuersum, nam de indicantibus tempus, hoc, aut illud remedium administrandi, alibi pertractabimus, nunc in vniuersalissimis consistemus.

Et dilucidatio.

Gal. assertur.

Dixit Galen. lib. de opt. secta ab Trasib. cap. 38. duo indicare opportunam faciendorum occasionem, præsentiam nempe eorum, quæ indicant, & absentiã eorum, quæ prohibendi vim habent. *Temporà, inquit, vniuersalium remediorum deprehenduntur cum adsunt ea, quæ remedia postulant, hæc autem causæ sunt, & cum abest id, quod esse impedimento potest, est autem virium imbecillitas.* Porrò tunc esse remedia exhibenda, cum est quod illa exposcit, nihil est, quod reclamet, nullus puto vsque adeo erit ab omni ratione alienus, qui neget: causam tamen esse, quæ sola indicandi vim habeat, infirmitatem virium, quæ repugnandi: dabit hoc nullus Galeno; reclamat enim ipsemet Galen. experientia, ratio; nam quis ignorat morbum pręcipuè indicando valere? repugnare nedum virium imbecillitatem, sed & morbum, causam, aerem, anni tempus, regionem, & locum, consuetudinem, proprietatem indiuidualem, alia mille, nam & amici, & parentes quandoque repugnant. Nonne multa alimenta poscente virtute valida, pauca damus si morbi acuties reclamet? & morbus itaque repugnandi vim habet, nedum virtus. Ita est profectò, nec aliter vmquam Galenus sẽtit, nam quæ loco habet citato e.g. dicta puta. Statuendum itaque agendorum tempus in vniuersum, ab indicantis pręsentia, & prohibentis absentia indicari.

Examinatur.

Excusatur.

Cæterum, quia raro contingit, vt omnia conspirent in vnum, sed plerumque accidit, vt quod alterum indicat, contraindicet alterum, vtrum præstabit facere, declarandum. Scias proinde, indicationem, quę sumitur à virtute, eam omnium primam, & dignissimam esse, vnde, illa reclamante, nullam audemus vacuationẽ tentare, quantumuis illam indicet repletio. Ergo siquę morbus indicat, aut causa, facultas non valeat ferre, abstinere præstabit, & vni facultati succurrimus. At verò si conferas morbum morbo, hunc cum causa, quandoque faciendum quod causa indicat, pręstandum quandoque quod postulat morbus: atque cum hi possint esse multi, & vna simul velut agmine facto vexare languentem, atque aliud alius desiderare, præstabit quandoque vni parere, conueniet alias alteri obedire, nam quandoque indicatio, quã hic suggerit est longe dignior, valet minus quandoque. Quo intuendum verò vt intelligas vtrum exequi præster cap. 15. dicemus.

Quid faciendum discrepantibus indicantibus.

Obijcies; vbi virtus est valida, morbus

Obiectio.

bus verò acutus, vt putrida febris, pauca damus, cum tamen valida virtus multa postulet. Non ergo quæ à viribus sumitur indicatio, illa erit perpetuò dignissima omnium.

Sol. Respondeo, alimentum non indicari à virtute, sed vt infra lib. 15. autumauimus, à defectu, nam hic contrarius repletioni: permitti verò à facultate coctrice; ergo in acutis morbis, & valida facultate vitali, pauca damus, quia esto defectus multa poscat, quia tamen facultas in actione causæ morbosæ occupata, multũ coquere alimentum non potest, fit propterea, vt eidem virtuti obedientes, pauca demus, non quia indicatio, quæ à morbo desumitur fit præstantior ea, quam suggerit facultas. Atque hæc breuiter de ijs, quæ indicant occasionem, seù opportunum tempus agendorum. Esset modo reliquum ad methodi propositæ complementum, indicantia modum agẽdorum proponere. Quoniam verò siquis meditetur attentè quid sit modus, intelliget idem facilè, vel pertinere modum ad qualitatem, vel ad quantitatem, vel ter tio ad tempus: vnde & illud mox deducet, indicari modum ab ijs, quæ remedij qualitatem indicant, quantitatem, & tem pus, nullus me reprehendet, vt diminutum, si nihil aliud addam. Ne verò subterfugiendi laboris gratia, hæc confictã quis dicat, & commenta, sciat idem, vbi agunt de modo administrandi remedium medici, isthæc indagare, calidumnè, an frigidum adhiberi debeat, liquidum, an solidum, semel in die, an pluries, per modum stillicidij, an aliter; at verò primum spectat ad determinatam, & certam qualitatem remedij: secundum ad tempus, aut quantitatem discretam, tertium ad quantitatẽ continuam; exhibemus enim in modum balnei remedium, quo viribus magis integris attingat ad partem, & in tali gradu. Ergo ab ijsdem modi hi indicabuntur, à quibus quantitas, qualitas, necnon tempus remedij. Iure itaque disputationem propositam his concludimus.

Quid faciendum cum latitat morbus, aut plures, ijque contrarij complicantur. Cap. XIV.

QVamquam multa sint accidentia, quibus tamquam rerum indicijs, in morbi notitiam possimus deduci, contingit tamen non rarò, vt in penetralibus corporis sic latitet, nullo vt pacto, valeamus dignoscere. Est & illud frequens, nempè vt plures, ijque contrarij morbi, eamdem particulam affligant. Quare ne hic hæreat medicus, quid facere expediat, cap. præsenti expendemus.

De primo. Auicennæ consilium fuit 1.4. cap. 1. vt omninò abstineamus: *Cum*, inquit, *ignoras, quæ sit ægritudo, relinque eam naturæ, quoniam, aut natura superabit ægritudinem, aut ipsam manifestabit.* Contra est, quod ipsemet habet 4. can. cap. de curat. feb. putrid. *Etsi* inquit, *ignoras ægritudinẽ, subtilia regimen.* Hippocr. etiam 2. de rat. vict. in acut. tex. 1. antequam esset dispositio perfectè cognita, fomenta applicuit lateri dolenti: & Galen. 2. de loc. affect. cap. 5. non dum exactè doloris natura explorata, putabat enim laborare nephritide, cum colico dolore affligeretur, enema sibi iniciendum curauit.

Sed bifariam morbum ignorari contingit, vel quia omnino nos latet, aut quoniam eius speciem, & differẽtiam assequi nequaquam possumus. Nempè dubitatur quandoque, an febricitet æger: quandoque nulla est controuersia de febre, sed an sit putris, an diaria, an biliosa an sanguinea. Vbi morbus, omninò latitat, omninò abstinendum, nec quicquam tentare licet, vt cures, quamquam quædam admouere conueniat, vt morbum dignoscas: vbi ex parte cognoscimus, ex parte ignoramus; vt cum febricitare scimus Socratem, qua tamen febre laboret ignoramus, tutò ea poterimus porrigere, quæ febri cuique in vniuersum, conueniunt: nec vltra progredi, donec certiores reddamur, putri ne, an hectica, tertiana, quartana, teneatur languens; enimuerò, cum multò diuersa præsidia exposcat febris hectica à diaria, & putri, omninò ægrum necabis, si hecticum expurges, aut phlebotomes, aut putri detento lac exhibeas. Numquam ergo morbum, qua ratione ignoratur, curare licet; vnde si omninò ille latet, omninò abstinendum: qua parte se prodit in lucem, hac ineunda curatio. Quod si Auic. monet, vt latitante febre, subtiliemus regimen: non id facit, indicatione aliqua à febre desumpta, sed à crudorum copia, quibus stomachus, & primæ illæ venæ scatere solent, nam vt bene 4. de rat. vict. 52. inconstantes febres finere oportet donec constẽt: vbi autem constiterint, victus rationem, & aptam curationem eis oppones. vide Vall. 4. de rat. vict. 52.

Quantum pertinet ad secundum, scias primùm, non esse difficultatem, quid facere expediat, cum plures morbi partes diuersas obsident, quarum quæque potest absque alterius læsione curari: nec facit difficultatem curatio plurium affectuum, eamdem particulam infestantium, si idem omnes indicent, nec vnus respuat, quod alter exposcit. De implicitis, ijsque contrarijs est dubitatio, quam diremit perbellè Galen. 7. meth. c. 12. & Auicen. 4. 1. d. 5. c. vltimo dum monent, inde esse, auspicandum, quod magis vrget, vel ab eo, quod habet rationem causæ, aut ab eo, Quid faciendum in implicitis morbis & contrarijs.

fine

fine quo fieri curatio, nequaquam potest: sic si complicetur cum suffusione ophtalmia, hæc primum tollenda; nam si abstergentium vsu tentes suffusionem curare, noua accersetur fluxio, vnde inflammatio increscet. Quare cum nequeat curari illa, ni leniatur primum inflammatio, huic primum, deinde suffusioni vacandum. Quare ab eo, sine quo non, quádoque ordiendum. Exordiemur alias ab eo quod habet rationem causæ. Esto e.g. febris, quam immodicus calor produxit, hunc excitatum putemus ab humorum putredine, hanc à prohibito caloris effluuio, hoc à viarum obstructione, obstructionem à succorum copia, tenacitate, lentore, & crassitie. Quis vmquam dubitabit, febrem tolli non posse, ni calor tollatur, neque hunc abigi, ni compescatur putredo, nec hanc compesci, ni tollatur prohibita ventilatio, quod vt fiat, obstructionem adimere oportere: adimetur autem, si crassi succi incidantur, extenuentur, coquantur crudi? Coctioni itaque primum vacandum erit, secundo expurgationi, demum refrigerandum. At quoniam inuerso plerumque ordine, refrigerationi ante omnia vacamus, vt cum æstuat languens, sitique affligitur, hinc duo intelligere possumus: Alterum, inchoandam esse curationem quandoque ab eo, quod maximè vrget: alterum, esse scopum vrgentiæ, digniorem: secundum obtinere locum indicationem, quæ sumitur ab eo, absque quo expelli morbus nequit, tertium, & vltimum desumi à causa. Patet, nam cum extenuantia indicet causa febris, refrigerantia febris, his vtimur, posthabitis incidentibus, & extenuantibus: cumque contraria indicet ophtalmia, & suffusió, illi primum conamur satisfacere, quia ipsa manente, suffusio, tolli nequit. Cœterum, ne quis in pendenda scoporum dignitate aberret, & vrgentiæ scopi ipsum lateant, monet secundo Galen. 7. meth. 12. triplicem esse scopum vrgentię, vnus sumitur à propria morbi magnitudine, secundus à functionis læsæ prestantia, tertius à facultatis corpus vniuersum regentis, dignitate. Sic vbi plures sunt morbi, qui languentem affligant, vnus tamen magnus, alter exiguus, & paruus, cui dubium fuerit, illi incumbendum magis, vt à quo magnum impendet periculum? & vbi ijdem, quod pertinet ad propriam essentiam, ęquè magni sunt, & exigui, actionis præstantiam spectari debere? Quamobrē si duo sint morbi æqualem magnitudinē habentes, quorum alter vitales actiones offendat, animales alius, illi incumbendū primum, tamquam vrgentiori, quippè qui actionem admodum vitæ necessariam lædit. Ob eamdem rationem, quia actio facultatis corpus vniuersum regentis (est autem hæc facultas naturalis, ventriculi potissimum, ac iocinoris) quam maximè necessaria est seruandis viribus, magna eius cura habenda: vnde Gal. 1. ad Glau c. 14. labascente ventriculo, nullā audet tentare vacuationem, quamquam morbus illam expostulet. Videor sufficienter cum Gal. rem hanc declarasse, proinde plura non addam.

Quid faciendum, vbi admota præsidia, non proficiunt. Cap. XV.

MAgna fuit apud Antiquos altercatio, de mutandis, aut non permutandis remedijs, vbi quibusdam secundū rationem admotis, pro voto tamen nequaquam succedit; & alij vbi remedium statim non profecisset, aliud tentandum censebant: insistebant alij contumaciter in iisdē. Monuit Hippocr. 2. part. aphor. 52. ne quid immutemus, & si pro voto nequaquam succedat, si cuncta secūdum rationem exhibita fuerint, nam quemadmodum, mollis aquæ guttula, quæ nihil è saxo demere videbatur, assiduis ictibus, illud tandem atterit: sic admota è ratione præsidia, quamquam statim non conferant euidenter, afferunt tamen cōspicuam, progrediēte morbo vtilitatem. *Non* inquit, *Si recta ratione geranti omnia, secundum eam minus succedat, protinus ad aliud est transeundum, modo illud constet, quod ab initio visum fuit.* Contra Aristoteles 1. sect. probl. 46. permutari iubet emplastra, vt plenius sentiantur; solita enim, vt ea, quę ventriculo mandamus, non amplius medicamenta sunt, sed pro alimentis recipiuntur, sic etiam hæc fungi suo munere nequeunt: quem sequutus Auic. 4. 1. c. 1. *Et cum hoc*, inquit *non secundum vnam medicationem, cum vna tibi stãdum est medicina, imò in vna medicatione, medicinas permuta, quoniam ab ipso, quod consuetum est, non fit passio, & vnicuique quidem corpori, imò omni membro in vna hora, & non in altera inest proprietas ab vna medicina pati, & non ab altera.*

Monet Hip. ne mutemus.

Videtur ab Hippoc. dissentire Arist. & Auic.

Sed fuerit licet, de re hac altercatio apud antiquos, nulla tamen est inter Hippo. Arist. & Auic. nam aliud est mutare remedium, aliud medicamenti materiam: illud licebit numquam facere, nec decet modo calidum apponere, mox infrigidare, si tamen id constet, quod ab initio visum fuit, & remedium fuerit maturo iudicio, consultoque exhibitum; neque enim vbi remedia, medici votis, non statim respondent, in remedium importunè exhibitum, culpa est reijcienda, sed interdum morbi contumacia in causa est, peculiare quandoque corporis vitium: Interdum naturæ languor: est huius causa alias error ęgrotantis, aut adstantium, soli, cælique inclemētia: protrogantur demum morbi, & contumaciter

Conciliantur.

ter

ter herent, quia à diuina aliqua fouentur causa. Quare omninò ægrum necabis, si remedia tardæ curationis causam ratus, ea in contrarium mutes. Nec insistas temere. Auicenn. cit. loc. *Præter hoc quoque tibi caue, ne à rectitudine recedas, licet videris, quod ipsarum non videtur iuuamentum*; addit, *neque in errore moreris, & si videris, quod eius non appareat impedimentum*. Cautè cautè, nam veluti opportunus remediorum vsus, sensim morbum demolitur, sic eadem, ni conueniant, pedetentim naturam corrumpunt. Sed quamquam remediorum speciem mutare non liceat, vbi morbus faciem, non mutarit, & exactè eius natura sit explorata, mutare tamen licebit, remediorum materiam; non solum, quia diuturno vsu, eam cum nostra natura cōtrahunt familiaritatem, vt nequaquam illam permutent, quod exemplo illius vetulę Atheniensis satis aptè probauit Galen. 3. simpl. 18. sed ob duas alias causas, vt docuit Dinus, exponens locum Auic. cit. altera est, ne medicus, mox ad languentem vocatus, rudis rerum penè omnium habeatur, dum nihil de nouo præscribit. Debet secundo mutare, si displiceat admotum remedium languenti, vel quia ab alio medico damnatum fuit, aut quia vidit alium ex ipso mortuum: mutandum demum, si quę est inter ęgrum antipathia, & remedium.

An saltim morbo, haud mutato, intensius licebit admouere remedium? putat Forl. in com. cit. aph. & alij multi cum eo, neque ego dissentio; nam cum numquam liceat exactè morbi, remedijque quantitatem dignoscere, verendum est, ne imbecillius sit admotum præsidium. Quare cùm medici sit, nedum curare, sed cito, præstabit vbi admota remedia non admodum iuuent, validiora admouere. Quando autem hoc tutius possit fieri, capite quinto à nobis dictum.

Sintne tria genera materiei medicæ diæta, Chirurgia, & Pharmacia, an plura. Cap. XVI.

PRæstabit non parum hoc disquirere: nam veluti congressurus cum hoste debet primum præposcere, quibus possit armorum generibus ipsum debellare, & vnde illa quærenda; haud secus postquam nouit medicus contrariorum vsu, morbosas quascumque affectiones euinci, expediet ipsi intelligere, quotnam rerum generibus materia medica concineatur, dięta ne, chyrurgia, & pharmacia, vt communiter medici docere videntur, an alia sunt, quæ sub dictis capitibus nullo continentur modo, ac propterea plura comminisci oportet, an demum pauciora sint tribus.

Plura tribus positis esse consentiunt multi, quibus primum Galen. fauere videtur, & ratio. Ille quidem, nam lib. de constit. art. medicæ cap. 14. descripsit, *vniuersum hoc materia remediorum genus in offerendis, efficiendis, euacuandis, & his præterea, quæ extrinsecus incidunt consistere dicimus*. Primo quoque de sanit. tuen. cap. vlt. commemorans breuiter summa eorum omnium genera, quorum auxilio sanitas conseruatur, *harum, inquit, materiam quatuor generibus iuuantium probatissimi, sunt complexi, admouendis, educendis, faciendis, extrinsecus incidentibus*, quod alibi passim inculcat; pręsertim verò lib. de constit art. med. c. 14. Videntur esse plura.

Sed quod magis è re est, & maioris momenti, fauet iisdem multum ratio; dietæ enim nomine intelligunt citati Doctores pro hac sententia, rectam rerum nō naturalium administrationem: chirurgiæ; operationes quascumque, vt incisiones, vstiones, sectiones, deductiones membrorum transpositiones; pharmaciæ medicamenta quæcumque, seù alterantia, siuè vacuantia. At verò constat cuique vel parum in re medica versato, multa alia à medicis ad debellandos morbos vsurpari, quæ ad dietam, chyrurgiam, & pharmaciam reduci non possunt. Quare erunt admittēda multa alia. Minor probatur multis, ac primum, quia multi sunt à grauissimis morbis vindicati simplici pedum, manusuè contactu, afflatu alij. At hæc ad posita genera reduci non possunt. Quare alia ponenda. Antecedens probatur testimonijs multis, afferā quædam ego, ac primum probant hoc Gallorum Reges, qui curant strumas, ob murmuratis primo illis verbis, mox cruce strumas signantes: Rex te tangit, Deus te sanat. Eamdem virtutem attribuere alij Regibus Angliæ, ac potissimū Reginæ Elisabethæ. Vespasianus quoque, vt refert lib. 4. histor. Tacit. manu ægrum curauit, cæcoq; visum restituit, & Pyrrhus Epyrotarum Rex, ni fallit nos Plinius, & Plutarcus, lienosos omnes pollice sinistri pedis contactos, pristinæ restituebat valetudini. Mirum est, quod scribit de Psyllis Marsisque idem lib. 28. cap. 3. *Quorumdam*, inquit *hominum tota corpora prosunt, vt ex his familijs, quæ sunt terrori serpentibus, tactu ipso, iuuant percussos suctu vti modico*, vel, vt alij legunt *medicato, quorum è genere sunt Psylli, Marsique, & qui Ophyogines vocantur in Insula Cypro; ex qua familia legatus Exagon nomine, à Consulibus Romæ, in dolium serpentum coniectus experimenti causa, circummulgentibus linguis miraculum præbuit*. Huic simile est, quod habet Varro 5. rer. human. vt refert Priscian. *vt inquit habent Pharij, qui vocantur Ophyogines, & in Aphrica Psylli, quorum Ophyogenisticum, si arbitrantur suppositum esse aliquem in stirpe, admouent, vt pun-*

pungant colubri: si non sit, emori cum pupugerit: si de gente sit viuere: hodie quoque circumferuntur quidam, qui è D. Pauli familia sese esse iactitant, quod serpentes citra noxam tangant, morsisque medeantur contactu.

Praeterea multi morbi expugnantur auxilio balneorum, appensis alij, alij demum cum nullis remediorum generibus potuissent curari, incantationibus postea sunt debellati. Quamobrem cum huius generis praesidia, nec pharmaceutica sint, nec diaeretica, aut chyrurgica, conueniet fateri, non omnia praesidia medica tribus hisce generibus contineri.

Student alia esse pauciora tribus.

Duo esse contra probatur, quia pharmacia non est distinctum genus à chyrurgia; vel enim pharmaciae nomine simplicium cognitionem intelligunt, aut rationem componendi pharmaca, aut vtriusq; medicamenti tum simplicis, cum compositi rectum vsum. At prior illa cognitio non est remedium, sed medium ad opportunam administrationem remedij excogitatum. Eorumdem vsus, remedium quidem est, sed à chyrurgico auxilio nequaquam diuersum, non enim praesidia haec manu tantum fiunt, alioquin caulticorum vsus ad fontem chyrurgicum nō spectaret. Quare cùm & ista remedia ope medicamenti expleantur, quemadmodum pharmaceutica omnia, duo tantum erunt genera remediorum omnium, quae vsurpantur à medicis, diaeteticum nempè, & chyrurgicum, aut aliter haec diffinienda.

At non est de tabendum.

Sed longè diuersum esse chyrurgicum remedium à pharmaceutico, & consequenter non esse remediorum genera pauciora tribus, admittet facilè quiuis, vbi intelligat, quid chyrurgiae nomine voluerint medici, quid pharmaciae vocabulo. Propterea voces has declarabimus, vt vltimae difficultati faciamus satis. Sciendum itaque est, pharmaciam esse illam medicae artis particulam, quae medicamentis tum intro, cum extra admotis medetur: chyrurgiam, quae manibus idem praestat, quemadmodum diaetę nomine intelligimus illam, quae accommodata victus ratione, vel praesentem tuetur valetudinem, vel deperditam restituit. Ergo cum longè sit aliud medicamentis morbos demoliri, aut manibus hoc idem praestare, vel rerum nonnaturalium dictarum auxilio, tria sunt ponēda praesidia medica, non duo dumtaxat.

Vbi obijcitur, multa sub chyrurgia continentur, quae non tantum manus auxilio fiunt, sed accedit medicamenti beneficium, vt cucurbitulae hyrudines, vesicatoria, & caustica quaeque medicamenta. Quare alterutrum medici fateantur est necessarium, vel falsò haec remedia sub chyrurgia reponi, aut aliter esse chyrurgicum auxilium diffiniendum, aut mutandam diffinitionem pharmaciae; nam haec comprehendit caustica, cucurbitulas, & hyrudines: respondemus breuiter, diffinitiones adductas mutandas non esse; nam ità diffinit haec auxilia Celsus in suae medicinae proemio, Galen. lib. de part. art. med. & medici omnes: vbi instatur, negandum saltem esse, cucurbitulas ad chyrurgiam spectare, pertinere potius ad pharmaciam, neq; hoc faciendum censemus, sed communi sententiae medicorum haerentes, sub chyrurgia eam ob causam reponimus, quia illud idē praestant, quod praesidia chyrurgica. Nempè hyrudine extrahimus sanguinē, quemadmodum vena secta scalpello: vesicatorio vlcus excitamus, quemadmodū facimus igne vrentes, aut cultro incidentes: eodem extrahimus à partibus internis ad extimas, reuellimus, deriuamus, nō aliter ac si fricaremus, & admoueremus cucurbitulas. Itaque sunt congenea praesidia, aut variae materiae vnius praesidij eumdem vsum praestantes. Eo ergo loco debent eorum naturae examinari, quo de praesidio illo pertractatur. Quare cum venae sectio spectet ad chyrurgicum fontem, sub eodem rectè locabitur hyrudo. Cumque ad eumdem pertineant cucurbitulae, frictiones, cauteria rectius his addemus caustica, quam pharmaciae. Cęterum, vbi quis aliter faciendum contenderet, non propterea concluderet, duo tārum esse pręsidiorum medicorum fontes, sed quae sub chyrurgico ponimus, locaret ille sub pharmaceutico, quod quia medicinae rectè faciendę nihil refert, plura propterea non addam, sed ad eos me conuertam, qui putant, & citra rationem, quatuor esse fontes materiei medicae, admouenda nempe facienda, educenda, & extrinsecus incidentia; nam quamquam hoc placuerit quandoq; Galeno, non est cur propterea dicamus tamquam mancam, esse illorum sententiam reijciendam, qui chyrurgia, diaeta, & pharmacia materiam omnem remedij sunt complexi, placuit enim illa eidem Galeno lib. de part. art. med. Celso in proem. suae med. Auicenn. 4. 1. cap. 1. Gentili Dino. Vgoni ibidem, alijsq; multis: neque aliud ratio suadet, nt enim curatio optima, rebus, quę naturales sunt seruatis, corruptis vero ijs, quę pręter naturam; at verò seruantur illae optimè administratione recta sex rerum nonnaturalium: remouentur quę pręter naturam, vel manuum opera, vel medicamentis intus extra admotis. Quare tria erunt remediorum genera, dięta, chyrurgia, & pharmacia. Pręterea est medica facultas Hippocr. auctore in lib. de flatib. adiectio, & detractio, seù ars, docens adijcere, quę deficiunt, remouere verò superflua. At verò adiectio fit optimo sex rerum nonnaturalium regimine, de-

eractio, aut manuum opera, aut pharmaceis. Quare tria esse remediorum genera hinc deducitur, diętam nempè, chyrurgiam, & pharmaciam. Demum nihil quatuor illis capitibus continetur, quod ad aliquod ex tribus propositis commodè reduci non possit: si quid enim excludendum esset, afflatus certè essent, contactus, balnea, appensa, incantationes; nam hæc aduersarij contēdunt, remediorum facultatem obtinere, nec pertinere tamen ad diętam, chyrurgiam, aut pharmaciam; at nihil horum cogit, vt à sententia proposita recedamus: non quidem afflatus, haud quoniā censeā cū Delrio: non posse ab afflatu sanitatem induci; nam quamquam Aristot. 12. sect. probl. 4. quærat, cur à morbis nonnulli ęgrotant, qui appropinquarint, à sanitate nemo sanari potest: hoc tamen intelligendum hunc in modum, cur facilius ægrotant, qui appropinquarint infectis, quam cōualescant ęgri accedentes ad sanos; sed quia hoc pręsidium continetur sub aere, vel sub assumptis; etenim si praui halitus nocendi vim habent, cur boni, & salubres non valebunt iuuare? Curationes factæ per contactum simplicem, vel manus, vel pedis, aut sunt ex gratia gratis data, aut fabulosæ. Prioris generis curatio strumarum facta à Regibus Gallię, fabulosum quod Anglis attribuunt, ac potissimum Reginæ Elisabethæ, vt multis probat Martin. Delrius lib. 1. Disquisit. Magic. c. 4. quæst. 3. An idem suspicabimur de Vespasiano? dubitandi dant ansam Sabell. qui in eius vita hæc tacet, Quoniam vero, non est gratis grauissimo historico fides deneganda, & Tacitus id fortasse diuinans, vt facto fidem adstrueret, ait. *Vtrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium*, admitto factum, plura tamen remediorum genera, nequaquam admitto; nam, vel Dœmonum opera cœco dies illuxit, vis addita cruri, vt placuit Sabellio lib. 3. Ænea 7. aut exturbato vi sputi impedimento, videndi vim restitutam: osse in propriam sedem, pedis compressione deducto, conualuisse manum existimo; nam vt idem Tacitus, *Vbi aduocati medici, variè, disserere: huic enim exesam vim luminis, & redditurum si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur posse integrari*. Non me latet finxisse Pomponat. lib. de incantat. nescio quid diuinitatis latentis in Vespasiano, idemq; suspicatos alios, vt refert, idem Sabell. quod superioribus bellis, ac Iudaico potissimum, multum humani sanguinis hausisset: sed his gradibus cęlum non scanditur. Multo minus cogit argumentum, quod sumitur à balneis, appensisque; nam cum pharmaciæ nomine medicamenta quæcumque intelligant medici, intus, extra admota, alterantia, & quouis modo vacuantia, nullus est, qui non videt ad pharmaciam, balnea, vnctiones, emplastra, & alia huius generis mille pertinere, vt latius Deo dante, lib. 20. dicemus. Quod spectat ad appensa, cum multiplicia illa sint, vsus enim obtinuit, vt cereæ imagines à Summo Pontifice benedictæ appendantur, cruces, conscripti psalmi, aut aliæ preces ab Ecclesia receptæ, Sanctorum Reliquiæ, lapides, herbæ, semina, animalium partes, vt est vnguis Alces, ac demum varia sigilla, scire oportet suspensos lapides, herbas, semina, radices, & partes animalium, si quam habent facultatem aduersus morbosas causas, & morbos, sub pharmacia cōtineri: Sanctorum Reliquię, & huius generis alia, supernaturaliter prosunt, non naturaliter: sigilla vana hominum credulitate irrepsere. Quare non est, cur propter hanc causam quis neget, omnem remedij materiam diętа, chyrurgia, & pharmacia contineri. Id ita esse, quod spectat ad lapillos, radices, herbas, semina, & animātium partes, palam. Sanctorum Reliquias hac ratione conferre, communis est sensus Theologorum. Nec si quis secus sentiat cum Pomponatio, concludet propterea aliquid aduersus nostram sententiam, sed illud tantum deducet, sub pharmacia hoc remedium reponi debere. Quod dixit de sigillis, & incantationibus, non adeo compertum, & propter hanc causam examinandum seq. tamen cap. ne longitudine istud, fastidium pariat.

Conducantne sigilla curandis morbis. Cap. XVII.

AFfirmant Astrologi, multi medici, vt Arnald. lib de sigill. Paracel. Mizald. Croll. non pauci Philosophi, & inter Theologos Caiet. est in hac sententia, vt patet ex ijs, quæ scripsit 2. 2. quæst. 96. art. 2.

Mihi tamen contemnenda videntur; nam si quid illa valerent ad curandos morbos, aut inhibendos, vel morbos abigerent ratione materiei, è qua sunt conflata, aut figuræ, aut verborū, nihil enim est aliud in istis sigillis, quæ tantum valere prædicant isti. At nec materia quicquam ad rem hanc moliendam conducit, nec figura, aut verba. Non materia, alioquin cur non idem faceret argenteus nūmulus gestatus, aut aureus, aut quodcumque aliud vas argenteum, aureumue. Non figura, nam vt benè D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 2. & 4. contr. gen. cap. 105. nullam habet figura vim agendi, neque valet effugium Caietani patrocinantis sigillis, & naturaliter aliquid valere volentis ratione figuræ, quia etsi figura non sit agendi principium, est tamen agendi conprincipium:

cipium: aut licet figura, quia figura est, & forma ab artifice inducta nihil agendo valeat, quatenus tamen eadem est imago illius cęlestis figuræ, & eiusdem Vicaria potest multa præstare; nam nullæ sunt imagines in cœlestibus orbibus, non leo rugiens, non pisces natantes, non scorpiones morsu iaculantes venenū. Astrologorum commenta sunt, vt Astrologicæ scientiæ dogmata declarent facilius. Quare neque illius vices subire ista poterit quando sigillo est impressa. Quod dicit, & figuram, & quantitatem comprincipium esse, rectius dicitur, tenebatur tamen agendi principium assignare; nam quemadmodum culter quantumuis sit acutus, nullam in partem sese insinuat, nisi impingatur, & impellatur ab alio; quia & si ab acutie penetratio iuuetur, pendet tamen ab alio tamquam à causa principali, nempè à virtute motiua: haud secus si morborum curatio à figura iuuatur, necesse est aliud curationis principium assignare.

Hinc rectius longè putauit Porphir. qui, vt refert, D. Thom. ibidem autumauit huiusmodi figuras conducere, non quia ipsæ quoquo modo agunt aduersus causas morbos inducentes, aut morbos, sed quoniam disponunt ipsæ sigilli materiam, vt benignum influxum astrorum excipiant, cuius auxilio postea efficacia redduntur ad morbos quoscumque abigendos, pro varietate qualitatis, quam à syderibus illa sunt mutuata; nam quemadmodum anima non in quamcumque materiam induci potest, sed vt sit eadem organizata expostulat, vnde à philosopho dictum, esse actum corporis physici organici: haud secus illa qualitas cum cœlestis sit, & nobilissima, configurationem exposcit, quo induci possit: rectius inquam sunt hi philosophati; nam videmus, Astrologos cum sigilla confingunt, certam cęli positionem obseruare, astrorumque exortum, quod nequaquam facerent, ni pro comperto haberent, defluere cęlitus vim corruptricem morborum in sigilla. Sed nec rectè; nam nulla qualitas vt inducatur, organizationem prærequirit; nempè longè dispar est ratio animæ, & qualitatis; nam cum anima sit localis motus futura principium, & aliarum functionum dissimilarium, exposcit necessariò illum apparatum; nam ad motum localem obeundum mirum quantum varietas figuræ conducat: at ad alterationes moliendas, nulla organizatio necessaria. Possem hoc inductione facta in qualitatibus omnibus demonstrare; nam videmus odores, colores, sapores, sonos, qualitates primas, secundas in materia simili, & homogenea statim induci: ne tamen detur occasio aduersatijs confingendi aliqualem diuersitatem, probabimus inde, non prærequiri illam figurā à qualitate cælitus immittenda, quia eadem aeri, in quo nihil huiusmodi licet fingere, communicatur. Præterea gratis fingimus, qualitates huiusmodi in astris reperiri, nec vlla certa ratione quæcūq; in his sunt inferioribus, seù sit vis sanguinem educendi, sistendi, seù attrahendi ferrum, supernis illis orbibus tribuimus vt 2. huius operis cap. 13. est dictum.

Ergo illud tantùm remanet effugium, vt verbis illis scriptis vim morborum medicatricem, illatricē, tribuamus; nam, vt refert Plin. cap. 2. lib. 27. nat. hist. Vlisses profluuium sanguinis è vulnerato femore, carmine inhibuit: eodem sanari ischiadicos voluit Theophrast. Cato mēbra luxata reponi, Varro podagram: Aetius quoque lib. 8. cap. 10. *ad eductionē*, inquit, *eorum, quæ in tonsillis sunt deuorata, statim te ad ægrum desidentem conuerte, ipsumque tibi attendere, iube, ac dic, egredere os, si tamen os, aut festuca, aut quicquid tandem existit, quemadmodum Iesus Christus Lazarum è sepulchro eduxit, & quemadmodum Ionam ex cete, atque apprehenso ægri gutture, dic: Blasius Martyr Christi dicit, aut descende, aut ascende*, Trallian. quoque lib. 6. cap. 4. *diuinissimus*, ait, *Galenus, qui ne esse quidem incantationes putauit, longo tempore, multoque vsu, plurimum ipsas posse deprehendit: audi igitur verba ipsius, quæ de Homeri medica tractatione reliquit. Nonnulli*, ait, *putant, incantationes anicularum fabulis esse persimiles, quemadmodum ego quoque diù existimaui: temporis autem progressu ab ipsis, quæ euidenter apparent, persuasus sum vim ipsis inesse; nam in percussis à scorpio adiumento sum expertus: nihilo autem minus in ossibus gutturi infixis, quæ incantatione statim expuebantur, ac multa præclara singula habent incantationes*. Quintus Serenus prodidit certo quodam modo vocem hanc Abracadabra inscriptam, & charta lino inclusa, colloque suspensa, hemitriteum curare. Quis referat quæcumque apud Arabes sunt, Paracelsum, Crolliū, & alios multos? Illud tamen præterire non possum, esse hodie multos inter Hispanos, qui omnem ferè morbum quorumdam versuum recitatione curare contendunt, vocant illos Ensalmadores, quia recitatis psalmis, morbis quibusq; mederi profitetur: sed ne negata Aetio, Tralliano, Sireno, & alijs huius classis scriptoribus fide, argumentum eneruetur, poterit adstrui efficacia mira verborum, sacræ paginæ auctoritate. Profitetur enim hæc in nomine Iesu dæmonia eijci, verbis consecrationis prolatis panem, & vinum in Sacratissimi Christi corpus conuerti: Certo, & præfinito precū numero, vt septem psalmorum recitatione, repetita salutatione Angelica, aut precatione Dominica impetrari exoptata. Nec ratio deest, nam verba sunt naturales imagines rerum, & natura cuique

insitæ, vnde cap. 2. Genes. legitur: Vocauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, quod non admodum aptè diceretur, ni habuissent singula animantia nomina propria, non enim illa proprijs vocasset nominibus Adam, sed singulis nomina propria imposuisset.

Sed quamquam hæc, & alia multa congerant vani, & superstitionibus imbuti Magi Cabalistæ, Platonici, nec quidam medici, vt Conciliator, & Phicinus lib. de medicina cælitus comparanda, seu nimis creduli, abnuant, est tamen habendum pro certo, quemadmodum 2. huius operis 15. est dictum, non nisi vnam vim significandi inesse verbis, valere illa præter hoc nihil. Quod si nihil hæc aliud præstare valent, quam conceptus exprimere, nihil eadem præstare valebunt, quod abolendis morbis quoquo pacto conducat. Nec si fuerint præsentaneo eadem auxilio quandoque: verbis propterea vis hęc tribuenda; nam cum raro pro voto succedat, passim frustra eiusmodi incantamenta tententur, per accidens factum, vt ijs obmurmuratis, aut collo suspensis sequuta fuerit salus; nam quæ per se aliquem producunt effectum, ferè semper producunt: nempè suspensa eo temporis articulo fuere, quo morbus iam declinarat, aut iuuit gestantis confidentia. Quare tantum valebunt, quantum confidentia, & eo modo iuuabunt, quemadmodum confert confidentia quibusdam morbis curandis. At credulitatis non maior vis est, quam imaginationis. Quare cum nequeat hæc hoc pacto curare morbos, nec confidentia valebit. Minor patet; nam non potest inducere per se morbos, vt lib. 2. huius operis est monstratum. Quare nec per se curare. Præterea multi sunt morbis conflictati, qui quamquam perpetuò de recuperanda valetudine cogitent, non propterea conualescunt. Ergo quod quidam, referente Conciliatore, differ. 135. sola medici confidentia conualuerint, aut falsum, aut factum per accidens, nempè medicorum pręceptis obtemperantes magis, medicamenta hilari animo assumpserunt: aut quia ex confidentia hilariores sunt redditi. Nũc verò quemadmodum mœror morbum arcessit, & auget, sic lætitia imminuit, aboletque: at lætitia, & mœror sunt pathemata animi. Hæc itaque accidentia per se iuuabunt, nocebunt, confidentia per accidens. Confirmatur, nam si quæ esset via, qua idem per se à confidentia, & verbis posset fieri, essent illæ potissimum, quas Cõcil. adduxit differ. 157. & differ. 135. at illę omnes exclusæ à nobis lib. 2. & multis confutatæ. Suadetur idem demum historijs multis, quibus compertum habetur, appensa hæc cum multa continerent ridicula, putatum nihilo minus esse, cum nondum scirent, quæ ibi erant scripta, ad abigendos quosdam morbos valere plurimum, contulisse sæpissime. Afferam duas ego tantummodo, nam singulas recensere, immensi foret laboris. Laborabat Bucchianici quædam mulier graui partus difficultate; nam cum triduò vehementibus esset cõflictata doloribus, fœtum tamen excludere non poterat; hinc ad extremam redacta desperationem, ad rusticum quemdam tamquam ad sacram aram confugiẽdum putauit. Erat hic opinione vulgi curandis morbis apprime idoneus, re tamen vera, omnis bonæ artis rudis, callidusque impostor. Vocatus ergo accurrit, ac breui peruenit, lassus tamen, & quoniam cęlum pluuium erat, ad carnem vsque madefactus, apparatur propterea mensa splendida, & focus luculentus accenditur: ille interea petito ad scribendũ papyro, chartulam paucis notis signatam collo eius suspendit, ea lege imposita, ne quis temerarius, & audax, aut legere tentaret, aut obsignare. Parit mox mulier summa cum omnium admiratione, mulieris gaudio, medici verò gloria. Post aliquot ab hinc dies cum ad templum expiandorum causa scelerum mulier accessisset, nec veniam posset a Sacerdote impetrare, ni primum chartulam appensam proijceret, sic faciendum cõstituit; ergo sumit, datque illam confessario legendam, vt explorata criminis grauitate, debitæ illi pęnæ imponerentur. Quid putas, lector, scriptum ibi fuisse? Audi, & ride: Questo è vn buon fuoco, la mia cappa s'asciuga, la mia mula manduca, da quì ad vn poco andarò à mangiare, la donna figli, se pur vuol figliare.

Audi aliam. In vrbe non ignobili circumferebatur celebre quoddam periapta aduersus dentium dolorem; nam expertum erat, quamplurimis graui dentium dolore tentatis profuisse, quo factum est, vt quantumuis Episcopus hortaretur subditos, suæ curæ commissos, ne suspenso hoc, ad dolorem hunc debellandum vterentur, numquam potuit id extorquere, imò tentatus eodem dolore Episcopus, cum omnia medicorum remedia expertus esset inania, doloris impatientia victus, ad idem periapta confugit: suspendit itaque illud collo, eoque suspenso, conualuit statim. Auxilium tam præsentaneum admiratus Episcopus, cœpit ipsum libido vidẽdi quid in conclusa chartula contineretur, atq; hæc scripta reperit: A fe della Soldana, che la Signora donna Marchesana, è vna bella, e nobile puttana.

Quæ ad astruendam verbis auctoritatem sunt adducta, aut falsa sunt, aut si quid valent, haud illud naturaliter faciunt, sed vel virtute Dœmonis tacitè concurrentis, aut tamquam instrumentum

tum

tum à Deo eleuatum. Ita esse, multis est probatum. Quare ne in re clara tempus frustrà teram, & lectorem fatigem, non placet alia addere.

Pertineatne ad medicum de his omnibus agere. Cap. XVIII.

Asser. Iac. de Part. opinio.


DAT huic dubitationi occasionem Iac. de Part. nam in quibusdam notis, quæ cum commentarijs Vgonis super 4. 1. circumferuntur hæc habet cap. 1. eius libri. *Nota tamen, quod duæ res medicationis, hoc est diæta, & pharmacia ad medicos pertinent, tertia verò conuenit ministris eorum, videlicet chyrurgicis, vt dicit Auenzoar lib. 1. tract. 6. cap. 1. huiusmodi enim operationes manuum dimittendæ sunt seruitoribus medicorum: ad medicum autem honoratum hæc non pertinent, quemadmodum non pertinet ei facere, syrupos, & electuaria suis manibus, nisi esset in magna necessitate.* His

Reijcitur.

quoniam nihil absurdius potuit adnotari, & quod à vero sit magis alienum, confutare placet, ne dicentis auctoritas fucum legenti faciat, & in errorem conijciat. Dicat ergo Iacob. dum negat chyrurgiam ad Physicum pertinere, quidnam chyrurgiæ nomine intelligit, operationesne chyrurgicas, vt sectionem, incisionem, vstionem, vel methodum administrandi isthæc omnia remedia: si primum, diætam quoque debebat è medicorum schola relegare, & pharmaciam, cum multo minus ad medicum spectet, conficere syrupos, vnguenta, emplastra, & quęcũq; componit pharmacopola, quàm secare, incidere, & vrere: tantoque magis à dignitate medica alienum est, cibos ritè, rectèque præparare, quam chyrurgi operationes obire, quanto dignior est chyrurgus coquo, arteque coquinaria facultas chyrurgica. Dicet itaque chyrurgiã, hoc est methodum curandi manuum operationibus, hanc ad medicum non spectare, pertinere alia duo instrumenta tantummodo. At non minus hoc falsũ; nam cum præsit multoties physicus curationi huiusmodi affectuum: quomodo poterit facienda præscribere, modum faciendorum præcipere, quæ dexterè fiunt à chyrurgo laudare, ineptè facta reprehendere, emendare, si huius facultatis sit prorsus ignarus?

Et vera affertur.

Proinde dicerem, diætam, chyrurgiã, & pharmaciam duo posse significare, operationes nempè ipsas, vt sectionem, vstionem, præparationem ciborum, medicamenti cuiusque, confectionem: significat secundo diæta rectam sex rerum non naturalium administrationem, chyrurgia rectum modum curandi per manuum operationes, pharmacia methodum accuratam curandi per medicamenta. Si nomine diætæ, chyrurgiæ, & pharmaciæ rectam methodum administrandi hęc remedia intelligamus, spectabit ad medicũ de his omnibus agere, vt supra mõstratum: at si intelligamus per has voces, operationes, sunt illæ à medica facultate duas ob causas prorsus relegandæ: altera est, quia non potest tot occupationibus districtus medicus (vrgetur autem multis, qui tot morbis curandis diligenter vacat) eligendis medicamentis, seruandis, componendis, distribuendisque studere. Altera, quia medici famæ nequaquam expedit; mox enim suspicabitur vulgus, medicamenta illa præscribi à medico ad opes infirmo auferendas, nõ ad opem infirmo auferendam: suspicantur id. si summam ineat medicus cum pharmacopola familiaritatem: vide, quid futurum, si sua venditet medicus medicamenta. Non expedit eidem chyrurgicas functiones obire, quia hic obscœnas partes plerumque contrectare cogitur, alias aperire apostemata, & vulnera inflicta dilatare, vnde modo sanguine, modo, purulenta materia conspurcatur. Quis autem linguam tangendam huic porriget? Abstinebit itaque me auctore, ab his functionibus physicus peritus: vt consequatur methodum curandi auxilio diætæ, chyrurgiæ, & pharmaciæ, omnem debet conatum adhibere, diligentiam omnem; propterea ne in re tanti momenti, nostra desideretur industria, id pro viribus facere conabimur; nam indagare, an fecerint hoc quãdoq; antiqui medici: & iure, examinauit 6. enarrat. c. 4. Valler. quem vide.



AN-

ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Decimus quintus.

DE RECTA CIBI ADMINISTRATIONE in morbis.



Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



RIA esse remediorum genera, diętam, chirurgiam, & pharmaciam lib. superiori monstratum est: inter haec diaeta, hoc est, recta sex rerum non naturalium administratio: inter res non naturales laudati cibi electio. Quid? Ad rectè tuendam valetudinem, nihil æquè conducit, ac cibandi ratio, nec aliud quidquam labefactat eamdem, quam si in victu peccetur: non putabimus idem, morbis abigendis conferre, quam maximè? scribit Hippocr. Euriana̍ctis filiam perijsse, quia intempestiuè cænauerat: vide quid futurum, cum non semel erratur. Sunt alia præsidia, nec omnibus necessaria, nec semper; siquidē motus ijs tantum conuenit, qui morbo à crudis succis, & frigidis concitato laborant: remedia chyrurgica, & pharmaceutica, rarò adhibenda: at comedit quiuis languens, & quauis die multoties nutriri postulat; ita enim restaurata natura, citra aliud auxilium, causas morbosas extrudit. De cibi ergo administratione in morbis, primo loco dicendum.

Vt verò ordinatè procedamus, dicemus primum, an sit mutanda victus ratio in morbis, & alia instituenda per prosperam, alia imperanda in aduersa valetudine. Quod si alia, quia hæc multiplex, dicemus secundò, quæ victus forma cuique affectui erit opportuna, quantum exhibendum, quale, quomodo, quo ordine, & quando.

Sitnè victus ratio mutanda cum quis ægrotat. Cap. II.

Pers quæ negat suadetur. EOdem propè modo nutriendos esse ægrotantes, quemadmodum nutriebantur ijdem, cum optima gaudebant sanitate, & ratio suadere videtur, & Hip. Illa quidem, nam consuetudo quamuis praua, vt est auctor Gal. 8. method. cap. 4. non est permutanda; nam cum sit illa natura, si mutetur, natura ipsa expugnabitur: Hanc verò seruare omnes necessarium censent; nam ipsa est, quæ morbis medetur. Numquam itaque victus formam mutare, sed eamdem amicè retinere persuadet ratio.

Suadet quoque Hippoc. nam 2. de rat. vict. 20. præcipit, vt bis comedere assuetis, bis alimenta porrigamus: semel verò cibemus, qui semel in die comedere assueuerant, ac si consuetudo victitandi religiose in morbis sit seruanda, nec deceat modo aliquo illam permutare: quod clarius postea inculcauit 2. de rat. vict. 22 siquidem nedum illud laudauit, ne consuetudo permutetur, sed & damna recēsuit, quæ ex consuetudine viuendi mutata necessariò accidunt. *Qui bis, inquit, in die, & semel cibum assumere consueuerat si subito consuetudinem permutarit, noxam, imbecillitatemque subibit; etenim prandium assumentes, qui id non consueuerunt, protinus imbecilli toto corpore graues, segnesq; redduntur. Quod si præterea cænauerint, ructus acidus, & aliu lenitas subsequetur; grauatur enim sub insueto ventriculus, qui antea aridus esse, neque bis intumescere, neque bis coquere cibos solebat.* Et paulò post, *Qui autem bis in die cibum sumere soliti sunt, ij, nisi pransi sint, imbecilli, & infirmi fiunt, & ad quoduis opus timidi, & dolore præcordiorum torquentur veluti suspensis visceribus, &c.*

Demum nō mutant viuendi rationem medici, vbi morbos in situ, mala figura, numeroue curant. Quare neq; id facere in alijs necessarium erit.

Oppositam tamen sententiam probāt omnes, nedum medici, sed & quiq; vulgares; omnes enim vt scribit Hippocr. lib. de vet. med. *cum male se haberent, primum quidem de suis cibis copiam detraxerūt, & pro multis paucos sumpserunt: Deinde cum nec id coquere satis esset ventriculus, sorbitionem inuenere, valentes cibos multa aqua diluentes, eorumdemque vim temperatione, & coctione detrahentes.* Bruta quin At quæ affirmat, concedo.

etiam

etiam ipsa nunc omninò abstinent, nunc parum assumunt, nunc alia inquirunt alimenta. Quamobrem cum id faciant naturæ instinctu impulsa, & edocta, erit pro comperto habendum, id expedire morbis abigendis: ni quis dicere velit, naturales instinctus, non esse ad salutem seruandam animanti concessos, sed in eius perniciem inditos à natura, quod communiter omnes vno sensu abhorrent. Erit proinde victus per morbos mutandus, nec eodem pacto sanos, ac ægros expediet nutrire.

An in morbo quorumque mutanda? An in morbi cuiusque curatione victus permutandus, & aliter nutriendi sint ægri quouis morbo teneantur, ac sani, hoc non ita compertum.

Negat Arg. Negat Argent. 1. aphor. com. 4. putat itaque in ijs tantùm morbis victum esse mutandum, qui vim coctricem oblædūt, & à statu suo naturali deturbant: vbi illa eodem prorsus modo se habeat, non est cur aliquid permutemus, quia manente eadem indicatione, sunt eadem facienda. Quamobrem cum damnum nullum naturali virtuti à morbis in numero, aut situ inferatur: non esse concludit per hos morbos victus rationem mutandam.

Cœterum, quia videbat medicos attenuare victum in vulneribus, subdit, eamdem ob causam id facere medicos, nempè ne à succis ad vulneratam particulam confluentibus, vis concoctrix lædatur.

Non assentimus. Sed certè si res ista pensiretur exactè, inueniemus facilè, nullum esse affectum, qui aliqualem victus permutationem nō desideret; si qui enim essent, in quibus id facere, aut incommodum esset, aut superuacaneum, essent morbi in numero, situ, & superficie: at in istis muramus; nam cum fiat superficies aspera ab humoribus salsis, mordacibus, acribus, ille erit victus eligendus, qui acrium succorum generationem impediat, quemadmodum si fit eadem lenior, exasperare expedier: Quare & ea alimenta seligere, quæ præstare id valeant. In numero pariter imminuto mutare prestat, & imminuere, ne contracta plenitudine, morbis ab hac causa reddamur obnoxij, vnde huius occasione dysenteria, si credimus Hippocrati. Quod si non facimus idem in numero adaucto, & morbis quibusdam in situ, vt in gibbositate: idcirco parcimus, quia eorum morborum curationem desperamus: patet, nam vbi tentat medicus reponere, aut reposuit, victus incrassans sit commodus, hunc instituit, quemadmodum attenuantem eligit, cum vacuare est opus, & aperire. Concludo proinde, in omni affectu, eius curatio suscipitur, victum esse permutandum.

Quæ ad ostentandam vim consuetudinis sint adducta, id tantum probant, esse eius rationem habendam, retinendam vbi nulla alia indicatio vrgeat: vbi hæc adsit, huic vacandum: nec timendum ne naturam destruamus: nam cum temperiem lapsam emendamus, non destruimus, sed ad frugem meliorem deducimus. Mutare itaque licebit, alioquin numquam liceret, aut sanguinem mittere, aut quouis alio modo vacuare, cum nullus vmquam prodeat in lucem, cui vel sit sanguis extractus, aut exhibitum pharmacum.

Dic secundo mutatione victus seruari naturam. Itaque si huius seruandæ studium te sollicitum habet, cum non liceat aliter seruare, nisi victu mutato; nam & ipsa est mutata, victum mutare cogemur. Rectè Hippocr. a. de rat. vict. 22. *Oportet*, inquit, *& ex sanorum hominum victu disciplinam, quæ conferat instituere; cum enim nō parum intersit, hac ne, an illa victus ratione sani vtantur, cum in alijs quibusdam, cum præcipuè in mutationibus: qui fieri potest quo minus magna sit in morbis, præsertim verò in acutis varietas?* Quod si aliter idem videatur sentire text. 32. eiusdem lib. scito Hipp. loqui de victu sanorum, quorum consuetudinem non esse statim, & confertim mutandam rectè docet, cum nullus sit morbus grauis, & vehemens, qui hoc postulet. Gal. quoque in curatione diariæ monet, ne consuetudinē permutemus, nempè, quia morbus nullius est momenti: At vbi acutus est, & magnum discrimen minatur, omninò stolidum esset, seruandæ consuetudinis causa nihil mouere, aut mutare. Permutare itaque formam victus oportet. Quæ eligenda, mox dicemus, sed prius quotuplex eadem sit, videamus:

Quotuplex forma victus. Cap. III.

Quotuplex victus. Triplicem esse docuit Galen. 1. aph. 4. plenam, seu crassam, mediocrem, tenuem. Innuit idem ibidem Hippocr. nam meminit victus tenuis, & crassi, seu paulò plenioris: at inter duo extrema datur medium. Quare erit victus triplex ex Galen. & Hippoc. tenuis, crassus, mediocris. Idem Auic. 4. 1. & est communis omnium sententia.

Quid quisq; Subdiuidit Gal. tenuem victum, in exquisitè tenuem, & absolutè talem, primumque subdiuidit in extremè tenuissimum, vt cum nihil damus, & tenuissimum non tamen extremè, vt melicratū. Quid verò sint singulæ istæ victitandi formulæ, non est admodum facilè decernere. Gal sententia affertur. Videtur voluisse Galen. plenū victum esse, qui vires adauget, tenuem, qui imminuit, mediocrem, qui conseruat: hinc primum augentem vocat, conseruantem mediocrem, tenuem, debilitantem: & quoniam attenuatio hæc, & ex attenuatione debilitas potest multos gra dus

dus habere, & esse maior, minor, idcircò subdiuidit tenuem in absolutè talem, & exquisitè tenuem: & hunc in tenuissimũ extremè, vel non extremè, statuitque extremè tenuissimum victum esse omnimodam à cibo quocumque abstinentiam, vel ad iudicationem vsque, tenuissimum absolutè, melicratis vsum: absolutè tenuem ptisanam, exquisitè tenuem ptisanæ succum; nam ab omnimoda inedia vires maximè attenuantur, à melicrato minus, minimè vero omnium à ptisana ipsa.

Examinatur

An tamen rectè hoc fecerit, non paruam habet difficultatem, siquidem de ratione cibi est, vt reficiat deperditas vires. Quare nullus dari poterit, qui easdem attenuet, & imminuat. Præterea si hæc esset ratio victus tenuis vires nempè attenuare, nulli vmquam vsui in morbis esse posset; nam numquam licet vires attenuare, & imminuere.

Sequeretur tertio, quemcumq; victum tenuem, esse posse plenum, & tenuissimũ, variata dumtaxat quantitate alimenti. Consequentia patet, nam pro maiori, aut minori quantitate alimẽti, posset plus, minus facultas debilitari: quod & si videatur Gal. concedere, nam in citato com. scribit, *tenuis verò victus per pauca fit, aut parum nutrientia edulia, qualis est ptisanæ succus*. Et paulò infra *victus, qui fit per ptisanam hordeaceam, non est quidem tenuis exquisitè, nisi omninò pauca assumpta fuerit*, non esse nihilominus admittendum. ea ratio suadet, quia inde fieret, vt quodcumque alimentum, varia tamen quantitate, in morbo quocumque posset exhiberi; nam in peracuto daremus parum, in acuto magis, in acuto ex decidentia multo magis. Quartò omnimoda abstinentia à cibo non est victus. Quare malè dictum, tenuissimum victum in extremo esse omnimodam inediam: aut si huic poterit ratio tenuissimi victus conuenire, non poterit melicratum esse tenuissimus victus, quia vni naturæ non potest conuenire ratio priuationis, & habitus. Quinto, quæro si non minus virtutis augmentum habet gradus, quam eiusdem debilitas: cur subdiuisit Galenus victum tenuem in multas differentias, non diuisit contra victum crassum?

Et defenditur.

Retinenda nihilo tamen minus Galeni sententia est. Quare adductis rationibus respondeamus. Ad primam dicimus, longè aliud esse de cibo loqui, ac de victu, seù optima victitãdi ratione, id enim nomine victus intelligunt medici: Cibus quicumque sit ille, debet semper reficere, plus, minus: at non ratio victitandi, seù victus, ita enim potest institui, vt nulla, aut exigua fiat restauratio, atque hinc virium languor. Quod si dicas, cuiusque facultatis languor proximè nascitur ex dissipatione spirituum, humorum, & partium nostri corporis; at hæc semper fit à calore, seù interno, seù externo. Quare non à victu. Concedam hæc omnia lubens, libensque: at non admittã propterea, posse reprehendi Galenum; nam neque hoc affirmauit, sed illud scripsit, *tenuis fit per pauca, aut parum nutrientia edulia: terminus autem est virium imminutio*. Ne tamen cum vides aut deficere vires, aut augeri, hic subtrahas cibum, suspicatus esse crassum, addas ibi timens ne sit tenuis: aduerte, non esse id ab euentu simpliciter addiscendum, sed ab eo quod alimenta sunt sua natura apta nata facere; sæpè enim quod augere debebat, nequaquam auget ob morbi violentiam: sæpè augentur ab imminuto, causa noxia ablata. Augens ergo, & imminuens victus dicitur, qui sua natura aptus est imminuere vires, vel augere.

Ad secundum negatur consequentia; nam multoties morbos aduocamus, vt vindicemur ab alio magis fero, quique vitæ summum discrimen minatur: cur non licebit maioris beneficij gratia, est autem morbi victoria, à cibo abstinere, & vires imminuere, easdemque mox morbo remisso restaurare?

Ad tertium negatur eodem modo cõsequentia; nam cum in recta cibi administratione, non sit illud tantum contemplandum, vt plus, minus vires imminuantur, sed & alia multa, vt qualitas medicinalis, alimenti familiaritas, quod valeat restaurare spiritus, humores, partes solidas: cum non habeant singula easdem qualitates, non omnia familiaria, non sint quæcumque apta restaurandis spiritibus humoribus: fiet hinc ne possimus quodcumque alimentum indiscriminatim exhibere.

Ad quartum negatur antecedens, nam aliud est cibus, aliud optima administratio victus: inter cibos non potest reponi omnimoda abstinentia, potest tamen locari inter ea, quæ spectant ad opportunam victus administrationem.

Ad vltimum dicimus, non diuisisse Galenum victum plenum, quemadmodum fecit in victu tenui, quia variæ huius differentiæ possunt esse vsui ad varios morbos debellandos: non sic victus plenus: plenior enim morbos inducet. Quare semper cauendus: pleno, ratò vtendum, vt docet eod. com. Gal.

Quæ victus forma cuique morbo sit commoda. Cap. IV.

Asseritur sententia Petronæ.

MIrum quanta fuit de re ista medicorum dissensio. Augentem probauit victum Petronas; vt refert Galen. 1. de rat. vict. 13. eo argumento ductus, quia naturæ medicæ morborum. Quare hæc ali-

alimentis roboranda semper, ita enim morbum quemcumque debellabit. Petronam sequuntur fœmellæ nostri temporis, suadentque id saluti ægrotantis expedire, quia sacco uuoto non può stare in piedi. Vacant alij subtractioni ciborum, ne natura à pugna aduersus morbum, ad alimenti coctionem teuocetur: & quia cum Græcis græcizandum dicūt: Sacco troppo pieno crepa presto.

Aliorum.

Hippocr.

Dubius Hippocr. nam 1. aphor. 4. damnat tenuem, & tenuissimum victum, *victus*, inquit, *tenuis, & exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis, in quibus nō conuenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est: nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt*, & aphor. 5. *in tenui*, inquit, *victu ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur; quicumque enim error committitur, maior in paulò pleniori victu: propterea etiam sanis periculosus valdè tenuis, & exquisitus victus, quoniam errores grauius ferunt*. Hinc præbet vinum in morbis acutis, & à sorbitione ad tibaria se confert, 1. de rat. vict. 35.

Contra eodem 1. aphor. 6. non solum tenuem victum laudat in morbis peracutis, & in vniuersum in omnibus, qui ad statum venere, sed non esse aliter faciendum valida illa ratione concludit, extremis morbis, hoc est magnis, & magna symptomata inuehentibus, extrema, & magna remedia sunt opportuna; nam si minora exhibeas, numquam poteris morbum expugnare: nec ait cur speres id assequi crebra eiusdem remedij admotione; nam vehementia morbi non dat tantas inducias, sed quam maximè vrget, proindeque eget, vt magna remedia, cōfestimq; admoueantur. Nunc verò subdit aphor. 7. est morbus peracutus extremus, & extremos statim inducit labores. Quare extremo remedio confestim est expugnandus. Ergo tenuissimus victus illi conuenit. Eodem discursu concludit tenuissimum victum in statu conuenire, quia vbi morbus in statu est, tunc summus est, & vehementia symptomata infert. Quare tunc temporis potissimum attenuare conueniet. 2. insuper aphor. 10. *impura*, inquit, *corpora quanto magis nutries, magis lædes*, & lib. 7. *si quis febricitanti cibum dederit, vt sano robur, sic ægrotanti morbus*. Hinc reprehendit ipsū Erasistratus, quod ægros fame necaret; damnat Thessalus, quod præter modum repleret. Sed certè vtrumque vitium iniuste Hippocr. imponi intelligemus, si quæ victus formam præscribant, intelligamus. Propterea hoc agamus; ne verò longior, quam par est disputatio euadat, & afferendis aliorum de re ista sententijs, & examinandis lectorem tœdio afficiam, statuo breuiter, indicari alimentum à defectu; est enim apud medicos omnes illud axioma receptum, repletionem ab inanitione indicari, & à repletione vacuationem; nam, vt 2. aphor. 22. *morbi quicumque à repletione fiunt, inanitione curantur, & quicumque ex vacuatione, repletio, & in vniuersum cuiuscumque alterius contrarietas*. Nempè sit curatio corrupto eo, quod præter naturam. At omnis corruptio à contrario. Quare curatio omnis opera contrariorum absoluitur. Cum itaque repleat alimentum, resarciatque deperditum, indicabitur semper illud ab eo, quod dissipatum fuit, & consumptum: Cumque illud idem, quod indicat genus, qualitate addita indicet spetiem, quæ sub illo genere continetur, & quantitatem eiusdem, lib. de opt. sect. cap. 35. quemadmodum defectus alimentum indicat, sic defectus varius, alimentum diuersum: vnde cum quandoq; deficiat spirituosa substantia, alias partes solidæ nostri corporis, in defectu spirituum, vt in syncope vinum, & alimenta odorata conueniunt, in defectu partium solidarum, crassiores cibi. Hinc 2. aph. 7. *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet, quæ vero breui, breuiter*, & aph. 16. 1. lib. victum humidum pueris laudat, & huiusmodi victui assuetis, quia humidum pariter est, quod est dissipatum. Ab eodem demum defectu quantitas indicatur; nam pro eius varietate plus, minus damus, & in magno nutrimus vberius, in exiguo parū: vnde, quia pueri multum habent calidi innati, hoc est substantiæ aereæ, aqueęque, hæc enim natura innati calidi 1. aphor. 14. & 8. de placit. 7. quando dicebat substantiam innati calidi in phlegmate, & sanguine cōsistere: habentes autem hanc naturam dissipantur multum, & facilè: contra senes parum habent innati calidi; nam frigidum est eorum corpus, raroq; propterea febribus laborant acutis, propterea multis egent pueri alimentis, alioquin corpus absumitur: paucis senes, non solum, quia parum est, quod à terrea, frigidaque substantia resoluitur, sed quia exhibito multo, suffocatur calor, non secus ac exiguus ignis à multa strue lignorum super ingesta confertim. Gal. 1. de vict. acut. 44. *si nihil è nostro corpore efflueret, alimento non indigeremus, sed quia effluit, ideò ad eius proportionem cibi quantitatem definimus. Quibus igitur parum per meatus difflatur, ijs possumus summam inediam consulere*. & aph. 15. 1. par. *oportet igitur alimenti quantitatem esse eius, quod difflatur quantitati proportionalem*: & paulò infra, *si nihil à corporibus nostris efflueret, sed semper æqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas*. Cœterum, quia vt medicus indicata exequatur, non est satis, superq; præsentia indicantis, sed requiritur etiam, ne quid sit, quod prohibeat lib. de opt. sect. cap. 35. & 38. scias, non

Inquiritur, indicans formam victus.

esse statim faciendum quod indicat defectus,& mox pro varia eius ratione exhibendum, plus, minus, sed vbi nullum fuerit prohibens: prohibet alimoniam facultas eoctrix quandoque, vel quia sic languet, vt alimentum coquere non valeat, vel quoniam coctioni alterius, seu sit alimentum, seu causa morbifica vacat: vel quia natura in retentione, aut expulsione est occupata: præstabit ergo in his casibus abstinere, idcirco.n.iubet Hipp. ne in accessione, aut morbi vigore nutriamus, veratque dari alimentum 1. de rat. vi.t.42. in eruditate, *ergo ait, si quem à recenti cibo, aluo, nondum subducta, febris siuè cum dolore, siuè sine dolore prehenderit, à sorbitione exhibenda tantisper temperandum, dum cibum ad infernam intestini partem descendisse conieceris.*

Obiectio.

Obijcies, partes solidæ consumptæ, non sunt, neque sunt spiritus, iam dissoluti. Nihil itaque poterunt indicare. Secundo virtutis gratia nutrimus,& vt vires custodiamus; ipsæ itaque cibum indicabunt. Confirmatur tertiò, nam ni id affirmemus, dicamus necesse est, à defectu, & inanitione indicari alimentum, cum enim duos præstet vsus cibus restaurationem nimirum deperditi,& virium refectionem, ab altero horum cibus indicabitur. At verò non indicari potest à defectu, ergo à viribus assumptum ostenditur, quia interdum existente defectu nihil damus, vt in morbis extremè peracutis, aut multo minus, quam defectus exposceret, vt in morbis acutis, & peracutis: quandoque damus plusquam deficit, vt cum virtus cadit in senibus, & pueris ad augmentum tendentibus.

Argent. op.

Conclusit propter hæc Argent. 1. aphor. comm. 4. à virtute indicari alimentum, non ab inanitione, seu defectu. Idem Vgo Senensis, & alij multi, ad id inducti, tum rationibus propositis, cum multis Galen. locis, quibus id affirmat.

Reijcitur.

Et monstratur victum non indicari a viribus.

At vero non esse id autumandum doceebo paucis, quamquam possit multis coniuinci. Si à virtute, victus indicatur, quo maior illa esset, eo essent plura exhibenda, nam quo maior est febris, eo magis est refrigerandum. Negat consequentiam Vgo, sed gratis. Distinguunt alij, & per bonam aiunt valetudinem, quo sunt maiores vires, eo plus exhibere oportet: secus at faciendum in aduersa, & improspera; dant rationem, quia morbus repugnat, & alimoniam à facultate indicatam prohibet, interdicit: sed vide quam ineptè. Indicatio à viribus est dignissima omnium; semper itaque illi magis erit parendum, minus morbo: quod si secus faciendum contendant, cur vbi illa cadit, contemnentes morbum, viribus conseruandis vacant? Quia dices, est potior indicatio, quæ à facultate debili, & dignior. O inconstantiam predicandam. Vide vt indicationem, à virtute desumptam, nunc digniorem faciant, nunc minus dignam, at dices pro maiori, aut minori robore facultatis vitalis, plus minus exhibemus; ab hac ergo victus indicatur; fateor optimos medicos continuò pulsui attentos esse, vt rectè victus rationem præscribant, eam tamen ob causam, vt per pulsum, defectum,& defectus quantitatem cognoscant, eoque cognito, optimam viuendi normam instituant. Quare id quoque nostram, non Argent. sententiam confirmat.

Respondeturque argumentis propositis.

Nec eneruant opposita, nam consumptis partibus solidis, adest defectus ipsarum, aut spirituum, hic autem sui amotionem indicat, quemadmodum defectus numeri, aut quantitatis discretæ,& vnionis, remotionem sui pari pacto indigitant.

Quod adducitur secundo loco si vera concludit, concludi facile posset, à sanitate omnia indicari, quia eius gratia cuncta remediorum genera admouentur; ne tamē aliquis auribus insusurret nostris, adducere inconueniens non est soluere, dicamus insuper, victum ab eo indicari, cuius gratia proximè exhibetur, & est contrarium: quamobrem cum immediatè exhibeatur ad tollendum defectum, ex quo fit secundo, vt virtus restauretur, à defectu indicari dicendum, qui contrarius, non à virtute. Neque putandum est aliter, quod minus quandoque in morbis exhibeamus, quam ratio defectus exposcit: facimus enim illud, quia alimētum maiori copia, à facultate coctrice contraindicatur. Nempe occupata in morbi coctione, non potest alimenti coctioni vacare, aut non est ad ipsam reuocanda, debet autem alimentum indicari, & tolerari. Senibus minus damus, vel quoniam oppressa facultas languet, & coquere nequit: Vel quia est dissoluta, & tunc tantum porrigit prudens medicus, quantum sufficit, numquam plus, ne pro inanitione, repletionē inducat. Pueris pariter numquam plus porrigimus quam deficit, si repetamus memoria illis non tantum deesse, quod nuper à causis externis, internisque, est consumptum, sed quod perficiendo corpori est necessarium. Ergo cum necessarium sit, quo absoluatur, augeri, adhuc damus pueris pro ratione defectus. Defectus itaque perpetuo alimoniam indicat. Ne tamen, vel apertè Galen. repugnemus, qui à virtute alimentum indicari non semel scripsit,& nos quoque docuimus alias, intelligant omnes, ita esse Galen. exponendum, vt velit à virtute indicari alimentum, sub ea tamen ratione formali, qua deficit, nam si perpetuo eadem conseruaretur, nullo profecto cibo indigeremus. Vel defectus itaque, vel virtus, vt deficiens indicat alimentum, quod debet dari mensura

Cur damus quandoque minus, quam defectus poscat.

Declaratur Gal. dicens à viribus victū indicari.

ſura æquali defectui, dum tamen à vi naturali toleretur. Morbum qui cõſiderāt, ſi tamquam valentem contraindicare cõtemplantur, ineptè faciunt, nam cum indicatio ſumpta à viribus ſit digniſſima omnium, quamuis morbus reclamet, præſtabit, quod illa indicat facere. Si eumdē inſpiciant, tamquam ſignum naturalis facultatis tolerantis, aut non valentis ferre, in quo ſenſu puto Galen. loquutū fuiſſe, permittam illis ſic loqui, dum tamen hunc eſſe totum ſenſum profiteantur apertè, vt aperte idem Galen. docuit l. de opt. ſect. cap. 39. Ex his poteſt modo facile quiſque intelligere, quæ victus forma conueniat in quouis morbo; enimuero, ſi alimentum dandum eſt varia quantitate, maiori, minori, pro ratione defectus, & facultatis naturalis robore, tunc erit dandum multum, cum eſt multus defectus, & naturalis facultas potis fuerit concoquere: faciendum eſt ſecus, cum eſt exiguus defectus, aut naturalis facultas ita alibi occupata eſt, vt alio nõ poſſit vacare, aut ſaltem non licet illam auocare. At vero, quo morbus eſt acutior, & maiora inuehit ſymptomata, eo eſt naturalis facultas occupata magis, vel in cõctione morboſæ cauſæ, aut retentione, ne repat ad principem partem, aut extruſione eiuſdem è confinio corporis; minus eſt occupata hæc ipſa, cum morbus eſt minor. Quare morbis exactè peracutis, quos barbaram ſectantes medicinam, perperacutos appellant, qui quartam diem non tranſeunt, victus tenuiſſimus conuenit. Peracutis, qui ſeptima die terminantur, victus exacte tenuis debetur, vt cremor ptiſanæ. acutis, qui diem 14. non excedant, victus tenuis conuenit, cuiuſmodi eſt tota ptiſana. acutis ex decidentia largior: mediocris, aut craſſus, diuturnis affectibus. Confirmatur teſtimonijs Hippocr. ſupra adductis, & communi omnium medicorū conſenſu; enimuero ita eſt hoc longa experientia comprobatum, vt nullus ſit, qui aliter ſentire audeat, quamquam à facientibus praxim poſtea non æque obſeruetur, vel ſeruientes fœmellis, quæ ſemper malunt ægros ſaturos mori, quam ieiunos ſanari, vel adulantes, ægro, aut propriæ famæ conſulentes, veriti, ne in ſæuam inediam, necis cauſam reijciant adſtantes.

Quid ſentiendum decernitur.

Petronæ ratio, cui innixæ fœmellæ largius ſemper eſſe nutriendum concludūt, eſt nullius momenti, non enim ſit natura validior cum multa aſſumit, ſed cum aſſumpta coquit, & in propriam ſubſtantiam vertit, quod facere cum nequeat acuto morbo, aut peracuto laborans, nūquam erunt ſic affecti, large nutriendi, quamquam in morbis diuturnis, ſit idem maximo vſui. Concludo proinde illo Oraculo Hipp. *vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt, vbi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibo indulgendum eſt, quantum morbus extremis eſt mollior*. Cæterum quia victus poteſt bifariam reddi tenuis, aut parum alimenti exhibendo, aut multum, exigui tamen nutrimenti, in onere neceſſarium cenſeo, vt bene animaduertit Auic. 4. 1. cap. 1. doct. 5. primi generis cibum probari in proſtrata appetentia: ſecundum, cum magna eſt copia cruditatum, & deſiderium multum.

Ex ſniſit ratio.

Debeatnè victus ratio ita ſemper inſtitui. Cap. V.

NEgantem partem omnes amplectūtur, & quod vulgo dicitur, omnis regula paritur exceptionem hic probāt quando tamen aliter expediat facere, non eſt omnibus exploratum. Conueniunt, vbi virtus vſque adeo eſt debilis, vt non valeat morbum ferre, ſi ita tenuiter corpus nutriatur, largius eſſe cibandos languentes, & quidem rectè. Quid enim refert vna ſimul cum morbo, naturam corrumpere? At vero labaſcit omninò facultas, ſi imbecillum, tenuiter nutriamus. Quare vbi facultas actu langueat, aut timemus nè labaſcat in poſterum, eſto morbus tenuiſſimum victum poſtulet, virtuti vacantes, nutriemus largius; nam cum natura ſit medicatrix morborum: quid eſt, quod ſperes, cum proſtrata ipſa fuerit? Propterea monebat Hipp. aphor. 9. 1. partic. vt antequam tenuem formam victus inſtituamus languenti, meditemur attentè, ſintne vires validæ, & in poſterum ita conſeruentur; nam ſi metus ſit ne deficiant, antequam morbus diſſipetur, viribus conſulentes cibabimus largius, ne vna ſimul natura morbuſque deficiant.

Non eſt nutriendum tenuiter, cum virtus eſt debilis.

Id vero faciendum puta, cum facultas cæſpitat ab exhauſto, & debilis eſt ob diſſolutionem, non vbi ſuffocata, aut oppreſſa; nam cum alimentum à defectu indicetur, ſi oppreſſæ facultati adijcias, ſuffocabis magis; leuabis eamdem, ſi ob ſpirituum, humorum, partiumque ſolidatum defectum, conciderit.

Quia diſſoluta non quia oppreſſa.

Vtranam cauſa debilitatem induxerit, cauſæ prægreſſæ te docebunt, nec non pulſus, aliæque actiones vitiatæ, nam cū maxima ſit inter omnes facultates conſenſio, non tantum pulſus, ſed & quæcūque alia functio vitiata, aut abolita, vitalis facultatis defectum indicabit; vt nullo modo cenſeam eos eſſe audiendos, qui ad cognitionē hanc cõparandā, vni pulſui iubent attētos nos eſſe, valent .n. actiones omnes languorē ſignificare, & fortaſſe magis, quippe qui nõ alterantur ita facilè, quemadmodū à quauis cauſa externa mutatur pulſus. Cõſidera proinde, an

Idcirco hæc ſtude cognoſcere.

causæ prægressæ ex earum genere sint, quæ vires dissoluere valent, cuiusmodi sunt dolores vehementes, diuturnæ vigiliæ, vacuationes immodicæ, præsertim sanguinis, seminis, & cuiuscumque alterius substantię vtilis, longa inedia, morbus venenatus, & malignus, aut diuturnus, multi enim quod vehementia facere non possunt, diuturnitate rependunt; vbi enim his causis prægressis, vires languēt, facile intelligere est resolutas esse, dissolutas, præsertim si languens ętate fuerit puer, temperie, calidus & humidus, habitu rarus, & mollis. regio in qua viuit calida, tempusque anni calidum pari pacto, siccumque; hæc enim corpora cū sint apta affici ab huiusmodi causis, illæ afficere, sequetur necessario affectus: hoc est dissolutio virium.

Confirmabit hoc ipsum pulsus, si æque semper sit debilis; cum enim omnes pulsus languidi sunt, infirma per se facultas est: vbi earumdem arteriarum nunc languidior pulsus sit, nunc vehemens, facultas, non est per se quidem imbecilla, sed abundantia humorum degrauatur 4. de præsag. ex puls. cap. vlt. Attestabuntur hoc ipsum, ea actionum vitia, quæ non nisi à prostrata virtute possunt fieri, vt non videre, lucem aufugere, non audire, non sitire, lingua arescente, nihil appetere, imporentia ad vigilandum, delabi ad pedes corpore, sudatiunculæ circa frontem, & clauiculam, lachrimulæ, & quæuis alia vacuatio exigua: hæc omnia, cum non nisi extincta virtute fiant, vbi hæc appareant, & alia, quorum meminimus in præsagijs, pro comperto habeas dissolutam esse facultatem, non oppressam, ac propterea adiectione indigere, quantumuis aliunde tenuissimus victus indicetur, cum indicatio, quæ à viribus sumitur, sit dignissima omnium. Hucusque conuenere omnes. An cauendus sit pariter victus hic tenuissimus in peracuto morbo exitioso, & febribus pestilentibus dictis, nō est adeo clarum, & compertum cuique, nam quod pertinet ad morbum exitiosum, monuit Gal. 1. aphor. 8. non esse sic affectos tenuissimo victu nutriendos, ne euentus rerum nostro adscribatur errori, cum enim quisque è vulgo, cum quibus medicus plerumque versatur, ex euentu res iudicet: quantum præstabit quædam admouere pręsidia in morbo salubri, ita enim laudes naturę in se transferet: tantumdem intelligat sibi detractum iri, si exitiali morbo admoueat manum. Nēpè non in morbi perniciem, sed in medicamenta, ineptè, vt ipsi aiunt, admota, necis causam reijcient, vt propterea præstet solis prognosticis sic affectos relinquere. Contra 10. meth. 10 scripsit, satius esse aliquid vel cum periculo facere, quam omnino spe adempta certo perire, vnde hecticam suscipit curandam.

Non conuenit tenuissimus in morbo pernicioso.

Quod pertinet ad febres pestilentes, excipiunt pari pacto ipsas, præsentem, vel futuram virium imbecillitatem veriti, ob summam humorum corruptelā, & quia cor officina spirituum in febre illa quammaximè patitur. Negant alij, vt Bernardinus Paternus in quibusdam manuscriptis.

Sed quamquam studeant discrepare, vt ab vltimis ordiar, nequaquam discrepāt; isti enim desumpta indicatione à morbo tenuissimum victum probant: illi virium languori timentes crassum laudant, nam potior indicatio, quæ à viribus. Ergo ni reluctetur virtus, eadem victus forma in febre pestilenti eligenda, quæ in acutis, & peracutis; at si languescat, vtrumque enim cōtingere potest, neutrum est perpetuum, vacantes viribus, quarum indicatio potior, nutriemus vberius. Quare quod dicunt quidam febre pestilēti correpros cogendos esse ad cibum, de ijs interpretandum, qui cum sint maxime debiles, nihil tamen assumunt.

Contradictio, quæ in Gal. videtur, nulla est si cum Vgone dicamus, & Thadæo Florentino in expositione eiusdē aphor. exitiosos morbos duplices esse, sunt alij certo exitiosi, à quibus non potest modo aliquo æger euadere, sunt alij non ita certo lœthales, tametsi, vt plurinum sic affecti succumbant: sic vexatis licebit aliquod, facto tamen prognostico, admouere remedium, nam cum contingant quandoque monstra in arte, pręstabit aliquid facere, quam missa omni spe certo perire. Quibus contra omnino moriendum est, nullum prorsus remedium exhibere conueniet, si tamen sint ijdem breui morituri: at si diu sint victuri, pręstabit aliquid, facto tamen prognostico, & cautione moliri: sic damus lac phtysicis, & Hecticis balnea aquæ dulcis, nam fere ad desperationem aguntur infirmi, si se omni remedio destitutos intelligāt.

At dices in morbis vsque adeo exitiosis, sunt vires ita debiles, vt morbum ferre non possint. Quare non erat, cur hos exciperet Galen. siquidem ne Hippocr. quidem his tenuissimum præscripserat victum. Neque erat ratio, cur alij febres pestilentes exciperent; nam si tūc tantum hanc victitandi formam probauit Hippocr. cum potest facultas consistere, non erat cur exciperent pestilentes febres hi medici, morbos quoscumque exitiosos Galen. quando apertè ab Hippocr. aphor. illo excluduntur.

Ita esse fateor, nihilominus quia quæ tanti sunt momenti pręstat inculcare, & pluribus declarare, non est inique ferendum, si quæ Hipp. breui est complexus oraculo, Gal. & alijs placuit, pluribus declarare. Habemus quibus morbis, quæ victus forma conueniat, & an semper.

Nunc,

Nunc, quando huius rei, vt & aliatum omnium, quæ in vsum medicum veniunt quantitas certa præfiniri non potest, sed artificiosa quadam coniectura, vt id consequamur, niti oportet: id autem conijcere est admodum arduum: quænam victus forma tutior, crassa, an tenuis, cap. sequenti dicemus.

Quænam victus forma tutior, crassa, an tenuis. Cap. VI.

Infra subsistit Gal.

TVtius esse infra subsistere, quam plus quam par est dare, voluit Gal. 2. de rat. vict. 37. nam vbi virtus labascit, exhibito cibo, statim restauraaur; at si quis plus ingurgiter, quam ratio postulat, difficilè est tollere, quod iam est absorptū. Contrariam habet sententiam Hippocr. 1. par. aphorism. 5. dicit enim. *In tenui victu, ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc est, quam in paulo pleniori victu. Quare ob id tenuis, & exquisitus victus eo, qui paulò plenior est, magis periculosus existit.* Nec deest pro Hippoc. ratio, nam à victus tenuitate debilitatur virtus: prorogatur à crassitie morbus: est autem minus malum prorogare morbum, quam virtutem prolternere.

Contra Hipp.

Hinc Arabes crassiori indulgent.

Huic rationi, cum multum tribuissent Arabes, semper esse securius ad crassiorem victum, quam tenuem inclinare, dixerunt. Apertè repugnantes Hippocr. & Gal. nam quęrens 2. de ratione victus 37. & 38. vter magis peccet is, qui repletum repler, an qui inanitum euacuat, eum grauius delinquere statuit, qui repletum replet, quod prorsus esset falsum ni omninò tutius esset ad tenuem victū inclinare. Quia verò aphoris. adductus facit difficultatem, & ratio, explicandus ille, hæc dissoluenda.

Et male, non alia mens Hippoc.

Manard. expositio.

Quod ad aphor. putauit Manardus 4. lib. epistol. 2. non docere Hippocr. vter victus sit tutior, crassus nempè, an tenuis, siquidem declaratum ab ipso id fuerat 2. de rat. vict. 38. neque vlla erat ratio, cur idem repeteret; sed illud statuere, vter ęger lędatur granius, is qui in alijs delinquens, tenui nutritur victu, an qui paulò pleniori vtetur: atq; errorem commissum in tenui victu, maiorem censet, quam si quis crasso nutritus, in alijs à victu delinquat.

Triuer.

Distinguit de morbis Triuer. & in longis inquit, tutius est ad crassum inclinare, quam tenuem: in acutis, oppositum credit esse secutius: in morbis enim longis, quod nos maxime angit, timor est, nè in itinere longo deficiant vires, labescantque: in acutis, non à virium defectu timemus, siquidem pauco tempore laturæ sunt morbum, sed ab ipsius morbi immanitate; propterea inspicientes magis illum, quam vires, tenuem probamus victum, quamquam virtutem non contemnamus, cum illum facile ferat.

Aliorum.

Dixerunt alij in aphor. loqui Hippoc. de forma victus: in lib. de rat. vict. de quantitate illius; nempè cum habeamus formam victus, vt tenuem crassam, & victus quātitatem multam, & paucam, duæ poterant quęstiones formari: altera, quid sit tutius, crasso victu languēres nutrire, an tenui, & huic difficultati occurrens in aphor. Hippocr. laudat crassum: occurrens deinde alteri difficultati, vtrum ex duobus sit tutius, multum victus instituti dare, an parum, & id 2. de ratione victus dissoluens *ciborum*, ait, *adiectioni intendendum multo minus*. Excogitarunt alij alia, hæc tamen meliora: mihi optima expositio Triuerij videtur, quamuis alia afferat Iacchin. tract. de acut. morb. curatione.

Possitne victus forma in eodem morbo mutari, & quomodo. Cap. VII.

Asseritur Mercat.

PArtem, quæ negat, quantum spectat ad primam difficultatem, tenet Ludouicus Mercat. primo lib. de indic. med. cap. 1. nec vmquam licere censet, in vno morbo, à tenui trāsire ad crassum, aut à crasso ad tenuem. Probat, quia ab vno, vnum tātum indicatur. Quare vnus morbus, vnicam victus speciem exposcet. Confirmat, quia dato opposito, possemus in quouis morbo, quouis alimento vti quod absurdum; nam etsi nouo accedente symptomate, vt syncope e.g. vinum, quod antea erat interdictum damus, non damus à morbo indicatione desumpta, sed affectui nouo consulentes. Sed certè, aut fallitur Mercat. aut affirmat, quod negat; nam vbi quantitas victus augeatur, victus species mutatur, vnde dicit Gal. 1. aph. 4. *Tenuis victus per pauca, aut parum nutrientia edulia, qualis est ptisanæ succus*. Si quantitatem ergo mutare licet mutare, & formam licebit. Præterea iubet Hipp. vt quando morbus in suo vigore constiterit, tenuissimè tunc nutriamus: quæro modo à Mercato, qua ratione explebit pręceptum Hippocr. & ægrum tenuiter nutritum, tenuissimè nutriet: an minuendo quantitatem? mutata ergo quantitas, victus formam mutat: an mutando formam, & speciem victus? variare ergo hanc licet in vno morbo. Nec conueniet propterea quodcumque alimentum in quouis morbo; nam quamquam hac ratione liceat, consuluit enim fastiditis natura, varietate ciborum, prohibemur tamen id facere, quia non habet quodcumq; alimentū easdem qualitates, quas non minus in

Et reijcitur.

ipso

ipso spectare decet; quam quantitatem eiusdem. Quod si ex eo, um numero quispiam sit, qui cum ne olus quidem citra auctoritatem, velint emere, auctoritatem desideret, non deest Hippocr. qui primo de ratio. vict. 47. dat ptisanæ cremorem, & ipsam ptisanam, & 2. de rat vict. 43. reprehendit quosdam medicos non quia formam victus mutarent, sed quod malè mutarent. vide ipsum.

Proponitur explicandus difficilis Hippoc. locus. Dat secundæ difficultati occasionem Hippocr. nam 1. de rat. vict. à t. 21. vsque ad 25. offert inter initia pleuritis paucam ptisanam, cum vero expuere incipiunt, quod fit in augmento, & statu dat magis, cum tamen in aphor. non solum oppositum docuerit, nimirum in statu, minus esse exhibendum, sed probarit; quia quo morbus est maior, & minus prorogabitur, eo minus est exhibendum; idcirco enim nutrimus, vt vires ferre morbum possint: vnde dicebat Galen. cap. 10. p. ad

Affertur Vallesi. Glauc. *Si per omnem morbum liceret ægrũ transigere absque cibo, id vtique præeligendum esse*. Interpretandus ergo primus locus est, ita enim omnis è medio difficultas tolletur. Quid ergo dicemus? An illud, quod habet Valles. 8 cont. 2. nimirum minus dedisse Hippoc inchoate pleuriti, ad fluxionem inhibendam, quæ in principio maximè timetur, magis in augmento, & statu ad roborandam vim animalem pellentem, quæ vbi materia coqui cœpit, tunc maximè in illius expulsione laborat? nam eamdem ob causam subtrahimus in initio vlcerum, nempe vt inhibeamus humorum cõfluxum.

Auct. opinio. Possem, puto tamen aliter, esse Hippoc. loca concilianda. Dictum alibi à nobis est, vigorem morbi, causæ morbi, & symptomatum, nequaquam coincidere, cum coctionis vigore, nam fieri nequit, vt sit morbus maximus, causa illius cocta, & superata. Quare nullam inuoluent hæc dicta contradictionem: in statu morbi, & symptomatum nutriendũ tenuiter, quia tunc morbus extremos habet labores: in statu coctionis augendus victus, quia coctus est morbus, atque si qui fiunt labores, haud fiunt impetu morbi, sed sunt accidentia, quæ naturæ expulsionem sequuntur. Sed ne quis videns tenuem

Suasio. quandoque victum præscribi à cordatis medicis, inchoante iam morbo, quamquam nulla sit, vel crudatum suspicio, vel fluxionis, secus censeat esse faciendum: hic intelligat, eodem præcepto monitos, tenuissimè primis illis diebus nutriri languentes; nam vt dicebat Hippocr. 1. epidem. com. 3. t. 10. sunt quidam morbi, qui statim ac incipiunt, & vigent, & florent: *Sunt qui incipiunt leniter, augentur vero, & exacerbantur ad certum augmentorum terminum. rursus remittunt ad crisim, vsque, & circa crisim, febricrescunt vero, & exacerbantur secundum singulos dies, circa crisim vero, & simul in crisi abundè elucent*. Semper itaq; in statu morbi, & symptomatum, tenuius nutriendum, quam in principio: sed quoniam status hic symptomatum, non stato semper die elucet, sed quidam morbi statim ac inchoant, ad statum perueniunt: sunt qui mutuas habent excrescentias, & decrescentias, hinc fit, vt quandoque à tenui victu procedamus ad crassum: in quibusdam à crasso inchoantes, ad tenuem procedimus: interdum modo incrassamus, modo attenuamus, prout varia est morbi natura, & conditio.

Obijcies, tota ratio, quare in statu tenuius esse nutriendum concluditur. illa est, quia in statu est morbus validior, quãto autem est morbus vehementior, eo minus dare conuenit; at oppositum verum esse inde constat, quia in statu est materia concocta, in principio, cruda. Quare in principio maior iam morbus, non in statu, ergo tunc oportet attenuare, non in statu. Obiectio.

Expostularet proposita difficultas, vt de morbi maioritate tractaremus, quoniam verò de re hac alibi à nobis est actum, nempè in lib. de morbo dignoscẽdo, vide locum illum, Sol.

De modo vtendi alimento.
Cap. VIII.

Monuit 1. par. aphor. 17. Hippoc. vt quibus semel, aut bis offerre conueniat, consideremus. Vbi ergo actum de quantitate alimenti, de partiendo eodem, quod ad discretam quantitatem spectat, nunc dicemus, & quibus semel, aut pluries cibum dare conueniat, perpendemus. Conatus est Galen. 1. aphor. 17. quatuor conclusionibus rem hanc declarare: prima est, vbi vires languent, & humores sunt pauci, vel corrupti, parum alimenti, & sępè est exhibendum: parum quidem, quia non potest imbecilla facultas multum, & confertim ingestum sustinere: sæpè autem, quia multis indiget dispositio, defectus siquidem adiectione curatur: secunda vbi vires langueant, nec vllum sit vitium in humoribus; rarò, & pauca sunt exhibenda: rarò, quia non est defectus aliquis, & pauca, ne à multis alimentis imbecilla facultas suffocetur: tertia, vbi vires valeant, cũm humorum defectu, aut corruptela, his multos cibos, atque multoties dare expedit; multos, ita exigente dispositione, & multoties, quia virtus concoctrix non repugnat: quarta, si vires sint validæ, & dispositio plectorica, rarò, & pauca offeremus: rarò, quia morbus adiectionem non exigit: pauca, quia habet internum alimentum. Gal. opinio.

Displicuit Mont. Galen. sententia quod Displicuit Mont. has ob causas.

quod fingat, quę fieri nullatenus possunt; quo enim pacto, si succi nullum habeant vitium, virtus languescere poterit? aut quomodo eadem fuerit robusta, deficientibus succis, vel corruptis?

Quæ alij conati sunt soluere.

Conati sunt alij vindicare Gal. atque posse fieri docent, vt virtus langueat, quamquam nullum sit vitium in humoribus, exemplo hecticorum, eorumque qui rectè valentes, ob causam externam facilè incurrunt in syncopem: & quia in plenitudine quoad vires, & quoad vasa languescit facultas.

sed frustra.

At frustra, nam quamquam non sint putres hecticorum humores, non sunt propterea ijdem inculpati, sed pauci, & calidi. Qui animo linquuntur ex gaudio, timore, paucos item spiritus habēt, & admodum tenues: tales autem fiunt ex humorū inopia, aut tenuitate. Qui multis scatent humoribus ijsq; bonis, sunt fateor debiles, oppressione, vt aiunt; at ponit Gal. languidam facultatem, absq; aliquo vitio succorum.

Facessit, & illud non minus Gal. negotium, quod cibum à defectu scribat indicari, plusque esse exhibendum quo virtus est maior; illud enim suis principijs, inconsonum quippe qui semper est testatus, à virtute coctrice cibum indicari, proque eius tenore vario, varium præscribi debere: vnde pueris vere, & hyeme multum, parum senibus dandum esse consuluit. Alterum dictum, quo plus esse dandum monet, quo virtus est fortior, in sanis verum: in ægris, ipsomet auctore prima part. aphor. 4. & 9. falsissimum.

Propterea ita de re, sta decernimus.

Aliter itaq; diffinienda res est, & quando Hippoc. quid faciendum sit, monuit: quo intuendum ne in re hac erretur, tacuit: Gal. quamquam docuerit, non satisfacit, ex rei natura petenda solutio est, illo iacto principio. Siquid absolute spectatum, aliquid indicat, vbi idem per differentiam aliquam contrahatur, specificum aliquid indicabit; vnde quia morbus contraria indicat, poscit frigida febris, quæ est morbus calidus. Indicat in vniuersum, alimentum, vitalis defectus, contraindicat facultatum naturalium languor, vnde ello adsit defectus (ni tamen sit vsque adeo magnus, vt cogat, omnem aliam indicationem contemnere) si facultas naturalis, aut langueat, aut alibi sit occupata, vt in expulsione morbificæ causæ, coctione, retentione materiæ noxiæ, ne ad partem aliquam nobilissimā repat, nequaquam dabimus, sed vel omninò abstinebimus, vel parum quid indulgebimus. Hinc quoniam in paroxismo maximè est occupata naturalis facultas, occupata est pariter in morbi vigore, & morbo quocumque peracuto, qui statim extremos inducit labores, propterea abstinebimus in paroxismo, & antequam inuadat paroxismus: abstinemus in morbi vigore, & affectu quocumq; peracuto: aut si omninò abstinere per vires non licet, tenuissimo victu nutriemus. Idem faciendum esse cum languet ventriculus, nullus est, qui non fateatur. Et quidem rectè, enimuero idcirco alimentum porrigimus, vt emendemus defectū; tolletur hic vero, cum naturalis facultas & expedita est, & ita robusta, vt alimentum assumptum concoquere possit. Demus languere, aut alibi esse occupatam? aut nullo modo concoquet, aut difficulter. Ergo aut nullo modo deperditum restaurabitur, aut loco probi succi, multa congerentur excrementa, quæ super ingesta morbosæ causæ, morbum reddent maiorem. Proinde concludere iuuat, indicari cibum à defectu, coindicari à facultate naturali robusta, & expedita. Contraindicari ab eadem languente, & impedita. Vbi itaque, frequenter, & passim facultates deficiant, præsertim vero vitalis, in huiusmodi morbis frequenter nutrire oportet, plusque minus vna vice dare pro robore naturalis virtutis. Ergo quando pueri, decrepiti, raro corporis habitu præditi, temperie calidi sicci, natura biliosi, æstatis tempore, degentesq; in regione calida, & sicca frequenter deficiunt, eorumq; virtus tametsi robusta videatur, non perseuerat talis, sed cadit, deficit: dandum frequenter, præsertim si ita nutriti sunt consueti. Idem discrimen cum immineat in morbis quibusq; venenosis, & malignis, præstabit in his pariter, frequenter cibum porrigere. Idem seruandum in languore ventriculi, nam si multum vna vice affundas, suffocabis calorem: das parum, & rarò: exoluetur corpus. Vt itaque simul consulamus defectui, & imbecillitati ipsius stomachi, dare parum erit ex vsu, & frequenter. Eadem ratio cum habeat locū in ijs, qui ventriculum ita habent angustum, vt non nisi pauca semel ingerere possint, pauca erunt ijsdem concedenda, & frequenter si virtus deficiat; sin minus rarò.

Contra vbi raro occurrit defectus virium, sed actu valent, nec timemus earū collapsum, quinimo speramus futurum, vt valentes perseuerent, in hoc casu parum, & raro dare oportet; enimuero, vt primo de arte curat. ad Glauc. perbelle docuit Galen. cibum in morbis damus, formidantes virtutis defectum. Quare si seruari eas posse speramus absq; omni cibo, nullum dari conueniet, ergo cum robusta est facultas, rarò, & parum expediet dare. Hoc modo partiendum esse alimentum potest facile, ex Hippoc. suaderi; est enim ipso authore ieiunium ijs imperandum, qui illud facilè ferunt. Neque enim satis est remedium indicari, quo admoueatur, sed & tolerari idem

vsq;

vsq; adeo necessarium est, vt reclamante virtute, quæuis alia indicatio, tamquam minus digna cedat. Quamobrem, quia pueri, præsertim vero viuidiores, difficillimè ieiunium ferunt, minus difficulter iuuenes, facillimè senes, idcirco hos rarò cibat, illos frequenter, & sæpe. Ergo cum eadem ratio locum habeat, in quouis alio, qui ita affectus est, vt facilè facultates fatiscant, habeatq; analogiam ad pueros, & decrepitos, vt pueri frequenter, & decrepiti, ita erunt ijdem frequenter cibandi, rarò alij, qui contrario modo, ac pueri sunt affecti. Qui verò ob defectum frequenter cibum exposcunt, si simplicem succorum patiantur defectum, simplici debent cibo, puroque nutriri: At si succos habeant, sed ad nutriendum ineptos fortasse, quia praui, & corrupti, sunt hi quoque frequenter cibandi, nam defectus, probi succi adiectionem exposcit: non debent tamen pura alimenta porrigi, sed ea eligi, quæ cum nutriendi virtute facultatem habent medicamentosam adiunctam, alioquin impuritatem ales, corpus nequaquam reficies, quippe qui æternæ veritatis est aphor. ille, *non pura corpora quanto magis nutries, magis lædes.*

Quando plus exhibendum ægrotantibus, noctu, an mane. Cap. IX.

FRequenter quandoque nutriendos esse ægrotantes supra diximus, ergo fateamur necesse est, cœnare eosdem, & prandere. Quod cum fieri bifariam possit; possunt enim prandere parum, cœnare multum. Possunt contra prandere largius, cenare parum, vtrum expediat facere declarandum. Ergo erit quæstio, debeat ne cœna ægrotantium esse maior prandio: ægrotantium inquam, nam quid facere debeant, qui bene valent, est alterius negotij. Ne tamen in æquiuoco laboremus, aduertere placet circa titulum, non sumi à nobis cœnam, quemadmodum antiqui eam sumebant, qui cœnam vocabant, quod nos prandium, sed nomine cœnæ intelligimus vesperinam, hoc est cibum vesperi sumptum, & in ea significatione, qua communiter omnes sumunt illam, nimirum pro cibo sumpto vesperi. Itaque est difficultas, esto ægrotans aliquis debeat bis in die cibari, post meridiem: voco hanc cibationem prandium, & vesperi, dicetur hæc cœna, vt more nostro loquamur: Peto modo, vtrum conueniat magis, parum meridio dare, vesperi magis, an debet contra cœna esse largior prandio.

Exponitur titulus.

Asseritur quorundam opinio.

Multi plusquam ratio postulat consuetudini tribuentes, hanc esse contendunt religiosè seruandam in hoc casu: Quare docent, si qui ægrotant, parum consueuerant prandere, cœnare multum, plus esse cœnaturos, quam pransuros: si contra aliter assueuerint, contrarium laudant, voluntq; vt multo plus prandeant, quam cœnent.

Istis assentiendum non esse pro comperto habeo. Nam quamquam multi faciam consuetudinem, est enim veluti altera natura: quo fit, vt mutari, absque aliqua ægri querimonia, non possit, est illa tamen mutanda, in morbis præsertim grauioribus, alioquin, nec victus quantitati esset quidquam detrahendum, non indaganda qualitas alimenti calida frigida, prout varia est natura morbi, non demum liceret, aut sanguinem mittere, aut expurgare ægrotantes. Quod si mutare eam licet, neque tanti est indicatio, quæ ab ea desumitur, vt nos ociosos esse omnino permittat, vtrum facere expediat declarabo.

Reijcitur.

Statuo itaque primum in morbis habentibus periodum, seù per circuitum affligentibus, qua hora vrget ille magis, aut nihil tunc temporis dandum, & multis horis ante abstinendum, vel si virtus id ferre nequaquam valeat, parum porrigendum. Erit itaque modo parcior cœna exhibenda, modo largior, prout modo noctu morbus magis affligit, nunc die acrius vexat. Habetur hæc sententia expresse apud Hippocr. primo aphor. 11. 19. eiusdem, & est communiter in scholis recepta.

Et propria afferitur.

Dico secundo in morbis qui semper affligunt æqualiter, consuetudo seruanda, & ea hora plus dandum, qua plus æger comedere per bonam valetudinem consueuerat.

Ex his infero tria, quibus vniuersa difficultas de prandio, & cæna in morbis dilucidatur, primum est, non esse permutandam victitandi consuetudinem in morbis solutæ vnitatis, quantitatis auctæ, imminutæ, situs, mala formatione. Deducitur ex secunda conclusione, nam æquo semper modo hi morbi affligunt. Idem dictum puta de intemperie simplici, vt febre hectica, & homotona. Infero secundo cum affectus vim concoctricem ventriculi labefactantes, die vigeant magis, noctu minus: contra, qui distributionem alimenti oblædunt noctu vrgeant, die sint mitiores; nam veluti somnus iuuat coctionem, sic promouet distributionem vigilia: plus dandum erit noctu laborante vi coctrice ventriculi, nam cœnā excipit somnus, in prandio minus. Contra, vbi distributio malè obitur, quia viæ sunt impeditæ, plus erit prandendum, cœnandum contra parcius, vt optime animaduertit Valles. 6. cont. c. 7. quòd si vtraque actio sit oblæsa, cœnet hic multum, tempestiuè tamen, ita vt non cogatur, mox somno se tradere, sed possit lente

te deambulare: ita enim vtrique vitio commodè occurremus.

Catarrho affectis noctu, in die plus dandum.

Infero tertio, cum destillationes noctu potissimum vrgeant, catharrum patientibus, aut nihil, aut parce cænandum esse. Est communis, & expressa Auic. vnde in curatione epilepsiæ, ait, *vbi semel refici consuetudo non tolerat, diuidat cibum suum in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cœna*. Negant nonnulli Rasis, & Gal. auctoritate ducti qui puero epileptico tertiam panis partem dant in prandio duas reliquas in cœna: & quoniam noctu calor naturalis ventriculi viget, necnon hepatis. Quare aut nulli halitus fient, aut quam paucissimi; geniti, ad cerebrum penetrare non poterunt, adstrictis viis à noctis frigiditate: elati demum ad cerebrum vsque, mox discutientur, cum valeat tunc temporis calor cerebri, vt ventriculi: concludunt proinde, sic affectis dandam esse cœnam largiorem. Ita Curtius, Paternus, Odus de Odis peculiari de re ista tractatu, & Bras. tractatu de simplicib. ac si in cibi partitione, sola vis concoctricis pendenda esset, morbus contemnendus, nec spectandum quid ille permittat, quid prohibeat. Quod si id censent, cur largiorem ijs cœnam non præbent, qui mox à cœna febre corripiuntur? certè nulla diuersitas fingi potest; nam quod dicunt catarrhum noctu nequaquam vigere, abundè experientia reijcitur: neq; aliud ratio adducta suadet: nam & si in vigilia gignantur pari pacto vapores, cum sint tunc temporis meatus cutis aperti perspirant, detinentur contra in somno, feruntur ijdem ad cerebrum in somno magis, nam neque vis in somno quouis obstruuntur, neque omnes, patent enim venæ, & arteriæ: nec si essent omnes impeditæ, ita impeditæ sunt, vt assurgentibus halitibus nullus aditus pateat. ferun tur itaque, & in cerebrum irruentes catarrhum inducent, augebunt. Aut nulla itaque, aut exigua cœna ijs permittenda, qui destillatione, aut consimili cerebri affectione laborant, & iuxta sanum Auic. consilium Pauli, Actuarij, & aliorum, *vbi semel refici consuetudo non tolerat, diuidat cibum suum in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cœna*. Quamquam neque Gal. puto discrepare sed Auic. & alios præscripsisse victus rationem, vi naturaque affectus in vniuersum spectata, qui cum noctu frequenter inuadere soleat, inuasionem cauentes, exiguam cœnam porrigunt: Galen. victus rationem præscripsisse epileptico puero, qui die fortasse, epileptico insultu infestabatur: aut Galen. curasse epilepsiam ventriculi malè coquentis consensione excitatam: Auic. & alios, epilepsiam proprio cerebri vitio productam: nam quod Vallesius ait, oblitum esse Galen. indicationis quæ à morbo, vel spurium esse librum illum, tacita quædam Galen. aut alterius authoris reprehensio est, non excusatio. Nec placet Costæus, qui in annot. super Auic. ait, id à Gal. scriptum eam ob causam, quia Romanis antequam adulesperasceret, cænare erat in more, nō æstate tantum, sed hyeme, vt aptè probat Cagnat. primo variar. cap. 17. postquam vesperauerat Græci, vt monstrat Gell. 12. cap 8. Itaq, facile poterant Romani, in multas horas à cœna vigilantes, dissoluere vapores, qui à cibo mox sumpto attollebantur ad caput, vnde & vitare discrimen imminentis epilepsiæ à capite plus iusto repleto: non poterant Græci mox dormituri à cœna; proinde rectè vtrique consuluere, nam Galen. Romanis scribebat Græcis Auicen, etenim Atheniensis erat puer ille epilepticus. Quare Græcus: neque Auicen. Græcos dumtaxat consuluit.

De qualitate alimenti. Cap. X.

Contraria morbo, tempe rei similia, omnes exhibent.

Diximus, quid quantum, & quomodo exhibere conueniat, de qualitate alimenti agendum modo. Cum corpus morbo affectum, medicus curandum suscipit, in eo totus versatur, vt adimat morbum, quod cum assequi nequeat ijs, quæ secundum naturam nō seruatis, duo sibi facienda proponit; seruare naturalia, præter naturam de medio tollere: cumque naturalia seruentur vsu similium, præter naturam contrarijs abigantur, illa qualitas erit illi eligenda, quæ seruet temperiem, hoc est temperiei sit similis morbo, & causæ morbi contraria. Docuit hoc apertè Galen 1. par. aphor. 16. nam tradens rationem, cur victus humidus commendetur in febribus, & maximè pueris, & ijs, qui tali victu vti consueuerunt, *quia*, inquit, *in his, quæ præter naturā, contrarias: in ijs autem, quæ secundum naturam, similes indicationes facere oportet: Febri, quoniam calida, & sicca passio est, enim natiuæ caliditatis conuersio ad igneam naturam, victum humidum consuluit: humidioribus vero naturis, siuè propter ætatem, siuè propter consuetudinem, non contrariam, sed magis affinem, seruandam statuit*; *oportet enim, naturam fouere per humida, non eodem, quo morbos modo demoliri*. Addit in hoc commenti: si duo morbi simul eumdem vexent, vt febris, & hydrops, non esse à præcepto posito recedendum; quoniam verò non erat facilè id consequi, quia hydrops calida, & sicca requirit, quæ augent febrem: febris frigida, & humida, quæ augent hydropisim, monet, vt illi vacet medicus, quod magis vrget, altero nō neglecto. Ergo si vrgeat febris, humidū cibum, & frigidum eliget medicus: contrarium, si sit febris exigua, hydrops, quā

maximè infestet. Idem obseruandum, cum causa febris, alia quam febris requirit: nimirum vacabit illi semper, quod magis vrget. Quare vbi magna est febris, frigida exhibeat alimenta, & humida. Vbi hæc exigua, humor crassus frigidus, excalfacientia: cum hoc modo res in quartana se habeat, vtuntur medici in quartana curanda semper calidis: quamuis perquirens Aristot. 1. sect. probl. vlt. *Propter quid in quartana, oportet ignem addere, quia* inquit *paruus ignis, qui est in quartana, est enim febris quartana imbecilla, à maiori alimentorum exercitij, & balneorum calore extincta, quemadmodum multus ignis, modicum illud quod est in lucerna, ad se rapit.*

Quod planè in temperatis corporibus, in intemperatis dubium.

Id ita faciendum, cum temperatus febricitat, negabit nullus; nam temperata alimenta, possunt hominis temperiem seruare, & febrem abigere; media enim ad extrema collata, habent rationem extremi: quid faciendum in intemperatis, vt cum e.g. calidus, & siccus febricitat, hoc dubium: nam si febri vacantes, exhibeamus frigida, & febrem, & temperiem expugnabimus: si à conseruatione temperamenti, indicatione desumpta, calida porrigamus, & sicca, non obseruabimus aliud præceptum, quo contraria morbo offerre monemur, vnde neque febris tolletur; nam calida, & sicca conseruant ipsam.

Nam quidam frigida exhibent febricitanti, sua natura calido, quia intemperata à contrarijs conseruantur.

Eligunt propterea quidam, frigida, & humida, quia his febris abigitur, & corpus calidum, & siccum seruatur; siquidem intemperata corpora, non à similibus, sed à contrarijs benè afficiuntur: vnde calidum cor, à frigido aere conseruatur: frigidiori, calidior est ex vsu. Probant id, nam 3. aph. 3. Gal. *Calidas naturas, hyeme benè se habere, æstate frigidas, propterea quod contrarij morbi, & ætates, ad contrariam victus rationem benè, similes ad similem malè habent;* & 1. epidem. comm 2. t. 7. dans rationem, cur non omnia corpora æque afficerentur, cum vniformis esset conditio temporis. *Quoniam*, inquit, *corpora quæ contra sunt, ac aer temperata, cum nullam iniuriam accipiunt, tum verò multò efficiuntur meliora, cum ab excessu vindicantur, contraria enim contrariorum sunt remedia.* Cæterum, quia videbant Galen. vbique locorum dicere, similium vsu fieri conseruationem, exponunt Galen. de similibus potentia, non actu, vocant autem similia potentia, non quæ communicant qualitate cum corpore intemperato, sed quę vim habent conseruandi illa. Quemadmodum itaque, homo regijs moribus imbutus, Rex vocatur: sic qualitates, quæ intemperata corpora conseruant, dicuntur esse similes corporibus, quia illa conseruant, quamquam sunt contrariæ.

Refertur hæc opinio à Christophor. Aueg. & rectè meo iudicio reijcitur. Nam si fieret conseruatio à contrarijs actu, similibus verò potentia, non differrent à causis reducentibus conseruãtes, nam vt ad seruandum corpus calidum, e.g. vt vnum, non indigemus alimento calido, sed frigido, vt vnum, sic ad mutandum idem, & corrigendum, frigidis, vt vnum vtemur.

Sic malè, nam si contraria seruant; non different hæc à reducentibus.

Dices, vbi calidum corpus, vt vnum seruare volumus, semifrigidos cibos eligemus: cum permutare est animus, frigidis, vt vnum vtemur: conuenient itaque conseruatrices causæ, & permutantes qualitate, gradu different. Qua ergo ratione à præseruantibus modo conseruantes distingues?

Hinc alij nũquam seruanda esse hæc corpora contendunt.

Dixerunt propter hæc alij, intemperata corpora, numquam esse seruanda, sed corrigenda semper, & ad naturam meliorem ducenda. Ita Turis. 3. art med. t. 20. Arg. & Christophor. Aueg. & alij multi. Qui non placent, quia apertè à Gal. recedunt, vt patet ex ijs, quæ scripsit 3. art. med. 23. Cum enim supra dixisset, posse corpora lapsa, & in eodem statu conseruari, & ad frugem meliorem reduci subdit, *est autem vtriusque apud medicos vsus necessarius*: quandoque ergo seruari, quandoque emendari vult Gal. Nec corrigenda hęc semper, quia discriminis plenum conseruate eadem, & corpori e.g. calido, calida exhibere alimenta; nam multa habent discrimen adiunctum, quæ tamen, ad vitanda maiora incommoda medici iubent facere, vt extremæ euacuationes, sunt inimicæ naturæ auctore Hippocr. & tamen idem monet, vt quandoque ad extremum vsq; vacuemus, quia extremis morbis extrema sunt exhibenda remedia. Proinde illud ex dictis sequitur, intemperatorum conseruationem, non vacare discrimine, ac propterea esse moliendam cautè, & tunc temporis, cum nihil eam fieri prohibet; neque enim credendum est Galen. in ea fuisse sententia, vt voluerit, posse seruari corpora vsu contrariorum, sed quoniam videbat arduum admodum esse, illud noscere, quo gradu est Sorres calidus, aut siccus, vt alimenta eodem gradu calida, sicca illi exhiberentur, tutiorem fortasse viam sequutus dixit, intemperata corpora regenda esse contrarijs, quia contrariorum vsu seruantur, non in propria temperie, sed sanitatis; quamquam non est cur timeamus, ne vsu similium intemperata, corpora in morbos incurrant, quando inter similia qualitate, & gradu, nulla actio intercedit.

Aperté à Gal. recedentes

Quo factum est, vt alij limitarint, & quidam frigida, aut calida semper corrigunt: humida, & sicca seruant.

Quid ergo? exhibemus ne calido corpori calida alimenta? sunt qui dicunt, intemperata corpora ad calidum, vel ad frigidum, semper esse mutanda, & corrigenda: intemperata ad humidum, vel ad siccum seruari debere. Dicunt alij, parum

rum lapsa seruanda esse, mutanda, quæ multum à corpore temperato recedunt; trahit quisque Gal. in suam sententiam, ac primi adducunt cap. 3. 6. de sani tuen. vbi hæc habet, *Fiunt autem, & qualitate conuenientia, si temperamentum seruare velis humidis naturis, humectantibus cibis quadrantibus, siccis verò siccantibus; sin autem commutare, contrarijs: in ea autem, quæ est in calido, frigidouè conuersione, contrariorum exhibitio congruit: efficacissimæ enim sunt hæ, & vt quispiam dixerit, potentiores ijs, quæ in siccitate, & humore sunt intemperiebus: facilè ergo similibus nutrimentis in morbidam intemperiem venient*. Adducunt auctores secundæ sententię tex. 20. 3. art. med. qui sic habet, *atque si quod ab optima constitutione defecerit corpus, non autem quam multum, & quæ ipsius sanitatem causæ conseruant, ad proportionem mutabuntur*.

Qui neque Gal. doctrinæ consentanea scribunt.

Sed est sententia contraria doctrinæ Galen. nam cum 8. met. 9. docuisset curare diariam in corporę intemperato, atque insuper docere vellet, quo pacto esset eadem curanda cum corpus calidum & siccum affligit, hęc scribit, *Reuertamur rursus ad intemperatam naturam, nam quoniam ea, sicuti in lib. de sanit. tuend: est proditum, licet & quales accepimus seruare, licet & ad melius transferre, satius arbitrer est, cũ planè valent, nõ cum ægrotant, aut de se queruntur, victus illius rationem mutare, gaudent enim natura consuetis semper*; neque huic contrarium est, quod sexto de sanit. tuend. habetur; non enim calida corpora, aut frigida semper mutare consulit, sed docet, non esse ita tutum seruare illa, vt humida, & sicca.

Statuimus ergo febricitanti calido, minus frigida esse exhibenda è morbo indicatione desumpta.

Dabimus ne ergo febricitanti corpori calido, & sicco, calida alimenta, & sicca? minimè verò, sed tantò minus frigidis vtemur, quantum est æger natura calidior; enimuero debet esse remedium morbo proportionatum: nũc multo minus recedit homo calidus à naturali statu, vbi febricitat, quam frigidus. Quare minus frigida dabimus calido, quam frigido. Magis ergo refrigerandus senex febre ardente laborans, quam iuuenis calidus eadem correptus, si recessum dumtaxat, & magnitudinem morbi, attendamus: quoniam verò, nedum, quod morbus indicat, sed quod ferré æger possit, contemplari debemus, cum calor pusillus senis non possit alimenta, valdè frigida coquere, possit iuuenis: refrigerabimus parum senem, liberalius iuuenem: & quandoque plusquam morbus postulat, ob duas causas. Prima est, ratione consuetudinis; nam cum rarò accidat extremè intempetatum hominem, non assuescere contrarijs, & consuetudines actu ægrotantium, non sint mutandæ, indicatione desumpta à consuetudine, erimus in frigidorum vsu quandoque largiores. Altera ratio sumitur à promptitudine, quam hi habent, vt in extrema mala, per morbos similes incidant: vnde quemadmodum in morbo, nondum magno, futuro tamen magno, & sanguinem mittimus & purgamus: & in vlceribus pudendorum validioribus siccantibus vtimur, quam in vlceribus capitis, & ossium, quia periculum est, ne ob multas sordes, partes istæ putrescant: haud secus, largius refrigeramus iuuenem, febre ardente correptum, quam vel decrepitum, vel senem, non tam præsentem murbum curãtes, quam futuro occurrentes, & satisfacientes consuetudini.

Quamquam frequenter secus faciamus, vel seruientes infirmi consuetudini, vel futuro occurrentes.

Aliæ ciborum differentiæ proponuntur, & quinam cuiq; conueniant, declaratur. Cap. XI.

VT rectè victus ratio administretur, nedum videre oportet, quibus calidum alimentum conueniat, quibus frigidum, quibus siccum, ex vsu, quibus humidum commodum, sed differentijs omnibus perlustratis, qui cuique affectui conueniant, declarare; nam cum cibus non parum mutetur has ob causas, imminuta erit disputatio de qualitate alimenti, nisi ista addantur. Quamobrem, cum sint quatuor genera alimentorum: primum est eorum, quæ terra producit, cuiusmodi sunt herbæ, radices, fructus, semina tubera, fungi: secũdum ciborum genus sit, animal omne, seu terrestre, volatile, aut in aquis degens: tertium sit, animalium partes, seu internæ, seu externæ. Postremum sint, ea omnia, quæ ab animalibus prodeunt, vt oua, lac, butirũ, serum, caseus, mel, sanguis: sint item hęc omnia, aut pura alimenta, aut medicamẽtosa, & vnumquodque multiplex, cito nutriens tardè, multum, parum: hoc item duplex, vel sua natura parum nutriens, vel per accidens: nimirum, quia pauca eius quantitas assumitur, vt exigua e. g. portio carnis, parum nutrit, multum verò, magna copia herbarum: medicamentosa item sint multiplicia, calida, frigida humida, sicca: incrassantia, attenuantia: incidentia. abstergentia: aperientia, adstringentia: vnumquodque demum triplex liquidum, molle, durum; discutiemus modo, quæ cuique conueniant, quod, vt paucis absoluam, mox statuo, alimenta medicamentosa, quantum optimè sanis inimica, tantumdem expedire morbosis, & quantum fugienda sunt ea, quæ suggerit terra, à sanis; nam exiguum præbent alimentum, serosumque, & humidum: tantumdem, sunt amplexanda ab ijs, qui acuto morbo potissimum tenentur, & calido. Vtrisque noxia animalia, quæ in aquis degunt; non parum gignunt alimentum, pituitosum, & aptũ pu-

Quibus cibi medicamentosi vtiles, quibus alimenta quæ à terra.

animalia, quę in aquis viuosa aerea commoda.

putrescere: vtrisque volatilia commoda, terrestria, & ea, quæ ab ipsis prodeunt; vt oua, lac, butirum, caseus recens potissimum. An partes eorumdem, vt pedes, capita, hepata conueniant, mox dicetur.

Qvibus parū, multum cito nutriens mul tum. Dentur citò nutrientia, cum spiritnū refectione est opus: crassa, cum solidæ partes, sunt reficiendæ, & ventriculus est igneus. Parum nutrientia, conueniunt senibus, multum iuuenibus, pueris. Parum ociosis, quæ nutriunt valenter, porrigenda exercitatis: eadem diuturno morbo correptis, quæ nutriunt parum, acuto detentis, & vtsupra statuimus ex Auicen. fen. 4. 1. doc. 5. c. 1. vbi magna est appetentia, cum copia crudorum humorum in venis, tunc multa exhibenda; vt satisfaciamus immoderatæ appetentiæ ventriculi, exigui tamen alimenti; ne crudi fucci copioso cibo exhibito, multique alimenti, nimium in modum excrescant: at vbi languet appetitus, ea tunc porrigantur, quæ quamquam copia exigua, multum nutriunt, vt oua gallinarū, testes gallorum, & alia huiusmodi.

Crassantia. Conueniunt abstergentia, quoties crassi succi, atque tenaces, sunt præparandi, incrassantia, vbi tenues fuerint, hac illac mouentur, & in varias partes delabūtur; hinc in diarrhæa, dysenteria, podagra, laudant medici pedes vitulorum, vervecis, oua tosta, & alia huiusmodi mille.

Aperientia Conueniunt aperientia in viarum adstrictione: in laxitate earumdem, adstringentia: sic vbi menses non fluunt, aut imminuté, laudant medici semina melonum, petroselinum, fœniculum, asparagos, vina alba tenuia: vbi sunt immodici, vina austera, adstringentia, pastillos, assa.

Liquida. Quando autem liquida, mollia, dura consistentia expediant, ad hæc quatuor respiciens, addisces ætatem, consuetudinem, partem, & affectum: spectanda primum ætas, nam puellulis teneris, liquida molliaq; conueniunt, vnde 1 aph. 16. *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, maximè vero pueris, & ijs, qui tali victu vti, consueuerunt*. Ex quibus verbis vltimo loco adductis, constat, consuetudinem quoque esse conseruandam. Considerandа tertio natura affectus; proinde vide, an sit intemperies, an morbus in mala cauitate, an in magnitudine aucta à fluxione; nam intemperies sicca, aut calida, gaudet liquidis: solidis humida frigidaque: morbus in cauitate adaperta, adstringentia poscit crassaque, adstricta cauitas, liquida. Tumor à fluxione, desiderat solida, atsi à partis congestione idem fiat, vel quia non coquit, aut quia excrementa non expurgantur, erunt liquida ex vsu. Consideranda demum pars affecta, nam si inflammata sit facies, aut maxilla recessit à suo loco, si moueantur dentes, deficiant, nequaquam solida conueniat dare; nam aut non poterunt conteri, aut si coneris atterere, multa ex motu ad partem dolentem attrahentur, aut dentes delabentur. Quid si ventriculus, non bene se habeat? Vide an coctrix eius langueat, an retentrix; nam si illa non valeat bene, conueniunt liquida: si multus sit calor in illo, dura, & solida. Eadem conueniunt, si fuerit imbecilla retentrix. Declararem id plurious, & facta inductione in alijs affectibus particularibus, sic esse nutriendos ægros, suaderem, ni hæc ita esse conspicua arbitrarer, vt ociosi hominis esse putem, plus temporis in re ista conterere.

Simplex ne cibus, an varius eligibilior. Cap. XII.

Quæ cibum simplicem commendent. VArium cibum, hæc commendant, varia temperies partium, & instinctus naturæ; ferimur enim sponte ad varia ciborum genera: Bruta quoque pascuntur herbis, & omni feminum genere: non potest autem nocuum esse illud omne, ad quod natura impellimur, alioquin matertera esset, & non mater.

Quæ damnet. Damnat Philos. nam prima sect. probl. 15. affirmat cibum varium esse morbosū: damnat eumdem Virgil. vnde miratur corripi peste Bruta, quę simplici nutriūtur cibo, ac si varius tantum posset morbos inferre, ait itaque

Atqui, non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.
Frondibus, & victu pascuntur simplicis herbæ.
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu.
Flumina.

In eadem sententia fuit Plinius lib. 11. cap. 13. *homini*, inquit, *cibus vtilissimus est simplex: aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora*. Simplicem demum cibum commendat ratio; nam qui varia ingurgitat, coquet alia citius, alia conficiet tardius. Quare vel hæc vna cum primis inconcocta extrudentur, aut si tamdiu detineantur, quousque coquantur, postremo loco assumpta, adurentur. Præterea ex varijs cibis, varij gignuntur humores, & contrarij. Quare excitabūt in corpore tumultum. Horat.

Variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit: at simul assis,
Miscueris elixa, simul conchilia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum.
Lenta feret pituita: vides, vt pallidus omnis
Cæna desurgat dubia.

Hinc Antiphanes Delius dixit, vel solam ciborum varietatem, esse causam mor-

morbotum, & Senec. *Multos morbos multa fercula fecerunt, variusque ex discordi cibo morbus est : innumerabiles esse morbos non miraberis, si coquos numeras.* Quid sentiendum?

Dubitatio. Vt video, qui dubias cœnas probant, has inquam, in quibus dubitas, quid sumas potissimum, quid reijcias, gustui fastiditorum indulgent : qui laudant simplicem, continentiæ patrocinantur, ac si ex ciborum varietate, necessariò titillante gula plura infarcire cogamur. Ergo si qui è multis varijsque alimentis, tantum sumat, quantum coquere potest, & palato hic consulucrit, & valetudini; nam quę damna commemorantur ex lautis cœnis, non tam ciborum varietate fiunt, sed quia plusquam par est, alliciente gula, ingurgitatur. Ægrotis ergo, qui fastiditi sunt, nec facilè cuncta, gustare valent, varia, vt Asclepiades monuit, sũt offerenda, *Vt paulum è singulis degustando fastidium superet*: quo circa non prohibet Hippocr. lib. de intern. affect. 2. de morb. & alibi, quo minus cum pane, comedantur olera, carnes, pisces, & poma, & lib. 3. de salubr. diet. cap. 6. hæc leguntur, *Quorum alui, non probum transitum habent, illis omnibus conducet, vt sæpè die comedant, & omnigenis edulijs, & obsonijs varijs modis præparatis vtantur, vinumque bibant duplex, aut triplex.* Quod si à varijs cibis, adhuc times, ne tumultuent, eaque mala inuehant, quæ ostentatricis continentiæ fautores, aduersus amænam, & comem appetentiam insusurrarunt : scito varietatem ciborum probari, contraria alimenta nequaquam. At si cibandi non sint fastiditi frugalem commendo victum, simplicemque, nec propterea despicio variam temperiem partium ; nam quamquam alimenta homogenea esse videãtur, habent tamen adhuc varias partes, ad nutriendum corpus accommodatum.

Sitne ordo aliquis in cibis assumendis seruandus. Cap. XIII.

Nullum seruandum esse ordinem, quidam existimarunt has ob causas. DAT huic dubitationi occasionem, præcedentis difficultatis decisio: nam statutum, varium quandoq; cibum, ægrotanti esse exhibendum, & quia non vna de re ista sententia ; quidam enim negant, affirmant alij: mouentur illi, quia in ventriculo sunt duo oscula, supernum nempè, & infernum; illud latum, vt facilè exciperet cibum omnem, potumque: infernum angustius, ne inconcoctum quidquam laberetur: hoc cibo assumpto concluditur, quemadmodum vterus excepto semine. Quare velut iste non recluditur, antequam fœtus ita sit absolutus, vt sese in lucem prodat : sic numquam os infernum ventriculi laxabitur, ni cibus in chylum fuerit mutatus tertio de nat. fac. cap. 4. Quare nil referet, primo ne, an postremo loco, quidpiam recipiatur. Ni dicere placeat, adstringentia, si postremò sumantur, conferre multum, tum vt fælicius coctio à constricto ventriculo celebretur, cum ne confertim fiat vaporum, ad caput elatio. Rem ita se habere docet apertè Galen. 2. aph. 18. 3. de natur. facult. 7. & alibi; dicit enim ventriculum, id quod in cibo est optimum, paulatim ad se trahere, & in tunicis suis reponere, ijsdemque adiungere; vbi verò est abundè saturatus, quidquid reliquum est nutrimenti, veluti onerosũ reijcere: nutritur ventriculus chylo, nũquam ergo os infernum recludet, ni vniuersus cibus in chylum sit mutatus.

Qui probant, mouentur grauissimorũ hominum auctoritate; nam lib. 2. de dięta iubet Hippocr. vt ad somnum conciliandum, exhibeamus à cœna coriandrũ, & 2. de morbis, loquens de morbo regio iubet ægrotum vti cibis subducentibus aluum, post cibos, albo cicere. Apud Lacedęmonios scribit Cicero 4. Tuscul. ius quoddam nigrum, cænæ caput fuisse. Celsus ait, *cibus à salsamentis incipiat* : lactucam postremo loco comedebant antiqui, vnde Martial. — Contrarium placuit alijs.

Claudere, quæ cænas, lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras incboat, illa dapes.

Quo pertinet quoque illud Moreti

Grataq; nobilium requies lactuca ciborum.

Quamquam, id postea in desuetudinem iuisse videtur ; nam esu malorum claudebant cęnam, vnde prouerbium *ab ouo vsque ad mala.* Dicit demum Dioscorid. raphanum à prandio assumptum, cibi distributionem iuuare, ante cibum, suspendere: scribit idem, discuti crapulam brassica, à cibo sumpta : addit Plin. antecedente caueri. Galen. demum inter causas læsæ coctionis, ponit malum ordinem. Quid asserendum? Si loca adducta exactè perpendantur, probant citati omnes auctores, in alimentis medicamentosis, esse aliqualem ordinem seruandum; nam Hippocr. ad somnum conciliandũ, dat coriandrum à cœna: eamdem fortasse ob causam, comedebant lactucam à cęna antiqui : humectat enim refrigeratque, quo nomine soporem conciliat : aut in fine cœnę, non in proemio edebant, quia insito frigore, ebrietatem retundit, vt ex Athenæo colligitur, quamquam alij velint, notari ijs versibus antiquorum temperantiam, qui cœnam, sola lactuca, quæ faciliter, absq; igne apparatur, terminabant: postea blandiente, & titillante gula, est lactuca principium cęnę: Dioscor. vtitur brassica ad crapulam discutiendã, raphano ad distributionem alimenti iuuandam : nec aliam ob causam commendamus adstringentia à cibo, nisi ad coctionem promouendam, & inhibendam vaporum

Quod certus in alimentis medicamentosis. Cur a cœna lactucam comedebant Antiqui. Adstringẽtia à cibo cur prosint.

porum

porum elationem ad caput. Solus Galenæ ne dum in alimentis medicamentosis, desiderat ordinem, sed etiam in puris alimentis, quod ita receptum est hodie, vt si quis asserat contrarium, rerum penè omnium rudis habeatur: adeò verum est, nihil esse superstitiosum, quod si iuuare dicatur, non amplectantur omnes, tanta est vitæ prorogandæ cupiditas. At si res ratione pendatur, non facilè occurret, quæ ordinis necessitatem adstruat, quamuis multum in re ista laboret Horat. Augen. tom. 1. suarum ep. l. 5. aduersus Mercen nam si omnes cibi, vna simul coquūtur, extruduntur que, inutilis erit quicumque ordo; nam nihil pellet ventriculus, neque os eius infernum recludetur vnquam, ni vniuersa alimenta cocta fuerint. Quod si (quod probabilius, & verum) quædam prius coquantur, vt quæ magis disposita, post alia: quæro deinde, expellet ne statim, quod concoxit ventriculus, an detinebit, quousque cōcoquatur, quod reliquum: si id dicat Gal. patitur easdem difficultates, in quas conijciebant Galenistæ illos omnes, qui ordinem, seruandum esse negabant: si dicant, crudo retento, quod est coctum expelli; quæ quæso superstitio induxit medicos, vt nouis præceptis, languentes affligerent?

De puris cibis, ob scutis.

Dices, non posse coctum à ventriculo pelli, si crudum subijciatur, aut si id faciat, crudum, & coctum vna simul expellet. At posse, docet nos quotidiana experientia, videmus enim in dies expelli à ventriculo bilim, retento cibo, cibum retento potu, hunc cibum retineri, expulso alio, & ficus quamquam postremò loco sumantur, postremo item loco vomuntur. Nihilominus, quia facilius expellet ad intestina ventriculus, quæ in fundo eius resident, quam his retentis, extrudere ea, quæ in cauitate eiusdem seruabantur, admitto propterea aliquem in cibis ordinem, ne in expulsione in cocti, crudum quid, cum cocto confusum, propter motum illum præterlabatur.

Placet nihilominus hic seruare ordinem, ob hanc causam.

Quæ prius sumenda, crassa, an tenuia. Cap. XIV.

CRassa exhibent primò quidam, ne digestis tenuibus, & à ventriculo expulsis, vnacum ijs effluant inconcocta cibaria crassa: laudant secundo hunc ordinem, quia pars ima ventriculi, est crassior, ac propterea calidior. Quare conueniet primum crassa alimenta ingerere, ita enim fiet vt simul cibi omnes coquātur, caliditate imæ partis ventriculi, ineptitudinem alimenti vincente.

Crassa exhibent primo quidam.

Contrarium defendunt alij, quia si crassa præeant alimenta, cum hæc multò tardius coctionem recipiant, quā tenuia, alterum duorum sequetur, vel vna cum tenuibus coctis crassa simul, & incocta pellentur, vel si detineantur tenuia, quousque crassiora coquantur, adurentur.

Tenuia alij.

Profectò, si valeremus pendere calorē imę partis ventriculi, & alimenti impotentiam, vt coquatur, ac tantundem crassi alimenti exhiberemus antea, quantum posset pars superior ventriculi, æquali tempore coquere, adhęrerem auctoribus prioris sententiæ: at quoniam nisi id consequimur, quod consequi, non est admodum facile, promptum est periculū, vbi ex contrario ordine nullum discrimen imminet, sequor propterea secundā sententiam. Nullum inde sequi absurdum, patet cuique, nam si quod sequi posset, illud esset, crudum, nempè vna cū cocto expelli, aut aduri coctum, dum crudi coctionem expectat: at neutrum, rectè infertur; nam quod est coctum, partim à ventriculo trusum, & partim tractum à partibus, expellitur: crudum itaque neque tractum, nec expulsum, donec conficiatur, detinebitur. Idem enim ventriculi ac vteri iudicium. Quare vt hic in superfætatione excludit fœtum maturum, immaturo, & non dum absoluto retento; sic poterit ventriculus, quod coctum est pellere, crudum ad elaborationem vlteriorem retinere. Nec si intempestiuè ad intestina labatur, graue aliquod malum imminet: nam, vt Galen. 4. de vsu part. sunt intestina, ne dum deiectionis, sed & coctionis instrumenta. Quare poterunt elaborari ab ipsis, si quæ actionem ventriculi effugerunt. Iure proinde Horat. reprehendit Aufidium, qui vina fortia prius apponebat mensis.

[illegible]

Quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso
Proluerts melius.

Nec admittendus quidam modernus est, qui epist 8. Decad 9 suorum Miscellan. dixit, ventriculo calido primum esse crassa offerenda, deinde tenuia, nam si hęc premittantur adurentur, coquentur cōtra illa bene, quia proportionata valido calori ventriculi. Contra ventriculo frigido primum dat tenuia dein crassa, nam tenuium inquit coctione roboratus ventriculus, poterit cōcoquere crassa, quod assequetur numquam huiusmodi auxilio destitutus. Id tamen faciendum subdit, si spectemus ventriculum, vt pars similaris. at si consideremus eumdem, vt pars organica, hoc est quatenus habet vim chilificandi, fit. n. chilificatio ab ipso vt organicus est, vt sic, nullus est in alimentis sumendis seruandus ordo, sed ab ijs cęna ordienda, aut prandium est, quę magis appetimus. Conatur hoc suadere quia vt fiat chilificatio, necessarium est, vt alimenta quæcumque misceantur: ergo vt minimum vnius tangat alterius minimū. Quare nihil intererit primo ne loco, an

se-

secundo alimenta sumantur. Non est imquam admittendus; nam falsum est chylum fieri deductis adminima alimentis assumptis: est quidem hoc necessarium, cum mixtum ex elementis producitur, vbi gignitur ex alio mixto, frustra hoc requires. Nec si velis, assequare, nam ventriculus amplexatur cibos, quomodo ergo miscebuntur. Quia inquit à potu, quę erant in fundo ventriculi ad os deducētur quemadmodum in lebete ebulliente fieri obseruamus: sed neque in lebete hoc fit, nam elata à vapore mox fundum repetent: neque in stomacho hoc fieri credendum; nam multi coquunt, tametsi non bibant: fiat tamen: quorsum modo in specto ventriculo, vt similaris particula ordinem ciborum præscribis? Insuper chilificatio est coctio: hęc fit à tempetie, ergo à parte similari. Non itaque à stomacho vt organum. Demum non nutritur ventriculus chilo. Parum itaque referet chilificasse, quo roboretur, vt hac arte reddatur potens coctioni crassorum. Possem vrgere pluribus, sed hæc satis superque esse censeo, plura propterea non addam.

Quando cibandum. Cap. XV.

QVatuor erant de victu disputanda à nobis, quæ esset victus forma exhibenda, an tenuis, an crassa, qualis, quomodo, & quando; est proinde reliquum, vt expositis tribus quęsitis, de opportuno tempore nutriendi tractemus. Quoniam vero, duplicia tempora considerantur in morbis, vniuersalia, nempè, & particularia, haud quidem disputamus, quo morbi tempore vniuersali sit tutius nutrire ęgrum, est enim hoc dictum, sed de particularibus controuertemus: ex quo licet intelligere, de ijs morbis esse quęstionem, qui habent sensibilia tempora, nam qui percurrunt, quæ obseruari à medico nullatenus possunt, concors sententia est omnium, eo tempore esse nutriendum ęgrum, quo per sanitatem consueuerat. Omothona ergo febre laborantes, patientes hecticam, vlcerati, luxati, ea hora, & cænent, & prandeant, qua cum bene valebant, & prandere, & cœnare consueuerant. Qua hora nutriendus æger, qui periodico affectu infestatur, & paroxismos habet euidentes, hoc quærimus.

In accessionibus precipit abstinere Hip.

Iussit Hippocr. prima par. aphor. 11. ne per accessiones nutriamus languentes. *In accessionibus* inquit *abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est*: accessionis nomine, exponit Galen. aphor. seq. & primo de rar. vict. partem deteriorem circuitus. Quare nec in principio, augmento, aut statu accessionis nutriri ęgrum expediet, sed vt primo de ratione victus penult. *cum calor ad pedes descenderit*, hoc est, cũ inclinauerit accessio, nam quamquam alijs accessionis temporibus, corpus vniuersum caleat, in declinatione tantum contingit, vt calor capite, & thorace relicto, pedes tantum teneat. Quod si non tantum, remittat accessio, sed intermiserit, erit interuallum expectandum: elegit enim declinationem Hippocr. quia acuti morbi, de quibus loco illo loquitur, vbi febrem habent adiunctam, continuam habent.

Nec dat huius causam; tacuit quoq. Galen.

Cur autem, in declinatione tantùm, cibare licet, non in alijs paroxismi temporibus, tacuit Hippocr. aphoristicæ breuitati fortasse consulens: tacet quoque Galen. vnde alijs id indagandum reliquere. Censent quidam, esse abstinendum in accessione, quia incumbens tunc temporis humorum coctioni natura, non est alimentis distrahenda: quæ ratio, si est efficax, cogit pariter, ne in paroxismi remissione, cibum porrigamus, quando & in declinatione particulari natura coquit. Præterea multi morbi fiunt à multitudine, vnde cum coctione nequaquam indigeant, non esset nocuum, vbi hi faciunt proximum, nutrire languentem, quod absurdum.

Vnde posteriores conati sunt facere, & quidam abstinent, ne distrahatur à coctione naturæ.

Dixerunt propterea alij, esse in accessione abstinendum, ne contractus ad partes internas calor, exhibitione alimenti magis contrahatur, vnde suffocetur. Possemus ergo tutò in statu, & augmento nutrire, quando his temporibus est vniuersus calor ad partes expãsus. Est proinde dicendum, nocere cibum in accessione, quia distrahit naturam conantem, vel resistere humorum fluxionibus, vel illos expellere, modo per vomitum modo per aluum: & quia ab accessione molestata natura, cibo coquendo vacare, nullatenus potest. His ex causis fit, ne liceat in parte deteriore circuitus nutrire languentem, sed semper, vel interuallum, vel declinationem expectemus.

Alij, ne calor a cibo ad viscera reuocatus, suffocetur. Cum tamē vera causa ea sit, ne distrahatur natura.

Quid si vna accessio adueniat, antequã altera remittatur, & statum vnius, alterius principium excipiat; eligit quandoque Galen. accessionis statum, quandoque principium, vt licet videre cap. vlt. 11. meth. vbi morbus à multitudine pendeat, & cum symptomatis grauibus inuadit, vt syncope, sopore, summa extremarum partiũ frigiditate, cauet principium, ne alimentum multis succis additum, opprimat initio accessionis languentem. Vbi morbus ab inanitione fiat, & sæuiora per statum symptomata inferat, principio offert alimentum. Galen. assensere omnes, nec nos discrepamus; si enim in accessione, idcirco est abstinendum, quia afflicta à grauitate symptomatum natura, non potest alimenti coctioni vacare, nulli dubium fuerit, quo tempore potissimum affligitur, eo tempore esse abstinendum. Quare si grauior status

Quid faciendum, cum ante remissionē vnius proxismi aduenit alius? Galen. sententia.

rus

tus principio fuerit, statu non nutriendum: si principium vehementius affligat, quam status, erit status commodior multo.

Explicatur. Monemus tamen, hanc nutriendi rationem seruandam esse, desumpta indicatione ab accessionis temporibus: verùtamen si cætera contemplemur, ne dum poterimus accessionis initio cibare, sed debemus: vt cum e g febris ex fame dependet, cui dubium, colli eam, assumpto alimento? Confert item in accessionis initio nutrire, vbi à sincera bili, & adusta, febris oriatur, aut os ventriculi à bilis flauæ, & adustæ confluxu lancinetur, nam imbecillus ventriculus, vel non excipit delabentes humores, ab assumpto alimento robustior factus, aut si recipiat, ita cibi præsentia, acres illi humores dulcescent, vt nullam, aut exiguam molestiam inferant.

An in augmento tutius cibabimus? Eadem ratione conducit, in accessionũ initio, cibum porrigere iis, qui à bili deusta febricitant: primum, quia humectati, non ita squallidi, & sicci in statu fiunt, nec humectata bilis sæua illa symptomata inferre poterit. Vide Gal. 10. meth. cap. 4. Insuper quod in accessionibus abstinendum non sit, cum virtus labascit, & fatiscit, haud puto necessarium esse admonere; nam vel Tyro quisque in medica facultate cognouerit, indicationem, quæ sumitur à virtute, illam esse cæteris digniorem, eique propterea magis attendendum: vnde & hic habet locum, illud Hippocr. primæ aphor. part. *Coniectari autem oportet, an æger cum tali victu perdurare sufficiat*, nempe, quamdiu supererunt illæ, tamdiu abstinentia pugnādum: vbi imbecillitatem vereri cæperis, subuenias cibo.

Ita quidam. Quæres: cum in augmento periodi vitemus omne fastidium, quod solet inferre principium: vitemus pariter noxam omnem status, Cur non in augmento cibamus, quoties vni accessioni superuenit alia, sed vel feruentem ægrum in statu nutriemus, vel refrigeratum in principio?

Quibus Cels. repugnat. Non nulli, quos refert Saluus Sclanus 1. aph. 11. huic nixi argumento, in hac temporis angustia augmentum potius eligunt, quam statum, aut principium: quibus contradicit aperte Cels. nam l. 3. cap 5. *Cum febris inquit instet, incipiat, augeatur in augmento consistat, decedat, in decessione finiatur, scire licet, optimum cibo tempus esse, febre finita: deinde cum decessio eius consistit. Tertio si necesse est quomodocumque* *Et nos quoque, hanc ob causam.* *docedit, catera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas vrget, statius esse consistente iam febris incremento, aliquid offerre, quam increscente, & satius esse instante, quam incipiente*: Contradicit & ratio, nam morbi ferè omnes fiunt, vel ex multitudine, aut inanitione, at in primi generis morbis non conuenit in augmenti principio, nam sapit hoc naturam principii accessionis. Quare qua causa, non erat tutum in accessionis principio nutrire, eadem vetabimur, ne in augmenti principio quidquam offeramus. In morbis ab inanitione, multo tutius est nutrire in principio, quam in augmento. nam quemadmodum expedit multis antea horis, à paroxismo nutrire, ita vbi id fieri non potest, illud erit optimum, nutrire eo tempore, quod magis à statu remotum recedit: maxime infestat status illorum morborum, qui ab acribus fiunt succis, & inanitione. Quare cum principium magis à statu recedat, quam augmentum, erit eligibilius augmento principium. Nunquam itaque eligendum in accessionum multitudine augmentum est sed vel calentem ægrum nutriemus, aut frigentem.

Præter hæc admonere necessarium censeo, non solum in accessionibus esse abstinendum, sed vbi eadem imminet, aut stomachus cibum assumptum nondum coxit, nec excrementa extrusit, nihil dare oportet; tunc enim actionis cuiusque tempus est opportunum, cū adest quod indicat, neque aliquid est, quod rem indicatam facere prohibeat. At prohibet alimoniam facultas non valens concoquere: non valet nouum alimentum concoquere, vbi in alterius coctionem incumbit, nam vt prouerbio dicitur deficit ambobus, qui vult seruire duobus. Quare alterutrum fiat necesse est, vel à priori cibi concoctione desistet: vel si in eamdem incumbere pertinaciter velit, deferet mox assumpti concoctionem; vel saltem desistet à pugna; aut tandem deficiet omnibus, si eousque temeraria sit, vt velit cunctis vacare, caute, itaque & prudenter monuit Hipp. 4. de rat. vict. 37. vt nedum in accessione abstineamus, sed ne quicquam detur eadem imminente.

Sed quæres, quot horis, antequam accessio inuadat abstinere oportet tribus, quinque an pluribus? Magnam inuenies si Arabes de re ista consulas, diuersitatē, nam Auic. c. de cura quotidianę, *& hora* inquit *cibandi est post teporem paroxismi, & eradicationem eius, & ante proximum minus quatuor horis*, licet Thadeus legat, *ad minus quatuor horis* *Quot horis ante accessionem cibandum.*

Haac lib. de feb. cap. de cura Amphimerinę: *vniuersaliter* inquit *dicimus, vt inter cibum, & accessionem sex horarum fiat spatium*: & in cura Tertianę, *sed curare*, ait, *oportet, ne in hora accessionis, et aliquid tribuatur, neque tribus horis antequam accessio venerit.*

Rasis in cura quotidianæ, *hora* inquit *accessionis, ab hora comestionis, quantum plus possibile fuerit, est elonganda*: deinde declarans rem exactius, *& hanc*, inquit, *elongatio-*

tionem, intelligo spatium sex horarum.

Serapio quatuor horis abstinet, *& sic, ait, hora ante statum eius, lege tu, ante principium eius, tribus horis, aut quatuor*; Galen. quoque eamdem videtur habuisse sententiam, nam c.4.l.8.meth. asserit satis esse si tres horę æquinoctiales inter balneum, & tempus accessionis interponantur. Quare cum comederent à balneo antiqui, tres horas ante accessionem posse ægrum nutriri Galen. voluit.

At vero si quis attente de re hac meditetur, inueniet facilè, tot horis, antequam inuadit accessio esse nutriendum ęgrum quot sunt necessarię, vt ventriculus assumptum alimentum coquat; si enim nondum peracta coctione superueniat accessio, vel natura, à coctione alimenti conuertet vires aduersus morbificam causam: aut contra illa relicta, in alimenti coctionem incumbet, aut vacabit vtrique. Non est, cur hoc secundum speremus, impotens enim natura nostra est ad obeundas duas functiones simul; in alterutram itaque incumbet, at nihil omittetur, citra magnum detrimentum ęgri. Quare illud expediet, vt sumat cibum tot horis antequam accessio inuadat, quot sunt necessariæ, vt natura alimentū in chylum conuertat: cumque id citius, tardius possit fieri pro varia natura alimenti quod offertur, quantitate varia, stomachique natura diuersa, validiori, imbecilliori: erit plus, minus anticipanda cibatio, prout plus minus est animus exhibere: prout alimentum facilius, difficilius coquitur: proque natura varia ventriculi. Ergo si exigua sorbitionis quantitas est exhibenda, tres horæ sufficient: si maior quatuor requirentur: si solidior cibus offeratur, octo saltem, aut nouem necessariæ erunt; Belle Hip.4. de rat.vict.37.*cum* ait *purgaueris, sorbitionibus vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus, vt neque cum adsunt, neque cum venturæ sunt, eas ingeras, sed vel cum finiunt, vel conquieuerunt, & cum maximè à principio distare videntur.* Sed de hac controuersia, & libro hoc, hæc satis.

ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Decimus sextus.

DE RECTA POTVS ADMINISTRATIONE in morbis.



Dicendorum ratio, & ordo. Cap. I.



Percurrimus, quæ de cibo cognoscere necessarium erat, nunc ad potum nostra conuertetur oratio: & quoniam duplex est illius materia, vinum scilicet, & aqua, videbimus primum, quibus morbis vinum, quibus aqua conueniat: examinabimus secundo, quæ quantitas potanda, quo ve tempore: omnia demum, quæ ad rectam potus exhibitionem scire, sunt necessaria percurremus. Ceterum, quia id consequi, nullo pacto licet, si ignoretur aquæ, vinique natura, & vtriusque effectus, propterea à vini, & aquæ temperie, ab vtriusque effectibus, nostra exordietur tractatio.

Quæ vini temperies. Cap. II.

AD euidentiam tituli, noto primum, quod tametsi vini nomine, comprehendantur succi omnes, ex varijs arborū fructibus, diuersis frugibus expressione eliciti, aut decoctione, vt succi cidoniorum, granatorum, vnde hordei decoctū, Herod. vinum dixit, quemadmodū aquā, in qua ficus sunt maceratæ, ficatum vinū, in qua palmulę, phænicinum vocauit: & Dioscor. confecit pariter vinum ex labrusca, piris, rosis, myrto, & alijs huiusmodi, nos tamen illud propriè vinum nuncupamus, quod ex vuis maturis cōficitur, ne vinum cum omphacio confundatur: neque omnem succum, ex vuis expressum, vinum esse volumus, ni deferbuerit, nam antea quam feruendo co- *De quo vino est dubitatio declaratur.*

quatur, mustum, est, non vinum. Ne pluribus te detineam, loquor de vero vino, quod est liquor ex vuis maturis expressus, à proprio, solisque calore feruendo concoctus: expressum diximus, nullo alio addito; nam quamquam plerumque arte exprimatur, solet quandoque, nullo premente effluere: hoc nuncupant lacrymam virginem. Diximus postea, concoctus à Sole proprioque calore, ad differentiam vini, igne cocti. Aduertendum secundo, haud quæri, quid sit sua natura vinum; hoc enim inquirere, est Philosophi, sed vt medici de re ista tractantes, quale sit ad humanum corpus, & temperatum collatum, frigidum nempè, an calidum, siccum an humidū inuestigamus. Neque de eius calore actuali est sermo, harum enim qualitatum iudex idoneus est tactus, vt omninò superuacaneum sit, rationem consulere: sed de potentiali, seu virtuali nos loquimur. Quid itaq; faciat vinum in temperato corpore, nulla suscepta occasione à varia dispositione subiecti, indagandum.

Quid verum vinum.

Ab hoc ergo, an homo cal. fit, siccetur humectetur, inquirimus.

Quæ dubitandi ratio.

Dubitandi ratio est, quia diuersi, & varij effectus è vino prodeunt; hos enim reddit impotentes ad venerem: excitat in alijs sopitam libidinem: facit quosdā segnes, & languidos, addit alijs robur; narratur enim prisci Catonis sępe mero caluisse virtus, & Homerus ait, *viro defesso, magnum robur, vinum affert*: soluit quandoque crura: quam ob causam Lyæum dictum puto *a' pò tù lijn*, quod est soluere: debilitat eamdem alias, vnde Poeta:

Et tentat gressus debilitatq; pedes.

Facit quandoque homines mutos, quandoque loquaculos: quocirca celebratur Poetæ cuiusdam apophtegma, quo negauit tormentis opus esse, ad exquirendam veritatem, vino rectius elici: quod approbans Horat. dixit.

Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: & alibi.
Quid nō ebrietas designat? operta recludit.

Quocirca, vt benè dictum est, *vinum hominibus specula*: sic frustra optabat Socrates pectora fenestrata, & verè Plutar. 3. lib. sympos. *quid*, inquit, *quæris ridiculū caput illas fenestras, per quas in alterius cogitationes potest alter inspicere? vinum enim nos aperit, ac ostentat, non sinens latere, sed speciem atq; laruam adimit, lege tanquam pedagogo, longissimè remoto*: nec malè Pathæas apud Atheneum lib. 10. cap. 9. dehortabatur homines ab ebrietate, *ne noscaris*, inquit, *cuiusmodi sis, aut qualem te esse simulas, nam speculum æneum formæ, vinum mentis est index*, vnde Germani, Tacito auct. de morib. German. *de pace, ac bello plerumque in conuiuijs consultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat*. Adaugent difficultatem, vini qualitates variæ; tot enim sunt, vt vix sit aliud in rerum natura, æque discors, & varium; quædam enim sunt alba, alia rubra, alia fulua, flaua, alia nigricant. quędam tenuia, alia crassa: quædam dulcia, alia acida, acerba, austera, pontica. Adde, & dissentientes auctorum sentētias; nam differens Flauianus apud Macrob. 3. lib. saturn. cap. 4. contendit aduersus Eustachium, & Dysarium vini caliditatem prædicantes, ipsum esse sua natura frigidum. Idem Plutarc. & alij multi. Nec concordes medici; nam Hippocr. 2. de diæta circa principium, vina inquit acida frigefaciunt, & humectant: Aristot. 4. meteor. aqueæ naturæ esse dicit. Galen. 3. de facul. vinum austerum, & nigrum, frigidū natura appellat, & 12. meth 4. scribit nullum vinum album esse calidum. Oppositum alibi, nam 2. par. aphor. 11. & 18. cap. lib. 3. de causis pulsuum, calidum esse ponit, & humidum, quam sententiam sequitur Aetius, & Paulus Auic. 1. 4. tract. 2. c. 40. vehementer infrigidare, & humectare dicit, eamque ob causam probat illud in cura tertianæ. Quid si posteriores consulamus? Manard. lib. 1. epist. c. 3. calidum dicit esse, & humidum vinum, vt alimentum: siccum, vt medicamentū; Valles. frigidum esse nouum putat, vetustum calidum; alij vina generosa calida esse autumarunt, oligophora frigida.

Hinc variæ sententiæ.

Rem aliter determinauit vir æque eruditus, & doctus Latinus Tancredus lib. 2. de fame, & siti cap. 20. nempè statuit, vinum omne sua natura frigidum, & humidum esse, quia, vt Arist. scripsit 4. meteor. est vinum omne aqueæ naturæ: calfacere, & exiccare per accidens, seu per aliud, hoc est ratione calidæ substantiæ admixtæ, non secus ac serum, lotium, ac mare calida, siccaque redduntur, exustorum halituum permixtione.

Nostra est esse calidum,

Sed quamquam, non admodum pateat, quid de re ista oporteat censere, dicam tamen libere, & apertè, quod sentio. Vinum sua natura est calidum: calidum esse probo, quia est odoratum, promptumque, vt mutetur in spiritus: & sua natura, non ex accidenti ob peregrinam substantiam illi admixtam; nam si extranea esset calida illa substantia naturæ vini, vbi illa separatur à vino, perficeretur, quemadmodum perficitur aqua, vbi ab ipsa salsedo, & quidquid peregrinæ habet substantiæ admixtum, aufertur. Nūc autem, euanescente spiritu à vino, corrumpitur vinum, tantum abest, vt melius reddatur: ad illius itaque integritatem, calida illa substantia spectat. quare fuerit sua natura vinum calidum.

Et per se, non ex accidenti.

Neque obstat Aristot. dicens, aqueæ illud esse naturæ, aut experientia, qua monemur, frigidos edi partus à vino; facie

facit enim hoc multa vini copia, non vinum: nempe plus iusto potum, suffocat calorem, vnde cruditates, atque hinc postea morbi frigidi. Arist. aqueæ dixit esse naturæ, non quia frigidum, sed quia vniuersum abit in vapores calfactum. Auic. de vino aquæ admixto loquitur, & vacuando calida excrementa docet refrigerare vinum, & humectare.

Potest idem facere, deducendo aquam quæ refrigerare, & humectare valet.

Non tamen omne.

Num omne calidum? minime verò: non quod cum alijs censeam, alba omnia frigida esse; nam quamquam in hanc videatur Galen. inclinare sententiam, dum 12. meth. 4. dicit ex albo vinorum genere, nullum inuenias calidum: hoc tamen, ita explicandum, nullum ita calidum, & eo gradu, quo vina flaua facilè inuenias; nam quod multa vina alba sint calida, certissimum, sed quoniam, vt idem Gal. aduertit lib. de cib. boni, & mali succi cap. 12. vina austera, acida, etsi quæ alia ponticum habent acerbumque saporem, tantum abest, vt calfaciant, vt nos sensibiliter refrigerent. Hinc exponens aph. 21. 2. par. dicebat, non quoduis vinum epotum curandæ famis caninæ vim habere, (id enim famis nomine intelligebat, quæ non ex substantiæ defectu, sed à frigidis succis corrugantibus excitatur) sed quæ valentem vim habent calfaciendi, qua cum careant vina acerba; nam nè calfaciunt quidem, non erunt inquit vina austera. & acerbi saporis, affectui illi abolendo opportuna: sed quę colorem habent flauum, aut rubrum absque adstrictione, hæc maximo erunt emolumento.

An idem siccum.

An idem siccum? magna fuit quõdam de re hac controuersia inter Antonium Fumanellum, & Bartolomęum Gaionũ; Fuman. enim siccum: Gaion. humidum esse prædicabat: mihi certum, siccum esse vinum, primum quia facit furere, quia tollit maculas, abstergitque, quia confert vlceribus, & omnem humidam intemperiem corrigit, quo circa fluxum lacrimarum cohibet: fit à vite siccissima, vt ostendunt folia racemi, & semen vuæ. Tandem est calor vini igneus, nõ aereus, vnde Plato interdixit ea ratione vinum pueris, ne ignis igni adderetur.

Et sua natura non ex accidenti, vt malè Vallef. & Latin.

Num sua natura siccum? negat Vallés. quia vinum calfaciendo siccat, ergo per accidens, per se ergo humidum: negat, & Latin. quia aqueæ naturę est vinũ, siccabit ergo, ob peregrinam substantiam mixtam, sed vterque decipitur; Vallés. quidem, quia si hac ratione id fieret à vino, magnum pars vlcerata, vbi vino abluitur, sentiret calorem, quod falsum esse, constat experientia: decipitur quoque pace sua dixerim, Latin. nam, vt dictum, si extrinseca esset calida illa siccaq; substantia ipsi vino, haud quidem corrumperetur vinum, illa exhalite: sua natura, itaque vinum siccum. Quod si Galen. 2. aphor. 18. humidum scribit esse, per humidum, liquidum intelligit: aut humectare substantificè.

Nutriat nec ne vinum.
Cap. III.

QVid vinum efficere valeat in corpore temperato indagauimus, nunc quid patiatur à corpore, examinandum; omne enim agens agendo repatitur: hoc est, videndum, num in nostram vertatur substantiam, postea quam vehiculi munere functum fuerit, an impermutatum quoad substantiam, extrudatur è corpore.

Nutrire putauit Gal.

Nutrire vult Galen: mille in locis, idque adeo apertè docet, vt non possim non mirari Hieronymum Mercurialem, qui oppositam illi tribuit sententiam dicens, idcirco ab illo scriptum nutrire vinum, quia sua tenuitate, & calore, quam maximè iuuat distributionem eorũ, quæ verè nutriunt, eo Gal. loco ductus 1. de facul. nat. cap. 17. quo scribit, totum id, quod bibitur in vrinam abire, nisi quid per aluum excernatur, aut transpiratione insensibili dissoluatur; enimuero si hac ratione nutrit vinum è Gal. sententia, quæ tenuiora, & calidiora, nutrirent magis: at docuit 2. aph. 18. parum nutrire aquosa, multum crassa: & reddens rationem 2. de temp. c. 3. cur vina celerrimè nutriant, tardè alia alimenta; *quia vina*, inquit, *facillimè commutantur*, & lib. de bonit. & malitia succorum c. 40. *vinorum* inquit, *omnium, rubra, & crassa sanguini generando, sunt accommodatissima*, & subdens causam dicit, *quia minima egent mutatione, vt sanguis fiant*. Quare, quod dixit lib. de nat. facult. ad extollendam renum vim tractricem, quam negabat in renibus esse Erasistr. dictum puta, quamquam aliter exponat locum illum Augen. tom. 2. epistol. lib. 5. epist. 26. nam ex Galen. Mercur. & omnium sententia, ex vino gignuntur spiritus: tenuiores ergo eius partes, spirituum materia fient. Quare non omne, quod bibetur, in vrinam recedet. Gal. sequuti sunt ferè omnes, & vniuersi vino patrocinantur.

Negauit Mercur.

Contendit at Hieron. Mercur. contrariam sententiam, quæ vinum negat nutrire, veram esse, quia non potest crassescere, quantumuis coquatur: nec vini potus est interdictus ieiunantibus, cum tamen non nisi semel in die cibum, ijs sumere liceat.

Nos quidam nutrire dicemus, alia nequaquam.

Mediam ego sequor sententiam, quædam vina arbitror nutrire, alia vehiculi loco deseruire statuo. Alba, tenuia, inodora, oligophora à Gręcis dicta, nequaquam nutriunt; nam aqueam naturam habent, & vt benè antiqui, sunt aqua in

Oo 2 vite

vite putrefacta. Vina ſubſtantia craſſa, ſapore dulcia, colore rubra, hæc verè nos poſſunt nutrire; cur enim non nutrient? an quia non poſſunt craſſeſcere? at poſſe ipſe Ariſt. docet, nam 4. meteor. 10. ſcribit vinum Archadicum, vſque adeo fumo ſiccari, *vt quo bibatur, oporteat corradi*.

Dulce vinum an inebriet, & vere ſit vinum.

Occurrit hic Mercur. & vltrò concedit poſſe hæc vina craſſeſcere, & nutrire, negat tamen eſſe hæc verè vina, quia verum vinum inebriat, & non eſt dulce, 4. meteor. 9. Re itaque nobis conuenit cum Mercur. de voce eſt litigium; nam negat dulce vinum, eſſe vere vinum, & malè, certè; nam verè illi conuenit diffinitio vini: at inquit, non habet proprietates vini, quæ ſunt inebriare, & non eſſe dulce: ergo ſi conſtet, vinum dulce ebrietatem inferre, debet in noſtram venire ſententiam: at inebriat, vt conſtat ex Hipp. & Ariſt. ſcripſit enim Hippoc. 3. de rat. vict. 3. *Dulce quidem vinum, minus percutit caput, quam vinoſum, & minus mentem ferit*: & Ariſt. 3. probl. 8. *ideo*, inquit, *malas aquas magis percipi à temulentis, quã ſobrijs, quia à contrariò, multo magis mouemur, quam à ſimili: modo vinolentis dulcis humoris ineſt plurimum ex vino, cuius talis eſt natura*. Præterea falſum eſt, quod ebrietas veri eſt vini indicium, nam & lolium, & lac deſtillatarum inebriare ſcribũt: & ebrietas, eſt multi vini effectus, non vini ſimpliciter. Quod ſi negat quandoque Ariſt. vinum dulce poſſe ebrietatẽ inferre, aut eſſe verè vinum, dic Ariſtot. de vino paſſo, aut podromo loquutum eſſe. Quare ſcias, quod adnotauit idem Merc. 1. lib. variar. cap. 17. fuiſſe apud antiquos, inter alias ſpecies vini, duas differentias dulcium: alterum paſſum, ita dictum, quia ex paſſis vuis conficiebatur, alterum prottopum, ſeu podromum dictum, quod erat maximo vſui medicamentis componendis, maximèque laudatum pro diuitum, & nobilium menſis. Erat hoc muſtum ſponte ex vuis defluẽs antequam calcarentur. An aliud admixtum haberet, nondum mihi eſt compertum: illud tamen certum, hæc vina nequaquam inebriare: quo circa ſcribit Gell. Romanas mulieres, quibus vinum bibere erat interdictum, vinum paſſum bibiſſe, quod ab eo nullum ebrietatis periculum immineret. Hoc itaque vinum, neque verè eſt vinum, neque inebriat: dulce, quod non eſt factitium, vtrumq; facit. Argumentum ab inſtitutione ieiunij eſt nullius momenti, placuit enim inſtituenti genus omne ſolidi alimenti interdicere, permittere vinum, non quia non nutrit, ſed vt quoquo modo conſulerer fragilitati humanæ. Eſt igitur, quod aliquod vinum, verè nutriat opinandum.

Explicat Ariſt.

Qui aqua effectus, & num nutriat. Cap. IV.

QVÆ ſit vini temperies, quos producat effectus, & quid à noſtro corpore patiatur, dictum: examinanda eadẽ de aqua. Refrigerat hæc nos, & humectat, craſſos reddit tenues ſuccos, & effrenes compeſcit. Nutriatne nos eadẽ, controuerſum: nos inquam, nam in vniuerſum, id examinare, phyſici eſt muneris, nec noſtra quicquam intereſt, id perquirere. Demus enim nutriri hac plantas, aut animalia quædam; an inde colligemus, eſſe eamdem homini alimento? haud poteſt, nam vt medicamentum, ita alimentum eſt ad aliquid. Alatne ergo, aqua hominem indagabimus, nam variè de re hac opinatum à Medicis, & Philoſophis.

Pars quæ affirmat ſuadetur.

Partem affirmantem, probare videntur grauiſſimi viri, nam Hipp lib. de flat. triplici inquit ſubſtantia refici corpus noſtrum, aere, cibo, & potu; quod etiam reſpiciens 1. de aliment. dixit, *principium alimenti, os, nares, guttur*. Ariſtot. quoque 1, ſect. probl. 13. mutationem aquarum morbidam eſſe docet, quia hæc alimento. Probat idem ratio, nam ſi aer, odorque nos nutriendi vim habent; quanto magis aqua, quæ craſſior? Nutriri nos aere, docuit Hipp. vt patet ex loco à nobis adducto, Galen. paſſim, & experientia, nam cum multi diu abſque alimento aliquo vixerint, non potuit aliter, illud fieri, quam, aere aeream reſtaurante ſubſtantiam, quæ ſolum vi imbecillis caloris & exigui, conſumpta erat. Præterea poteſt aqua in vinum mutari: illud nutrit, & confeſtim nos reficit. Quare & aqua pariter nos nutrire valebit,

Ita putarunt multi, ijque grauiſſimi viri, vt Olimp. Concil. diff. 155. Flamin. Nobil. 1. de Gen. Coſtæus 1. de potu in morbis, Guaſtauin. 1. ſec. probl. 13. pro eadem pugnauit acriter quidam apud Fortun. Licetum lib. 2. & 4. de his, qui diu viuunt abſque cibo. Quicumque verò ij fuerint puto à veritate longe aberraſſe, ac propterea eſſe explodendos. Reijcit primum illos Galen. nam 4. aph. 13. *Aqua ait, neque epota, neque extrinſecus occurrens, apta eſt ſolidas animalis particulas humectare*: reijcit Ariſt. nam 4. meteor. cap. de concret. *Aqua*, inquit, *humidorum, non incraſſatur ſola*, cuius rationem tradens cap. de maturat. ait, *accidit autem, aut & quod calidum ſit paucum, aut, quia, quod terminatur humidum, multum*. At quę incraſſari non poſſunt, nutrire non valent. Quare &c.

Reijcitur eadem, & contraria probatur. nam rectè Ariſtot. aqua non incraſſatur.

Non latuere hæc Olimpiod. propterea, ne videretur recedere ab Ariſt. conatus eſt illa dilucidare; dixit itaque, negari

Nec expoſitio Olimp. acceptanda.

gari ab Arist. aquam posse incrassari, non quia nullatenus id fieri possit, sed quia difficillimè; nam & 2. de anim. 96. *Inodorabile autem, aliud quidem secūdum id, quod omnino impossibile est, odorem habere, aliud autem paucum habens, & prauum*, quod insuper inculcat, & repetit tex. 108 120. & quidem ita esse Arist. interpetrandum, potest suaderi, quia si omnino impossibile esset incrassari aqua, nullum posset viuens nutriri aqua, quod falsum, nam cicadas rore nutriri docuit 4. de par. 5. quem sequutus Poeta dixit.

Dumque Tymo pascentur apes, dum rore Cicadæ.

Eadem nutriuntur vermes in niue geniti, aut in ea sepulti: neque alio pastus alimento piscis ille coniugis Rondoletij: nam nil præter aquam vitrea ampulla, vbi erat conclusus, continebat. Demum habet Plin. lib. 11. cap. 36. in igne viuere quædam animalcula, & volitare, idemque multo antea docuerat Aristot. 5. de histo an. 19. Quod si ignis, aut ignitæ fuligines sic possunt incrassari, vt sint alimenta, cur idem aquæ negabimus?

Nam nunquam fieri potest, vt vere aqua incrassetur.

At nulla id via consequi posse, vt scilicet incrassetur aqua, demonstrauit, ni fallor apertè Auicen. 2. 1. doctr. 2. cap. 16. Nam aqua, inquit, si à summa frigiditate concreta, crassitiem compatat, illam acquirit, propter terrestrium partium, quæ ob subtilitatem, obtutum effugiunt, admixtionem. At amittit concretionem, vbi incalescit, & terrestrium partium admixtionem; nam cum segreget, heterogenea calor, deponet terrestres partes, vnde aqua defæcabitur. Quare, &c. Non pigebit, integrum Auic. locum transferre, ne si ipsum adire, te pigeat, summo beneficio priueris. *Et torpidi*, inquit, *quidam medicorum existimant, quod aqua cocta subtile resoluatur, & ipsius remaneat spissum*, vnde in coquendo ipsam, non existit iuuamentum, quoniam spissitudinem in aqua augmentat; scire autem debes, quod aqua in suæ aqueitatis definitione existit ex partibus in subtilitate, & spissitudine similibus, quia est simplex, sed non inspissantur, nisi propterea quod frigoris qualitas, super eam præualuit, aut propter fortem terrestriū partium commixtionem, quæ ab hoc, quod sunt paucissimę, ab ea nequeunt separari, neque descendere in ea, quia non sunt tantæ quantitatis, vt continuitatem aquæ scindere valeant, & in ea descendere, ob multam paruitatem; oportet ergo, vt eis accidat commistio, cum substantia aquæ. Post hoc decoctio spissitudinem remouet, quæ propter frigus accidit primo: deinde partes aquæ vehementer rarificat, donec fiat subtilioris substantiæ, vt possint ab ea separari partes graues terrestres in eius spissitudine retentæ, & constringant eam descendentes, & propter descensum ab ea separentur, & remaneat, aquæ puræ, & simplici propinqua, & erit illud, quod propter calfactionem fuit separatum homogeneum ei, quod remansit, & non longinquum ab eo, quia cum aqua à commistio separetur, eius partes in subtilitate assimilantur, neq; multum interest, inter illud, quod subit, & inter illud, quod remanet: decoctio ergo non subtiliat aquam, nisi propterea, quia aufert spissitudinem frigoris, & quia facit, quod ei commistum est, descendere. Et huius quidem significatio existit, quoniam cum aquæ grossæ dimittuntur longo tempore, non descendit ex eis res multa, & fit aqua, quæ remanet in pondere leuis, & clara, & descensionis quidem causa, est subtilitas, quæ ex decoctione acquiritur: Sed quorsum auctoritate pugnamus, vbi ipse sensus docet, quod controuertitur? Nonne sensu ipso monemur, aquam igni, aut Soli expositam, vniuersam in vapores abire? numquam itaque eadem incrassari poterit. Quare neque nutrire.

Nec suadent contrarium experientiæ adductæ.

Experientiæ adductæ, haud me mouent, tritum est enim, viuentia cuncta, quæ exiguum calorem habent, diu absque externo alimento permanere. Audi Arist. *omne*, inquit, 4. de par. 5. *insectorum genus, minimo alimento contentum est, & prope sibi ipsa sufficiunt, non tam corporis exiguitate, quam frigiditate; quod enim calidum est, cibum, & desiderat, & concoquit cito. Contra quod frigidum est, cibo carere facilè patitur; sed omnium maximè cicadarum genus, ieiunum est, satis enim iis alimento est humor, qui in corpore remanet, sicut animalibus Ponticis, quæ non diutius, quam diem vnum viuere queunt.*

Non cicadæ

Quamobrem quod dixit 4. de partib. c. 7 *Cicada inter hæc, & omnino in animalium genere vna ore caruit, prolixum quiddam cōpactum, indiuisumque gerit, simile ei, quod linguæ speciem refert in iis, in quibus aculeus in ore, eoque ipso rorem haurit, alimentum vnum, & peculiare*: idcirco dictum puto, quia rore humectata cicada preseruatur, ne continuo alarū appulsu, à calore exuratur. Dicemus autem, alimentum vocari quandoque, quod ad tuēdam vitam maximè est necessarium; nam quod fieri nequeat, vt rore nutriantur cicadæ, illud insuper persuadet, quia, quo tempore benè viuunt, vt æstate, & in locis calidis necnon siccis, ros nullus cadit, multus vere, & autumno. Demum non obseruantur cicadæ, vbi nulla est arbor: nec cuiusuis generis arbore illę gaudent, sed resinosis, quæ exsudant, gummataque, & alia huiusmodi excrementa deponunt ad corticem, eam vt patet ob causam, quia excrementis illis sepositis ad corticem plantæ, & rore dilutis nutriuntur.

Piscis Rondol.

Obijcies; nam piscis ille Rondol. non tantum vixit trium annorum spatio, sed tantum assumpsit incrementū, vt è phia-

la

la exire, nullo pacto potuerit, externo itaq; nutriebatur alimento: at nihil aliud ab aqua erat in phiala: hæc ergo illi alimento.

An negabimus, piscem sic nutritum, maiorem, vt comparauerit magnitudinem? an flatu, eumdem extentum dicemus? vel affirmabimus, non caruisse externo cibo piscem; nam in aqua, multa animalcula gigni, quotidie experimur? Dicamus demum cito nullo externo cibo pastus fuerit, non esse affirmandum aquam illi fuisse alimento, quia & glyres quoque, quo tempore dormiunt, pinguiores euadunt. Quod dicunt, nullum sumi cibum à Camaleonte falsum; nam multi obseruarunt continuo linguam exertam habere, eum, vt aiunt, ob finem scilicet, vt excipiat muscas, scarabeos, formicasque, ijsque nutriatur.

Aut Camaleon.

Non pyrausta demum nulla enim sunt in igne.

Pyrausta, ex aliorum sententia, admisisse Arist. docent clarissimi viri; nam vbi id refert subdit, *vt aiunt*: & quidem nullum in igne animal viuere suadent duo. Primũ, quia quoduis animal, sensu tactus est præditum. Quare non poterit tactus organum, moderata alioquin temperie præditum, in igne perennare: nam omnis sensus corrumpitur ab insigni sensili. Suadet secundo idem, quia si quod animal viuere in igne posset, aut Salamandra esset, aut muscæ illæ, quas in fornacibus Cyprijs volitantes vidisse scribit Arist. At nec salamandra, nec animalcula illa in igne viuunt. Quare, &c. non viuere salamandram in igne testatur Dioscor. lib. 2. cap. 52. Matteol. ibidem, Gal. 3. de temperam. Aetius tetrab. 4. serm. cap. 52. Valles. 4. meteor. & alij multi. Plin. nedum negat, sed docet, vnde hæc potuit suspicio nasci, *huic*, inquit, *salamandræ, tantus rigor inest, vt ignem tactum extinguat, non alio modo, quam glacies, eiusdem sanie, quæ lactea ab ore euomitur, neque solum per os, sed etiam per rupturas, scissuras, & poros: quia verò hæc tandem finitur, non habet vlterius, quo possit se defendere ab igne, & ideo à perseuerante vritur*. Pyrausta alas habere traduntur. Qui ergo fieri posset, ne igne contactæ amburerentur? Consumit cuncta ignis, & animalcula hæc in igne perennabunt? Sed viuant, an nutrientur propterea igne? haud cogimur id fateri, nam vt supra ex Aristot. notauimus, & Auerr. docet 2. de anim. Pomp. 4. meteor. dub. 62. multa sunt animalia, præsertim insecta, quæ diu sine cibo possunt viuere, licet de pullo id affirmare non liceat, quemadmodum turpiter hac in re lapsus Pompon. autumauit, nam pullus Gallinaceus, ex albo efformatur, vitello nutritur, vt docuit Hippocr.

Nec Salamandra in igne viuit.

Idem dicendum de vermibus, nempè è terra emersos, niuibus sese inuoluisse, non è niue, aut à niue prognatos: aut si in niue genitos tueri quis velit, quod pulchrè factum à Marsilio Cagnat. lib. 1. var. c. 23. Marcell. Donat. lib. de histor. med. cap. 26. Pompon. 4. meteor. dub. 62. Liceto lib. 4. de spontaneo viuentium ortu, dicendum, non nutriri alimento aliquo assumpto, sed interno eoque aliquandiu perdurare, quod fortasse in causa fuit, cur cum multi Cyprias adijssent fornaces, quidam tamen volitantia illa animalcula obseruarint (aut si diuinare hac in re liceat, elatas scintillas, aut vapores) non viderint alij: nempe externo illa alimento destituta, parum viuunt in igne. Quare facile fieri potuit, vt quidam eo articulo temporis peruenerint, quo genita erant, volitabant: alius, vbi eadem non erant genita, aut perierant.

Nec vermes aliqui niue nutriuntur.

Ex his intelligitur, neque aerem, neq; odoram aliquam exhalationem, posse alicui esse alimento; nam si aqua, quę longè vtrisque crassior, non potest modo aliquo sic incrassari, vt solida euadat, cuiusmodi sunt partes nostri corporis, quomodo id de aere odoraque exhalatione sperandum erit? Possunt quidem odores, vaporem spiritus extinguentem, mox discutere: possunt ijdem imminutũ partis calorem sic roborare, vt felicius obeant coctionem, & munia quæque, vnde ad tollendum animi deliquium, nullũ inuenere medici auxilium, ęque efficax: vt ijdem sic solidescant, vt partium solidarum substantiam reficiãt, persuadebit nullus vnquam mihi; nam hæ non nisi longo tempore possunt reparari, confertim verò vinum, odorque vires exolutas restaurat. Quamobrem fabulosum esse puto, quod de gente Astomorum lib. 7. cap. 2. refert Plin. halitu tantum viuere, & odore, quem naribus trahunt, eamque ob causam ne desit olfactus, cum longiori itineri se accingunt, secum mala siluestria deferre; nam cum multi è nostratibus peragrarint loca illa, ne verbum quidem de re ista scripserunt, quod nequaquam silentio oboluissent, cum alia, vel nullius momenti scriptis commendarint. Prætetea ipsemet Plin. lib. 8. cap. 33. scribit solum Camaleontem inter animalia, nec potu, nec cibo ali. Quare aut ex Megasthene retulit istud Plin. aut maiorem in ipso cõstantiam, vel memoriam desiderabimus.

Falsum quod est, quod quidam de Astomis tradunt, odore nutriri.

Nec putandum cum Argent. & alijs, idcirco diu absque omni cibo quosdam vixisse, quia aerea nutriebantur substantia; nam cum satis sit nutritioni, vt restauretur, quidquid est deperditum, atq; fieri possit, vt ob caloris natiui imbecillitatem, aerea tantum substantia, quæ tenuior, & difflationi propterea aptior, resoluatur, aer tantum aduenieris, satis superque erit vitæ seruandæ, non id admittendum; esto enim calor natiuus, crassam nequeat dissipare substantiam, quis Deus vin-

Nec qui diu cibo abstinuere, nutriti sūt aere. vt Arg. voluit.

vindicabit eamdem ab externarum incursione ? Prætetea aerea illa substantia, quæ à viuentis corpore dumtaxat exhalat, quidnam est. Aer purus, an mixtum, in quo aeris elementum, partes præcipuas obtineat. Si primum, sola ergo aeris admotione, absque alia mutatione substantiali restauratio fiet. Esset insuper species quædã putrefactionis: quod si dicant, mixtum esse, aereum tamen, quod vi caloris est dissipatum, fateantur necesse est, non posse modo aliquo aere restaurari; nam pars consumpta est mixtum perfectum, imperfectum aer. Ergo, qui diu absque cibo vixerunt, aut simularunt ieiunium, aut occultè cibum sumpserunt: aut magno vitæ dispendio abstinuerunt, nam nihil in posterum potuerunt gustare: aut multum extenuati breui sunt extincti: aut diuina factum virtute: haud quidem, inhibita actione caloris in humidum, sed eadem supplente, quidquid caloris vi, consumebatur: aut demum contingit, quia interno alimento nutriebantur, nempè multo sanguine, aut humoribus crudis, alio tempore conquisitis, qua ratione glyres, serpentes, vrsa, & puella illa Germanica, auctore Portio, multo tempore vixerunt, absque cibo. Quando Hippoc. dixit, triplex esse alimentum, alimenti nomine, illud omne intellexit, quod ad tuendam vitam, quoquo pacto cõducit; nam quod aere spiritus, nutriri verè, non possint, inde intelligitur, quia inanimes: secundo quia sunt mixta perfecta. Eodem modo explicandus Arist. locus, non cum Valles. de aquis medicatis cinnanomi feniculi, & mellis; loquitur enim de viatoribus, qui medicatas aquas nequaquam potant: & si his vterentur, quo modo aquas mutare dici posset. Suaderi id potest, quia frequens apud scriptores modus ille loquendi vsurpatur, & passim vocant alimentum quicquid est proficuum alteri; nam Celsus lib. 8. c. 8. vulnera suis medicamentis esse nutrienda monet, atq; alibi, vt pus diutissimè alatur, iubet: nec latini eloquij parentes id reiecere; nam Latinus Poeta eadem metaphora vsus dixit.

Quem si fata virum seruant, si vescitur
aura Aetherea.

Et ante illum Homerus hæc Achillis vmbram dicentem inducit.

Nam non talis ei, nunc sum defensor, ad
altam.
Qualis eram Troiam, supera cum vescerer aura.

An Hetrusci poetæ admisere? Ita: vnde Petrarc.

Voi, ch'ascoltate in rime sparse il suono
Di quei sospir, ond'io nudriua il core.

An aqua mutetur in vinum cap. 7. explicabimus.

Sed aliæ, & diuersæ sunt causæ illius euentus.

Quibus vinum, quibus aqua conueniat. Cap. V.

DEclarata vini, & aquæ natura, est illud modo consequens, vt quibus morbis aqua, quibus vinum conueniat, explicemus. In potus delectu, tria sunt diligenter consideranda, affectus, causa affectus, & pars morbo laborans. De morbo videndum genus, vt an intemperies soluta vnitas, vel mala formatio: species, vt an intemperies calida, frigida, sicca, humida, an sola, an habeat materiam comitem: considerandum demum tempus eiusdem, vt num in principio, augmento, aut statu, an vero declinauerit. In causa inspiciendum, num calida, an frigida, num crassa, an tenuis, multa, aut pauca, quiescens, an in motu. De parte, quæ nam illa.

In recta potus administratione, quæ consideranda.

Si affectus sit intemperies calida, à calida causa concitata, in principio, augmento, & statu, cauendum à vino: concedendum, vbi affectus inclinauerit. Id faciendum, deducitur ex vini natura, nã calfacit, exiccatque: poscit morbus refrigerantia, & humectantia; quoniam vero eadem vi calorifica, iuuat coctionem vinum, promouet sudorem, & vrinas ciet, idque procurandum, vbi intemperies incipit remitti, in declinatione vinum exhibendum, nam ad hæc omnia confert, nec suo calore nocebit, remissa intemperie.

Qua in intéperie vinum conueniat, & quo tempore.

Id autem dictum puta, cum morbus est magnus, & discriminis plenus: at vbi est ille exiguus, & æger consuetus potare vinum, tunc si multum vrgeat indicatio sumpta à consuetudine, sit febris parum molesta, potiori indicationi à consuetudine sumptæ satisfacientes, vinum dabimus, nam & Galen. in cura Diariæ vinum dedit: contra cum magna est calida intemperies, abstinendum; nam quamquam quædam vina non calfaciant, non tamen refrigerare valent, quemadmodum aqua. Quare cum refrigerandi indicatio est, atque hęc expleri possit cõmodius aqua, hæc eligibilior, ni alia obstent. Ne tamẽ ob Hipp. turberis, qui 3. de rat. vict. 40. dixit, nullius esse vsus aquam in morbis acutis, dic nõ loqui vniuersaliter de acutis morbis: sed de ijs, in quibus infestat tussis, & quorum curatio est, per excreationem procuranda; in his est aqua nullius vsus, quia nec tussim sedat, nec sputũ educit, quod maximè exoptatur in pulmonia.

Humidæ intemperiei, & frigidæ, quouis tempore conuenit vinum, ni tamen caput fuerit malè affectum, aut nerui; nã vix dici potest, quantum à vini vsu, & cerebrum, & nerui lædantur. Hinc 3. de rat. victus 41. prohibet Hip. vinum, capitis

Capite quanis intemperie affecto cauẽdum a vino.

tis dolore imminente, nec nisi aquosum permittit, si quid cogat dare, à quo, quia adhuc timet, inbet superbibere aquam, vt retusa frigiditate aquæ, caliditas vini, non valeat impetere in caput. *Cum vero,* inquit, *in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino penitus est abstinẽdum, aquamque tunc dare oportet, vel vinum aquosum, flauumque* (quamuis hoc non acceptet Galenus) *& prorsus inodorum, atque ab ipsius potione, aquæ exiguum superbibendum, nam hoc modo vini potentia caput, mentemque minus tentabit.*

Si ∫ò doleat consensu vẽtriculi frigida intemperie affecti.

Quid si doleat consensu ventriculi refrigerati? dat vinum merum, & paucum Costæus 3. de pot. in morb. cap. 3. Hippocratis auctotitate motus, qui 2. epid. dolori capitis ex crapula vinum exhibet, quamquam damnet, quod cotylam exhibeat. Concedo, & ego, ni aliter ventriculo mederi possimus; verum tamen si alijs cal fieri ille possit hæc præpono, nam ea semper eligenda remedia, quæ nocere nullatenus possunt. Tentandum ergo aliis calorificis curare ventriculum: ni prosint, parum vini dandum, & ab ipso, aqua superbibenda; hæc enim, ni nos fallit Celsus ventriculi imbecillitati medetur, cohibetque vaporum elationem ad caput.

Abstinẽdum quoque in morbis a soluta vnitate.

Ex dictis constat, non esse exhibendum vinum in morbis, à soluta vnitate, vel enim soluitur vnitas à causa interna calida, & hæc vino augetur: vel soluitur eadem à causa externa incidente, secante, contundente: at hic maximè procurandum, ne fiat ad partem vulneratam affluxus. Quare cauendum à vino, cum maxime valeat vinum ad coocitandos humores.

Et tumoribus calidis, & fluxionibus.

Neque in tumoribus calidis, vt ophtalmia, angina pleuriti, hepatiti, & erisipelate; tum quia vinum calidum, cum quia fluxionibus excitandis aptissimum. Quare nec in dysenteria, aut diarrhæa, nec alijs quibusque fluxionibus calidis (ni tamen reluctetur ventriculus, aut adstringendi, vel prouocandæ vrinæ indicatio vrgeat) modo aliquo erit admittendum.

Commodus tamen morbis in cauitate.

Qui potus opportunus morbis in cauitate adstricta, ab humoribus crassis, vt in obstructione, non admodum certum, quia dubium, vtrum valeat magis penetrare; scripsit enim Hipp. 3. de rat. victus 40. aquam hypochondria grauare, lienemque, & iecur, si fuerint obstructa, augere: docet Arist. 3. sect. probl. 22. vinum dilutum inebriare magis, quam sincerum, quia maiorem haber vim penetrãdi. & alibi dixit, maculas factas à vino diluto, difficilius tolli, quam quæ ex puro. Adde, & rationem, nam crassius vinum aqua. Darem huic manus, si quo citius, & facilius potus, ad partes quasque corporis accedat, id tantum requireretur, tenuitas nimirum substantiæ; nunc vero præter hoc, illud maioris momenti, vt citius actuetur, actuatum dissecandi vim habeat, & abstergendi, sunt hęc omnia in vino, desiderantur in aqua. Præterea roborat ventriculum vinum, vnde tollitur occasio congestioni crudorum, crescit vsu aquę.

Quod dicit Arist. cui Auic. quoque consentiens lib. 1. fen. 3. d. 2. dixit. *Scias præterea, quod mixtum velocius inebriat, propterea quod aqueitas penetrat*, de crassissimo vino, coctoque explicandum; hæc enim, quæ ad multos annos adseruabant antiqui, non nisi aquę mixta assumi poterunt, assumpta distribui; tenuia non solum non egent aqua, quo facilius penetrent, sed vt Galen. scripsit primo de simpl. facul. 29. *Vinum adminiculo est aquæ, ac veluti alas ills ad omnes corporis partes permeandas addit, vnde fit vt vinum cum aqua, aut aceto bibitum, efficacius sitim restinguat.*

Monitum;

Hæc seruanda, à morbis indicatione desumpta, causis, & parte male affecta; at si labascant vires, & confertim, vt in syncope, tunc omni alia indicatione post habita occurremus symptomati, quod quia vino facillimè tollitur, vinum fortè, & meracum exhibebimus; vbi illa recesserit, pro morbi ratione potabimus ægrum.

Quæ vini species, cuique affectui debetur. Cap. VI.

Vinorum differentiæ septem.

VInorum differentias multas esse, nemo est, qui ignoret: sumitur vna a colore, à sapore alia, alia à tenuitate, & crassitie, quarta ab odore, quinta ab agendi virtute, sexta à tempore, seù vini ætate, septima à modo faciendi vina: addi potest octaua à loco: vnde sunt quædam vina odora, inodora alia: odorata adhuc duplicia, alia bonum spirant odorem, habent alia ferientem, & insuauem. Quędam vina sunt alba, alia nigra, quædam fulua, alia rubra, quædam crassa, quædam tenuia, quædam dulcia, alia austera, vel acria, quædam vetusta, quædam recentia, quædam lesbica, massica, surrentina falerna: quædam naturalia, quædam factitia. Tot ergo cum sint species vinorum, quod vinum cuique morbo conueniat examinandum.

Quibus nam vina odorata conueniant.

Quę bonum spirant odorem quantum valent reficiendis spiritibus, tantundem nocent capiti, & hystericis affectionibus. Quare commendantur ad vires restaurandas, reijcienda in capitis dolore, & hystericis passionibus: malè odora nullius sunt vsus: inodora sunt vsurpãda frequenter in morbis calidis, vide lib. de cibis boni, & mal. Succi cap. 11.

Lau-

Dulcia, austera.

Lando dulcia in affectibus pectoris, in intemperie frigida ventriculi, & intestinorum: sunt quoque vtilia, vbi aluus est stricta: fugienda in calida intemperie hepatis, obstructione eiusdem, & lienis. In laxitate viarum laudo rubra, quæ austerum habent saporem, & ponticum: nec displicent substantia tenuia, colore alba, si ad vias vrinarum elt animus deducete succos, qui per aluum, aut aliam viam excernuntur immodice: sunt eadẽ apta in affectibus calidis, quemadmodum acria magno sunt detrimento ventriculo frigido, & morbis quibusque ipsius pectoris, & vesicæ.

Crassa tenuia.

Crassa, quæque tardè permeant, Inimica sunt ijs, qui viscerum, patiuntur obstructionem: tenuia cum cito pertranseant, vrinam prouocent, & corpus expurgent, commendantur in omnibus affectibus vesicæ, & renum, & cuiuscunque alterius partis, quæ sit obstructa.

Debilia fortia.

Quod pertinet ad vina potentia debilia, hæc scribit Hipp. 3. de rat. vict. 8. *Quod autem superiora quidem omnia, vesicamque minus offendet, si dilutius fuerit, intestina vero iuuabit magis, si meracius: nominem latet ere debet*: neque ad intestinorum tantum affectum frigidum, meracum laudar, sed ad ventriculi pariter impotentiam, nam 2. de rat. vict. 23. ijs, qui plus ingurgitant, quam coquere possent, meracius præbet, non dilutum, quod hoc, vt dicebat Gal. eodem lib. t. 28. *ventris robur exoluat*: & 3. de simpl. facul. 20. ad quamuis refrigerationem, commendat huiusmodi vinum, *tale*, inquit, *natura vinum, ætate vetus, meracius, mixtum, eos etiã, qui refrigerati iam sunt persanat: nec solum papaueri succo, aut alio quopiam refrigerantium, medicaminum, verum etiam, qui in morbis, aut è stomachi, aut ex cordis dolore, animi patiuntur deliquium.*

Cur caput ventriculus intestina, & vesica, cum simili tempe rie gaudeant caput tamen lædatur a meraco, & vesica stomachus & intestina iuuentur.

Quę dubia, ac propterea expendenda, nam caput, & vesica frigidam temperiem habent, quemadmodum intestina, & ventriculus: vt ergo ista, meraci vsu iuuantur, sic vesica, & caput: aut ęque stomachus à vino forti lœdetur, vt vesica, & caput. Et quidem leuia vina desiderari à stomacho, probat illud, quia non potest imbecillus ventriculus coquere potentissimum vinum.

At prima difficultas facilè diluitur, nametsi spectata temperie, idem vinum amer vesica, & caput, quia tamen potens vinum, & suos, & aliorum vapores incoctos ad caput ducit, fugiendum: idem cum acrimoniam habeat, reddit acrius serum, quod vesica excipiens, non parum detrimenti persentit; hinc fit, vt caput, & vesica, à forti vino lædantur, nullum sentiant detrimentum intestina, aut ventriculus. At cur iuuantur? Respondet Gal. 3. de rat. victus 8. *Quia adstringit, & hac ratione addit robur*: quod dubium, nam neque omne vinum meracum, est adstringens, neque intestina conuenit adstringi, vt quę ad excrementa extra corpus pellenda, sunt constructa. Pręstat dicere, quod ipsemet Galen. 2. de rat. vict. 23. docuit, iuuari stomachum, & intestina ab hoc vino, quia incalescunt, redduntur que hac ratione valida ad coquendum. At citius inquies à tenui vino incalescet ventriculus, quam à meraco, & potenti: quinimò refrigerabitur à meraco, quia insuperatum manebit, nam non potest imbecillus ventriculus summum vini calorem euincere.

Dabat manus huic argumento quidã Professor publicus, dum de re ista publicè disputaret, & tenue, & imbecillum vinum imbecillo ventriculo, dandum esse clamabat: praxim postea faciens, vinum porrigebat ęgrotis, ne si tenue exhibuisset, tamquam omnium rerum rudis, ne dum à medicis, sed & a fęmellis haberetur: hac ratione, & à discipulorũ argutijs, & fæmellarum cachinno euadebat, nam quisque, vel rudis intelligit, ni calidum uinum porrigatur ueutriculo imbecillo, numquam posse incalescere, & eius intemperiem curari: dandum itaque, & exequendum, quod monet Hipp. & medici omnes; nec remouere nos debet ab hoc proposito argumentum propositum: nam uinum est potentia calidum. Quare potest ab imminuto calore uentriculi actuari: & actuatum postea, recalfacere stomachum, & hic exalfactus uincere uini substantiam, si ex eorum sit numero, quæ crassescere possunt, & nutrire. Præterea coctio non fit à calore principaliter, sed ab anima, à calore non nisi instrumentaliter pendet: potest autem instrumentum à principali agente, eleuari ad effectum nobiliorem producendum. Quare quamquam esset calor uentriculi imbecillus, poterit tamen adiutus ab anima, uim calorem euincere. Proinde rectè Gal. 3. de simpl. 20 in quauis refrigeratione, è quauis causa profecta, commendat huiusmodi uinum: quamquam ingerat aliqualem difficultatem nox illa, mixtum, nam si est meracũ, quomodo idem mixtum fuerit? hinc legunt multi meracum, & temperatum, qui nõ satisfaciunt; nam si est meracum, quo pacto est temperatum. Melius Lacuna uertit mercum, & intemperatum, quia ad tollendam refrigerationem, nedum bibere meracum oportet, sed intemperate, hoc est, multum; nam si parũ uini quis bibat ab assumpto papaueris succo, citius ad cor uenenum deducitur, quare multum bibendum, quo à summo uini calore papaueris frigiditas corrumpatur. Assentiret Lacunę, si docuisset, quo pacto uinum largè epotum ijs possit prodesse, qui syncope sunt refrigerati. Propterea legerem ego, *tale autem*

natura vinum, ætate vetus, intemperatum, hoc est, non temperatum in qualitatum symmetria, sed in calore excedens, sanat eos, qui sunt refrigerati, non vno tamen modo, & indiscriminatim omnes iuuat, sed iuuat eos qui à papaueris succo sunt refrigerati, si intemperatè bibatur, iuuat refrigeratum à syncope, temperatè epotum. Atque hæc de vino meraco, & potenti.

Laudatur imbecillum, & tenue, inodorum, aquosum in morbis calidis, illud enim eligibilius est, quod cum profit vni, non noceat alteri. Quare cum affectus omnes calidi, lædantur à vino; illud exhibendum: vbi dare cogimur indicatione desumpta, vel à viribus, vel à consuetudine, aut stomacho malè affecto, quod non nocet admodum capiti, aut morbo calido. Quare rectè medici in febribus omnibus tenuia vina, & aquosa exhibēt: idque purgato corpore, ne cum diuretica sint, ducant crudos succos, quibus solet vt plurimum scatere ventriculus, ad pœnitiores partes corporis: vnde curans quotidianam Gal. 1. de art. curat. ad Glauc. oximè exhibet, post primos tamen dies, quamquam quidam textus primis diebus legant, & malè.

An vinum arte tenue redditum, forte tamen natura, ex vin.

Cœterum, quia tenue vinum est duplex, vel bifatiam potest fieri, natura, & arte, hoc est, apposita multa aqua vino, petet quispiam, liceat ne vti vino natura calido, imbecillo tamen reddito mixtione aquæ, an semper natura oligophorum exhibendum?

Idem Lusitan. lib. 1. c. 18.

Ita censet Augen. to. 2. epist. lib. 2. & nam si parum aquæ admiscebimus, erit vinum adhuc generosum: si multum, subuertet ventriculum sua insuauitate 2. de victu acut. 28. 3. sect. probl. 8. unde probat illud Hippocr. t. 20. l. de diæta ad concitandum vomitum; non gignet spiritus, nec coctionem iuuabit, vnde Homer. *Perdidisti vinum cum aqua.*

Sed si rectè hæc ratio perpendatur, id tantum probat, eligibilius esse vinum, natura oligophorum, quam arte factum; nō posse id arte fieri, quia semper vel plus aquæ admiscebitur, quam vinum possit ferre, aut minus; qua facilitate affirmatur, eadem negatur, vel quod gratis Aug. affirmat, Hippoc. auctore negamus; qui hæc 3. de rat. vict. 41. reliquit scripta: *Cum forte capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus fueris, à vino penitus abstinendum, aquamque tunc dare oportet, vel vinum aquosum flauumque, atque ab ipsius potione, aqua exiguum superbibendum; nam hoc modo vini potentia caput, mentemque minus tentabit.* Homerus Cyclopem temulentum, & barbarum ita inducit loquētem, aut explicandus locus de ijs, qui ineptè, & non ad proportionem vino aquam admiscent: nam quod oppositum, placuerit Græcis, apertè colligitur ex istis versibus, sic latinè redditis

Bacchus, vt è flammis, puer exilijsset: in vndis
Tinxerunt Nimphæ, sordidum ad huc cinere.
Hinc iunctus Nimphis, est Bacchus gratus, at ignem.
Ardentem excipies, hunc nisi miscueris.

Quos elegantius traduxit Moretus hunc in modum.

Qui colitis Bacchum, comites simul addite Nimphas,
Nam sine ope illarum, munera nostra nocent.

Nec quisquam, ni temulentus sit idem, ab ista sententia discrepauit, vt propterea credam, vbi Hippocr. scribit, huiusmodi vina, nullos gignere spiritus, non adiuuare coctionem, de vino non aptè diluto, loquutum esse.

Noua inutilia, & vetusta admodum.

Demum, quod ad tempus spectat, tres sunt differentiæ vini, vnde dicimus alia esse antiqua, & vetusta, media alia ætatē habere, alia esse recentia, & noua. Ex his, vetusta, & noua, vna omnium sententia inutilia, & noxia: damnant illa antiqua, quia mordacia, acria, & vt Auicen. 3. p. doct. 2. cap. 8. ita calida, vt medicamenti potius habeant rationem, quam potus: nouum, quia flatuosum, difficilis coctionis, distributionisque; vnde epar, & viscera quæque obstruit, nam cum nondum sit à fœce, & crassis excrementis defœcatum, crassius, & permeatu difficilius redditum, nihil mirum, si infarctus patiat, & obstructiones; cumque idem ob suam nitrositatem, abstergendi vi polleat, calore vero stimulet, & ad excretionem naturam proritet, solet aluum turbare. mediæ itaque ętatis vinum probatur, vt benè Galen. censuit 7. method. cap. 6. est autem mediæ ætatis vinum, quod ab vtraq; superfluitate, crassa nempe & tenui, ita est expurgatum, vt illa subsederit, tenuis sursum à flatu elata, prodierit foras, vnde vini substantia nitida, & conspicua permanet. Id cum fiat in vinis nostratibus spatio quinque aut sex mensium, huius ætatis vinum medię ætatis esse dicemus. De vinis nostri temporis inquam, nam quod vina antiquorum, ante septimum annum non essent bibendo, docuit clarē Dioscor. lib. 3. vbi explanans quonam tempore posset vinum potari, *in media*, inquit, *ætate puta septimo anno potui fiunt saluberrima*: docuit Galen. qui lib. 7. method. cap. 6. de vino Sabino sermonem habens, *quocirca*, inquit, *citius sexto anno nobile Sabinum idoneum nō est, quod & inutilissimè in stomacho, & ventriculo innatet, & fluctuationes faciat*, & lib. de antidot. cap. 3. habet, Surrentinum vinum ante annum vigesimum, crudum esse, vnde cap. 5. subdit, cum vinum falernum pro confectione theriacæ electurus esset, non degustasse, quæ annum vigesimum non excessissent,

sissent, ac si nouella illa essent, & nondum cocta. Qui vero factum, vt quæ tanto tempore antea viuebant, nunc breui exolescant, non admodum patet. An quia exoluta est senio agrorum vis & fœcunditas? An quoniam non eam adhibent, nostri diligentiam in excolendis agris, quā adhibebant antiqui? Est fortasse hoc aliquid, prima tamen causa placet magis, nam Hispani, & alij, quos scimus non aliter excolere agrum, ad multos seruant annos vina. Quę ratione coloris, aut loci sunt diuersa, considerantur à medico, quia inde potest conijcere, an sit robustum vinum, an imbecille, an dulce, an acre, an crassum, an tenue. Quare vbi noueris robustum vinum vsui esse huic ægro, illud exhibebis, nil curans, an sit colore album, vel è monte Vesuuio aduectum. Factitia nullo in vsu sunt apud nostrates, vt propterea iure possim, ab hoc dicendi onere, me subtrahere, præsertim cum ijsdem damnandis, aut probandis non defuerint ingenia decora. Sed quando vinum non aptè dilutum damnatur à cunctis, qua mensura, aqua vino admiscenda, & quando, cap. seq. dicendum.

Quantum aqua vino admiscendum, & quando. Cap. VII.

Variè de re hac opinati.

VOluere quidam, quos refert Atheneus lib. 10. cap. 7. par. pari miscendum. Alij vni parti vini, tres quæ apponebant: quatuor alij: censuerunt alij quinque partibus aquæ, vnam vini esse addendam, quocirca celebre fuit huiusmodi adagium apud Græcos, *aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor.* Idem Plutar. 3. simpos. 9. & Auctor adagiorum.

Et falso fere ab omnibus.

Hos ego reijcio omnes: nam sunt multa & varia vinorum genera, sunt varij morbi, & partes affectę diuersæ: hæc omnia in vino diluendo spectanda; proinde quis non videt, certam quandam, & definitam aquæ, vinique mensuram, non esse admiscendam? cum ergo generosa sunt vina, & fortia, & refrigerandi indicatio vrget, vel caput dolet, aut nerui sunt affecti, multum aquæ addendum: cùm roborare stomachum refrigeratum est animus, aut nihil aquæ, aut parum, admiscēdum. Plus itaque aquæ, minusque addendum pro varia natura vini, affecti capitis, laborantis particulæ, & indicationis variæ, calfaciendi nempè, aut minus refrigerandi. Vetus illud prouerbium, potationum numerum notat potius, non modum diluendi vini.

Vnde aliter decernimus.

Quando vinum diluēdū Putant quidem, antequā bibatur.

Quod pertinet ad aliam difficultatem, censent multi, multis horis, antequam vinum bibatur, diluendum esse, duas ob causas; altera est, quia ita melior fiet aquæ cum vino permixto, altera, quia facilius ille spiritus, qui facili quodam negotio in caput repit, infringetur. Videtur tamen superuacanea quędam diligētia, & omnino inanis, si Hippocr. consulas; nam ille dat primo vinum, nulla aqua dilutum, exhibet postea à vino aquam, audi ipsum, sic latinè loquentem 3. de rat. vict. 41. *Cum in huiusmodi morbis timueris, nè caput vehementer grauetur, aut mens tentetur, tum a vino penitus abstinendum, & aquam, aut vinum aquosum fuluum, & non odorum exhibere oportet, deinde potum aquæ superbibere; sic enim sua potentia, non tam facile caput & mentem attinget.* Suadet idē ratio, nam quamquam vinum calidum sit, & siccum, eaque ratione possit aduersus aquam agere, hęc in vinum, habet tamen vinum huiusmodi qualitates ligatas, & impeditas: vndè nec siccare vnquam poterit, nec calfacere, nisi illud impedimentum amoueatur. Cumque à calore animalis dumtaxat remoueatur, calfaciet vinum, siccabitque, cum à calore animalis fuerit in actum deductum. Non itaque aquæ admixtum, aget in aquam, aut hæc in vinum, nam nullam habent, ratione actualium qualitatum contrarietatem: vi virtualium, non potest vinum agere nisi actuetur, nec ab alio quam à calore animalis, in actum deduci.

Diluit in stomacho Hipp.

Pro quo ratio quoque videtur esse.

Neque repugnat Arist. aut experiētia, quamquā repugnare videantur.

Neque Arist. aut experientia fauet patronis prioris sententiæ; nam quāquam dicat primo de Gen. t. 88. ideo guttam vini, decem millibus congijs aquæ, non misceri, *quia soluitur, & mutatur in vniuersam aquam*, & tex. 39. eiusdem libri, loquens de aqua vino admixta, vinum esse asserat, quod inde resultat *quia facit vini opus, sed non aqua vniuersa mixtura*: experientia item moneat, vini vim aquæ admixtione retundi, & mirum in modum infringi, potest tamen dici, indè illud cōtingere, quia aqua admixta, in minimas vinum, & aqua, diuiduntur particulas: nunc vt vis cuiusq; vnita, vegeta est robustaque: sic diuisa dissoluitur, & ita imminuitur, vt sensum mouere non valeat: vt propterea, si ipsum in consilium adhibeas, nullum esse vinum, & omninò corruptum, aut nullam aquam adesse, facilè fatearis. At si ratione, quę sensus errorē emendat, rem perlibres, mox cognosces, numquam aquam in vinum verè conuerti, aut hoc in aquam; enimuerò profitentur Chymici, posse extrahi aquam, vino admixtam: quo ingenio, si esset omninò corrupta, & in vinum conuersa? Præterea, si id asseratur, verè augeretur vinum aquæ admixtione, & verè nutriretur; nā vi propria verteret aquam in sui substantiam: vndè vi propria reficeret, quicquid esset deperditum: atque si maior esset quantitas eius, quod reponitur, quàm consumpti, verè idem augeretur. At quam hoc absurdum in Philosophia? Nec minora premēt, incommoda Theologos,

Nam aquam in vinum nō verti, multa suadent.

si id afferatur; cogerentur enim fateri; non peccare modo aliquo eos, qui venderent dilutum, pro puro, & sincero, equidem si verè aqua in vinum est conuersa, sincerum esse vinum, verè possum asserere.

Agere nihilominus aquam in vinum, & hoc in aquã putamus.

Est nihilominus affirmandum, mutuam esse inter aquam, & vinum actionem: non enim fides est sensui neganda, vbi nulla est efficax ratio. quæ sensum errare manifestè doceat, quam non esse, in nostro casu, admittet facilè quisque, vbi dissoluantur adductæ. Quare hoc tentandum. Dicimus ergo, non esse modo aliquo qualitates illas, quas virtuales medici, & physici vocant, ita impeditas, vt nequeant agere, ni à calore animalis, in actum ducantur: nam simplicia illa, è quibus theriaca conficitur, ita agunt, reaguntque, vt bona ex eorum actione temperies in theriaca resultet. Quare, non est hanc ob causam negandum, vinum agere in aquã, scilicet, quia potentia est calidum. Adde, quòd secundo huius operis diximus cap. 10. qualitates has virtuales, actu mixtis inesse, neque vllo egere, vt agant in ea subiecta, quæ ab ipsis sunt apta nata pati: nec sentiendum aliter, quia nõ agunt in quoduis indiscriminatim; nam neque magnes trahit quoduis corpus, nec quiuis humor à quouis medicamento allicitur, & tamen vis magniets actu est in magnete, & expedita. Quid magnetem commemoro, & reubarbarum? nullum agens agit in quoduis, nec patitur quodcumque à quocumque 1. phys. an dicemus propterea, facultatem quamcunque agendi impeditam esse, & ligatam? Minimè verò. Quare non est cur negemus, mutuo aquam, & vinum agere, quãquam vinum virtualiter calidum esse profiteamur.

An ita agunt vt aqua vertatur in vinum.

An verò ita agant, vt vnum vertatur in aliud, hoc magis arduum, & magni momenti, vt Theologica quædam controuersia dirimatur; enimuerò, si nullatenus aqua in vinum vertatur, fatendum omnino est materiam Sacramenti Eucharistiæ, nedum esse panem, & vinum, sed aquam quoque, quod multis suadere conatur Aegidius de Coninc. lib. de Sacram. q. 74. art. 8. Verùm si id fieri, nullam inuoluat repugnantiam, potest commode illa opinio defendi, quæ docet, vinum tantũ, & panem, materiam esse huiusce Sacramenti. Eia proinde rem examinemus.

Pars quæ negat videtur vera.

Negant multi, aquam verti in vinum, quia hæc simplex est elementum, vinum perfectum mixtum. Secundò, quia tàm aqua, quàm vinum nutrirentur, augerentur. Tertiò non extraherent Chimici aquam vino admixtam: nec quartò reprehenderent Theologi vinum; adulterantes, & dilutum pro syncero vendentes. Nutriret demum aqua, si verè aqua in vinum verteretur. Fatebor rem ingenuè persuaserunt quandoque hæc mihi, & alios has ob causas, in hanc sententiã traxi: At re exactius pensitata, distinguenddm duxi. Puto itaque si de ijs vinis loquamur, quæ sunt ita crassa, nutrire vt valeant nostri corporis partes, nũquam futurum, vt aqua in hæc conuertatur; nam, vt supra monstratum à nobis est, nunquam aqua à calore crassescere potest, quamquam à frigore eadem congelescat. At si de tenuibus vinis, quæ nec crassescere possunt, nec consequenter nutrire, sermo fiat, hæc dubio procul omni poterunt aquam assimilare, & breui tempore, in sui substantiam conuertere; nam si symbola facilè permutantur, facillime aqua conuertetur in vinum, quando nedum sunt similia huiusmodi corpora, sed prope eadem esse putarunt Antiqui, quando putarunt ijdem, nil aliud esse vinum, quam aquam in vite putrefactam. Vnde errant, qui putant numquam posse áquam in vinum conuerti, quia simplex est aqua, etenim mixtum corpus est, vt communis est omnium Philosophorum consensus, & licet sit mixtum imperfectum, potest ex ea perfectius produci, nam ex aere corrupto animalia. Neque id negandum, quia hoc admisso aqua, vinumque nutrirentur verè, & verè augerentur, nam ad veram nutritionem, & accretionem, non est id tantum satis, scilicet, vt vnum in alterum conuertatur, alioquin aqua, ex aere nutriretur, vbi hunc sibi assimilaret: at generationem vocant huiusmodi mutationem Philosophi, non nutritionem, aut accretionem; nempè, quia omnes intelligunt ad veram nutritionem, & accretionem aliud requiri, nimirum, vt fiat secundm quamcumque dimensionem, quod nõ posse contingere in casu nostro, est certissimum: nam si aqua sit vino minus grauis, supernatabit, si grauior, petet ima. Quare numquam fieri poterit, vt quæuis pars vini aliquam, aquę partem in sui naturam conuertat.

Distinguendum tamen;

Quod Chymici promittant, aquam è vino extrahere, me non mouet. nam promittunt ijdem montes aureos, cum tamen extrema rerum omnium inopia premantur. Nec est, cur propterea, putent quidam, licere ijs dilutum pro puro vẽdere, nam vis vini, aqua admixta sic eneruatur, vt diù seruari, non possit, neque hoc facilè nosci potest. Quare, cum teneantur ij, qui rebus vendendis dant operam, occulta vitia rerum, quæ vendũtur fateri, fateri ijdem tenentur vinum esse dilutum. Non est demum, cur alij hinc deducant, posse aquam nutrire, nam nec vina, in quę aqua verti potest, nutrire sunt apta. Quę nutritioni sunt idonea, sunt autem vina quædam crassissima, hæc aquam nunquam vertent, in sui naturam, quia nulla vi aqua crassescere potest. Si

quis

quis ergo velit diluere vinum antequam bibatur, non accusabo eorum diligentiam, contemnam tamen, nam in stomacho eadem breui fiunt; equidem tanta est inter aquam,& vinum familiaritas, vt breuissime possint commutari.

Cœterum si in ventriculo vera fit dilutio, quid prius bibendum, aqua an vinum? vtro modo facias, parum refert; eoimuerò in alimentis liquidis nullum seruant ordinem medici, nam facilè, quæ liquida sunt, quamquam prius sumantur, miscentur cum alijs, quæ postea sorbentur: siquis tamen ordo in re illa seruandus, id fieri moneo, vt laborantes calida intemperie hepatis, aquam primo sumant, deinde vinum: laborantes frigida intemperie ventriculi, capitis, aut neruorum, vinum primo sumant, à vino superbibant aquam, nam ita monuit Hipp. 3. de rat. vict. 41. atque hinc fiet, ne vinum caput, & mentem attingat.

Quot aquæ species, quæ vitiosæ, & cauendæ. Cap. VIII.

Aquarum differentiæ multæ.

NOn sunt minores species aquæ, quā vini, vt enim quędam vina, sunt naturalia, factitia alia, & vnumquodque eorum multiplex: haud secus, quædam aquæ sunt naturales factitiæ aliæ: naturales multiplices, palustres, stagnantes, fontanæ, fluuiatiles, puteales, pluuiales, quę adhuc multæ, niuales, glaciales, grādinosæ, ita dictæ, quia ex liquata niue, grandine, glacie, rore, aut pruina, ortum habent. Artificiales etiam multæ, quædam factæ vi decoctionis, destillatione aliæ elicitæ: decoctæ, adhuc duplices, nam vel pura tantum aqua coquitur, aut alia cum aqua admiscentur, & aquæ medicatæ dicuntur, variaque habent eædē nomina, pro rerum quæ coquuntur cum ipsa varietate, vnde si mel cum ea coquatur, mulsa dicitur, & aquæ salsæ, chinæ guaiaci, sassafras, si hæc imponantur. Aquæ per distillationem elicitæ, sunt variæ, prout vario modo fit destillatio, vt in vase plumbeo, vel in balneo Mariæ. Tot ergo cum sint species aquarum quæ melior, & quibus morbis aptior, edocendum.

Niuosæ grandinosæ glaciales, aut ex pruina fugiēdæ omnes.

Quod pertinet ad aquas naturales, damnantur, quæcunque fiunt ex niue, grandine, glacie, & pruina eliquatis: damnandas esse suadent, earum origo, & effectus, quos in corpore produnt. Est harū aquarum idem, qui pluuialium auctor: materia eadem, vapor scilicet, quamquam ex crassiori nix fiat, ex tenuiori pluuia, ex crassissimo, grando: vnde tardius nix, quam pluuia dissoluitur, niue tardius grando. Est auctor cuiusque frigiditas: moderata tamen, aquam: maior niuem, maxima, quę grandinem gignit,

Locus, causa materiæ niuis, grandinis, pluuiæ.

scilicet oritur pluuia densato vapore, nix congelato eodem: densatur prius in grandine vapor, mox coagulatur. Hinc patet, quo in loco cuncta hæc fiant, nempe cum sint frigida in secunda aeris regione gignentur, vt cap. 12. meteor. sed cum sit nix frigidior aqua, niue grando, fiet pluuia in media aeris regione nobis vicina: altiori in loco nix suam habet originem: quo fit, vt eodem tempore quo nix in altissimis montibus, pluuia in loca decidat inferiora: magis alte grando quandoque gignetur, pruinæ, & roris idem est ortus, & ab eodem calore Solis eleuante vapores, die inclinante progignitur: quamuis ex crassiori materia, nec leotoris experte, maiorique frigore fit pruina: ex minori frigiditate ros, & propè terram densatur, vnde patet ratio, cur cum sit eadem aquæ, & pruinæ materia, idem auctor, vrat tamen flores, & herbas pruina, foueat aqua, & in augmentum promoueat Nimirum, non habet tantam aqua frigiditatem, quanta est in pruina. Præterea vapor ex quo aqua, est humidus, siccior ille, qui est pruinæ materia: hinc aqua humectat, exiccat pruina, tum propter siccitatem, cum ob frigiditatem exprimentem humidum illud quod partes vnà simul connectebat. Ex eadem siccitate fit, vt decidens pruina in faciem, pruritum excitet, est enim mordax: nec placent, qui in frigiditatem constringētem poros, & calidos, acresque vapores detinentem, hoc referunt: faceret enim idem aeris frigus, faceret pruina, quamquam corpus, nequaquam attingeret.

Roris, pruinæque natura efficiens.

Cur vrat herbas & flores pruina, aqua foueat.

Hinc vnusquisque intelliget, esse admodum noxias aquas, ex niue, aut grandine, nam sunt admodum frigidæ, & inconcoctę, sunt & crassæ, nam expirante parte subtiliori, dum vapor in niuem concrescit, crassa tantum relinquitur: id cum bis fiat in grandine densata, & liquefacta, erit aqua ex grandine peior. Idē de aqua, ex pruina iudicium: ex quo intelligi potest, quam detestanda sit consuetudo eorum, qui vinum, niue diluunt, aut aquam niue in ipsam immensa, refrigerant, debilitat enim hic potus stomachum, & hepatis insitum calorem extinguit, quo fit, vt in cachexiam, & hydropisim incidant, destillationem, tussim, ac sanguinis sputum, nam frigida qualis nix aut glacies pectori inimica 5. aphor. 24. quod si non semper id accidit, idcirco liberantur, quod pari modo incontinentes sunt in vsu aromatum, & vno excessu alterum excessum emendant, vel vt Galen. dixit lib. de cib. boni, & mali succi cap. penult. rependent postea, & cum fœnore, quod continuo non soluunt, nā quo pęna tardior, eo grauior esse solet. Refert Aul. Gell. 10. l. noc. Attic. 5. cum ipse vna cum alijs æstate quadam anni flagrantissima, aquam ex multa niue dilu-

Cur aquæ niueæ, & grandinosæ malæ.

tam

tam biberent, nec posset Peripateticus quidam rationibus consequi, vt abstinerent, petijsse è biliotneca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa erat Arist. librum, in quo hæc præter cætera continebantur. *Cur aqua ex glacie niueque liquata sint vitiosa. An quia cum aqua quauis niue concrescat, pars tenuissima difflatur, & leuissima euaporat? Inditium illud est, quod eliquata fit minor, quam ante fuerit, quam concresceret: cum itaque quod salubrius est defuerit, deterius sit, quod relinquitur, necesse est*: neque aliam ob causam fieri credit Senec. vt mulieres podagra laborent, quia *rodunt niuem, stomachi æstuantis solatium*. Hinc non possum non mirari Auic. qui 2.1. doct.2. cap.16. scripsit. Nix vero, & aqua glacialis, cum munda fuerit, & non commixta alteri rei virtutem habenti malam, siue soluatur, & ex ea fiat aqua, siue cum ea de foris infrigidetur aqua, siuè ipsa mittatur in aqua, erit bona.

Cur rorales.

Quid de aqua ex rore? si roris repetamus exordia, videtur probanda: nam materia, humidus & tenuis vapor, efficiens moderata frigiditas, & moderatus calor, qui eius materiam attollit, ni diuersas, & varias qualitates acciperet, prout diuersæ sunt, & fruges, & plantæ super quas decidit.

Damnantur tertio palustres aquæ, & stagnantes: nam æstate feruent à Sole excalfactæ, sunt hyeme admodum frigidæ: vtroque tempore crassæ sunt, & putres, quia immotæ, & vapores ab ipsis elati, non exhalant. Hinc fit, vt sint hæ biliosę, vt dicebat Hippocr. & morborũ pituitosorum, & ab humore melancholico feraces: bilem gignant, vel concitãdo putredinem, aut obstructione adaugente calorem: pituitam, suffocando eundem: melancholiam obstruendo lienem, vt non valeat melancholiam attrahere.

Et a lacustres.

Idem censet Hippocr. de aquis lacustribus, quod dubium, nam mouentur, & quandoque tempestates, maritimis non dissimiles excitant. Flumen in se ipsis admittunt quo fit, vt noua aquarum copia aduentante non euadant ripas. Praeterea palustrium aquarum vadus cœnosus, & limosus, arenosus lacustris: caliginosa superficies aquarum palustrium, nõ sic in lacubus. Quid quod hæ alunt sapidissimos pisces, pessimos illæ, & nulli vsui?

Proinde dicerem sententiam Hippoc. non esse vniuersaliter veram, sed in quibusdam tantum habere locum.

Nec probantur fluuiales.

Damnantur quarto fluuiales aquę, sunt enim flumina ex aquarũ colluuie, ex multis tunc fluuijs, nec nõ niuibus, grãdine, fontibus, lacubus, ex omni genere sordidatum aquarum, & corporum, quę ex vicinis ripis, & longinquis regionibus excipiunt collecta. Quis autem laudet aquas ex materia adeo dissimili coaceruatas, & mala? Hinc fit, vt quo maiora sint flumina, & producuntur longius, sint magis suspecta. Quare suspecta est mihi aqua Tyberis, quamquam multum probetur quibusdam, si post sex menses bibatur, quod tempus requirunt, vt deponat fœculentas materias: nec me monet, quod diù incorrupta seruetur, potest enim id fieri mixtione aluminis. Pręterea non est hoc inditium laudatæ aquæ, immo si ea optima, quæ citò alteratur, quia arguit tenuitatem aquæ, non valentis resistere causis alterantibus, non erit argumentum probatæ aquæ diù seruari.

Damnant quinto quidam puteales aquas, quia crassæ substantiæ, & sordidæ, quia immotæ, ac propterea putredini aptæ, quia admodum crudæ, ob magnam à Sole distantiam, vnde quo est profundior puteus, eò est ipsis suspectus magis. Ego nihil certi statuo, nam cum earum perfectio, & vitium à terra pendeat, è qua prodeunt, prout varia est terrę conditio: sic variæ hæ aquæ; nam quod dicũt de immobilitate, quis non videt nullius esse momenti? etenim vbi multum aquæ hauriatur è puteo, agitantur.

Aut pluuiales, quamquã videatur probasse Hipp.

Laudat aquas pluuiales Hippoc. l. de aere, aqu. & loc. quia tenues, quia leues: extollit præcipue quę cum tonitru colligitur, damnat pro cellosam 6. epid. com.5.19. *Aquarum*, inquit, *arte carentium, quæ ab æthere excreta est, aut cum tonitru, opportuna*: Græca vox est oregon, quod verbum possumus latinè reddere, tempestiuum, seu eam, quæ opportuno tempore decidit, est autem hoc medium æstatis, quia Græci, hoc potissimum tempus horam nominant, vt in quo fructus, qui horarij dicuntur, ad maturitatem perueniunt. Quare posset esse sensus, cõmodam esse aquam, quę cum tonitru colligitur, aut eam, quę media ęstate, quod videtur probare Gal. Nihilominus, quia si tempestiuum medium æstatis vertamus, remanet sensus imperfectus; quid enim sibi vult aquarum arte carentium, quæ ab æthere excreta est media æstate, morbosa, mala? propterea dicamus, aquarum arte carentium, vt quæ ab æthere, cum tonitruis, tempestiua, hoc est, commoda, nimbosa verò mala: aut dicendum damnari ab Hippocr. nimbosam aquam, laudari eam, quæ cum tonitru decidit, & alteram, quæ ab æthere excernitur; legitur enim disiunctiuè hunc in modum, *quæ ab æthere excreta est, aut cum tonitru.*

Sed cur ætherea, & cum tonitruis bona? quia inquit Galen. purum aerem, æthera, vocarunt antiqui, est autem purus, nõ nubilosus, non vaporosus: aqua autem, quæ puro cęlo colligitur, defæcatior est, & simplicior? Laudat eam, quæ cum tonitruis colligitur, quia hæc aquam attenuant, & aquę materiam. Damnat nimbosam,

bosam, non quæ cum ventis colligitur; nam agitata à turbine ventorum, redditur melior, sed nimbosam vocat eam, quæ aere densato colligitur,& atra nube comprehenso Talis cum sit aer per hyemem,& primam veris,partem: æstate,autumno, & sub finem veris est aqua colligenda. Nec me mouet, Rufus, qui referente Oribasio 5. med. coll. 3. præfert hyemales,& vernas æstiuis, & autumnalibus,quia æstate, & autumno sicciores terra mittit vapores,aerque multas terrę sordes habet,quas aqua expurgat,nā sicci illi vapores ad superam aeris regionem delati ignescunt, aut si vna cum alijs mixti, in aquam vertantur, humidiorum miscella temperati redduntur,sordesque resident,antequam aqua bibatur.

Est nihilo tamen minus aqua hæc fugienda,non quia adstringit,vt ait Celsus l.4.19.aut quoniam, vt ait Hippocr. raucedinem, vocisque grauitatem affert: sunt enim hæc vitia aquæ recenter collectæ,non defęcatæ,& purę,sed quoniam numquam ea,qua decet diligentia, aquæ hæ colliguntur: nec si cautelæ illæ omnes adhibeantur, caret propterea ea aqua suspicione,nam vt idem ait Hippoc. ex plurimis collecta vaporibus, è stagno lacubus, mari, & putrefactis corporibus elatis, facili quodam negotio putrescit. Neque huic contrarium est, quod scribit Galen.7.de comp.pèr loca 2. àd poni ab Asclepiade pluuialem aquam in compositione Diacodij, quia minus compositio corrumpitur, nam aut hoc scribit de mente Asclepiadis, aut facit hoc aqua pluuialis adstrictione. Quæ ergo eligenda,cap.seq.dicemus.

Quæ aqua eligenda. Cap. IX.

Fontana optima, non tamen omnis.

EGimus de vitiosis aquis,& malis,nūc quæ eligenda, breuiter examinandum. Laudat Fontanam Hippocr. & Auic.2.1.d.2.cap.16. non tamen omnem, sed quę ex sublimibus locis, & terrę tumulis profluit,cuiusque fons ad orientē spectat, ea est illi optima: damnat cuius fontes sunt in locis saxosis, aut calidarū aquarum,vel vbi mineræ nascuntur: dānat demum,quæ Austrum spectant,quęque sunt inter ortum æstiuum, & occasum. Itaque tria in aqua fontana desiderare videtur; laudatum fontis situm, vt os eius orientem adspiciat, vt loca, per quæ labitur aqua,nullum habeāt vitium. Bonum censet esse situm,si sublimis: ipse enim deductæ aquæ minus habent, vt ait Athen.l.2.cap.7. terrestreitatis, & si quid habent, sublimi delapsæ è loco, deponunt. Loca, per quæ currit, sunt illi laudata, ni sint saxosa, nam hæ durę euadunt,hoc est difficiles,vt coquantur,fortasse,quia frigidiores redduntur, aut quoniam,vt ait Auicen. *Lutum mundat aquā, & aufert ab ea res extraneas sibi admixtas, & colat ipsam,sed lapides non faciunt illud. Oportet autem,vt lutum,per quod transit,sit liberum, non fœtidum, neque lacunosum.* Quod si non sint admodum duræ, forTasse nulla erit salubrior, vt credidit Plin.lib.8.cap.1.& l.31.c.3. Debent & loca,per quę aqua decurrit, & vbi nascitur, non ferre mineras. Quare non est omnino tutus aquæ Puteolanæ vsus. Ex omnibus tamen ea eligenda,quę omnium leuissima 5.aphor.26. nam hæc tenuissima omnium. Quare facilè permeans, hypocondria non grauabit. Nec obijcias,per rarum est vt Plin. scribit aquam aqua leuiorem esse,nam flumina quædam superuatant in lacubus: & Auic. scribit, si quis pannum in partes æquales diuidat, easque madefactas suspēdat, neque ęquè graues esse, neque æquè citò exiccari, si in aquis diuersis madefactæ fuerint. Pręterea leuissimam aquam esse dicimus, non quæ omnium minimè pondetat (quamquam pondus est ex exprimentis adiuuantibus ad cognoscendam aquæ dispositionem; aqua enim quæ est leuior est in plurimis dispositionum melior 2. 1. d. 2. cap. 16. sed vt explicat in com. Gal. & cum eo omnes,quæ ventrem non grauat, & citò permeat, quia vt refert Athenæus,Amphiarati,& Eretriæ aquæ,nulla prorsus ponderis differentia inueniuntur,cum tamen Eretria aqua sit bona, Amphiarati mala: Quoniam verò aqua bibita hoc cognoscemus, præstatq. illud pręscire,scito eam leuissimam esse, & citò permeare, quæ citò refrigeratur, & incalescit 5.aphor.26. nam qua ratione externæ causæ facilè mutant ipsam, ob eamdem causam corpus vincet illam facillimè.

Quæ aqua leuissima.

Improbandæ itaque aquæ summè frigidę, quia graues, & difficulter coquuntur; vnde refert Athen. ex Aristoph. Egesiam cum bibisset ex fonte Beotiæ, statim expirasse,quod frigus ob senectutem ferre non potuisset. Improbantur, & sapidæ,quia iniucunda, nec tollunt sitim. Nullum habeat odorem, colorem, nam cuncta hæc accidentia debentur mixto: aqua autem, quo purior, & simplicior, eo melior. Sit eadem agitata, & perflata,ita enim attenuabitur, quod nō parum ad eius perfectionem conducit. At quoniam nō est hæc semper in promptu, qua arte illa possit emendari dicemus.

Aqua summe frigida mala, calida quoque,& quæ alienas habet qualitates admixtas.

Quænam aquæ vitiosæ remedia. Cap. X.

SI quales,optamus aquas, tales nobis semper occurrerent, non esset, cur medica ars in earum correctione insudaret: At quoniam sæpè illæ sunt vitiosę, nec

Primum ad aquam emendandam remedium.

nec licet pro ijs,alias bibere, docebimus hoc capite, qua arte possint, vbi prauæ occurrunt emendari. Antiquissimus fuit mos,cuius meminit Arist. vas cereum occluso ore,in mare immittere, quod ita fiat,vt per exiles meatus,tenuiores aquę partes se se insinuantes,relictis terrenis, & salsis,aptæ potui euadant. Emendant alij percolantes,& aliqua materia, veluti visco, aquæ sordes excipiente, puritatẽ comparant: sic injiciunt farinam aquæ quamplures,vt l.24.cap.1.Plin. & lib.31. cap.3. Sed est vtrumque remedium inutile,ac primum quidem, quia cera multoties vtimur, ad occludendos meatus e.g.phialæ, ne effluat aqua. Qui ergo fieri potest, vt per ceræ poros eadem modo penetret? est & alterum remediũ inutile, nam esto emendet salsedinem, tollit tamen tenuitatem aquæ, naturam diaphanam, nec poterit vitari, quin aliquid farinæ saporis,relinquatur in ipsa.

Secundum.

Reiectatur vtrumque.

Laudabilior destillatio,& decoctio.At quoniam destillatio est duplex, quædam quæ fit opera ignis, alia citra ignem habetur, vt cum aquam excolamus per terram,filtrum,& mortaria: destillatio item, vi ignis facta,est adhuc duplex, nam vel fit in vase plumbeo,vel in balneo Mariæ: aduertendum, nequaquam mihi probari destillationem eam, quæ fit in alambico plumbeo: primum,quia nequaquam fieri potest,quin fumum redoleant. Secundo, quia per plumbum trãsiens, plumbi qualitates acquirit, quod quam noxium sit, latè prosequitur Matthiol. tract. de destill.& alij multi. Quare nec placent ij, qui in æneo vase coquunt aquas, sed eligenda est testa argillacea.vel vitrea: probo decoctionem,& destillationem in balneo Mariæ factam, vel per terram,filtrũ, vel mortaria Non tamen probo Plin.qui l.31. cap.3. coquit aquam ad dimidium vsque: nec Dioclem,qui ad tertiam,nam multo minor decoctio satis est ad emendandam aquam; prætertim si nec admodum crassa sit,aut vitiosa.

Et destillatio, & decoctio probatur.

At non quæuis destillatio commoda.

Quantum aqua coquenda.

Num vasis os debeat occludi, exactè determinauit Hippocr.6.ep.com.4. t.10. scilicet, si aquam decoquimus, vt corrigamus,non est vas operiẽdum, ni timeamus,ne sordes,aut alia fœda animalcula, in vas decidant: occludendum,vbi aqua medicata conficitur.

An coqui aqua debet vase occluso.

Sed quantum hæc decoquenda? plus, minus,pro varia natura eorum, quæ decoquuntur:Flores in ebullientem aquam satis est immergere: herbæ detinendæ diutius, longiori tempore decoquendæ radices: nec coquere est satis, sed infundantur prius, vt maceratæ imprimant vires proprias aquæ. De destillatione satis est monuisse,eam laudari potissimũ, quę fit in balneo Marię: afferre quo modo, & quibus id commodè fiat, non est præsentis contemplationis: Proponunt alia remedia alij ad corrigendas aquas vitiosas,frequentiora nos adduximus: si quis plura desideret,legat Auic.4.1.d.5. cap.7.de conseruando iter agentem à nocumentis aquarum diuersarum.

Medicata aqua quantum coquenda.

Quoties bibendum. Cap.XI.

QVando vinum: quando aqua,& quę cuiusque species conueniat à nobis dictum, dicemus modo, quoties bibendum; ab ægris tamen, nam de sanis, non est modo animus disputare, quamquam sciam variè fuisse de re hac opinatum,nam Apul. quatuor concedit pocula; primum ad sitim extinguendam; secundum ad hilaritatem, ad voluptatem tertium,quartum,& vltimum ad insaniã: alij tot esse cyathos exiccandos, quot essent in nomine Amatæ literæ, vnde Mart.l.1.

Quoties bibendum sanis ex Apul.

Toties alij quot erant literæ in nomine amicæ.

Noc via sex cyathos, septem Iustina bibatur
Quinque Lycas: Lyda quatuor, Ida tribus,

Quo quoque spectat aliud 2.l.ad Caiũ Proculum, quod miror, non fuisse intellectum à Merc.l.1.variat.22. cum sit alioquin eruditissimus est autem.

Vnde exponitur locus Martiali.

Quincunces,& sex cyathos,bessem que bibamus,
Caius,vt fias,Iulius, & Proculus.

Est enim sensus,tu cum dicaris Iulius Proculus deberes quatuordecim pocula exhaurire: vt igitur dicaris Caius Iulius Proculus,exhaurias alia quinque.

Alij aut ter, trium Gratiarum prætextu,aut nouem musarum, nouem cyathos hauriebãt,quod notauit Auson.illo deltico.

Ter alij.

Ter bibe,vel toties ternos, sic mystica lex est
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Et laudauit Hor.l.3.od.16. dicens.

tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares.
Ternos,ter cyathos, attonitus potet vates.

Constat item potasse alios toties, quot annos precabantur amico, vnde. Ouid. l.3. Fast.

Quot annos alij precabãtur amicis.

Sole tamen, vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cynthos,ad numerumque bibunt:
Inuenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ superet calices,facta Sybilla suos,

Alios siccasse tot pocula, quot Modiperatores, hoc est conuiuij Domini, ita dicti quia bibendi imperabant modum, iniungebant: sortiebantur hi locum iactu fortuito talorum,vnde Horat.

Alij tot pocula hauriebant, quot conuiuij dominus imponebat.

Nec Regna vini sortiere talis.

Erant autem conuiualia decreta apud Ro-

Quæ conuiualia decreta.

Romanos illa. Non labi sermone: non leuari vomitione, non altera corporis parte; plurimum hausisse vno potu: plurimum addidisse alijs minoribus: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse, nihilque ad elidendum in pauimento reliquisse. Est item certum postquam propinationes sunt introductæ, (est autem propinatio, cum ex eodem calice plures bibunt, & in communem lætitiam, gratiamq; conciliandam, libant pocula, quamuis postea sit translatum ad significandum id, quod hodie vulgariter dicitur Brindisi) in eum modum potui indulsisse, vt nullam habuerint numeri rationem, sed quisque vocatus, lege conuiuij bibere tenebatur; nam vt refert D. Ambros. de ieiun. c. 9. Si quis pro salute Imperatoris non bibisset, reus erat in deuotione.

Bibant alij demum, quoties propinetur.

De ægrotantibus quærimus modo, quoties ij bibere debeant, quod breuiter expedientes dicimus, nisi assumenda potus quantitas, sit valde exigua, præstat illum partiri; multum enim aquæ, aut vini, confertim stomacho immissum, extinguit calorem, inducit rigorem, cibi fluctuationem, aut inconcoctum demum à stomacho pellit: quo fit, vt cruditates, & obstructiones progignat. Quare laudandum scholæ Salernitanæ consilium,

Quoties ægrotis bibendum

Inter prandendum, sit sæpè parumque bibendum.

Et illud Athenei lib. 3. cap. 20. dicentis, *Potiones vero cum impetu, maximè sunt deuitandæ in principio, quoniam in multum humoris cibus non facilè adducitur*: in quot tamen cyathos potum partiri liceat, certo diffiniri non potest, quando nullam numeris, quod superstitiosa credidit antiquitas, virtutē tribuimus, sed crebrius bibendum, aut rarius pro varia ægri consuetudine, stomachi temperie varia: refrigerati, & imbecillis ventriculi, ne multum vnico haustu bibant, permittatur hoc assuetis, ijsque qui stomacho valent, & siti exuruntur.

Quantum bibendum. Cap. XII.

Largum potū laudabat Antiphanes.

ANtiphanes, vt refert Athen. lib. 1. cap. 17. hortatur omnes, vt quam maximè bibant. dicit enim.

Quid vita nostra sit, refer quæso mihi:
Potare solum dico, nam quot arbores
Propinquas esse vides ripis fluminum
Rigentur, vt noctes, diesque fluctibus,
Nunc cuius hæ sint cerne magnitudinis:
Longinqua multum fert sitim, mox arida,
Sitibunda, cum ramis, humi decidit.

Continentia Socr.

Contra Socr. eodem exemplo motus, vt refert Athen. lib. 11. cap. 21. haud ita indulgendum potui esse credidit; nam si idem viri patiuntur à potu, quod & plātæ, vt illæ frequentibus cœli imbribus irrigatæ, nullo pacto se se erigere possunt, neque auris perflantur: verum cum quantum sufficiunt ebiberunt, & rectè, & fœliciter surgunt, & ad fructuum generationem facillime perducuntur; haud secus nos, si plusquam par est, & frequētius bibamus, statim & mens, & corpora nostra labūtur, vnde nec quidpiam proferre, nec laborare poterimus. Non ergo bibendum immodicè. Sed quousque? quousque inquit Virgil. sedetur sitis, dicit itaque.

Virg. quousq; sitis sedetur.

Vina sitim sedent: natis Venus alma creandis.

Seruiat: hos fines transiliisse nocet.

Quod neque in sanis omnibus locum habet, neque in ægris: non in illis, nam vt Galen. 3. art. med. ij solum tantum appetunt, quantum coquere possunt, qui optima natura sunt præditi, & nulli prauæ consuetudini assueti. Non esse item id obseruandum in ęgris, est ita pariter certum, vt omninò superuacaneum putem, id monstrare.

Quantum ergo bibere languens debeat ex potus vsu conijciat medicus, & vbi multum ille vrget, nec quicquam prohibet, potui indulgendum: minus, vel nihil dandum, vbi nullus est vsus, aut vires non ferunt. Potus vsum, multiplicem esse, à nemine ignoratur; deseruit primo ad serositatem deperditam restaurandam: deseruit secundo, ad temperandum exurentem calorem, & vt remoretur celerem alentis humidi ab ipso consumptionem: quo circa veluti sal, lucernæ oleo admixtum, celerem olei consumptionem prohibet: haud secus impedit potus, ne calor humidum confestim absumat. Tertius vsus potus est, miscere alimenta. Quartus attenuare eadem, vt maior succi, qui debet nutrire copia eliciatur. Nimirum, vt artifices in extrahendo oleo, sacculos oliuis plenos calida aquā perfundunt, vt liquor attenuatus extrahatur facilius: sic dentibus alimentum commansum, & ad saccum ventriculi transmissum, multa aqua est perfundendum, vt omnis succus vtilis possit extrahi: Deseruit quinto potus, vt elixetur cibus in ventriculo. Sextus, & vltimus vsus est deuehere chylum, è stomacho ad hepar, qui nequaquam transiret ni liquidioris substantiæ admixtione tenuior fieret. Hos vsus cum expleant multò melius bibaces: quam parcè bibentes, est fortasse in causa, cur sint pinguiores bibaces.

Decisio.

Quinam vsus potus.

Quicunque ergo multum ingurgitant, bibant multum, ni habeant humidiorem ventriculum: nam potus est vehiculum cibi, deseruitque loco aquæ, in qua ebulliat. Quare est semper bibendum ad proportionem ingestorum, vnde ille

Oportet irrigare, edentes maxime.

Rursus, quia hic liquor deseruit ad

temperandum calorem, potent largius calido morbo afflicti, natura calidi, & ficci, iracundi, & ęstiuo tempore bibatur plus, quam hyeme, nam rectè Alcęus, referente Atheneo,

Vino pulmonem irriga, flammata surgunt
astra perfida canis,

Et alibi. *Sitiunt calore cuncta tempus est*
graue,
Bibamus, astrum surgit impium canis.

Aptequè monet Galen. in tertiana exquisita, ad extremum vsque esse refrigerandum, est enim calidus affectus, & siccus, & à calida causa concitatus. Cœterum, quia nedum res est indicanda, sed & toleranda, est propterea temperies ventriculi inspicienda; nam si illa sit frigida, vt nequeat tantam potus copiam, vincere, detrahemus: minuemus eandem, vbi morbus est frigidus, humidusque, vt in obstructionibus, destillationibus: parum quoque bibendum in vlceribus, & quauis solutione continui; primum, quia siccantibus affectus isti curantur: secundo, quia in curandis illis conducit non parum auertere fluxiones humorum: nō auertemus autem, si multum bibat ęgrotans: atque hæc de quantitate, nunc de potus qualitate dicendum.

Frigidus ne potus commodior an calidus. Cap.XIII.

Variæ Doctorum sententię

AN frigida potatio magis conducat, an calida, disputarunt multi, & alij frigido potui patrocinantur, calido alij. Mouentur illi, quia calida potio non tollit sitim, subuertit ventriculum, & carnes effæminat: mouentur isti, quia frigidum inimicum est ossibus, pectori neruis, & quoniam frigidus potus, statim incalescit in stomacho. nihil propterea, vt possit frigiditate conferre. Communis tamen sententia, quæ magnam habet iactationem in scholis vera est, & tenenda: statuit autem calidis morbis frigidū conducere potum, frigidis calidum: Docuit illam ante omnes Hippocr. qui lib. de diet. t. 41. præcipit, vt ij, quos sitis, infestat, cibos, & labores minuant, ac vinum dilutum bibant, idque quam frigidissimum: quod confirmans 6 epid. com. 3. t. 16. dicebat, *calido naturaliter, frigida potio conuenit, & quiescere*. Docuit Gal. nam 7. met 4. ventriculo calfacto, aquam niue frigefactam concessit. Quare quod dicit Hippoc. 5. aphor. 18. *frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ*, de immoderato frigido explicandum; nam repetens eamdem sententiam aphor. 24. eiusdem lib. dicit, *frigida qualis nix, & glacies, hoc est gelida pectori inimica*. Neque id contemnendum, quia frigida assumpta, statim incalescit, nihil vt differre videatur, calidū ne quis propinet, an frigidum: primum, quia integris fere viribus pertingit ad stomachū, gulam, asperam arteriam, & hac via ad cor, & pulmones: secundo quia quamquam vincatur, aget nihilominus maximè aduersus partes excalfactas, alioquin nullus ex vsu gelidi potus, in frigidos affectus incurreret.

Communis docet frigidis affectibus calidū conuenire: calidis frigidum.

An calidum potum exhibuerit Galen. & Hippocr. nondum mihi est exploratum, potest tamen ex eorum scriptis facile id deduci; nam ex communi omniū sententia, contrariorum affectuum contraria debent esse remedia. Quare si calidi affectus frigidis expugnantur, calida præsidia frigidos debellabunt. Docet expressè Auic. nam 2. 1. doctr 2. cap. 16. hæc habet, *Aqua calfacta, cum fuerit tepida, facit nauseam, & cum fuerit calidior, quam hæc, & in ieiunio bibita fuerit, multoties stomachum lauabit, & ventrem soluet: eam tamen frequenter bibere est malum, quia stomachi debilitat virtutem. Illa verò, quæ multum est calfacta colicam resoluit, & ventositates, & illi quidem, quibus aqua calida arte iuuamentum præstat, sunt epilepsiam habentes, & capitis dolorem frigidum: & asthma, & opthalmiam, & pustulas in gutture, & gingiuis siccitatem, & apostema post aures habentes, & vlcera in Diaphragmate, & in puris solutionem in parte pectoris, & rheumatismos. Menstrua praterea prouocat, & vrinam, & dolores sedat*. Et quamuis affirmet Gentilis effici hæc omnia ab aqua, virtute herbarum, quæ coquuntur cum ipsa, vt absinthij, mentæ, sampsuci, capill. ven. &c. Contraria tamen sententia est probabilior, & magis ad mentem Auic. nam simplicis aquæ calefactæ meminit, non medicatæ. Et quidem quod simplex aqua calfacta possit id facere (quamquam non negem si aliqua simplicia accedant, præstare id valentius) docent Indi, quos scribit Maffeius hoc vno remedio, & præseruari, & liberari à destillatione. Quare quæ aduersus potum calidæ insusurrant quidam, falso imponunt; nam à tepido potu damna illa, à calido nequaquam. quodque scribit Auic. *Aqua calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum, neque illico extinguit sitim, & est cum ad hydropisim adducit, & hecticam*, de aqua non frigida expone, vt cognosces apertè, si textum consulas; nam paulò post subdit, *illa verò quæ multum est calefacta resoluit colicam*: & apponit lymultum, ad differentiam tepidæ, à qua scribit, stomachi vim debilem reddi. Quandoque ergo calida ex vsu in morbis, quandoque frigida: gelidam, aut tepidam numquam ad potum commendo. An fuerit quandoque calidus potus in delicijs Romanis, non est huius loci inquirere, si quis tamen id scire cupit, legat Mercurialem lib. 2. var. 8. Lipsium l. 1. elect. Athen. lib. 3. c. 2. & Bacc. l. 4. par. 3.

Vindicatur potus calidus à calumnijs.

de

de vinis: consulat, & Antonium Persiũ, qui integrum libellũ de re hac scripsit: spectat ad nos illud magis, qua arte possit refrigerari potus quando frigidus nõ semper in promptu.

Qua arte refrigerandus potus. Cap. XIV.

Varij refrigerandi modi. INuenit artium magister venter præsidia multa ad potum refrigerandum: ac primnm, vt refert Galen. 7. epid. com. 4. t. 10. calfaciebant nonnulli aquam (calfaciebant autem ad Solem, vt refert Athen. lib. 3. cap. 21.) hanc deinde ad fenestram vento aduersam, noctu, folijs conspersam suspendebant: humi demum eamdem defodiebant. Ab hoc non multum differt inuentum Antiochi Regis, quo in nauigatione vsum esse testatur cit. loc. Athen. Aquam aprico in loco reponi iubebat; hac noctu percolata fictiles hydrias replebant serui, & in editioribus partibus domus expositam tota nocte continuò irrigabant: purgabant eam diluculo, & inter paleas seruabant. Refrigerabant alij vase benè operto, in torrentem, aut puteum immisso, vnde Athen. notans hanc consuetudinem.

1. modus. — Secundus. — Tertius.

Hermon quid est? quid nos habemus? quid nisi
Hoc, quod pater mibi videtur desuper
Iecisse se in puteum, velut vinum solet
Aestate conijci.

Quartus. Refrigerabant quarto circumponendo niuem vasi liquore repleto: circumponebant alij glaciem. Quintus. Refrigerabant quinto suspenso vase in puteo, ita tamen, vt aquam non tangeret, nisi extremo, vt aiunt digito: cuius facti, quamquam multas conetur causas tradere Plutar. 7. simpos. 5. ego tamen id factum puto, quia parietes cum sint densioris substantiæ, valentiorem aqua refrigerandi vim habent. Sextus. Refrigerabant sexto immittendo, vel niuem, vel gelu, in aqua, aut vino bibendo, quod hodie faciunt Lombardi. 7. refrigerandi modus. Refrigerabant septimo aquam, vt refert Plutarch. 6. simp. 5. inijciendo lapillos, & laminas plumbeas. Addit Plin. lib. 3. aquam gelidam reddi, si è sublimi deiecta, corripiat aera, quod falsum, ni fiat experientia in loco frigidiori aqua, aut explicemus Plinium hunc in modum, aqua è sublimi deiecta, & verberata, frigidior tactu sentitur, quamuis à parte rei, maiorẽ frigiditatem, non compararit. Refrigerant vltimo potum vsu salis nitri, vtuntur hoc nauigãtes præsertim, vbi niuem, aut gelu non habent. Qui modi reijciendi. Ex his præsidijs, quibus ad potum refrigerandum vtuntur, quædam reijcio, & tamquam noxia damno, quædam tolero, alia eligo. Qui tolerandi. Reijciò potum, salis nitri vsu refrigeratum, nam timeo, ne quæ eius qualitas, est autem omnis praua, potui communicetur: damno pariter refrigeratum potum à niue, aut gelu in ipsum immissis ob easdem rationes, quibus moti damnauimus, & grandinosas aquas, & niuales: tolero potum, vase in niues demisso, refrigeratum; Qui laudatur nam vt dicebat Plinius, *ita voluptas frigoris contingit sine vitijs niuis*; laudo tamen, vt potus, phiala in aquam, vel puteum demissa, aut aeri exposita, refrigeretur, hinc enim nullum imminebit discrimen ne pro frigido algidus fiat. Quod si nec aquæ sint frigidæ, neque putei, quorum opera id consequi possumus, phiala in niue, aut gelu demissa refrigerandus, diligenter cauentes, ne mirum in modum refrigeretur.

In quo vase bibendum. Cap. XV.

PRauas reddi aquas ex locis, per quæ delabuntur, & in quibus seruantur nulli dubium. Conducet propterea scire, quo in vase bibendum; nam ex varia materia confici potoria vasa nemo est, qui ignoret; fiunt enim ex auro, argento, ære, stamno, vitro, cristallo, cornubus, ligno, & varij generis creta. Adde sulfur, atque cucurbitam: vnde sunt vasa potoria, aurea, argentea, ænea, ex stamno, vitrea, cristallina, cornea, lignea figulina, & sulphurea. Bouinis cornibus bibere Græcns solitos (nam de cœteris nullus dubicabit fortasse) conijcit Athe. lib. 11. cap. 8. quia miscere aquam vino dicebant *cherase apòcheràton*, hoc est cornibus, & ex Xenophonte, nam describẽs lib. 5. conuiuium Thracum ait, *postea, quã Cyrus cum socijs suis ad Srbentas accessit, se primum quidem complexi sunt, atque iuxta Thracum consuetudinem, cornua vino plena attulerunt.* Reijciuntur vasa aurea. Vtebantur autem illis, quia multi vini capacia erãt, vt Theopompus apud Athen. vel vt Lancius ep. 19. quia quædam cornua medebantur venenis. Tanta ergo cum sit vasorum, in quibus bibi potest varietas, quodnam eligibilius? An aurea? fortasse hæc vsurpanda, nam multa prædicant de hoc metallo Alchymistæ: esse familiare cordi, reficere spiritus, exhilarare: nec discrepant medici; nam multoties iubent, vt scutata aurea cum cibis ægrotantium elixentur.

Et quæcũque ex mineralibus. At si me audies, vasa quæcunque ex mineralibus confecta reijcies: sunt suspectæ medicis omnibus, & iure aquæ omnes, quæ per mineralia loca delabuntur, tu in vase, ex minerali formato potum excipies? Sed potissimum, reijcienda ænea, & quæ ex stamno efformantur; Præsertim ænea, & stamnea. nam hæc facilius proprias qualitates potui imprimunt: illas nocuas esse, & nostræ saluti miro modo infensas, fatebitur quisque, qui æris, & stamni natu- Laudantur ex mirrcè ad obstructionem.

ram intelliget : alia ergo in vsum veniēt, & vt rem breuiter expediam, laudo potoria vasa, quę ex myrice fiunt ad obstructionem quamcunque, præcipuè tamen ad lienes obstructos, siquidem tantam esse inter tamaricem, & lienem antipathiam à Democrito medici didicere, vt si in canalibus, ex illa constructis, bibant sues, sine liene postea inueniantur, vt notat Hermol. Barb. in Discor.

Eodem, cum conducat, Sulphur, laudant alij vasa ex sulphure facta, nec tantū probant ad imminuendos lienes, sed ad obstructionem quamcunque abolendam, & quia id facit siccitate, & calore, putant idem conducere in destillatione à causa frigida, & morbis omnibus frigidis. Cōtra vasa figulina ex terra lemnia, bolo armeno, ea demum, quæ ex Lusitania nobis aduehuntur, cum habeant vim quamdam adstrictoriam, quantum nocent obstructis corporibus, tantumdem iuuabūt cauitates plus iusto hiātes. Quare in his bibant quicunque morbis laborāt rheumaticis.

Et ex terra. Lemnia ad cauitates laxatas.

Commendant eadem alij in febribus mali moris, & peste, putantes inesse his terris vim resistendi venenis : At quoniam non experimur nos, quæ de terra ista nugantes, quam plurimi prædicant, certò autem scimus vim adstrictoriam habere, quod noxium, pro quauis febre curanda ; cum damnum sit certum, emolumentum dubium, non probo horum vsum in febribus, sed si malignitati tentemus occurrere, & vase potorio, multo satius est myrrhinis vti, quæ citra adstrictionem, venenis occurrunt. Quod si purum haurire potum cupimus, nullum vas erit commodius cristallino, & vitreo ; nullam enim communicant vasa hæc qualitatem : nullum oculos magis, aut splendore delectat, aut perspicuitate allicit : nec potum, cui sitientes adeo inhiamus, quod faciunt alia vasa, nobis cęlant.

An & in febribus malignis? nequaquam.

Optima cristallina.

Cęterum, quia hæc vasa, ne dum materia differunt, sed & figura, atque alia angustum orificium habēt, est alijs os apertum, & latum, in quo nam vase expedit magis bibere dicendum.

Damnant communiter omnes vasa hęc adstricti oris, vulgo dicūtur penati, damnant autem potissimum in flatuosa ventriculi affectione. Commendauit quondam illa Sabinus, vt refert Galen. 6. epidem. com. 2. t. 32. quia ructus mouent, quod maximè conducit pellendo flatui Galen. nec laudat, nec reprehendit. Probat illa Valles. cit. loc. cui assentior, quāquam communis omnium hominum, ne dum medicorum sententia contrarium probet ; cur autem non commendem, quando minus bibimus, vbi in huiusmodi vasibus potamus, præterea præceps delapsus potus, frigidior apparet, quo fit, vt tum hac ratione, cum quia magis penetrat, sitim citius extinguat. Tertio flatum discutit: vel quia sic bibentes diù spiritum continent, vnde calor auctus flatuosos halitus facilius discutit, vel quia multum ita potantibus mouetur ventriculus, & quæ in ventriculo pariter continebantur. quare expirabit aer, qui cum cibo antea conclusus violenter detinebatur ; & geniti vapores, & flatus suoptè impetu, vbi impedimentum remoueatur, ad os accurrent. sed de re ista multa. De tempore bibendi est modo dicendum.

Et de figura, quæ dicitur penata.

Num bibendum à cibo, an ante cibum, an inter edendum. C. XVI.

INiucundum esse dixit Isocr. quidquid fuerit intempestiuum, vnde Hesiod.

Obseruato modum, nam rebus in omnibus illud.

Optimum erit, si quis tempus spectauerit aptum.

Præstabit proinde commodum bibendi tempus inquirere. Quia vero id multiplex, ac quęri primum potest, num in accessione bibendum. & qua parte accessionis : secundo, quo tempore vniuersali febris e.g. tertio, num à cibo, an ante cibum, an inter edendum, hoc tantum examinabimus, nam priora illa duo, spectant ad tractatum de febribus. Visum est multis, à potu esse ordiendum, tum dandum alimentum ; nam potus quouis cibo tenuior, & tenuiora præire debent: quia ventriculi coctio est elixatio : Quare vt hæc incommodè ab igne net, ni sit aqua in olla, sic male chylificabit ventriculus, ni aquam primo excipiat, deinde cibum. Potum demum primum esse sumendum concludunt, quia serositas, quæ potu reficitur, primum est consumpta.

1. Sententia

Contrariam sententiam tuentur alij, argumento ab vsu potus petito ; dicunt enim, idcirco potum esse necessarium, vt alimentum deferat ad hepar: quo circa præcepit Gal. 7. met. cap. 6. temperādum esse à potu, quo vsque prima coctio, sit peracta, & alimenta cæperint distribui, *sed enim ait. & quod illi faciunt, nihil mali sit, si qui conualescentium victu vtuntur, etiam faciant, & statim à cæna, non bibant, hoc est antequam cibus fuerit concoctus, siquidem innatant cibi bibentibus, vt ventriculi corpus inter posito humore, non contingat: verum si sitibundi fuerint, arcere eos simul graue est & inutile, sed damnum modicum, quod & tristitiam soletur & sitim leuet: postea vero, quam nutrimentum concoxerint, abundè, quippe celerrimè, si ita faciant fit distributio.*

Secunda.

Perpendentes demum alij potum, ne dum distribuendis alimentis esse destinatum, sed & concoctioni iuuandæ, quæ fit in humido, nec potum à cibo probāt,

Tertia.

nec

nec ante cibum, sed vt inter comedendũ bibatur commendant. Ita schola Salerni, vt patet ex versu illo.

Inter prandendum, sit sæpe, parumque bibendum.

Nostra Opinio. Christoph. Aueg. 2. art. med. & alij multi.

Ego vero distinguendum puto, & nũc potum censeo pręire debere, modo subsequi pro varia temperie ventriculi, dispositione venarum, varietate eorum, quę assumuntur. Si ingerenda sint liquida, vt iura consumpta, tortitia, & alia huiusmodi, nil refert vtrum prius sumatur, an posterius, miscentur enim illa mox in ventriculo, vt propterea ociosi hominis sit, ea se iungere, quæ mox, vel nolis confundentur. Quod si non sint liquida, quę assumuntur, aduertenda est natura ventriculi, an sit ignea, an frigida, & humida: si ignea, aut ante cibum bibendum, aut modico cibo sumpto, alioquin chylus torrebit. Verumtamen, si tanta fuerit ventriculi humiditas, vt elixationi sit satis, tunc est bibendum, cum cibus fuerit coctus, præsertim, si sint venę obstructæ, nam liquidior potu factus, citius per angustas venulas permeabit adhepar. Demum si moderata sit ventris temperies, venæ patulæ, à cibo inchoandum, & interponendum, bibendum erit. Id tamen secundo aduerte, vt tam cœna, quam prandium, modico aquæ frigidæ, aut vini adstringentis terminetur; abluunt enim hæc guttur, nec quid hęrere permittunt ventriculi ori: constringunt illud, vnde melius complectetur cibaria, & facilius concoquet: inhibebit demum simultaneam quandam vaporum elationem ad caput.

Laudatur modicus aquę frigidæ haustus a cibo.

Sed quid quod sitis sit humidæ substantiæ defectu, quæ citius dissipatur, quam crassa? hic primum notandum, non fieri sitim deficiente rorida substantia, ventriculi, nam sedatur aqua bibita, quod nequaquam contingeret, cum rorida illa substantia, non nisi cibo possit restaurari: fit sitis defectu serositatis, qua partes vtuntur ad deuehendum sanguinem, & earumdem calorem attemperandum, vnde sitiunt, qui sudant, exercentur, comedunt, quia exiccatur ventriculus ab assumptis: inanitæ venæ per sudorem humore illo seroso, quo ad temperandum calorem vtebantur, trahunt, fuguntque à ventriculo.

Occurritur argumentis pro contraria sententia.

An semper citius serosa hæc substantia consumatur, quam crassa, non admodum clarum, nam quamquam ratione, qua tenuis, facilius siccari possit, quia tamen multa frigidaque, fieri hinc facilè potest, vt citius crassa substantia deperdatur, quam vt siccetur vẽtriculus: quod confirmari potest, quia vt plurimum famescimus primum, deinde pauco alimẽto ingesto sitimus. Displicet hæc solutio Roderigo Vegæ lib. art. med. quia apud ipsum incertum, an sit tanta copia seri in nostro corpore, nec si tanta habeatur fiet propterea, vt tardius ad eius inopiam perueniatur, nam si libram vnam sacchari quatuor aquæ admisceas, citius tota aqua, quam saccharum absumetur. At quoniam nulla ratione inductus negat, non esse tantam copiam serosæ substantię in nostro corpore, ac potissimum in ventriculo, qui sedes est sitis, iure quodam possumus, quod gratis affirmat, gratis negare.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Decimus septimus.

DE RECTA AERIS, MOTVS ET QVIETIS, Somni, & vigiliæ, animi accidentium administratione in morbis.



Dicendorum ratio. Cap. I.

VRgebimus hoc lib. propositum, & reliqua, quæ ad diætam rectè instruendam pertinent, quo pacto administranda, docebimus. Dicemus itaque quos, quando, & quomodo exercere cõueniat: à quibus morbis ablegandus somnus, quibus concedendus: quantum dormiendum, quando num noctu, num die

die quandoque: ſubdemus poſt hæc quędam; de accidentibus: percurremus, & quæ ad rectam aeris adminiſtrationem ſcire expedit. Sed ne proloquio te nimium detineam, rem aggredior.

Quis nam aer eligendus in morbis. Cap. II.

HAbet aer differentias multas, eſt quidam calidus, frigidus, humidus ſiccus: calidus, & ſiccus, calidus, & humidus, frigidus, & ſiccus, frigidus, & humidus: quidam eſt obſcurus, & tenebricoſus, eſt alius lucidus, ſplendidus: quidam putridus, alius non putris, quidam fętidus, alius bene olês, quidam demum eſt craſſus, quidam tenuis. Ergo cum ſint aeris diſcrimina multa, quibus morbis, qui aer conueniat, diſquirendum.

Putrem aerem damnant omnes. nam ſpiritus inficit, & humores, vnde detenti carceribus, plerumque febre maligna correpti vitam obeunt; recteque medici, & ſanos, & ægros ab ea vrbe, & regione ablegant, cuius aer eſt coinquinatus, & putris. Laudandi pariter quod domos, in quibus ægrotantes decumbunt, non ſemper concluſas eſſe permittunt, ſed apertis fæneſtris, aere expurgant aerem, vt omittam eſſe gratum languentibus.

Odoratus aer mirificè recreat ſpiritus, ſi ſit gratus, nec caput tentet; ſolet enim plerumque id facere, vt 5. aphor. 28. admonuit Hipp. vnde conuenit correptis ſyncope, & ijs omnibus, qui ſpirituum refectione opus habent.

Calidum aerem, affectibus frigidis cōuenire, frigidum calidis, nullus dubitauit; quod ſi, diuturnis febribus laborantes, ad tepidum aerem, & quoquo pacto calidum tranſmittimus, à craſſo humore indicatione deſumpta, illud facimus, neglecta febre, aut cauſæ magis vacantes. Quamobrem vbi febris, & cauſa fabris vigebit, frigidum febricitantes inſpiret; at quoniam habent ijdem adſtrictam cutim, vel timendum maximè, ne meatus à frigido denſentur, inſpirent frigidum, corpore pannis tecto, ne à frigiditate ambientis adſtricta cutis, calidarum fuliginum euaporationem cohibeat.

Hinc poteſt quiſque intelligere, quibuſnam craſſus aer conueniat, quibus tenuis, quibus luminoſus, quibus obſcurus: eſt craſſus aer vtilis ijs, qui ob rarū corporis habitum facili quodam negotio diſſoluuntur, qui ob humorum tenuitatem, quæ maximè motui eſt diſpoſita, catharroſis laborant affectibus, vt podagra, fluxione alui; reddit enim tenuitas aeris humores paratos ad motum.

Sunt inimica loca luminoſa inſanientibus, vertiginoſis, lippis, hemicranicis, omnibus, qui dolore tenentur, aut purgans medicamentum aſſumpſere: ſunt opportuna apoplecticis veternoſis, & ſyncope, aut animi deliquio correptis; ita enim reſurgunt ſpiritibus ab intimis partibus ad externas, à lumine attractis. Læduntur contra à luce, qui pharmacū aſſumpſere, nam euocatis à ſtomacho ad partes externas ſpiritibus, non poterit pharmacum actuare ventriculus. Lædūtur lippi, & hemicranici, quia languida facultas ab excellenti ſenſili offenditur: & inſanientes, quia varia aduertunt obiecta à quibus occupata mens multo magis confunditur. Demum ſit ſemper aer morbo, cauſiſque morbi contrarius, atque paretur arte, ni talis natura habeatur.

Quid ſi, nec arte poteſt parari, an mutandus? Si æger acutè laborat. prorſus abnuo, ſed ferenda eſt conditio loci, vbi eſt quis morbo correptus, nam multis translatio, moriendi occaſio fuit. At ſi, nondum quis ęgrotet, timet tamen, ne in morbum incurrat, ſeligat oppidum, in quo decumbat, cum ad curandum ægrū, *non ſolum ſe ipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora.* Mutet quoque locum, qui non laborat acutè, præſertim ſi ad patriam ſe conferat, & id quam maximè exoptet; plerumque enim hilaritas inde accedēs, morbi moleſtiam leuat, & noxa aeris, in quo quis ægrotat, non tam apparere ſolet, quam exiſtit. Quare rectè Hippoc. 6. epid. com. 5. t. 20. *in longis morbis, ſolum vertere conuenit.*

Eſt ne cum peiori commutandus affirmat Celſus, *quia nullus* inquit *peior aer exiſtit eo, qui ægrotationem induxit*: cui annuo, ſi aer fuit ægrotandi cauſa: at ſi aliūde morbus habuerit ortum, quod frequentius, ineptę faciet, quicunque ægrū transferet.

Recta motus, & quietis adminiſtratio. Cap. III.

PEtronas, Prodicuſque ſiuè Herodot. curſibus, & luctationibus febricitātes necabant, vt refert 6. epidem. Hippocr. Aſclepiad. quoque, vt hominum aucuparetur fauorem, non modo varias exercitationes voluptatem potius, quam ſanitatem ſpectantes indulgebat languētibus, ſed vt ſcribit Celſus, *cubantis quoque luxuriæ ſubſcribebat.* Ne ergo & nos hac in re aberremus, quibus morbis, qui motus conueniant, exponemus.

Motus ne eligendus, an quies imperāda, perfectè nouerit medicus, vbi fuerit vires contemplatus languentis, conditionem corporis, morbum, cauſam morbi, & ſymptomata. Præſtat quidem primum vires inſpicere, nam ſi imbecillæ fuerint, par- Quinq; contemplanda in recta motus & quietis adminiſtratione primum vires.

Secundo conditio corporis

parcendum motui, vnde 2. aphor. *vbi fames, laborandum non est*, imperanda quies, nam 3. art. med. 11. *cum primum lassari cœperit corpus confestim quiescere oportet*. Est quoque status corporis contemplandus; nam si corpus multis fuerit repletum humoribus, nullatenus moueri conuenit, ne motu agitati humores, vel corrumpantur, vel in princeps aliquod membrum, impetum faciant; vel motu incalescentes, vas aliquod rumpant, aut plus iusto repleant. Monstrabit tertio hoc ipsum morbus. Vnde quiescant calida intemperie affecti, & sicca: quiescat pars vulnerata, quæ à proprio loco recessit, aut nuper fuit reposita: quiescat demum pars dilatata plus iusto: eligatur quies, vbi motos humores compescere volumus: hæc demum iniungenda dolenti particulæ, nec permittendus motus, ni motu, doloris causa abigatur. Imperetur motus in frigida intemperie, & humida, seu simplici, seu materiali: in morbis ab aucta in minutaue magnitudine, in obstructione. Docebit te hoc quarto symptoma, nam vbi retenta, & cohibita sunt excrementa, mouere corpus expedit vnde in suppresso sudore, lotio, omnes imperant motum; at si eadem plusquam ratio probat, effundantur, quies expedit. Tandem causam quoq; monstrate, quid sit faciendum, monstrant febres, quæ à crassis, & frigidis succis pendent; nam quamquam si febrem inspicias, expediret quiescere: à causa tamen indicatione desumpta, exerceri ęgrotantes præcipimus, & iure. Acuit enim calorem motus: hebetat eumdem quies, vnde frigidi, ociosi, & partes diuturna quiete contabescunt: ciet motus humores: compescit eosdem quies, & naturæ imperio subijcit: dilatat calore motus, adstrictio comparatur quiete. Quando ergo calida affecti intemperie, frigida exposcunt: à parte vulnerata dolente, dislocata, aut mox reposita, vel plus iusto hiante, ablegandа humorum confluxio, nulli dictorum affectuum conducet motus. Vnde Hippocr. *stare in vlceribus malum: cum purgare vis, moue corpus: inditat autem hoc & nauigatio*.

Morbus tertio.

Quarto symptoma.

Quinto causa morbi.

Hinc imperant quietem medici in quauis fluxione, vt diarrhæa, disenteria, & scripsit Plin. lib. 5. epistolarum 19. de quodam liberto suo: *dum intentè pronunciat, sanguinem reiecit, atque ob hoc in Aegyptum à me missus, post longam peregrinationem confirmatus rediit: nuper deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmatis, tussicula admonitus rursus sanguinem reddidit*. Hinc interdicunt medici motum omnem parti inflammatæ, nec in tumore œdematoso concedunt, nisi purgato corpore, ne maior motu fiat ad tumefactam partem humorum confluxio; & rectè ijdem in calidis febribus quietē præscribunt.

Quod si motum quandoque commendant, à causa crassa, & frigida indicatione desumpta hoc faciunt, non à febre, & tunc id faciunt, cum exigua febris, viget causa, vnde in diuturnis febribus imperamus motum, in acutis, & ardentibus, quietem eligimus.

Moueantur contra, qui frigidam, humidamque intemperiem patiuntur, qui frigidis tenentur tumoribus; nam hydropicos hoc vno præsidio, cum à nullo alio adiuti essent, curatos vidimus: moueantur pingues ventricosi, nam nihil æque extenuat, ac validum, vehemensque exercitium corpore ieiuno factum 6. epi. com. 5. t. 2. & lib. de salubr. dict. nec alio remedio Nicomachum Smyrneum, qui adeo excreuerat, vt ne podicem quidem tangere valeret, curatum accepimus. Moueantur demum extenuati, sed leniter, & ij qui viscerum obstructione laborant.

Caue autem, ne eamdem motus speciem, commendes omnibus, nam quibusdam robustus motus, & vehemens conducit: lenis alijs, & imbecillis: quibusdā est tardus ex vsu: celer alijs: est autem celer motus, cursus, vmbratilis armorū meditatio, ludus magnæ, & paruæ pilæ: vehemens, qui ex robusta, & celeri componitur, fossio, disci iactus, saltatio, & grauis teli iaculatio, si tamen continuatis ictibus, & absque intermissione hæc fiat. Vbi magna est intemperies frigida, humores admodum tenaces, & crassi, obstructio magna, cachexia, hydrops, robusti motus probantur: lenes in morbo exiguo, & magno, si virtus languet: nam si temperandum est motui, cum sanum corpus incipit lassari, quanto magis, vbi est ægrum? sella ego gestetur, vel curru vehatur: nam curru vecti nephritici, excernunt non ratò lapillum, qui ne validissimis quidem medicamentis extrudi potuit.

Quæ exercitij species, cuiq; commoda.

Caue secundo ne (quod falsis rationibus ducti Diocles, & Erasistratus faciebant, a cibo imperes exercitationem: nam vt benè Galen. lib. de cib. boni, & mali succi c. 3. *Quemadmodum ad sanitatem maximè conducit ante cibum peracta exercitatio, sic quiuis motus à cibo perniciosus*, ni sit lenis, quo fit, vt cibi, fundum ventriculi petant, neque ad supernum os illius regurgitent. Ieiunus ergo exerceatur, coctione cum prima, tum secunda peracta; enimuerò, si cum plenus est stomachus, cauendum à motu est, ne incoctus chylus deducatur ad hepar; cur non idem in sanguificatione obseruandum, quando idem instat periculum? adde secundo, quod vbi vtraque coctio est celebrata, est alimentum partibus distribuendum: at distributio motu, coctio quiete perficitur. Vbi ergo cibus in chylum, aut sanguinem est commutandus,

Quando commoda.

quies

quies imperetur: vbi vtraque coctio celebrata, motus. Ex his intelligere est, neq; plenum corpus esse exercendum, ni primum vacuetur, vt 3. aph.20.

Et quo loco Cæterum, quia mira est locorum vis, & non modo bruta, & plantæ, sed & homines à varijs locis vario afficiuntur modo, prælstabit illud pro coronide apponere, quo in loco exercendi; nam sunt illa multa, exposita acri, & sub tecto, vt porticus, quas adiungere antiqui consueuerant templis, balneis, vel domibus virorum illustrium, vnde fit toties mentio Pompeianæ à Poetis, aut erant subterranea loca, in quibus ad euitandas caloris molestias, aut alias iniurias temporis, quandoque deambulasse, est verosimile: deambulationes item, quæ fiunt subdio, quas idcirco deambulationes subdiales solent appellare scriptores, sunt item multiplices, nam vel fiunt in pratis, & locis vmbrosis, aut arenosis, vel fiunt propè mare, lacus, stagna, aut flumina, vel fiunt in locis conclusis, aut vento perflatis, & hæc multa iuxta varietatem ventorum. Vel fiunt in vmbra, vel sub Sole: si in vmbra, vel à pariete facta, vel ab arboribus, seu fruticibus: demũ, vel fit exercitatio in vijs æqualibus, & planis, vel inæqualibus. Scias ergo vitanda esse primum loca stagnis, & aquis palustribus vicina; nam expirant malè olentes vapores, & putridos halitus. Vitanda secundo loca vmbrosa, si tamen vmbra ab arboribus, vel fruticibus insalubribus fiat, cuiusmodi esse nucem, & narcissum memoriæ prodidit Plut. Vitentur tertio frigidiora loca, & calidiora, nam ab illis refrigeramur multum, ab istis plus æquo incalescimus: Improbantur quarto conclusa loca, quia non habent aerem ventilatum. Eligantur proinde deambulationes subdiales: nisi tamen aeris tempestates, vt venti nymbi, grandines, & Solis feruor prohibeant.

At quando in vmbra, quando in Sole ambulandum, aut standum? cum frigidã humidamuè intemperiem emendare est animus, sub Sole ambulandum, si tamen fert Solem caput, nam vt prodit Galen. & Hipp. sunt radij humanis capitibus, quam maximè noxij. Confert ad idem, propè mare ambulare, & loca arenosa, exiccant enim mare, & arena, quod intelligens Augustus, dum laboraret coxendice, & crure sinistro, non satis benè valeret, imo sępè ea parte claudicaret, in arena exercitabatur, quo remedio confirmatum esse prodijt in eius vita Suet. Sic enim esse interpretandum contendit Mercur. lib.5. Gymnast. cap.12. vbi arenarum, & arundinũ remedio vsum tradit, arenarum quidem ad exicandas fluxiones: arundinum ad continendum, & claudicationem impediendam: nisi manis dicere, vsum esse arundine, ad crura sca-rificanda, & arena ad eadem operienda; nam hæc multum valere ad hunc morbum sciunt omnes: vel per arundinem, earum decoctum exponas cum Donato; nam cum sint similes radici chinarum, valent exiccare humores, vt & chyna.

Exerceatur autem iuxta mare manè: & vesperi, ni displiceat: nam quod aiunt;

De mane montes, de sero respice fontes.

De fontibus verum, quia emittunt inconcoctos vapores, qui ni dissoluantur (dissolui autem nequeunt ante Solis exortum) non est admodum tutum eos excipere: de mari falsum, nam quæ à mari expirant, siccandi vim habent, roborandi. Quare damnatur iure matutina ambulatio iuxta fontes, probatur maturina, & vespertina ambulatio iuxta mare, & omnino assentior veteri, & laudato prouerbio, quod refert Plutar. lib.1. sympos. *nauigatio iuxta terram, ambulatio iuxta mare iucundissima.*

Cum verò non est animus exiccare, aut corrigere intemperiem frigidam: sunt loca vmbrosa eligenda, non tamen ea, quorum vmbra à tectis, non enim sũt ventilata, sed quæ fit ab arboribus, quæ duas habent conditiones, altera ne sint adeo spissæ, vt omninò arceant Solem, sunt enim loca illa, valdè frigida, & humida: alteram, vt bonum spiret odorem. Bonum ergo erit, sub lauretis, malis medicis, iuxtà mirtum, aut inter acres, & benè olentes herbas, calamentum, pulegium, thymum, mentam, nepitam, serpillumuè ambulare.

Ex his autem eligenda loca inæqualia, nam minus fatigant, cum non semper eædem laborent partes, sed quædam quiescunt laborantibus alijs: qua de re plura, qui de tuenda sanitate scripserũt, vide tu Celsum c.2. lib.1.

Quibus in morbis dormire, aut vigilare conducat. Cap. IV.

QVibus in morbis somnus procurandus, quibus vigilia conducat, vix sciri potest, ni effectus somni, & vigiliæ præenoscamus: propterea hinc orsi progrediemur ad reliqua. Ne tamen reprehendendi ansam quis assumat, noto primum ad tituli intelligentiam, haud esse in animo quærere, quænam somnus faciendi vim habeat; nam cum sit sensuum requies, ac propterea mera priuatio, certum est, nullam habere vim effectricem: Cum ergo eius vires scrutamur, illud scrutamur, quidnam contractione caloris, quæ in somno necessario accidit, in nobis fiat. Quod si somnum facere quan doque dicimus, vulgarem loquendi modum sequuti, id dicemus, ne nimis accurata loquendi forma, plus iusto verbis studere videamur. *Quinam somni, & vigiliæ effectus.*

Non-

Semper refrigerari à somno quidam putarunt. Humectari Gal.

Nonnulli, quos refert Galen. 6. epid. com. 4. t. 17. semper somnum refrigerare autumarunt: semper humectare voluit Galen. æquè vtriq; displicent: nam tunc somnus humectat, cum calidus intus contractum, coquit alimentum: si quis inanitus dormiat, eodem Gal. auctore exiccatur: nam exponens verba illa 6. epid. com. 5. t. 32. *siccat somnus multus; itaque*, inquit, *si inexhaustis calor interius vergat, nihil habens, quod conficiat, languescit, & interit primus omnium; vt ignis enim lignorum materia, ita ipse alimento nutritur.*

Nos partes internas calfieri putamus: externas refrigerari.

Quod semper per somnum accidit illud est rata omnium sententia, partes internæ incalescunt, externæ frigent, nam 6. epid. 4. tex. 14. *euidenter*, inquit, *vigilans calidior exterius, frigidior interius: dormiens è contrario*. Quare quod dicunt multi somnum humectare, exiccare, replere, manire, dolorem capitis inducere, eundem lenire, grauedinem sensuum facere, stupiditatem tollere, morbis multis mederi, multos inuehere, haud somni simpliciter sunt opera, sed à varijs somni differentijs fiunt: & quod Tertull. dixit suo lib. de an. c. 43. *est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit auferens rerum etiam colorem*, de naturali somno explicandum: id facit sua natura somnus, partes internas calefacit, externas refrigerat, spiritu, & sanguine à partibus externis ad intimas reuocato: fit & illud in omni somno, vt scilicet ferientur sensus externi: naturales potentiæ, & præsertim vis coctrix, operentur valentius.

Conueniet proinde somnus affectibus frigidis.

Conducet proinde somnus omnibus affectibus frigidis, qui coctione curantur, vnde Hipp. 6. epid. com. 5. t. 20. *Labor articulis, & carnibus: somnus visceribus robur.*

Num catharro. An ventriculo non benè coquenti.

An & catharro, & affectibus illis, qui cerebro fiunt refrigerato: An ventriculo male concoquenti? In hac difficultate est vnum, quod omnes admittunt, est aliud controuersum, & dubium. Fatentur omnes iuuari somno secundam coctionem, quæ in hepate, & venis celebratur: an idem de duabus alijs sentiendum, hic lis, hic dubium. Est communis sententia, & primam pariter coctionem iuuari somno: idem alij opinantur de tertia.

Communis sententia, quæ displicet.

Ioubert. has ob causas.

Negat contra Ioubert. decad. 1. parad. 5. & præter secundam coctionem, nec primam, quæ conficitur in stomacho, nec tertiam, quæ in carnibus celebratur, & capite, promoueri somno docet, nam stomachus, & partes, quæ in habitu corporis, destituuntur in somno spiritibus, quorum beneficio coctio celebratur; qui ergo melius illam absoluent in somno? Hippocr. *Labor*, ait, *articulis, & carnibus, somnus visceribus robur*: sunt autem viscera cor, & hepar, non cerebrum, non ventriculus. Confirmat idem experientia, nam cum minus spatij inter prandium intercedat, & cœnam, quam inter cœnam, & prandium, citius die in vigilia coquimus, vnde esurimus vesperi, non manè surgentes à lecto: vigiles quoque noctes traducentes, vt qui oleum exprimunt, & vinum singulis tribus horis comedunt; aut duabus, quod intuitus Hippoc. vigiliam vocauit edacem: qua quæso ratione, si somnus promoueret primam coctionem, quæ in stomacho? aut si promouere hanc valet, cur nam à prandio somnum interdicimus? vnde est versus, somnum fuge meridianum. cur longus præsertim nocet? cur non eundem statim à cœna probamus? nonne præstaret, vt sta tim ad coctionem calor aduocaretur?

At probatur nobis.

Sed impugnent licet hæc communem sententiam, non tamen expugnant. Censeo itaque coctionem omnem, primam, secundam, tertiam, somno promoueri, & iuuari. Ita Galen. 3. de caus. puls. cap. 9. & probatur; nam quamquam in exordio somni spiritus omnes intus coercentur ab anima, eo tamen progrediente, mox maiori cum fœnore diffunduntur: id verum esse constar, quia in somni initio frigemus, in eiusdem progressu, vsq; adeo incalescimus, vt pannos ferre nequeamus, valeamus, quod si dicas: sunt in vigilia perpetuo carnes calidiores, in somno contra, nam in progressu calent, in principio frigent. Quare numquam tertia coctio perfectius per somnum celebrabitur, sed in somno minus, in vigilia magis.

Et rationibus adductis fit satis.

Respondeo, argumentum concludere, si essent cœtera paria; nunc verò carnes post somni initium, vberiorem longe calorem recipiunt, quam in vigilia; nam abundè regeniti spiritus diffunduntur, & copia quidem vberiori: maiori autem calore donatæ, potcrunt, etsi tempus esset breuius, concoquere magis. Quod si secus esse contendat quis pertinaciter, dicat idem, cur cerebrum in somno resoluit vapores, qui ebrietatem induxerant, sedat hemicraniam, & omnem malitiam humorum compescit? cur ingenium à somno euadit acutius, memoria promptior, sensus omnes sinceri? Præterea vigilans anima, non solum coctioni moliendæ vacat, sed multis alijs operibus inuigilat. At verò intenta pluribus, minor fit singulis: coquet proinde in somno semper valentius, quando externi sensus feriantur. Proinde dicerem valentius coquere cerebrum in somno, quamquam non sit adeo calidum, vt in vigilia, quia vigilans anima, non ad coctionem tantum, sed & ad alia opera obeunda attendit: vbi ab alijs operibus in somno vacat, quia vni coctioni promouendæ studet, perfectius in somno illam celebrat. Quamquam non id perpetuò

verum, sed cum moderatus est somnus, & potest obiectum à calore vinci: vbi nō supetet,augetur affectus, nam calor primo flatus excitat,deinde discutit: non potest autem discutere si sit calor exiguus. Quare vniuersum corpus replebitur flatibus, intumescet facies. pallescet,fient multę pandiculationes,oscitationes,ructus:adde duo alia incommoda, primum est, quia cum omne agens agendo repatiatur, infringetur non parum vis caloris, vbi in crudorum copiam citra victoriam aget:secundo quia non expurgantur excrementa,quę per vigiliam continuo resoluebantur. Quare bifariā lædet, tunc temporis somnus, & quia priuat nos beneficio vigiliæ, per quam excrementa resoluebantur, & quoniam calor agendo imminuitur. Vnde intelligitur, cur cum somnus calefaciat internas partes, arceamus tamen somnum in soporosis,& frigidis affectibus. Nempè arcemus somnum, ne frustra calor in caulæ coctionem incumbens debilitetur, & amittamus beneficium, quod à resolutis in vigilia excrementis acquirimus. Ad ea quæ Ioubertus adduxit. Ad rationem, cui sua sententia multum innitebatur ex dictis patet. Ad locum Hipp.& si alij aliter sint intepretrati, vt constat ex ijs, quæ loco illo Galen. non recedendo tamen ab expositione quam affert, & cōmuniter alij recipiunt, dicimus hunc esse eius loci sensum;exercitatio potissimū articulos,& musculos roborat,nam cum deambulatio sit actio spectans ad illas partes, roborabuntur illæ deambulatione,nam quæuis pars,propria functione delectatur: somnus contra, viscera potissimum roborat: ergo coctio melius celebratur in vigilia,quam per somnum, non video quomodo,hęc consequentia deducatur.

Cur somnum interdicimus in sopore.

Ad experientiam dicimus,non omnes, qui prandent meridie, vesperi superasse alimenta, multi crudi sunt, & à cœna ni abstineant, malum habitum comparant: qui coxere breui illo interuallo, ijdem noctu cœnam superabunt, & mane esurient, vnde ientaculum petunt, vt ferè omnes Hispani: quod si communiter alij non famescant, & propterea nihil sumant, haud quidem, ac si non concoxerint,id facere respuunt, sed quia concoctum alimentum non est distributum, quod fit in vigilia: atque hoc in causa est,cur vigilantes, & laborantes,multum edant: non id fit,quia magis valet ad coquendum vigilia,sed quia fit maior in vigilia dissipatio: quare & maior à ventriculo suctio,& consequenter fames. Aliorum problematum ratio cap. seq. tradetur.

Patet ex dictis secundo, non conuenire somnum initio, aut augmento internarum inflammationum conuenire postquam sunt factæ; nam incipiente inflammatione,conueniunt repellētia, quæ humorem longè à parte inflammata reijciant: trahit somnus ad partes internas, sanguinem,& spiritus. Ob eamdem causam,non conuenit somnus in accessionibus febrium,quia vt docet Galen. 2. apho.4 impedito calidi effluuio ad partes externas, multo magis prorogatur accessio: conducit contra in interuallo, & declinatione earumdem, tum quia reficit vires in accessione labefactatas,cum quia promouet causæ coctionem. Ob eamdem causam conducet dormire, vbi facta est inflammatio, nullo vt pacto eius ortus inhiberi iam valeat, nam facta inflammatio, aut resolutione tollitur, vel maturatione; vtraq; autem calore perficitur,qui augetur per somnum.

Nocet internis inflammationibus & in initio & augmento accessionum.

Tertio infero cum somnus sit requies sensuum externorum, conferre somnum omni lassitudini,& dolori, à quacumque causa excitetur; nam vel dolor est sensus, vel præcedente fit sensatione, quæ nulla est in somno: Vnde, quia lassitudo est dolor,confert somnus lassitudini omni. Prætereа in omni lassitudine fatigatū est corpus: tollit somnus laborem. Sed & tollendo lassitudinis causam, quandoq; iuuat; nam vlcerosa fit partibus, & succis calfactis: aquoso humore per carnes disperso tensiua,ex vtriusque causæ cōcursu phlegmonosa: at quod calfactum est, refrigerat quies: aquosus humor dispersus, aut in madorem vertitur per somnum,aut per vrinam emittitur.

Conducit attollendis lassitudinibus.

Quarto infero euacuationes,quę precedente fiunt sensatione, somno coerceri: torpet enim in somno omnino tactus: nihil itaque molestans percipiet. Quare nec quicquam pellens facultas expellet. Neque hę tantum coercentur in somno, sed & quę nullo sensu fiunt, vel omnino tolluntur, aut diminutę fient,nam in vigilia humores mouentur, quiescunt in somno, nunc facile est rem motam impellere, quiescentem difficile agitabis. Excipio sudorem,hic enim proritatur in somno,quia sudor in somno gignitur copiosus. Quid de morbis in mala, formatione,solutaque vnitatis,quæ methodus seruanda est in intemperierū simplicium curatione: nihil hic innouandum, consuetudo seruanda,tantumque vigilandū, & dormiendum,quantum, & quando sanitatis tempore erant consueti; nam cū huiusmodi morbi, nec coctione iuuentur,nec vacuatione, quam somnus promouere solet,cohibere vigilia: neque consuetudinem immutari poscat ratio, habita ratione consuetudinis, quæ numquam est mutanda, ni aliud vrgeat, religiose erit consuetudo seruanda. Habes,quibus affectibus conducat somnus, quibus vigilia conferat: dicendum modo quantum,quando, & quomodo, dor-

Et vacuationibus compescendis, excepto sudore.

mien-

miendum: ne tamen caput hoc plus iusto crescat, sequenti id docebimus.

Quantum quando, & quomodo dormiendum. Cap. V.

Moderatus somnus vtilis

QVantum dormire æger debeat, non est difficile admodum diuinare, certum enim cuique est, & somnum, & vigiliam, vbi excedant plus æquo, nocere languenti, moderatum conferre: est autem mediocris somnus, qui neque breuior est consueto, neque longior. Tantum ergo languentes dormiant, ni morbus reluctetur, quantum tempore sanitatis dormire assueuerant: ab hac regula recedendum, pro varia morbi conditione, nam alij somnum amant, vt extenuatio, melancholia, intemperies siccæ, dolores, excretiones immodicæ: amant alij vigiliam, vt intemperies humidæ, & frigidæ capitis, obæsi, qui pharmacum sumpserunt. In soporosis ergo affectibus, demendum de somno, nam caput replet, & grauat, augendus idem, cum refrigeratus est stomachus, aut plus iusto ingurgitauit, quam coquere potest: sic secundo de ratione victus 22. iubet Hippocr. vt qui pransi fuerint, cũ non essent id facere consueti, *diem tamquam noctem a cœna transigant*, hoc est dormiant: quod si id nequeant assequi, neque enim in nobis est, vt dormiamus, cũ volumus, multos passus lenta ambulatione cieant. Est & plus somno indulgendum, vbi vires languent, nam hanc ob causam, æstate dormimus meridie: tanto autem largior somnus est concedendus, quanto vires, quę per morbos lassantur, maiori egent refectione. Laudandi itaq. medici, qui febricitantibus non solitis dormire meridie, somnum meridianum concedunt, quando roborat hic vires omnes, & coctricem potissimum, cuius magna cura habenda per febres putres.

Moderatum in ægris voco consuetum.

Quare tantũ dormiãt ægri quantum erãt dormire consueti, ni morbus obstat.

An ieiunus an diu dormire æger debeat.

De tempore multa se offerunt consideranda: primum est, an ieiunus, an à cibo dormire debeat: secundum, an noctu, an diu: tertium, an in accessione.

De primo hęc Auic. lib. 1. fen. 3. d. 2. c. 9. *amplius super vacuitatem dormire est malum, & virtutem deijciens: & super repletionem antequam ex superiori ventre fiat hæc descensio, est malum, quoniam non erit profundus imò erit cum renocatione de latere in latus:* Auicenn. sequuntur medici omnes, quibus assentior, si de sano loquantur corpore: at vbi pingue est corpus, aut crudis scatet, exerceatur primum, à motu ieiunus dormiat, nam, vt Hippocr. 6. ep. comm. 5. t. 33. & ibid. Galen. *emaciatum, somnus multus siccat*: multus inquit, & cautè, nam paucus, laborem antegressum sedat, & siquæ sunt crudorum reliquiæ, coquit.

An noctu, an diu.

Quod spectat ad secundum, laudat Hipp. 2. progn. 11. somnum consueto tẽpore factum: vnde quia viuentes iuxta naturę leges, noctu dormiunt, die vigilant, commendat somnum nocturnum Hippoc. *Quod* inquit, *ad somnum pertinet, intre cum oportet eodem modo, quo per naturam consueuimus, vt interdiu quidem vigilemus, noctu dormiamus.* At quando id nunc in more, quod & Galen. tempore diuites facere consueuerant, vt scilicet alius sit somnus secundum naturam, alius secundum consuetudinem; multi enim noctu vigilant, die dormiunt, quos lucernarios appellat Senec. lib. 22. epist. 123. reprehẽditque, quod contra naturam viuant, eo tempore dormiendum, & toties, quoties per sanitatem dormire consueuerant. Quare si die & nocte æger dormire erat solitus, die & nocte pariter dormiat: potissimum autem sub auroram, nam continuatur cum somno nocturno, & tempus auroræ, simile est nocturno, hoc est frigidum: celebrata est præterea quoquo pacto coctio, quo fit, vt vigeat sanguis: à sãguine autem dulciores ad caput elati vapores, somnum dulciorem conciliant. Hinc quia mense Aprilis præcipuè abũdat sanguis, est eo potissimum tempore somnus matutinus iucundus, vnde Hispani *Las mañanicas de Abril, son muy dulçes de dormir*. Damno vespertinum, quia eo tempore recedente sole refrigeratur corpus, quod non est tutum contractione caloris magis refrigerare, nam omnis repentina mutatio est nostro corpori nocua. Hoc discrimen cum non immineat à somno meridiano, permitto illum.

Nam somnus sub auroram iucundus.

Præsertim mense Aprilis

Quid si morbi accessio instet? aut aduenit? nequaquam dormiendum; vt ex Galen. habemus 2. par. aphor. prim.

Non dormiendum, vbi est accessio, aut imminet.

Quocunque tamen tempore dormiat, corpus commodè locet: locabit autem commodè, ni super dorsum decumbat; sed super latus iaceat. Vtrum eligibilius? probant alij dextrum, sinistrum alij: Cõmunis sententia tenet, primum esse super dextrum cubandum, tum reuoluendum ad læuam partem: mane tandem super stomachum iubent, vt decumbamus: vt si quid incoctum permansit, eo situ compressus ventriculus digerat, & excremẽta, ad intestina protrudat. Ita autem faciendum, cum nulla pars præcipuè est male affecta, nam vbi aliquæ sunt, quę peculiari aliqua dispositione præter naturam tenentur, præstabit pro earum diuersitate, modo in alterum latus, modo in ventrem decumbere: super ventrem dormire, & decumbere conducet, aut vẽtriculi, aut colico dolore vexatis; tollit enim compressio dolorem, si pars doleat à re distendente: vnde multi cum capitis dolore tenentur, fasciam illi circumponunt. Si habeat idem hepar calidum, super sinistrum latus iuuabit decumbere, vt notat Concil. diff. 123. Eumdem laudat

decubitum in alui ſtipticitate: in fluxu contrarium;nam cum ventriculi fundum ad dextram partem inclinet, compreſſo eo,facilius extrudentur, quæ continentur in ipſo; contra qui palpitationi eſt obnoxius,numquam debet ſuper ſiniſtrũ latus dormire,nam preſſum os ventriculi,quod ad partem ſiniſtram inclinat, aut ſiniſter cordis venter à dextro compreſſus, mox ſenſum ſuffocationis excitabit, pauores,inſomnia,vnde & vigilias.

Quid ſi laboret aliquis, vtriuſque lateris inflammatione? ſuper dorſum decumbendum, ſi ſuper neutrum æger decumbere poſſit,quod rarò accidit:ſed neque omnes decumbant, quoſdam ſedere iubeo. ſedeant ventricoſi, & admodum pingues: ſedeant ortophnoici, & aſthmatici:ita enim facilius allicient aerem, quem vix compreſſo thorace per decubitum,attrahere poterunt: & quamuis hęc figura plena eſſe laboris videatur, quia tamen hic vrget ſuffocationis diſcrimen, procuranda eſt requies, diſcrimine illo, haud neglecto.

Decumbant,qui ita affecti haud ſunt, & in latus conſuetum: ita autem aſſueſcere debent,vt primo ſuper dextrum, deinde ſuper ſiniſtrum decumbāt. Quod ſi nullus decubitus familiaris eſt homini,melius eſt, vt ad partem anteriorem cubilis vergat, quodcũque latus eo vergat; nam contrarium eligi, non niſi ob amenitiam poteſt, aut ob delirium, aut quia oculi lucem ferre nequeunt; numquam demum id laudatum, quando ſani homines, eo ſolent verti,quo ſani homines eos alloquuntur.

Quomodo caput. At quomodo locandum caput, ne destillatione tentetur dormiens? altiore quidam capite dormiunt. Contrarium probat Mercur.lib.2. var.15. eo argumẽto: quia ruſtici,qui minimè omnium destillatione tentātur,capite vniuerſo corpori,æquali ſitu poſito dormiunt. Quia vero negare quiſpiam poterat,hac ratione fieri, vt minus ruſtici deſtillatione laborent,affert Ariſt.teſtimonium, qui 10. ſect.probl. ſcribit, idcirco hominem inter cuncta animantia maximè laborare catharro, quia in brutis, nec calor, nec vapores recta ad caput feruntur,ſed in alias partes corporis lati diſſipantur, cũ in homine, erectæ figuræ ratione, recta ferantur in caput. Idem Auicen. quinta 3.tr.1.cap. vlt. & expoſitores multi illius loci,de quo ſi plura ſcire cupis, lege Iul. Guaſtauio.l.1.loc.ſelect c.8.

An in lecto, & quali dormiendum. Dormiant in lecto, nam in cuna non, niſi lactentes, & ſcimpodij vſus omninò abolitus: lecti penſiles nauigantibus tantum noti,non paruo ægrotantium incommodo, coſfert enim multum in eo dormire, tum ad vitandum calorem, cum morſus infeſtantium pulicum, cimicumque.Dormiant ſub papilione,qui frigido, aut humido tenentur morbo, & ij omnes qui frigore offenduntur:non ſit cortina,aut papilio colore albus,ſi oculis laboret æger, ſed virides, nam vt alba diſgregando viſum lædunt, ſic congregando viridia, eundem recreant: eligantur purpurei,cum laborat æger variolis morbillis,eriſipelate: aut ſanguinis fluxum volumus concitare. ita lib.de ſubſigurat. empir.cap.5. *caruleus, inquit viridis niger que color lippitudini eſt accommodatus, albus ſplendideſque aduerſiſſimus: cæteri locũ medium tenent, rubor quoque ſanguinis ſputum irritat, in alijs affectibus, & ſymptomatibus vt obſeruatum eſt,planè inutilis eſt,& ſuperuacuus.*

Reponant obſcuro in loco lectum; trahit enim lux ad ſe ſpiritus. Quare, aut nullum capiet ſomnum æger, aut in contraria diſtrahetur natura, nam quos contrahit ſomnus ſpiritus, lux reuocabit: Non ſit iuxta vias, ne pertranſeuntium ſtrepitu excitetur. Non ſit in loco recens calce, aut gypſo oblito, aut vbi carbones fuerint accenſi, vtrũque enim eſt pernicioſum,& modo apoplexiam, modo Apoxam infert. Caueant terrio, oe Lunæ,aut Solis radij per rimas, dormientem feriant, lædunt enim vtrique languentem. Addunt alij cauendum eſſe pariter, ne eo in loco lectus reponatur, vbi ingrediens decumbentis pedibus ſtatim occurrat, nam vt ait Plin. lib. 7. cap. 8. *ritu naturæ à capite hominem gigni, mos eſt pedibus efferri*: vnde cum collocare mortuos ad hoſtij limē in vſu eſſet apud antiquos, ita eos ponebant, vt mortuus foras ſpectaret,& facie,pedibuſque eſſet ad ianuam verſis, vnde Perſ.ſat.tertia. Vbi lectu, reponendus.

Tandemque beatulus alto.

Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis.

In portam rigidos calces extendit.

Sunt,qui caput ad orientem ſpectare, ad occidentem pedes,noxium eſſe putāt, quod ſucci in noſtris corporibus, vna cum ſole voluntur: periculoſum eſt autem,ſi à pedibus agantur in caput.Sed quamquam primum obſeruent omnes, nam mortui ſic reponuntur,cum ſunt efferendi: ſecundum,aut pauci,aut nullus: vtrumque tamen eſt ſuperſtitioſum. Illud tamen non negligendum, decumbat ne in loco frigido æger,an calido. Nonnulli, quos refert Galen.6. epid. com. 4. t. 16. frigidum locum eligunt vt calor per ſomnum collectus remperetur: contrarium tuetur Galen. Nos ita diſtinguimus: calido morbo affecti, frigido in loco decumbant: dormiant refrigerati in loco calidiori:ſicca loca eligant humidiores,& deſtillationibus obnoxij,humida vigiles,melancholici, extenuati, quique humectatione opus habent. Ex his quia poteſt intelligere quiuis quæcumque ad rectam ſomni adminiſtrationem

nem facere expedit, plura addenda non censeo.

Recta accidentium animi administratio. Cap. VI.

Medici est de accidentibus animi disputare, quamquam eadem moralis contempletur.

NOn esse medicorum partes, de accidentibus animi recte administrandis tractare, credidit 3. at. med. Hali, ea vt patet coniectura ductus, quia moralis de re ista instituit disputationem: errore magno, ac propterea iure reiecto ab omnibus, nam quamquam moralis illa consideret, quatenus rectè moribus formandis conducunt, eius enim partes sũt, ea omnia conquirere, quæ animum rectè instituere valent: potest eadem medicus contemplari, qua ratione morbos valẽt, & inferre, & curare; nam quod vtrumq; fieri, ab his possit, constat ex ijs, quæ lib. 2. à nobis sunt dicta. Nempè docuimus ibi, effusione cõtractioneque spirituum, & sanguinis, modo partes externas incalescere, nunc frigere, internis calentibus; at primæ hæ qualitates, & morbos inferendi, & curandi vim habent. Iure itaque, vbi de ijs actum lib. 2. huius operis, docebimus modò, qua ratione valeãt eadem mederi morbis: neque hoc mittẽdum, quod numquam fieri possit, vt pro arbitrio nostro illa moderemur, siquidẽ voluntarios motus, & inopinatos sequẽtia, ægros, vel inuitos fatigant; nam quamquam nequeant omnino impediri, possunt tamen infringi, & eorum saltem excessus emendari. Vide Galen. 1. de san. tuend. 8. Vt tamen disputatio ista procedat ordinatè, tria faciemus, dicemus primum, quid passio, & quotuplex: videbimus secundo, quæ accidentia nostro corpori inferant, hinc deducemus tertio, quibus in affectibus expediat irasci, gaudere, & timere. Vt primum consequamur, videre primum oportet, quænam pathematibus animi subijciantur, quauè ratione differant ab ijs, quæ nec gaudere valent, nec tristari; nam quemadmodum Aristotiles ex discrimine animatorum, ab inanimis, naturalium ab arte factis, cognouit, quid sit natura, quid anima: nõ aliter nobis, passionis natura innotescet, vbi quæ passionibus animi subijciuntur, cognouerimus. Subijciuntur pathematibus animi, animata dumtaxat. Quare anima erit horum causa: non vegetans, nam nullæ in plantis perturbationes: neque intelligens, nam hæc in homine tantum, cum tamen animantia quæque doleant, gaudeant, irascantur, & timeant. Ergo sentiens. Quare malè Cicero, sectatus hac in re Stoicos, ægritudinem diffiniuit, præsentis mali libidinem spem venturi boni opinionem; nam opinio, ad intellectricem partem animi spectat, qua carent bruta, cum tamen turbentur. Neque ij admittendi, qui dixerunt, turbationem esse, auersam à recta ratione animi commotionem, vt mittam, esse & eam ob causam reprehendendos, quod damnant affectus in vniuersum, & ablegant omnino à nobis, cum tamen temperare sit satius, & humanæ naturæ conducibile magis; siquidem absque ira non est fortitudo, nec absque metu prudentia, nulla virtus, si turbationes auferantur; nam si virtus est iram cohibere quomodo faciet, qui ira caret? Si cupiditatem frenare, quæ cœrcitio, vbi non est, quod cerceas? Non est victorię locus sine aduersario, nec sine lucta, laudi. Statuendum proinde, vt eo reuertatur oratio, vnde fluxit, à sentiente anima originem ducere. Nec aliter putandum, quod Deo hęc tributa passim, in sacra Scriptura legamus, vt enim communis est omnium sapientum consensus, haud hæc dicuntur de Deo, secundum proprietatem, sed secundum similitudinem, non secundum affectum animi, sed effectum operis: scilicet irasci dicitur Deus, quia Deus talia facit, qualia solent facere homines pęnitentia, ira, vel furore correpti. Cœterũ, quia sentiens anima, & sentit, & appetit, sequitur enim sensum appetitus; qua ratione ab anima hæc accidentia, an qua sentit, an qua appetit? Dicunt alij, quod nam harum passionum subiectum, sensus ne, an appetitus. Secunda hæc pars placuit doctissimis viris, inter quos principem locum habet D. Thom. 1. 2. q. 22. ca, vt patet ratione ductus, quia à dictis pathematibus animi trahimur ad obiectum non habitum: pars verò cognoscitiua ad obiectum noscendum, non mouetur; quinimo hoc est in illa, vt cognitum in cognoscente, seu per speciem, seu per propriam essentiam, quod alij confirmãt insuper, quia tunc maximè ab hisce accidentibus patimur, cum quidpiam, aut vehementer concupiscimus, aut odio habemus, proquè desiderij vehementia, maiores, minoresuè contingunt affectus.

Vnde tria de ipsa disputabimus. quid sit, quotuplex, qui cuisque affectus, & quibus in morbis conueniant.

Pathematibus animi, quæ subijciantur.

Non erit ergo opinio pathema.

Neque auersa a ratione recta commotio animi.

Nam passiones sunt moderandæ, non omnino ablegandæ.

An appetitus sit passio.

D. Thom.

At hæc ratio facile retorquetur, nam pro maiori, aut vehementiori obiecti apprehensione, magis, minusuè turbamur: nec prima cogit; esto enim assumptum admittatur, quid aliud inde habemus, nisi in pathemate animi, omnia includi, apprehensionem, prosequutionem, aut fugam, dolorem, aut voluptatem? An vero formale ipsius sit apprehensio, an cõtra appetitus, id nequaquam inde conficitur: quinimo si proportionaliter est loquendum, & idem de accidentibus animi sentiendum, quod de dolore, quemadmodum, hic est tristis sensus, sic erit passio animi sub sensatione reponenda: & veluti, non quæuis sensatio est dolor, nã multa cum volnptate sentimus, percipimus alia nulla cum delectatione, aut dolore: sic nec quæuis sensatio erit animi pas-

Reijcitur.

pasſio, nam vt ſecundo de anim. res pictas citra aliquam animi commotionem intuemur. Quid itaque erit? vehemens imaginatio, ſeu boni, ſeu mali.

Vehementem imaginationem eſſe ſtatuimus.

Vehementem, dicere placuit, non cum Chryſippo recentem, nam quamquam, quæ ſubitò irruunt, turbent, vt plurimum animam: conſueta, inueterata, aut parum, aut nihil nos moueant, vnde illud, vulnera præuiſa minus feriunt; poteſt tamen contingere, neque rarò, vt recens rei bonæ, malæque imaginatio, nequaquam nos turbet? ſi ſit eadem vehemens, non poſſumus, non commoueri, hoc eſt proſequi, aut cogitare de fuga, triſtari, aut gaudere.

Indeq. numerum paſsionum deducimus.

Nempe, ſi offeratur nobis bonum, & illud præſens fuerit gaudemus, delectamur; & in eius poſſeſſione conquieſcimus: ni habeatur, cum bonum cognitum placeat, non poſſumus non inclinari ad illud: non concupiſcere: vnde ex habiti boni poſſeſſione, voluptas, orietur, lætitia, gaudium: è ſperato deſiderium, & amor. Quid ſi mala obijciantur? totidem ſient pathemata animi. Nempe ob præſens malum triſtabimur; ſi immineat, ſit timor, & odium. Non me latet, alios in multò minutiores ſpecies, accidentia animi conciſiſſe: plurimum docent, ſi bonum, aut malum ſimpliciter offeratur, mox amorem, aut odium excitari: Verum ſi bonum præſens fuerit, voluptatem oriri, & gaudium: ſi abſens proſequutionem, & deſiderium: contra ex mali præſentia, triſtitiam doloremque: ex imminenti timorem. Quod ſi non offeratur bonum, malumuè ſimpliciter, ſed arduum, vel præſens hoc fuerit, & ira conſurget, qua exardeſcit animus ad ſumendam vindictam, & ad depellendum præſens malum: vel imminet, & orietur timor, vel audacia: timor ſi refugiamus, audacia, ſi aggredi eſt animus. Quid ſi bonum arduum obijciatur? Si conſequi poſſe ſperemus, ſpes ſubleuabit animum: Si conſequi non poſſe putabimus, deſperatio deprimet. Non ignoro rurſus, has in alias diſtribui, vt amorem, in amicitiam, concupiſcentiam, conſultò tamen prætereo, nam cum conſiderentur hæc accidentia à nobis, quatenus morbos abigere valeant, atque id faciant, non ratione formæ, hoc eſt, prout appetitus ſunt, aut imaginatio, ſed ratione ſui materialis, hoc eſt cordis commotionis, illa erunt potiſſimum contemplanda, in quibus cor potiſſimum commouetur, ſpirituque, & ſanguine, nunc intus contractos nunc effuſo, miræ ſiunt in corpore commotiones. Id cum faciant quatuor accidentia enumerata, propterea hæc tantum ſunt à nobis poſita. Ab hiſce potiſſimum permutari, quis eſt, qui ignorat? Enimuero multi verecundia, quæ timoris ſpecies quædam eſt, qua iacturam exiſtimationis ob turpe factum, aut dictum formidamus, cõtabuere, vt Homerus, Ariſt. nam cum ille piſcatoris enigma ſoluere non potuiſſet: hic Euripi ſepties die, aut nocte reciprocationem aſſequi, non valeret, animi triſtitia tædioque obiere.

Homerus, qua ex occaſione occubuit, & Ariſt.

Gaudio periere non pauci; plurimos dolore, amoreque tabefactos, quotidie experimur. Nec mirum, nam in gaudio effuſi plus iuſto ad partes extimas ſpiritus, diſperguntur: in timore contracti, & in anguſtum ſpatium detruſi, conculcantur; torpeſcunt in triſtitia immobiles, in dolore plus iuſto agitati, exoluuntur. Itaque in gaudio partes externę incaleſcunt; vniuerſus in ira ſanguis bullit: in audacia feruet, in timore gelaſcit: in amore varia ſentit corpus detrimenta; modo enim timet amans, mox audet; nunc triſtatur, & mœret, modo in gaudium effuſus, cachinnat, & geſtit, vbique impotens ſui, & ſibi diſſimilis.

Quod ſi hæc patimur ab huiuſmodi pathematibus animi: quis modo non facilè intelliget, quando iraſci, quando timere ex vſu, quos in ſpem attollere, quos ex illa deijcere? ſcilicet deiecti animi ægros, leuare expedit, & vt, quam maxime ſperent procurare, nam vix dici poteſt, quanti ad abolendos morbos, ſit illa momenti.

Deiecti animi homines ſubleuandi.

Temerarij deprimendi.

Temerarium nactus es ægrotantem, qui non obtemperat, & præcepta medicorum contemnit? terrere hunc expedit. Amor nullius vſus, nam quamquam vigilias pariat, extenuetque, vnde prodeſſe poſſet ijs, qui magna mole carnis premuntur: quia tamen amor eſt quouis morbo peior: non eſt ſanum conſilium maiori malo, morbum minorem tollere.

Ira & audacia vtilis in affectibus frigidis.

Magni ira momenti, & audacia, vt frigidi affectus extirpentur, nam cum calfaciendi indicatio hic vrgeat, & ira, & audacia miro quodam modo hoc præſtent, miræ erunt horum accidentium dotes ad abolendos frigidos quoſque morbos. Poſſem id hiſtorijs multis confirmare, ne tamen lectorem fatigem, & in re clara, tempus inutiliter teram, duo tantum teſtimonia afferam, alterum ex Herodoto petitum alterum ex Valleriola. Laborauerat Craſſi filius natiuo vocis proferendæ impedimento, & ita grauiter, nullo, vt potuerit medicinæ præſidio, ab affectu hoc vindicari: at vbi militem, ſtricto gladio in Cræſum irruentẽ vidit, ita percitus dixit, Cræſus eſt, conde gladium miles. Eodem remedio adiutus Ioannes Sobiratius, vt refert Valleriola lib. 2. obſeru. cap. 4. à crurum conuulſione, qua plurimos fuerat annos cõflictatus, liber euaſit. Eamdem vim cum habeat audacia, calfaciendi nimirum, valet hæc extirpare affectus frigidos: ex quo factum exiſtimo, vt Ioannes ille Berla Arelatenſis, de quo idem Valler. ibid. à reſolutione, qua diu laborauerat, liber euaſiſſet. Contra morbi calidi, cum frigidis

gidis

gidis gaudeant, lædetur non parum si quis, ijs detentus, irascatur: lædetur pariter, si sanguinis excretione laboret: præsertim si à partibus spiritualibus, ille prodeat. At si magnus huic timor incutiatur, mirum quantum iuuabitur. Referunt multi, cum quidam ex immodico sanguinis fluore ferè ad Orcum deuenisset, magno exanimatum timore, curatum fuisse. Idem debellandis quartanis solet esse præsidio præsentaneo: causam refert Valles. 2. ep. com. 4. tex. quarto in animę obliuionem, quæ metu perterrita, non recordatur amplius, ad focum putredinis, humorem transmittere; ego in contractionem spirituum qui, vel impetu facto humorem disijciunt, vel collecti, & vniti, eumdem concoquunt; nam quemadmodum aqua effusa iuueni bene carnoso, sanat tetanum: sanat autem, quia repulsi à frigidæ affusione spiritus, & in partibus intimis collecti superant crassum illum humorem, & euincunt: haud secus, ob timorem contracti, vincent humorem producētem quartanam. Curatur quoque timore repentino singultus, nam territi detinent spiritum, spiritus autem detentione aboletur singultus. Eodem curantur insani, nam metus facit, vt mens sese colligat, & ad sapientiam redeat: læduntur at melancholici, præsertim, si frequens occurrat, nam vt ex Hippocr. habemus, si metus, & mestitia diu perdurent, melancholiam inuehunt. In vniuersum ergo, vt intelligas, quæ accidentia animi inducere oportet; quæ cauere, tria erunt tibi contemplanda, ægrotantis natura, seu conditio, morbus, symptoma. Hæc si accuratè inspexeris, non aberrabis in recta eorum administratione.

ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Decimus octauus.

DE VACVATIONE.



Dicendorum ratio, & ordo. Cap. I.



Ocuimus abundè, ni fallor, quonam intuendum, ne in recta cibi, & potus, motus & quietis, somni, & vigiliæ, animique accidētium administratione aberretur. Egimus pariter de recta aeris electione in morbis, restat illud modo, quo absoluantur omnia, quæ ad fontem diæteticum spectant, vt de recta vacuandorum ratione tractemus, hoc enim explicato, dilucidabitur pariter, quæ retineri debeant in corpore amicè, non extrudi, & foras expelli; vt vero ordinatè disputatio procedat, declarabimus primum, quibus in morbis vacuare conducat, quid vacuandum, quantum, per quæ loca, quando, & quomodo; Cæterum quia horum notitiam consequi nequaquam poterimus, ni antea vacuationis natura declaretur, hinc propter hanc causam, disputationem propositam ordiemur.

Quid vacuatio, quæ eius causa, quibus in morbis conducat. Cap. II.

Voluit Hippoc. vt ei imponit Galen. 2. aphor. 17. & 1. de humor. 12. aequalem esse humorum omnium eductionem: Galen. noxiorum humorum expulsionē. Fern. 2. meth. medendi cap. primo. *Est*, inquit, *eorum quæ in corpore præter naturam continentur eductio*: diminute, vt apparet, diffinientes omnes vacuationem, nam quę ab Hippoc. est tradita, venæ sectioni duntaxat conuenit. Quæ à Fernelio adducta malam non complectitur: nec si humorum eductio, est vacuatio, vt placuit Galen. erit vacuatio, eductio lapidis, ramētorum, aut flatuum. Quare neque Fuchsij sententia admittenda est, qui lib. 2. Inst. sect. 5. cap. 2. hunc in modum vacuationem definiuit, *est humorum in corpore sua quantitate molestantium excretio*: non enim vacuationem malam complectitur, non eam, per quam lapis, flatus, excremen-

Quid vacuatio.

Hipp. Gale. Fern. reijciuntur.

mentaque excernuntur, non illam demum per quam humores, qualitate tantummodo nocui vacuantur. Diffinirem propterea hunc in modum, est vacuatio eorum, quæ in corpore continentur eductio. Contentorum inquam; nam vbi pars aliqua abscinditur, aut extrahitur, extractio dicetur, aut abscisio, non vacuatio. Contenti autem nomine, non solum intelligimus humores, sed quidquid in corpore continetur; vnde resolutio spirituum, excretio vermium, lapidis, arenularum, ramentorum, pinguedinis, vacuatio dicetur; nam quamuis ramenta fuerint nostri corporis partes, vbi tamen à reliquis seiuncta fuerint, contenti nomen potius merentur, quam partium.

Vera diffinitio proponitur.

Causa vacuationis, est vis expultrix, vel sola, vel arte adiuta: interdum vis côtentrix præ imbecillitate non valens côtinere: vnde quædam vacuatio est spontanea, est alia artificialis: vtraque duplex, naturalis, vt cum virtiosum quid extruditur, & præter naturam, quæ animanti incommoda.

Quæ causa vacuationis.

Est præcipuus vsus illius, multitudinem demere, nam vacuatio, repletioni contraria. Quia verò refrigerat eadem, vt vacuatio cholera, & sanguinis: calfacit, & siccat, vt pituitæ eductio: reuellit indiscriminatim cuiusque humoris purgatio, si ad contraria fiat: conducet propter hanc rationem vacuatio, ne dum morbis, qui à repletione, sed intemperiei calidæ, & frigidæ, humidæ siccæ, & ijs omnibus, quæ reuulsione sensibili, opus habent, & quoties humores ita sunt vitiosi, vt emendari nulla arte queant. Hanc ob causam in venenatis affectibus, vacuamus statim: & in ephimera à sanguine calfacto, & calida hepatis intemperie, mittimus sanguinem, idemque facimus sanguine fluente. Vnde patet, quot sunt species vacuationis, & quibus in morbis conducat; nam eum sumantur illæ, vel à causis vacuationis, vel ab ijs, quæ vacuantur, ab vsu, modo, quantitate, & loco: quædam erit vacuatio spontanea, alia artificialis: spontanea duplex, aut vi excretrice pellente, aut contentrice laxata: quædam reuulsiua, alia deriuatoria, retinet alia rationem generis: quædam minorans, alia eradicans: quædam sensibilis, alia insensibilis, quædam per os, quædam per cutim, alia per secessum.

Quis eiusdem vsus.

Hinc quibus in affectibus conducet, colligitur.

Vacuationis quot species.

Patet secundo vacuandum esse in affectibus omnibus, qui à repletione: cum vacuando reuellere volumus: vnde in morbis omnibus, qui à fluxione: vt Angina, pleuriti, non solum vacuamus ad minuendam copiam, sed vt reuellamus: vacuamus demum cum refrigerare est animus: vnde mittimus sanguinem in ardêtibus febribus: & calfacere, vt cum pituitam minuimus.

Quibus conueniat.

An vacuandum, quia vacuari quis est côsuetus? affirmat vulgus, & medici quidam vulgares, cum eo. Negat Gal. lib. de consuet. Dinus 1.4. c.3. quæst.7. Valles. 8 controu. cap.5. Mena in lib. quos quibus, & quando cap.5. Reclamat demum ratio, nam vacuatio, vt & aliud quodcunque præsidium, non à naturalibus rebus, in quarum numero est consuetudo indicatur, sed à causa præter naturam, quæ vel actu morbum inuehit, aut veremur, ne sit illum in posterum inuectura. Quod si hominem aliquem expurgaturi, quem numquam alias cognouimus, an sit consuetus expurgari, inquirimus: haud facimus illud, à consuetudine euacuandi, indicationem sumentes, sed ob duas causas diuersas longè, nempè, vt intelligamus, toleret facilè ne vacuationem, an difficulter; sunt enim consueta, minus molesta insuetis, quocirca consuetudo vacuationis, tolerantiam facit non indigentiam. Cupimus secundo scire, an sit consuetus purgari, vt quanta sit congeries succorum, noscamus. Itaque multitudo illa excrementorum congesta, hæc indicat vacuationem, consuetudo nequaquam: patet, nam si exactiori victus ratione instituta, nulla sit redundantia, nullam euacuationem moliemur, quod optabilius: quemadmodum præstabilius est, impedire hostem, ne inuadat, quam inuadentem necare: quæ quoniam clariora sunt, quam vt maiori indigeant declaratione, propterea plura non addam.

Indicet né consuetudo vacuandi, vacuationem.

Quid vacuandum, & quantum. Cap. III.

Pertractans de prima difficultate Hippocr. 1. par. aphor. 2. docet, medicum id quam maximè curare debere, vt euacuet succum peccantem, non pro eo reliquos. Ergo si pituita lædat hominem, pituitam euacuet medicus. Bilim, si bilis eum affligit. Quod si nullus humor, sed vel arenula, aut flatus ægrotantem intestat, in flatus discussione, aut arenulæ eductione incumbat; hæc enim ratione iuuabit, quam maximè hominem, & quam minima molestia afficiet, qui debent esse scopi propositi medico. Id futurum, noxijs eductis succis, exemplo earum, quæ sponte fiunt euacuationum, demonstrat; ventris enim turbationes, & vomitus spontini, tunc prosunt, cum nocuus humor vacuatur, si secus fiat, nocent. Curet ergo medicus, peccantem humorem educere: cumque debeat euacuatio, proportione quadam, repletioni respondere, tantum vacuet, quantum est quod abundat: ne si plusquam ratio postulat educat, morbum gignat ex inanitione: si minus, morbum funditus non extirpet. Non tamen, id semper exequêdum,

Quod peccat, hoc vacuandum.

Et quæ copia peccat.

Si vires id ferant.

dum, sed cum vires id tolerant; neque enim recte morbum is demit, qui vna cum morbo ægrum de medio tollit, sed conducibilius est ipsum diu torqueri, quam vna cum morbo, simul vitam omnem profundere.

Vnde est dubitatio, quomodo Hipp. ad animi deliquium vsq. vacuarit. Multi id faciendum esse, negant, vt Auer. 7. Collig. c. 8. quem vide.

Sed quid quod Hippocr. vacuat, ad animi deliquium vsque, vt licet apud ipsum videre 1. aphor. 23. & Gal. 9. met. 4. Negant id quidam fieri debere vnquam, nam vt ipsemet Hippocr. 1. part. apho. 3. monet, *Non sunt compressiones, ad extremum ducendæ*, & Cels. lib. 2. cap. 10. loquens de miss. sanguinis *Semper*, inquit *finis faciendus est, antequam deficiat anima*, & paulo supra *Satius si primum leuare ægrotantem, quam omni vi simul effusa fortasse, præcipitare*. hoc quoque videtur formidare Auic. dum magis amat multiplicationem numeri, quam quantitatis: addit ad hæc Cels. rationem dicens: *Si in cura quoque aquæ, quæ inter cutem est, ita respondet, quanto magis necesse est, in sanguine respondeat?* viderat siquidem Hippoc. 6. aphor. 27. dicentem, *Quicumque suppurati, aut hydropici vruntur, pure, aut aqua vniuersim fluente omnino intereunt*; sed omne extremum damnatur ab Hippoc. 2. aphor. 51. Præterea numquam natura ad animi vsque deliquium vacuat. Quare nec faciendum id vnquam à medico. Confirmatur, 1. nã vacuat superfluum tantum, 2. nam si quandoque id expediret, faciendum id esset, vt ait Gal. 1. apho. 23. in ardentissimis febribus, vehementissimis doloribus, maximisque inflammationibus: at hoc falsũ, quod spectat ad inflammationes, & dolores; vel enim hoc faciemus in inflammationum initio ad reuellendũ, vel postquam eadem est facta, vt vacuemus quod fluxit ad partem. Non licebit hoc facere reuellendi gratia, fiet enim maior reuulsio si parum vacuemus, & sæpe, ita enim desuescet pars mittere ad locum inflammatum, & ad partem dilectam deponet: conueniet itaque, vt vacuemus, quod fluxit, & factæ inflammationi occurramus. At morbo ad augmentum vsque progresso, facultates erunt vsque adeo attritæ, vt difficulter valeant tam copiosam pati vacuationem. Nullus itaque erit locus huic præsidio. Nec minus cauendum videtur in curatione doloris vehementis, nam nihil est, quod æque dissipet vires: vnde hoc veritus idem Galenus primo ad Glauc. 14. prohibet vacuationem quamcumque in febre cum dolore coniuncta: quare si tunc facienda vacuatio, hæc est, cum potis est illam tolerare facultas, numquam licebit in doloribus magnis tantum vacuare, quando numquam facultas vsque adeo doloribus conflictata, ita valens poterit perseuerare, vt vacuationem propositam ferre possit. Nec in ardentibus febribus nã illæ fiant à bili; in cachochimia autem purgare conuenit, non sanguinis missio. Vide Auer. 7. collig. 8.

Nos admittimus.

Sed quamquam adducta probent non carere periculo vacuationem extremam, non probant tamen non esse quandoque extreme euacuandum; nam adhibere medici omnes consilium Thucididis, quo monuit satius esse aliquid, cum periculo facere, quàm omnino dempta spe, certò perire: vt mittam, quod neque illa imminent pericula, quæ hi somniarunt, nam in emissione aquæ hydropici, perit omninò facultas: monet Hippocr. vt ad animi deliquium vsque vacuetur quandoque: nunc est aliud deliquium animi, à syncope; hæc enim est omnium facultatum repentinus collapsus: in deliquio animi, patitur tantum animalis facultas. Cum itaque integra maneat vis vitalis in deliquio animi, non in euacuatione aquę inter cutem; hoc prohibetur fieri, probatur illud.

Et argumentis adductis occurrimus.

Et quidem, quod nec Galen. Hippocr. aut Auic. vacuent, vsque quo facultates omnino deficiant, quod contingit in syncope, manifestum est cuique attente legenti citatos auctores; habet enim Hippocr. *atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si poterit æger tolerare*: at non posset tolerare æger, si ad syncopem vsque inaniretur. Ob eamdem causam primo aphor. 3. admonuit, ne vacuationes ad extremum vsque ducamus, hoc est, ne tantum vacuemus, vt à viribus ferri nequaquam possit. Galen quoque huiusmodi vacuationem probauit; ne tamen quis falso crederet indiscriminatim ab ipso laudatam fuisse, mox subiunxit, *oportet autem, sicut & ipse inquit, viribus integris, atque valentibus tantam moliri vacuationem*. Quamobrem, cum valentes esse nequeant in eo qui syncope tenetur, licet hinc intelligere, neque Galen. neque Hippocr. vacuasse ad animi deliquium vsque inclusiue, sed exclusiue, vt bene Dinus, & alij expositores omnes Auic. quoque 4. 1. cap. 3. ait, *cumque humor illius fuerit generis cuius esse oportet, & æger potest tolerare, terreri non debes, cum vacuare oportet vsque ad lypothimiam*; nam & natura hoc facit, vt docet Mart in not. ad l. de humor. v. 70. & nos obseruauimus in sanguinis fluxu.

Quibus in affectibus hoc entandũ.

Præstabit autem hoc facere cum nullas dat morbus inducias, multumque est quod redundat. Hinc Gal. quia ardentissimæ febres, vehementissimæ inflammationes, & maximi dolores, quam citissimè properant ad finem, & nisi quamprimum remedia admoueas, nullus erit in posterum remedio locus, laudat vt in his casibus potissimum ad animi deliquium vsque euacuet medicus, & Hippocr. 1. aphor. 6. generatim admonuit, vt sæuissimis morbis, & quam maximè vrgentibus, generosis præsidijs occurramus, quia extremis morbis extrema remedia sunt opor-

portuna. At si quod ferè semper accidit, non possumus conijcere certo, quanta est humoris copia, quæ vires: multò satius fuerit, humorem vacuandum relinquere, quam fortiori exhibito medicamento, plusquam ratio postulat, expurgare. Auic. 4. prim. cap. 4. loquens de hac euacuatione, *Non est* inquit, *ad hoc præsidium festinandum, at cautè procedendum, & cum aliqua dubitatio incidit, multò satius est aliquid superflui relinquere, quod euacuatione indigeat, quàm exquisitè euacuare, ægrumque eo perducere, vt vires resoluantur; natura enim illud residuum sæpissime resoluit.* Ex his potest quisque addiscere, qua ratione debeat proposita auctorum dissensio, auc eiusdem auctoris dissentientia loca conciliari. Nempe primo loco proposita rectè probant, vacuationes vsque adeo exquisitas in miti morbo nequaquam conuenire, esse vero incommodas in morbo præcipiti, nequaquam demonstrant. Quod si videatur Hippocr. vacuationem extremam in vniuersum damnasse, intelligant omnes, quod cum vacuatio repletioni opponatur, erit illa multiplex, quemadmodum, & repletio. Itaque veluti hęc est ad vasa, ad vires, & respectu proportionis, quam debent inter se, & cum corpore humores habere, aut demum potest esse simpliciter magna: haud secus potest vacuatio aliqua dici extrema, vel quoniam tanta est, vt à viribus tolerari non possit, vel quia vasa plus iusto inanit, aut quia proportionem humorum destruit: extrema demum dicitur quia magna, quamquam nullum vasis, viribus, aut humorum proportioni detrimentum inferat. Vacuationem extremam vltimo hoc modo dictam, probat Hippocr. prima part. aphor. 6. damnat alias primo aphor. 3. nam & natura quoque vbi huiusmodi tentat vacuationem (tentat autem non ratio, vt experimur passim) ad animalis commodum molitur illam. Refrigerationem inducit ratione spirituum, non quia vacuat plusquam redundet, nō defectus ille statim emendatur.

Vbi quæritur, quo inflammationis tépore, quoue dolore esse illa vsui potest, etsi possem laborem hunc subterfugere, spectat enim ad inflammationis vehemētis curationem, & doloris, non ad hunc locum, dicam tamen breuiter, cum facta est inflammatio, tunc posse illam commode vsurpari, nam quod dicitur non esse tunc temporis facultatem ferendo, gratis affirmatur, ac propterea iure negatur: nō est hoc necessarium, interdum verum est: habebit itaque locum quandoque contraria sententia. Fieri quoque potest in principio nam locus adductus verus in miti morborum.

Eodem modo satisfieri posset difficultati de dolore, quia tamen videtur Galen. aperte supponere, non posse in summo dolore vsque adeo robur virium constare, vt venæ sectionem ferre valeat, aut quodcumque aliud generosum præsidium, dicam insuper, non esse hoc perpetuo verum, sed in eo tantum dolore habere locum, qui non à sanguine, sed ab alia causa excitatur. Quare ijs tantum doloribus erit hoc remedium commodum, qui è sanguine fiunt: si ab alia causa procreentur, à copiosa sanguinis vacuatione cauendum, nam perseuerans dolor, eneruatas vires à dolore prægressio, & vacuatione immodica, prosternet facillimè. Quantum est de febre, huius nomine synocham intelligit, vt aduertit Sal. Arg. Augen. & alij.

Liceat ne ad animi deliquium vsque expurgare. Cap. IV.

Vacuandum quandoque ad animi deliquium vsque, superiori cap. cum communi schola medicorum docuimus. Nunc quia id potest fieri bifariam, chirurgia, nempe sanguinem extrahendo, & medicamentis pharmaceuticis, examinate vlterius est opus, quonam præsidio debeat id facere medicus, chyrurgico ne, an pharmaceutico, an vtroque indiscriminatim, & quoniam nullus negat posse hoc fieri remedio chyrurgico vena aperta, de alio est dubitatio, idcirco erit questio, liceat ne expurgare ad animi deliquium vsque, an contra nunquam facere hoc expediat.

Affirmauit Mont. & in duobus casibus illam laudat potissimum, dolore nēpe colico, & ischiadico, nam in hoc valida enemata, in illo generosa vomitoria probat. Affirmat Mont.

Suaderi hæc sententia potest auctoritate Gal. nam postquam laudauit, vt ad deliquium vsque vacuemus in maximis doloribus, subdit, ne quis ineptè crederet, semper hoc indiscriminatim faciendum esse, distinctionem esse præmittendam, an sanguinem mittere, an purgare conueniat, quod frustra admonuisset, si censuisset idem, nullo vnquam esse vsui posse purgationem ad animi deliquium vsque.

Contraria nihilominus sententia, quæ vacuationem hanc pharmaceuticam vsque ad deliquium damnat, & ab vsu me dico prorsus relegauit, communis est, & tenenda. Ita docent omnes, tùm antiqui, cum moderniores, & est opinio tutior, ac propterea tenenda: siquidem longe alia ratio est vacuationis per sanguinem, & illius, quæ fit per pharmaciam; illic enim pro ratione voluntatis molimur vacuationem: vnde facilè possumus, statim ac vires collabi videmus, fluxum sanguinis sistere, digito venæ imposito, & inhibere ne ad animi deliquium sequatur syn- Et rei. cius.

co-

copes: secus res se habet in vacuatione, quæ fit ope pharmaci, nam vbi semel, aut immissum fuerit, aut ingestum, pro ratione potentiæ vacuabit, nõ nostri arbitrij. Quare si animi deliquio inducto, vlterius vacuatio procedat, succedet deliquio syncopes, & mors tandem. Itaque cum sit maxima calamitas, assumpto pharmaco ægrotantem perire, omnino temerarius erit huius præsidij vsus.

Occurritur, argumentis primo loco propositis.

Nec aliter putandum, quia sæpe vidimus, à vomitiuo, & enemate ita valido adductos ischiadicos, & colico dolore vexatos; puto enim pharmaco vomitorio expurgatos vsque ad deliquium animi, non idcirco incurrisse in illud symptoma; quia multum fuerint vacuati; sed quia humores dum trudebantur, molestabant ventriculum. Ab eadem causa pati solent deliquium animi, qui enemata valida recipiunt, præsertim si eorum intestina, sensu fuerint prædita exquisito. Nunc vero non est difficultas, conueniat ne pharmaceuticum præsidium, quod hac via, animi defectum inducit; admittunt enim hoc omnes, vt aduertit Galen. in illo comm. difficultas erat proposita, de deliquio a vacuatione immoderata inducto.

Galen. locus facessit maius negocium, à quo vt liberarentur, qui Galen. doctrinam profitentur, dixerunt verba illa temere ab aliquo inserta fuisse, quod, vt suspicarentur, duabus coniecturis ducuntur: primum est, quia hæc verba in Oribasio transcribente hunc locum, non habentur: secunda quia occurrens Gal. quærenti quo pacto posset noscere, purgatione ne, an venæ sectione molienda esset immodica ista vacuatio, subdit se id declarasse in lib de tat. cur. per sang. miss. cum tamen nihil ibi habeatur, quod ad decisionem propositæ difficultatis conduceret: nullo autem pacto omisisset, si se facturum hoc promisisset in aphorismis. Propterea legitur in margine comm. cit. aphor. *hæc verba non habentur in codice antiquo, neque in Oribasio.*

Quod si fuga hæc videatur, displiceatque hoc modo disrumpere nodum potius quam soluere, dici poteit secundo, hunc esse sensum germanum eius loci, in vehementissimis doloribus, est sanguis ad animi deliquium vsque vacuandus; nõ tamen id facere expedit indiscriminatim, sed distinctione præmissa, an sanguinis vacuatio proposita conueniat, an cõtra sit satius expurgate, sed non ad animi deliquium vsque. Scio hæc non omnino satisfacere Massariæ in disp. de purgat. in principio morborum, ego tamen non video, quidnam est, quod possit displicere.

Dub.

Quæres, an quemadmodum extrema vacuatio, quandoque est ex vsu, sic vbi vires languent, licet vel exiguam moliri.

Fern. 2. lib. de venæ sect. cap. 10. Raro ait, *vires adeò prosternuntur, vt ne minimam quidem euacuationem sustineant, verum huiusce tamquam inutilis, non meminere antiqui, quod citra ægroti alleuiationem, viribus incommodet, statuerunt que viribus omnino afflictis, nullam omnino vacuationem adhibendam*, quod laudo, & ad alia progredior.

Sol.

De modo vacuationis. Cap. V.

Potest redundans humor subitò, & confertim excerni, potest item per epicrasim expurgari. Est autem vacuatio per epicrasim facta, vt ex Galen. constat 9. meth. 10. cum vitiosum, paulatim educitur, & quod est salutare, paulatim pro eo reponitur. Videbimus proinde, quãdo confertim quando paulatim vacuare sit tutius: & quoniam altero contrariorum exposito, alterius natura elucescit, attingemus tantum, quibus in morbis paulatim vacuare expediat, nam intelliget quisque, quando simultanea, & exquisita humoris eductio, sit ex vsu. Est paulatina euacuatio primum eligenda, cum humor, qui vacuari debet, est crassus, & tenax; nam & natura, quam medicus imitari tenetur, hac ratione abigit crassos humores, & viscidos. Nec aliter res fieri potest; nam vbi materia est cocta, protinus expellenda est. Quare, cum non coquatur illa tota simul, numquam erit simul vniuersa effundenda. Non malè itaque faciunt nostrates medici, qui ad diuturnas febres extirpandas, serapijs magistralibus vocatis, vtuntur; nam parte materiæ subtrahunt, reliquam ad coctionem disponunt: cauitates aperiunt, morbi diuturnitate obstructas. Sed quantum laudis merentur in re ista, tantundem reprehendendi ijdem, quod in quartana, plus iusto timidiores, numquam audent, vel leuem expurgationem moliri, cum tamen ratio probet in morbis longis, ex vsu esse quædam medicamenta, quibus, quod coctum est, expurgatur. Probatur secundo, hæc euacuatio, cum magna est humorum colluuies expurganda, nam summam vasorum inanitionem, non sinunt vires, quæ ferant: vnde prudenter satis ij medici faciunt, qui morbum gallicum, decoctis, & repetitis vacuationibus, curare contendunt, nam hydrargirij inunctio, & suffumigia, extrema remedia sunt, quæ non nisi extremis morbis opportuna. Ob eamdem causam, cum virtus est debilis, & morbus vacuationem exposcit, est paulatim, & sæpe euacuandum: paulatim, ne cadat facultas: sæpe vero, vt morbificæ causæ magnitudini, æquali remedio succurratur. Est eligenda quarto euacuatio per epicrasim, cum sunt viæ impeditæ, nam si confertim excremento-

Quid vacuatio per epicrasim.

Est hæc ex vsu, cum crassus est humor educendus.

Cum magna est humorum ſeges, expurganda.

Cum virtus est debilis, & morbus vacuationem exposcit.

Cum viæ sunt impeditæ

rum multitudinem, extrahere tentes, impinges magis, vnde putrescent, aut ad nobiliorem detrusa particulam, morbũ validiorem concitabunt. Hinc fit, vt multi obstructionem patientes, in febrem incidant, cùm forti medicamento expurgantur; ex quo discere possumus, non esse vberem humorum copiam, vel ad cutim ducendam, vel ad vias vrinarum, nam angustiora loca sunt, quam vt tantam copiam humorum excipere possint.

Nota. Hæc tamen obseruanda, cum dat morbus inducias: at vbi breui sunt vires oppressuri, vel quia extremi sua natura, & praui: aut quia humor furit, suaque instabilitate conturbat omnia, educatur confestim; præstat enim nonnullo viriũ dispendio, disijcere morbum, quam sinere, vt ea materia in principem aliquam partem collabatur. Sed neque in omni affectu graui, pro ratione copię vacuandum, sed tunc est illud tentandum, cum vacuandi indicatio vrget. At cum reuellere à parte inflammata, e.g. est animus, iterata venæ sectio, aut alia quæuis vacuatio est tutior, & vtilior; ita enim desuescunt partes transmittere ad locum affectum. Obstructos ergo expurgaturi,

Epilogus. non satis firmos, & validos: & magnam humorum colluuiem, in mediocri morbo, paulatim illud facere tentabimus. Repetemus vacuationem, cum reuellere volumus. Multum simul educere tentabimus, cum non dat morbus inducias, vel quia grauis, vel quia vago motu materia, hac, illac defertur, nec reuellere volumus, sed vacuare. At quoniam potest id fieri à natura: potest ars illud exequi, quando naturæ, quando arti illud debeamus committere, nunc subdemus.

An arte vacuandum, an omne negotium naturæ committendum. Cap. VI.

Hippocratis sententia fuit, vbi natura sufficit, superuacaneam esse omnem medici operam. Vnde 1. aphor. 20.

Hip. de recta sent. affertur. scripsit, *Quæ iudicantur, aut iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid siue medicamento siuè aliter irritando, sed sinere.* Porro, nihil debere medicum mo-

Probatur. liri, euicto morbo, est cuique compertum, nam est apud omnes receptum dogma illud, *Habitibus præsentibus in materia, cessat motus.* Non esse insuper, quidpiam mouendum à medico, vbi natura mouet sufficienter, est pariter, quod omnes admittant: nam frustra fiunt pluribus, quæ possumus æquè bene paucioribus consequi. Quare, si natura vtens internis suis instrumentis, ad sui conseruationem comparatis sufficit, temerè ex nostra arte exhibebimus vacuantia præsidia, quæ tantum absit, vt mouent, vt semper aliquid mali corporibus inferant: vt tamen nihil agat prorsus, extremæ videtur igna-

Dubitatur aduersus illam. uiæ; cur enim in humorum saltim concoctionem non incumbet? equidem, quãtum capio, quantum sapio, nullum hinc video imminere discrimen, quinimo proderit illud plurimum, si cocta sunt medicanda; cumque ad hoc ipsum conducat non parum, si sint corpora fluida; & mouere aliquid, & nouare, ex vsu esse videtur. Neutrum tamen expedire monet

Sind. hoc loco, & prudenter Thadæus: enimuero cum digerit perfectè natura, calfaciunt ipsam digerentia admota: & prolectantia altum, facilè poterunt fluxum concitare. Quamobrem nec in facta crisi, nec futura, nec fiente, si perfecta illa fuerit, est quod, quidpiam medicus moliatur. At vbi est impotens ad morbum abigendum natura, tunc præsto esse debet ars medicatrix. Ergo, cum nullo modo vacuat natura, aut sic lentè, vt nec eductum sufficiat, nec speramus, vt in posterum suppleat, iuuanda tunc vacuatio. Ita docet Galen. 6. epid. com. 1. t. 9. ait enim, *Si molestus humor excernatur, sitque moderata vacuatio, is permittendus est, nulla aliã cura suscepta: quemadmodum si moderata, non fit, facere aliquid medicus debet, vt tum copiam cohibere, tum mancam euacuationem proritare, quod ipse dixit, prodeuntem vna exprimere.* Et 1. epi. comm. 3. miratur, cur Critoni, non miserit sanguinem, cum certum esset, haud posse dextri pedis pollicem, vniuersam excipere materiam. Vnde 9. meth. 5. mulieri correptæ synocho, & imminutè menstruanti, detrahit sanguinem, *quo ex coniunctis ambabus perficiatur, quod postulat.* Suadet idem ratio. Nam censent omnes, imitandam esse naturam, vbi rectè operatur, & in salutem animantis incumbit. Quare cum imminuta est vacuatio, quam natura inchoauit, ars illam, perficere debet. Nec desistendum, vt torpidi quidam existimarunt, quia ignoramus quantum sit vacuandum; nam si hoc timore perculsus, nil audeas tentare, nil vnquam tentabis; nam semper remedij quantitas est incerta, nec potest illa certo præfiniri. At quando id faciet

Quo tempore natura iuuãda à medico est. medicus, adhuc mouente natura, an vbi quieuit ab opere? Id esse videtur satius, nam crisis fit in statu, in quo satius esse quietem habere, dixit Hippocr. Præterea mouet lentè, non raro natura, & quæ deficiens in initio videbatur vacuatio, absoluitur. Quare expectandum quousque quiescat, nam ita & certiores erimus, an vacuandum, & quantum Auicenn. *& dum natura mouet noli mouere tu, cum verò ipsa non mouet, moue tu hora motus eius;* & Gal. 1. ad Glauc. 14. *si febris* inquit *vna cum alui profluuio iuncta fuerit, nullam aliam moliri oportet vacuationem, etiam si quæ adest, non fit pro multitudinis*

ra-

ratione, & quidem ita esse faciendum, quemadmodum Galen. monet, suadet ratio. Quę enim remedia adhibeas? adstringentia; at si cohibeas humoris profluuium, aut in princeps aliquod viscus internum repet, aut putrescens febrem auget. Aetius serm. 9. cap. 35. *Etenim*, inquit, *oblutiam, & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit; siquidem, quæ cohibentur sursum perlata dolores capitis, aut phrenitides, aut lethargos, aut parotidas inferunt perniciosas*. Nec minus damni inferas, si euacues; aut enim mittes sanguinem, aut expurgabis. At sanguinis missio damnatur ab Hippocr. 4. de rat. vict. 118. ab Auic expurgatio, nam dicit, *Ventrem soluere, super ventris solutionem est timorosum*: nempe periculum est, ne in immodicam alui fluxionem, æger incur-

Trinc. op. rat. Hac ratione ductus Trinc quietem imperat medico in hoc casu, nec vt quidquam operetur, monet. Sed certè, vt illi

Limitatur. annuo, cum morbus est lenis, datque inducias: sic abnuo prorsus, cum vehementia morbi anteuertere cogit. nam si interea humor stagnans in venis, summamque propterea putredinem contrahens, aut in princeps aliquod membrum labens, morbum lœthalem inducat, & immedicabilem, illud nobis obijcietur: sero sapiunt Phyges. Itaque in morbo leni lentoque morari placet: in graui, nequaquam differenda vacuatio est, sed mox faciendum quod eius vehementia expostulat; enimuero omnino imprudi est differre remedium, vbi nullus est, collapsa iam natura remedio locus.

Et explicatur Hip. Ad Hippoc. dicimus, idcirco præcipere vt quiescamus in statu, quia tunc temporis maximè in coctionem humorum incumbit natura, eamque ob causã, nequaquam ipsam debemus distrahere. Quare vbi coxit, & expellere cœpit, non solum non debemus quiescere, sed mo-

Auic. uere iuxta illud Auic. *moue tu hora motus eius*, quod enim dicit, *dum mouet natura, noli mouere tu*, ita explicandum: dum mo-

Gal. 1. ad Glauc. 14. uet natura cumulate & sufficiēter. Quod ex Galen. affertur, maiorem nobis facit difficultatem, nihil enim vult esse mouendum, etiamsi, quę fit à natura vacuatio, nõ fit pro multitudinis ratione, vnde conati sunt multum, multi grauissimi viri, vt illius dicti verum sensum elicerent. Dixit Trinc. loqui eo loco Galen. de vacuatione symptomatica, ac propterea mouere, ne quis eam prorìtet. Idem placuit Capiuac. Cœterum quia videbat verba illa, etsi quæ adest, non fit pro multitudinis ratione, de critica manifestè prolata, sic illa interpretatur, ni tamen adeo sit immoderata, vt vires prosternat, tunc enim virium habita ratione in eius suppressione incumbendum; quæ quoniam conficta esse, non ad mentem Galen. quiuis attente legens cognoscet facilè, dicerem ego prohiberi eo loco à Galen. vacuationem quamcumque, quia ventriculus quem sanum esse oportet in vacuatione quacumque labefactum esse ponit, & multis cruditatibus infarctum: in hoc affectu, vult feriari medicum, & nullam vacuationem moliri, quamquam vacuet diminutè natura: nam deiectoria pharmaca, deijcient ventriculi robur: venæ sectio, crudos ventriculi succos, ad venas penitiores deducet. Subijciam integram Galen. sententiam, vt in hac mente fuisse intelligatur. *Age*, inquit, *si quis febricitet, & adsit plethorica dispositio, verum ex recentibus cruditatibus sit, ac morsum sentiat, afflictumque os ventriculi, vel si humorem eius aliquem malum enomuerit. & in huius transitu, non parum fuerit offensus, adeò vt grauiter se habeat, atq; anxietatum quid, hic ad febrem respicientes, multitudinem solam vacuare tentabimus (quod alio quin sine molestia faceremus) an prius ori ventriculi prouidebimus, ac deinde, postquam circa hoc benè se habuerit, quam contingerit, totius corporis vacuationem faciemus? mihi quidem ita agendum videtur. Multos itaque sepius vidi, qui ita affecti erant, quosdam interijsse, nonnullos ad extremum periculum fuisse perductos, cum medici eos vacuare tentassent, antequam os ventriculi corroborassent*. Ventriculi itaque imbecillitas vacuationem impedit, quãquam ex alio capite esset illa quammaximè oppottuna.

Cœterum, quia adducta ratio probat nihil prorsus faciendum esse, occurrendum est illi. Vbi itaque quærit quid faciendum sit medico expurgare, an sanguinem mittere. Resp. vtrumque conuenire quandoque. & venæ sectionem, & purgationem, illam quidem vbi refrigerandi hepatis indicatio vrget, aut reucilendi; vrget autem in fluxu cholerico, qui à calida hepatis intemperie ortum habet: neque est ab hoc remedio abstinendum ob locum Hippocr. veretur enim Hippoc. aluo fluente venam aperire, & sanguinem mittere, quia timet ne vires misso sanguine, & fluxu nihilominus perseuerante collabantur: quare vbi vires vsque adeo sunt validæ, vt possint remedium ferre, erit illud quamprimum exequendum, quando à morbo indicatur.

Possumus etiam medicamentum purgans exhibere; nec Auic. prohibet, monet tantum, vt caute in expurgando corpore procedamus, neuè valido pharmaco hoc faciamus; fiet enim superpurgatio. Quare, & virium lapsus; vnde non dicit Auic. numquam esse, vacuante natura à medico vacuandum, seù criticè illa vacuet, siue symptomaticè, nam legerat ipse Hippocr. fluxum, fluxu curantem, & vomitum, vomitu & quod ad criticum spectat, rectè sciebat, eumdem præcepisse, ne quæ iudicantur, aut sunt

iu-

indicata nuper (ita enim potest etiam legi cum antiquis quicquid dicat Gal.) moueamus aliquo modo, aut nouemus, nam multoties supplet, quod paulo antea diminute tentarat; tacite innuens vbi transactis aliquot diebus nil molitur natura, nulla amplius mora habita, à medico, vacuandam esse. Quid ergo est quòd scribit Auic. illud i timorosum hoc est, ac propterea caute procedendum.

Quando euacuandum. Cap. VII.

CVm in re quaque agenda, permagni referat, temporis occasionem eligere, dicam propterea de opportuno vacuandi tempore; quod quia multiplex, anni, diei, morbi; idque duplex, vniuersale, & particulare, agemus de singulis.

Quod petinet ad primum, nulli dubium est, in morbo leni, lentoque, qui dat inducias, esse vacuationem, vsque ad commodum tempus differendam. Est autem tempus commodum vernum, siuè expurgate corpus, seù velis educere sanguinē, sic 6. aphor. 47. Hippoc. docet; scripsit enim. *Quibus venæ sectio, aut expurgatio confert, his verno tempore aut venam secare, aut expurgans medicamentum dare oportet*, quod est, quicunque ad abolendos lentos quosdam affectus, quique dant inducias, siuè vt præseruentur ab alijs, cuiuscumque sint generis, euacuatione opus habent, hos vt Vere vacues consulo. Scio Galen. interpretari aphor. de actu sanis, ægrotaturis tamen, ni vacuentur: sed nō tantum ad præseruationem pertinet aphorismus, sed & in curatione morborum, qui dant inducias, locum habet. Cur autem vernum tempus, commendetur maximè, ad vacuationem rectè moliendam, facilè est diuinare; nempè vere valent facultates, humores temporis tepore eliquati, promptè educuntur; conueniunt hæc numquam in æstate, aut hyeme, licet per autumnum, & humores sint eductioni parati, & corpus sit vegetum. Quare est ver, & autumnus, accommodatum tempus vacuationi.

Qua hora diei.

De horis diei, non potest, quid certum statui; nam quædam vacuationes probantur à cœna, vt pilulæ illæ capitales dictæ, aliæ ieiunio corpore fiunt: præterea, cum sint cauendæ accessiones, & hæ stato tempore non fiant, sed nunc meridie, nunc vesperi inuadant, non potest certa diei hora præscribi. Reddit eamdem incertam, symptomatum grauitas. Cum enim, statim ac inuadunt, ob extremos, quos ferre solent labores, statim magna remedia exposcant, non potest certa hora vacuationi præscribi, quando non habent determinatam horam inuadendi. Itaque vt à dierum numero, nullā medici sumunt indicationem, sic neque ab horis diei. Confirmatur, quia tunc admouendum remedium, cum vrget necessitas, neque est, quod prohibet: potest hoc contingere quauis hora diei. Quare in quauis hora vacuari poterit. Mane magis, ni quid obstet; nam recreatæ à somno vires vigent magis.

Quæ morbi tempore.

Quod pertinet ad tempora vniuersalia morbi, rectè ab Hippocr. dictum, *Cum morbi inchoant, siquid tibi mouendum videtur, moue: in statu verò, melius est quietem habere*. nam vt ait Galen. *est tunc temporis, fatigata natura*. Ob eamdem causam, cauere oportet accessiones, ea tamen lege seruata, quam scripsimus lib. 15. cap. vlt. nempè si intermittat accessio, interuallū est expectandum: remissio, si tantum declinet, Quod si priusquam vna inclinet, superueniat altera, tunc temporum conditione perpensa, eo articulo temporis vacuabis, quo minorem æger sentit molestiam: nā si abstinendum à cibo in deteriore parte circuitus, quomodo vacuabis? temperabis tamen vacuationi, ni aliud vrgeat; at si dolor e.g. ventriculi, aut colicus, vnà cum febre hominem inuadat: quis erit adeò sæuus, vt hominē torqueri permittat, quousque remittatur accessio? nec fuerit quisquam, ita stolidus, qui humorem ad princeps aliquod membrum irrepentem, non reuellat, & in ignobilem partem deducere tentet. Vacuandum itaque in his casibus, quamquam febris accessio vrgeat. At quia numquam debet, contraria indicatio negligi, illæ vacuationes tententur, quæ possunt dolorem lenire, & febrem nequaquam intendere.

Cauendæ accessiones.

Ni quid vrgeat, vt dolor.

Addunt alij esse pariter, cum accessio infestar, euacuandos vomitu, humores crassos; siquidem eo tempore moti, vacuantur facillime. Hinc, quia quartana, fit ab humore ferreo, & crasso, imperant omnes vomitum, vbi illa inuadat, commendantque eumdem in febribus omnibus pituitosis. Auic. in cura quartanæ, *Die* inquit, *accessionis, prouocetur vomitus; humor enim tumultuat accessionis die: calor hunc calfacit febrilis*. Aetius serm. 3. 1. quatern. cap. 125. loquens de veratri exhibitione, *At* inquit, *in morbis, in quibus interualla sunt, dandum in interuallis: in alijs, quandocumque contigerit, in quartanis verò, & fluxionibus intestinorum, in ipsis accessionibus*. Idem Conc. diff. 163. Argent. 1. aph. 11. Ferd. Mena in comm. sup. lib. quos, quibus, & quando: adijcit tamen duas limitationes; altera est, vt æger sit promptus ad vomitum, altera ne fiat sollemnis per vomitionem expurgatio. Hæc enim satius est, vt in remissione tentetur. Idem Merc. in cura quartanæ, & est communis doctrina. Gal. verò, nedum in quartana, sed in cuiusque febris accessione, laudat vomitum, si pronam sentiat naturam; ita enim scribit lib. quos quibus, & quando.

Vel crassi humores vomitu, sint educendi.

vt

do. *Ex paroxismis ipsis indicationem sumes de modo vacuationis, per superiora euacuans accessionis tempore, per inferiora in remissionibus: probat, quia spontaneę vacuationes sic iuuare videntur, factæ in accessionibus, & per nares proijcientibus sanguinem, in declinationibus autem per vrinas, & alui excretiones.*

Cur in accessione vomendum.

Quæ autem sit huius experientiæ ratio, tacet Galen. peti fortasse potest, ex humoris diuersitate; crassa enim pituita, biliosi tenues: Propterea, ni illa à natura agitetur, frustra tentabis educere; tenues quamquam quiescant, extrahere poteris: proinde, vbi illi à natura mouentur, arripienda occasio est, nam si prętereat, frustra eos tentabis educere: id cum locum non habeat in tenuibus, differri eorum vacuatio potest. Quod si id non placeat, dicere secundo potes vomitiua, quæ in accessione permittuntur, lõgè minus molestare naturam, quã quodius aliud medicamentum deiectorium; penna enim vel digito in os immisso, aut aqua tepida absorpta, iuuamus vomitũ: deiectionẽ, vel pharmaco assumpto prolectamus, vel acri iniecto clystere. Dic tertio: quod veluti dolentę ventriculo ciemus vomitum, sic dolentibus intestinis clysterem inijcimus.

An in die critica vacuandum.

Cauere secundo oportet decretorios dies, si conijcias esse naturam decreturam, ni moueat, potes tu mouere; idcirco enim hoc interdictum medico, ne vel motum naturæ impediat, vel arte, & natura pellentibus, immodica sequatur humorum effusio, viresque enerruentur. Cũ nullum huiusmodi discrimen immineat, feriante natura, admittit quicumque, posse eo tempore medicum, aliquam vacuationem moliri. Ita Manard. lib. 13. epist. 1. Ingrass. disput. an 6. die purgandum. Mena. & alij.

Nec tantum, otiante natura, poterit medicus vacuare, sed cum malè natura, & ineptè operatur: vnde si succos ad caput, aut aliud viscus nobile transmittat: reuellet eosdem ad partem ignobilem medicus. Mouere itaque dic critica poterit medicus, ni moueat Natura, aut malè moueat. Quid si diminutè eadem vacuet? an statim eadem die vacuandum? A vomitu, aut clysteribus, nõ abnuerem: parcerem pharmacis; nam cum crises in die magis inquieta contingant, non licet pharmaca in die maioris afflictionis exhibere? prȩterea multoties incipit natura lentè, & postea perficit. An præter hæc omnia cauere debet medicus, cum vacuat, aspectus nonnullos astrorum, præcipue autem Lunæ oppositionem, & coniunctionem? Difficultas agitata à quampluribus est, cui dedit occasionem Auic. qui hæc 4.1.c. de ventosis. *Quidam autem præcipiunt, vt ventosæ in principio mensis, non apponantur, quoniam humores*

An in Luna aspectibus.

nondum commoti fuerunt, neque ebullierunt; neque in fine mensis, quoniam humores tunc sunt diminuti: sed in medio mensis, cum humores sunt ebullientes, & in sui luminis augmento in corpore lunæ sequentes. lib. de acre, aq. & loc. *Maximè inquit, obseruare oportet, magnas temporum mutationes:* has cieri in humoribus, Lunæ motu, constat ex 3. de dieb. decret. Quare cum ratione motus humorum, quos nescimus, quam in partem moti decurrant, cum quia patitur natura, erit quam maximè tutum Lunæ coniunctiones, oppositionesque cauere. Et quidem si id cauet Auic. in ventosæ appositione, quanto probabilius est, vt in cœteris, quæ sunt maioris momenti, obseruemus? Quid ergo? nunquam ne euacuabimus in solstitijs, & equinoctijs? Quiescemus in ortu Canis, & Arcturi? cum Luna, Soli opponitur, aut iungitur? Ita sanè, ni quid vrgeat magis. Ergo cauebimus semper hos aspectus, cum præcauentes aliquid tentamus facere, præstat enim, tunc temporis, optimam occasionem eligere. At si quid vrgeat magis (est autem quæcumque alia indicatio dignior nam hæc minima, vt ait Valles.) præstat contempta Lunæ, & cuiusque alterius astri contra indicatione, euacuationem moliri; omninò enim fatuum est, quia Sol est in canicula, aut Leone, febricitantem relinquere; nam potest influxus ille, ni omninò impeditur, moderari, si subiectum sit ineptum recipere qualitatem illam: aut si impediri nequit: haud fumetur, tunc temporis indicatio à Luna, sed à viribus, vi Lunæ maligna, prostratis: aut à citatis humoribus ab eadem, quod cum dignoscat medicus ex symptomatis supervenientibus, rectè censet Manard. cum satius esse iudicat, lotum inspicere, quam astra. vide Valles. 7. contr. vlt.

De eligendo loco, per quem humor ducatur. Cap. VIII.

AD tituli intelligentiam nota: cum vacuatio sit triplex, reuulsiua, deriuatiua, & alia, quæ retinens nomen generis, simpliciter vacuatio dicitur: nos haud quęrere, ex qua parte vacuandum, cum reuellere volumus, sed vnde vacuãdum, cum vacuare intendimus. Nota secundo, cum morbi, in quibus vacuandi indicatio vrget. sint duplices: alij qui in parte determinata consistunt, vt phrenitis, pleuritis, & epathitis, & alij, qui citra partis insignem læsionem fiunt, vt febres: non esse controuersiam, per quem nam locũ debeat educi humor, aut aliud, morbum faciens in parte determinata contentum; constat enim, pattem superiorem ventriculi, vomitu, infernam, & intestina, enematibus, vasa vrinaria, per vrinam

nam purgari, tussi demum spiritualia membra, vt clarè Galen. lib. art. med c. 99. Difficultas ergo est respectu illorum morborum, qui absque peculiari affectu partis, ortum habuere.

Affertur Hipp.

Pertractans de re ista Hippocr. 1. aphor part. 21. *Quæ inquit ducere conuenit, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit*: quod est, quæ sunt vacuanda, per eam regionem duci debent, per quam vergit natura, si tamen sit accommodata: dubium tamen, quid nomine naturæ intelligat, an facultatis pellentis propensionem, an humoris; vtrumque enim sensum potest aphor. recipere, alter est, per eam regionem debet humor educi, ad quam propendet: alter est, per eam regionem debet humor vacuari, ad quam facultas corporis expellens inclinat. Explicat in initio commenti Galen. per natura, propensionem humorum: in fine commenti, non ipsius humoris, sed naturæ expellentis propensionem respicit. Hinc opinatum communiter est, esse vtramque obseruandum scilicet propensionem naturæ, & humoris: ita Montanus Argen. Saln. Capiu. Vallesi. Pellentis naturæ propensionem esse attendendam, nulli dubium: respiciendam insuper inclinationem humoris, persuaderi potest, quia tradens rationem Gal 4. aph. 4. cur æstate per superiora sit medicandum, & aphor. 6. graciles, & facilè vomentes superius purgari debeant, contra melancholici per inferiora, eam omnem ad humorem videtur referre, dum dicit vomitu purgandos esse æstate graciles, quia magnam congerunt bilis copiam, quæ fertur sursum: per inferna melancholicos, quia habet melancholia, ob suam grauitatem, ad loca imo propensionem. idem aph. 17. 18. a 20. eiusdem & 4. 2. de rat. vict. 10

Dub. quid nomine naturæ voluerit Hipp. humoris ne, an facultatis.

Gal. sententia

Communis.

Propensionem vtriusque attendit.

Nat naturæ dumtaxat.

Puto ego tamen, numquam esse humorem respiciendum, attendendam semper facultatis pellentis propensionem; nam si esset in loci electione, ab inclinatione humoris sumenda indicatio, ita vt leues supra, graues infra extrudi deberent, esset bilis semper vomenda, deijcienda infra pituita, quod quamquam ab aduersarijs concedatur, constat tamen esse falsissimum; nam cum sit bilis humor acer, & mordax, sit ventriculus sensus exquisiti, omninò temerarium erit, per partem adeò nobilem, humorem hunc ducere, vel Galeno ipso auctore, qui 4. de vsu par. 4. scripsit, prudenter à natura cautum, ne bilis ad ventriculum reperet, sed statim ad intestina allabatur, nam turbaret coctionem ipsius, lancinaret eumdem, induceret syncopem. Non itaque commodum fuerit, bilim ad ventriculum ducere. Nec pituitam per sedem deijcere; primum quia longa experientia didicimus, pituitam facilius, & frequentius vomitu, quam bilim purgari: quo circa, frequentiores sunt vomitus in pituitosis, quam biliosis: & ad vitanda incommoda, quæ ex crapula, laudarunt medici omnes, præsertim antiquiores ipsum vomitum, vnde est illud.

Dixta, & vomitu, curabant omnia Prisci.

Secundò, quia Hippocr. siue Polyb. lib. de vict. salub. t. 15. *sex* inquit *menses hybernos, vomendum est, hoc enim tempus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput, ac regionem illam fiunt, quæ est supra septum transuersum: cum vero æstas, & calor fuerit, infusis vtendum, quia tempus illud æstuosum est, & corpus biliosius*: cui conforme est illud Cels. lib. 1 cap. 3. dicentis, *vtilior est vomitus hyeme, quam æstate, nam tum, & pituita plus, & capitis grauitas maior subest*: & quamuis conetur Galen. Hipp. locum explicare, ego tamen, vt rem liberè fatear, aut Galen. mentem, non assequor, aut rectè reijcitur ab Argen. in illius aphor. comm. Præterea quiuis humor, corpus mixtum est, quamobrem cû in mixto quocumque terra dominetur penès qualitates motum dantes, & a dominante elemento moueantur, feretur quiuis humor deorsum suopte impetu. Quare quiuis erit perpetuò deijciendus, si humoris propensio attendatur, quod eum sit omnium sententia falsum, non debet inspicere medicus, quo humor inclinat, sed quo vergit natura nostri corporis. Sed si facultatis tantum propensio contemplanda, quid ad Hippocr. dicentem medicari æstate supra: curuè dixit, graciles & facilè vomentes supra purgare? Quod pertinet ad primum, putant multi tex. esse deprauatum, & ita legendum, medicari æstate superiores ventres, hyeme inferiores: censent itaque, haud docere illo apho. Hippocr. per quam partem, fit vacuatio facienda, sed quæ partes hyeme debeant expurgari, quæ æstate. Probant hoc quia non scribit Hippocr. medicari æstate supra, hyeme infra, sed æstate superiores magis, hyeme inferiores; contra vbi de loco, per quem ducendus humor, sermonem habet 6. aphor. & 7. *graciles*, inquit, *& facilè vomentes, purgare superius, eos verò qui difficulter vomunt, purgare deorsum*: declarantes insuper, quinam sint ventres superiores, & partes quas æstate purgare est opus suadunt, supernas partes dici, eas omnes quæ sunt supra septum transuersum, infernas, quæ infra: itaque esset caput, æstate purgandum, venter inferior hyeme. At hoc falsum esse, intelliget quisque, vel parum in medicina versatus. Quare non est modo aliquo dicendum doceri illic ab Hippocr. qui ventres debeant hyeme purgari, qui æstate. Probatur, quia caput, & thorax hyeme potius purgatione indigent, nam tunc catharri, & tusses, non æstate. Quare inepta est in-

Dilucidatur Aph. Hip.

Ac primum reijciuntur quidam.

Secundo Philotheus.

interpetratio, & probabilior Philothei expositio, qui per superiores ventres, os stomaci, & œsophagum intelligit, per inferiores fundum, & intestina; Nam cum æstate parum appetamus, fit autem appetentia in ore ventriculi, & laborantis particulæ ratio sit habenda, rectè videtur statuere, vt per æstatem os ventriculi purgemus: cumque hyeme laboret cōcoctrix facultas, nam gaudet calore, qui à frigore hyemis minuitur, caute, & prudenter monet, vt hanc partem à pituita expurgemus. Reijcienda nihilominus est, quia non consonat sibi, nam cum legat partes, seu uentres superiores, ita postea interpetratur partem illam, ac si de vno ventre loquutus esset. Præterea non omnibus pars interior ventriculi laborat hyeme, quinimò finis est robustior, nam vt Aph. 15. primæ particulæ. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi*, monet Hipp. vt in vniuersum purgemus hyeme infra, æstate supra. Argent. corrigit hunc in modum, medicari æstate exteriores magis, hyeme interiores: nam in euacuatione, est naturæ expellentis propensio attendenda: iam verò æstate, humores omnes euocantur ad cutim, & per sudorem, & halitum expirant: hyeme cuncta intro recurrunt; quare rectè faciet medicus, si per externas æstate, per partes internas, hyeme humores expurget. Argenter assentirer, si hæc expositio consonaret greco textui: nunc verò pro *ano, & cato*, nullo pacto interna, & externa exponi possunt, sed semper supra, & infra. Proinde dicerem, docere illo Aphor. Hippoc. quid æstate, quid hyeme sit vacuandum: per quam regionem debeat modo humor educi, nequaquam attingere. Cæterum quia bilis superam partem sanguinis petit, est enim veluti spuma sanguinis, melancholia, & pituita subsident, est enim melancholia fœx sanguinis, volens innuere Hipp. bilim esse expurgandam æstate, melancholiam, & pituitam hyeme, scripsit *medicari æstate supra* non superiores partes, vel per supernam cauitatem, sed quod supra sanguinem esse solet: *Hyeme autem infra*, hoc est deijcies hyeme, & autumno, quod infra subsidere solet, hoc est pituitam, & melancholiam.

Tertio Arg.

Propria expositio auct.

Alterum aphorismum, ita intetpettatur Argent, gracilia corpora sunt purganda per vomitum, non quia bilim congerunt, sed quia facilè ferunt eam vacuationem, crassi difficilè vomitum, quia cōprimitur vomitu Diaphragma, vnde non leue imminet periculum, ne peritoneum disrumpatur, indeque fiat, vt vel omentum, vel intestina, delabantur ad scrotū. Cui libenter subscriberem, nisi illud retraheret, quod non docet, cur nam dicat Hippo. cauentes æstatem, cauentes hyemem.

Exponitur alter aphor.

Alia itaque tradenda expositio, ad cuius intelligentiam, noto primum, euadere corpus gracile multas ob causas: interdum, quia habet ossa exigua, alias quia caret pinguedine. Tertio quia parum carnis obtinuit: paucam habet carnem; aut quia exigua est copia sanguinis, aut quia vitiosus: ex pauco autem, aut non bono sanguine, non potest multa caro progigni. Non ergo, omnes graciles, biliosi, calidi, & sicci, quamquam biliosi omnes sint graciles, sed dantur graciles pituitosi, resoluto enim eorum calore, frigescant necesse est. Quare, & pituitam congerere. De his ergo loquens Hippo. ait *graciles* (intellige tu frigidi, & pituitosi) neque hi omnes, *sed facile vomentes*, purgandi sunt per partes supernas; nam eo inclinat natura: *cauentes hyemem*, corpus enim crudis refertum humoribus, purgādum est, antequam hyems ingruat, alias aucta ab intemperie aeris pituita, periclitabitur homo: contra verò, qui difficulter vomunt, & sunt parum carnosi, quod est idem, ac dicere, graciles difficulter vomentes, & ij graciles, qui sunt biliosi calidi, & sicci, per inferna purgentur, cauentes æstatem, nam si differatur expurgatio bilis, increscet hæc æstate aduentante. Quare periclitabitur homo à copia illius. Tantum ergo abest, vt hi aphorismi doceant locum vacuationis, ab humorum propensione indicari, vt oppositum, non obscurè innuant, nempè facultatis pellentis propensionē esse obseruandam. Alia Hipp. loca explicabuntur à nobis libr. 20. agentes de vomitu. Quod si succis ad ventriculum repentibus, commendant vomitum medici, haud illum commendant, quia humores ad ventriculum repunt, sed quia ex motu illo humorum ad stomacum, facultatis pellentis propensionem agnoscunt, alioquin non desideraret semper Hippocr. illud in ægrotante, nempè vt facilè vomat. Quid ergò? nulla ne ab humore, in eligendo loco indicatio desumetur? est quidem, quod consideres substantiam, & copiam humoris, non propēsionem eiusdem; nam cum sit omnis humor grauis, licet vnus grauior alio, fertur quiuis naturaliter, & sua sponte deorsum. Vide itaque, an humor vacuandus, crassæ sit substantiæ, an magna eius seges, an exigua eiusdem copia; nam si crassus ille sit, aut multus, numquam hic per sudorem educetur, aut vrinam; angustæ enim sunt viæ urinarum, angustiores cutis meatus, nec tantam humorum farraginem, aut crassitiem excipere possunt; at si pauci, aut tenues, hi exudantur miguntur uè facilius, deijciuntur etiam facilè, unde Gal. lib. quos quibus, & quādo, *tenues, & serosos humores statim purgabis*. Quid ubi natura, omninò est ociosa, nec quidquam tentat? moue ea parte, qua

Nota quomodo humor locum vacuationis indicat.

Tt com-

commodè illa mouere solet; nam aphor. ille. *Quo natura vergit*, non solũ de actuali motu explicandus; sed de consueta vergentia, & commoda. Ex his infero cum natura commodè soleat melancholicum sanguinem ad venas sedis deponere, & iisdem apertis effundere: cum vacuandi sanguinis melancholici indicatio est aliqua, hac via esse educendum, et si numquam per illam partem æger effuderit sanguinem.

Dub. At quæres si tantopere obseruanda est naturæ propensio a medico vacuare volente, qui fit, vt cum natura criticè, & admodum bene per narium hemorrhagiam in ardentibus febribus euacuet: proliciat sudorem magno cum commodo animantis, numquam tamen in ardente febre, per nares mittimus sanguinem, nec sudorem tentamus elicere, ni tentet primum natura per hanc viam deponere sarcinam?

Sol. Respondeo non esse indiscriminatim eam per regionem vacuandum à medico, per quam natura vacuat salutariter, sed qua nulla alia fingi commodior potest. Nunc verò commodius sanguis vena brachii aperta in febribus mittitur, quã per nares; aperit tamen has natura, quia feruidi halitus ad caput elati supernas venas aperiunt; quod si posset natura eas, quæ in brachio sunt apetire, has citra quamcunque dubitationem recluderet. Quare rectius medicus hac via sanguinem vacuat, non illa, nam idem natura moliretur si posset.

Quod spectat ad sudores; procurat quidem medicus elicere illos aqua exhibita, somnoque conciliato, solet enim somnus copiose sudorem prolectare, nõ audet autem fortiora præsidia adhibere, calida nempe, & attenuantia, hæc enim sudorifica, quia est natura à febrium calore exusta, adhiberi non patitur. Abunde, ni fallor, declaratum, per eam regionem medicum vacuare debere, qua solet natura, si sit commoda; quænam illa, e seq. dicetur.

An semper eo humor ducendus, quo vergit natura. Cap. IX.

Nequaquam, nisi vbi ad congrua loca ducit.

NEgantem tenet partem schola vniuersa medicorum; & quis adeo stultus fuerit, qui iuuet naturam, cum humorem a pede e.g. aut alia parte infima, deponit ad cerebrum? imò quis est, qui contrarium omni arte, omni ingenio, non moliri conatur? Rectè Hippocr. 1. aphor. 21. *Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit, per loca conferentia ducendum*: & Galen. in comment. *oportet itaque medicum naturæ inclinationem animaduertere: & siquidem idonea fuerit subministrare, & adiuuare: sin autem contrariè simul, ac noxie fiat, prohibere transferre, atque diuertere oportet.* Idem 6. epidem. 2. tex. 28. 2. eiusdem sect. 3. tex. 15. secun. sect. Valles. lib. de venæ sect. adu. Erasistr. c. 4. Cæterum quia nõ admodum constat, quæ nam sint loca ista conuenientia vocata ab Hipp. declarandum id breuiter, ne vel humorem ducamus, quo non conuenit, vel auertamus, quo erat ducere satius.

Quæ nam loca vacuationi congrua.

Galen. in comm. cit. apho. has putat esse vias congruas humori ciendo, intestina, ventrem, vesicam, vterum, cutim vniuersam, palatum, & nares in affectibus cerebri, nam hac solet natura, nocuos succos ducere; ne tamen empyricorum more numerasse potius partes, per quas conuenit humorem deducere videretur, quam vt Philosophum decet diffiniuisse, duabus circumscripsit postea notis incongrua loca. Ineptum esse censet primum membrum: incongruam esse putat secundo eam regionem, per quam, non potest humor morbum faciens fluere: vt cum humores e.g. infestant hepar, incõgrue per tussim purgare conaberis, quia aut nulla est via ab hepate ad pulmonẽ, aut nulla apta. Diminutè satis, nam non solum per has partes, humorem non licet deducere, sed nec per alias multas: nempe non licet ducere succum per eã, quæ sensus exquisiti, quæ ægrotat, quæ distat multum à patiente particula, quæ non est capax humoris expurgandi. Apta, quæ ignobilis, quæ sensus non exquisiti, quæ non ægrotat, quæ proxima patienti particulæ, quæ capax humoris expurgandi, ac demum est apta illa, per quã potest humor deduci. Laudo vt per ignobilem ducatur humor, nam quamquam natura innocuè nõ rarò purget per principem partem, tutius tamen erit, si per ignobilem tentet expurgare si possit. Nõ sit secundo sensus exquisiti. Quare abolenda vomitoria, & medicos nostros laudo, qui fœlici ausu ab antiquis, hac in re recessere; lancinat enim humor os ventriculi, vnde animi defectus, & syncopes. Vide Rodet. Veg. lib. art. med. cap. 94. Non ægrotet tertio 4. p. cap. 2. nam longissime à parte malè affecta, reuellere oportet: vnde rectè faciunt medici, qui parti ægrotanti, cauterium non audent inurere: nec in dysenteria pharmaca exhibenda, si alia via curationis occurrat. Sit quarto proxima patienti particulæ, nam citius extruditur humor, neq; instat extractione è partibus longinquis discrimen, nec aliæ, quæ in via à vicinia humoris offendentur. Sit quinto capax humoris vacuandi, alioquin erit labor irritus, cum non detur penetratio corporum. Quare numquam tutò humorum farraginem, per vias vrinarum educes, aut sudores, nec sanum erit, obstructos, valido medicamento purgare. Demum illa eligatur, per quam possit humor vacuari.

Qua inepta ex Gal.

Non alia inepta quoq; esse monstramus.

Non eam, quæ sensus exquisiti.

Quæ ægrotat

Ea demum, per quam possit humor vacuari.

cuari, nem omninò fatuum est, quæ in ventriculo, tussi velle expurgare: quæ in pectore, vomitu: quæ in cerebro, & habitu corporis, deiectione, cum promptè hæc eliciantur sudore, quæ in capite sudore, masticatorijs, & errhinis. Quare laudanda Gal. sententia est, qui lib. art. med. cap. 99. & 94. hæc scripta reliquit. *Quæcumque in Pulmone, vel pectore continentur, cum tussi educuntur, aut à medicaminibus extenuantibus. Quæcumque vero in hepate, vel venis, vel arterijs, vel renibus, aut per vrinam, aut ventriculum. Quæcumque vero in superiori ventre comprahenduntur, per vomitum; quæ autem in inferiori, per subductionem. Sed quæcumque sub cutè per sectionem, vel ignem, aut per medicamina adurentia.*

An per Principem partem licet humorem deducere

At dices, febres ardentes, quarum sedes in venis, commode hemorrhagia narium curantur; morbi multi vomitu, deiectione pleuritis, humore (si tamen Galen. fides est in re hac adhibenda) per sinistrum cordis ventriculum deducto: Hippocr. dolente parte postica capitis, ex anteriore mittit sanguinem; Arabes, vbi pleuritis est in parte dextera, aperiunt venam in sinistra, humorem versus cordis regionem trahentes: denium nullus est medicorum, qui in affectibus partium, quæ supra hepar, deiectorium pharmacum non exhibeat, humorem hac arte ad hepar deducentes. Quare haud cauēt medici, ne humor ad partem aliquam principem ducatur.

Putat Dinus per principē partem ducere, non ad eam.

Laborarunt hic multum Arabes, vt propositam difficultatem dissoluerent, itaque quærunt, an diuertendo liceat, per princeps aliquod membrum, succum ducere, & licere putat Dinus 4. p. cap. 1. quæst. 25. per hepar, aut cerebrum humorem deducere, quamquam absurdū censeat ad cor illum trahere, si sit corruptus, & prauus. Ne tamen à medicis, videretur recedere, qui passim id videntur damnare, subdit damnari illud, scilicet ad partem principem, tamquam ad terminum, humorem deducere; nam cum exitiosior sit omnis affectus, qui in parte principe, numquam absque ægroti pernicie, ab ignobili loco, ad nobilem, ducetur humor: non negasse tamen, quin per principem partem possit trahi. Placuit idem quandoque Gentil. at. 4. p. cap. 1. q. 11. ne dum hoc concedit, sed & illud contendit, posse quandoque ad princeps membrum, tamquam ad terminum reuocari humorem; nam in immoderata narium hemorrhagia, cucurbitulas imponimus hepati, timorem incutimus.

Putat Gent. posse per illam vacuari, & duci ad illam.

Nos negamus & argumentis occurrimus.

Sed longè aliud est coercere succum, e principe parte ineptè prodeuntem, aliud per eam deducere, aut ad eam. Primum licere probat Gentilis, quod cum Dinus nequaquam negasset, laborauit, vbi laborandum non erat. Dignus eam ob causam reprehendi Dinus, quod tutum esse censeat, ac laudatum per hepar, aut cerebrum humorem deducere; nam quanquam sit cor magis necessarium vitæ, quā hepar, aut cerebrum, est tamen hepar, & cerebrum princeps membrum, à quibus semper nocuos auertere humores, est ex vsu. Quod si secat Hippocr. anteriorem capitis partem, dolente postica, non trahit propterea humorem ad principem partem, est enim in cerebro: nec vbi in affectibus partium supra hepar deducimus, quamquam per venas, quæ in hepate, trahamus illum. Quid ergo? numquā ne licebit per principem partem humorem deducere? numquam, si alia via tentare id liceat: vbi hæc vna occurrat, hac eundum, vt rectè Gentil. loc. cit. Hine infero non esse eos recipiendos, qui exponentes locum illum Hippocr. 2. de nat. hum. tex. 5. *Quicumque morbi à fortissimo corporis membro oriuntur grauissimi sunt; nam si ibi permaneant, vbi inceperint, certè membro fortissimo laborante, totum quoque corpus malè affici necesse est, si vero à validissima parte ad imbecilliorem quidpiam comportetur, difficilis solutio est, etsi ab infirmiore ad robustiorem quid perueniat, facilè dissoluetur, siquidem in fluxus à robore facilè repelletur*, vel vt alij legunt, reuincetur, robustioris partis nomine, principem exponunt, non sunt inquam recipiendi, vt bene aduertit Galen. in comm. nam quis ita stolidus fuerit, vt à pede e. g. ignobilissima nostri corporis parte, ad cerebrum, aut cor, censeat esse repellendum humorem? oppositum conducere sanitati tuendæ experimur quotidie. Nempe non est aliud remedium æque salubre podagram pati assuetis, vbi non illa, sed febre, aut alio affectu corripiuntur, quam excitare podagram, & humorem, qui ob naturę imbecillitatem principem partem obsidet, ad infimam, & ignobilem reuocare. Præterea, non quicumque morbi in principe parte sunt tamquam in subiecto, sunt ijdem grauissimi, nam subiectum Diariæ cor est, caput catarrhi, & tamen est vterque affectus nullius momenti: nec sunt graues quicumque ob humoris cōfluxum à principe exoriuntur, nam frequenter leuis brachij, aut alterius partis dolor ex catharro. Neque illud verum, fortissimo membro laborante, vniuersum quoque corpus malè affici, ni declaret apertius, quid nomine fortissimi mēbri intelligere debeamus, quod cum auctor ille non fecerit, iure Galen. dicit dictionem illam esse confusam, & obscuram: quicquid tamen de Hippocr. loco sentiatur, quo ineptè multi in consultationibus hodie vtuntur, est illud certum numquam esse humorem ad nobilissimam partem, tamquam ad terminum deducēdum: nec per eam vacuandum si aliter expleri illa indicatio possit, nam hinc

Coroll.

fortasse sit, vt à purgatione, hepatis inflammationes succedant: scilicet, quia humor ad hepar attrahitur. Nec trahunt ad cor Arabes, vbi latere dextro laborante pleuriti, secant venam in brachio sinistro; nam cor mediam occupat thoracis sedem, tametsi arteria quædam ad partem sinixtram inclinet: vt mittam nõ trahi ad cor vena ibi dissecta humorem aliquem, vacuari potius, quod ab alijs partibus ad locum affectum poterat effundi, & pleuritim augere. Videor rem istam ad exitum perduxisse, plura propterea non addam de vacuandi recta ratione, sed an conducat coitus quandoque in morbis disquiram.

Conducat ne coitus morbis abigendis. Cap. X.

SVperflua ni natura pellantur, arte extrudenda: quæ nec qualitate molestant, aut quantitate grauant, omni studio retineri debere, vel ipsa rerũ natura docet: hinc retentam vrinã, bilim, fęces, & excrementa tertiæ coctionis, omni arte educere, medici procurant industrij, nec quicquam omittunt, quod ad id quicquam valere intelligant. student ijdem immoderatas compescere vacuationes; nam vel noxiorũ eductio nocet, si sit immoderata; omne enim nimis naturæ inimicum. In quorum censu, reponenda sit seminis vacuatio, dubium fuit, & controuersum iamdiu est, conducat ne vmquam coitus tollendis morbis, an noceat ille continuò. Inutilem prorsus esse, seminis natura docet; nam Pythagoras laudabilis, & optimi sanguinis spumam esse dicebat: Alchmeon particulam cerebri, Plato medullæ spinalis effluxum, Zeno Citicus spiritum, animæ spolium, cum humido emissum: demum qui medestius sunt loquuti de semine, substantiam optimam, & purissimam esse autumarunt; vnde dicit Auic. plus valere dracmam vnã seminis, quam quadraginta sanguinis, Hipp. lib. de genit. robustissimum quiddam, semen esse scripsit, argumento, quod paucula re emissa languor exoritur, & 4. de morbis ex humoribus corporis, non minimam, neq; debilissimam portionem, in semen secedere affirmauit Arist. quoque 4. probl. 13. *semen*, inquit, *exiguum cũ sit, multam habet potestatem, nam ex multo paruum compendium extat; quamobrem vbi id recessit, plerumque resoluuntur*, & lib. de gener. animal. 18. *exolutio, minima huius parte secreta, fit manifesta*. Non itaque huius excretio potest vmquam conferre.

Quæ noxiam Venerem esse docent, tria sunt, primum natura seminis.

Præterea, si qui morbi iuuarentur à coitu, aut essent pituitosi, aut malancholici, aut alij, quos semen excitauit retentum: at nulli à semine fiunt, quia est amica substantia. Quare non erit Venus his commodo. Nec pituitosis; nam quamquã Venus calfaciat, & exiccet, vel ob motũ, quem habet adnexum, aut quia pituita vacuatur in coitu, multo tamen magis refrigerat, & humectat: vnde scripsit Galen. 3. art. med. 18. cui assentitur schola vniuersa medicorum, & Auic. potissimũ 20. 3. tract. 1. cap. 12. *Si aberrare contingerit, paruus sit error: melius autem calfacto magis quam refrigerato*. Non ergo pituitosos morbos potest Venus iuuare. Nec suadent oppositum, quæ scripsit Hipp. 4. epid. de Nycippo, & 5. eiusdem de Timocharcinam quod spectat ad Nicippũ, non dixit Hippoc. iuuatum esse à coitu, sed non esse læsum. *Nicippus, ait, in febribus semen effudit somnians, & non venit in deterius, & hoc idem sæpe illi fiebat, & nihil est læsus*: cuius sensus est Nycippus febricitans, pluries in somno effuso semine, cum vehementer lædi debuisset, non venit in deterius: modo aliud est, non obesse, aliud est prodesse. De Timocharte hæc habet, *Timochari catharrus maximè in nares: vtenti Venere, siccata sunt omnia: calor, lassitudo superuenit, caput grauatum, sudor à capite multus*. Ex coitu itaque permutatus est morbus: quamquam si tex. rectè scribatur, damnat coitum. scilicet nõ debet interponi punctum inter nares, & vtenti, sed inter Venere, & siccata, vt sit vera lectio. *Timochari, hyeme maxime catharrus in nares: vtenti Venere, siccata sunt omnia, calor, lassitudo superuenit.*

Secundo indu ctio facta in morbis, quos iuuari creditu primum verò in pituitosis, & qui a semine.

Explicatur; quę Hipp. qui coitum commendare videtur.

Eadem ratione monstratur nocere melancholicis affectibus, nam sunt ij frigidi, & sicci. Qui ergo fieri poterit, vt iuuentur à Venere, quæ refrigerandi vim habet, & siccandi; quæ dissipat spiritus, & calorem pessundat? Præterea, scatent illi flatibus, quos Venus adauget, vnde scribit Hippocr. 6. epid. 3. tex. 12. *Multis cum Venere vtuntur, inflari ventrem, excitari in alijs strepitum*; strepitus autem nomine, quidam ructum, flatus per sedem exeuntes alij, murmur alij exponunt: quos recipio omnes, nam quod spectat ad crepitus, scribit Aetius, adolescentem quemdam, vbi cum muliere commiscebatur, loco seminis, multos crepitus emisisse: de murmute, habemus luculentum testimonium apud Martial. hæc ad Gallam scribentem.

Secundo in melancholicis.

Cum tibi, sit facies, de qua, nec fœmina possit
Dicere: cum corpus, nulla litura notet:
Cur te, tam rarus cupiat, repetatque fututor
Miraris: vitium est, non leue Galla tibi.
Accessi quoties ad opus, mixtisq; mouemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.
Dij facerent, vt tu loquereris, & ipse taceret,
Offendor cunni garrulitate tui.

Pedere

Pedere te vellem, namque hoc, nec inutile dicit
Symmachus, & risum res mouet ista simul.
Quis ridere potest, fatui poppismata, cuni?
Cum sonat hic, cui non, mentula, mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno,
Et si adeo muta es, disce, vel inde loqui.

Testimonium auctoritas, hominum doctissimorum.

Adde, & grauissimorum hominum sententias, qui nec sanis quidem ipsum permisere; nam interrogatus Clynias Pythagoricus, quando exercere Venerem tuto liceat, *quoties*, inquit, *te ipso imbecillior cupis fieri*: Democritus, vt refert Plin. lib. 18. cap. 6. damnauit Venerem, *quoniam ex homine, homo Veneris ope emittitur*; quo respiciens Clemens Alex. 2. lib. pedag. cap. 10. dixit, *homo ex homine nascitur, & euellitur: vide damni magnitudinem, totus homo per inanitionem coitus attrahitur*. Refert Aul. Gell. lib. 19. noct. Att. cap. 2. & Macrob. 1. satur. in fine, Hippocr. (quamquam Gal. 3. epi. com. 1. tex. 4. Democrito id tribuat) vocasse coitum, paruam epilepsiam. Epicuros, vt scribit Galenus 3. art. med. 18. nullum Veneris vsum salubrem esse dixit. Quis ergo ea adhibeat præsidia ægris, quæ nec robusti homines ferre possunt?

Has ob causas damnarunt ita Venerem quidam, vt sanis quoque dixerint nocere.

In hac difficultate magna fuit opinionum diuersitas. Quidam Venerem, sanis quoque interdixerunt, nedum ægrotantibus; continentiæ magis patrocinantes, quam corporis sanitati studentes; nam contrarium verum esse, multis docuerat experimentis Gal. 6. de loc. affect. 5. Hippocr. lib. de virgin. vnde scripsit 6. epid. *Labor, cibus, somnus, Venus, omnia mediocra*: vt propterea liceat mirari Gellium, & Macrob. tamquam Hippocr. dictum referre illud, coitus est parua epilepsia, cũ constet oppositam illi placuisse sententiam, quæ verissima, nam omnes naturaliter Veneris ardore tenentur. Quare erit Venus proficua, nã nulla naturalis propensio est in perniciem, subiecto tributa. Quod si manus quandoque ad ictum excipiendum adcurrit, mouentur alibi corpora contra impetum proprium ad vacuum vitandum, haud id faciunt in gratiam alterius, sed in sui tutelam. Nimirum, mouetur ad ictum excipiendum brachium, ne vulnerato capite, aut corde, occumbat homo, & vna cum ipso brachium corrumpatur. Cupiunt cuncta vacuum vitare, & lapis sursum hanc ob causam adscendit, ne rerum omnium vniuersitate, ob vacuum, destructa, lapis pariter ipse destruatur. Præterea vacuatur semen non rarò à natura, bene se habente. Vtilis ergo quandoque erit Venus. Vnde mitius egere cum ipsa, qui scripserunt, fœminis quandoque prodesse, dum vteri siccitate laborant, aut distorsione, vteri semper obesse, nec verba illa Hippocr. *morbis à pituita, Venus remedio est*, continere præceptum, admonere dumtaxat, non esse omninò Venerem incommodam, vt Epicurus putarat; siquidem nonnullis morbis est vtilis; adhuc tamen inique; etenim ita de Venere philosophari par est, quemadmodum de aliorum excrementorum expulsione: ergo vt hęc opportunè expellere, commodum, sic fuerit, quandoque Venus proficua in morbis. Ac primum conducet ijs, qui à semine retento ortum habent; nam quemadmodum à bili producti morbi, bilis vacuatione curantur, sic qui fiũt à semine, seminis excretione tollentur: ac verò morbos fieri à semine ostendunt multa, ac primum quia cuncta alia excrementa morbos inferunt, ni pellantur: cur non ergo semen retentum, idem faciet? nam quamquam sit semen pura quædam substantia, familiaris apprimè naturæ, potest tamen copia vncti esse, aut cunctatione, & mora, prauam aliquam qualitatem acquirere, vt monstrauit 6. de loc. aff. 5. Gal. vnde quia facilius computrescit semen in vtero, quippe qui est cloaca totius corporis, quam in testibus viri, hinc fit, vt frequentissimè mulieres, à semine retento lędantur, rarò viri.

Laudarunt alij in sanis, & morbis quibusdam mulierum: viris verò cumque male se habeant, semper nocere contendunt.

Et malè, nam iuuat morbos qui à semine.

Cur magis lędantur fœminę à semine retento, quam viri.

Cumquè sit compertum medicis, à semine retento morbos frigidos fieri, & melancholicos, nulli dubium esse debet, quin ij morbi melancholici, frigidiquè, qui à semine retento ortum habent, seminis vacuatione iuuentur. Vide Gal. 6. de loc. affect. 5.

Vnde erit vtilis Venus morbis pituitosis, & melancholicis, qui à semine.

Nec dubitandum, quin eadem, morbis à plenitudine prosit; nam si sanguis est proxima materia seminis, exhaurietur Venere plenitudo, vnde multi à coitu leuiores sentiuntur; neque aliud voluit Hipp. vbi scripsit, dysenteriam scortatio sanat, nisi illud, nam frequenter Hippoc. sanguinolentam excretionem, à sanguinis exuberãtia exortam, dysenteriam solet appellare: vnde est sensus, sanguinolentam illam excretionem. quæ à sanguinis copia ortum habet, scortatio sanat.

Et morbis, qui à plenitudo.

An profit eadem morbis, pituitosis, & melancholicis, qui non fiunt à semine retento, hoc potest esse dubium, & controuersum. Affirmat Cels. vnde scripsit, *si quæ morborum genera, neque pubertate, neq; primis coitibus, neque in fœminis, primis menstruis finita sunt, ferè longa sunt*. Vbi vides Celsi spem, non esse in sola pubertate repositam, sed etiam in coitu: & loqnens postea de comitiali, *cum*, inquit, *si remedia non sustulerint, in pueris Veneris, in puellis menstruorum initium tollit*: eamdem habuere sententiam multi alij, vt refert Aret. 1. de curation. morb. diut. quinimò affirmat fuisse medicos, qui Venerem adeò vtilem esse epilepticis crediderunt,

An ijs, quos pituita excitat, non semen retentum?

vt

vt impuberes quoque comitiali laborantes, hortati sint, vt Venere intempestiua vterentur, *tamquam sint pubertatis præsidium occupaturi*. Distinguit Gal. 6. epid. com. 6. tex. 23. & vult prodesse, si valeant vires, quod multi monere, non fuit; Cui enim incompertum est, ni toleretur remedium, esto indicetur, non esse administrandum? Quare numquam erit Venus vsui ijs, qui debiles, aut genitalia habent vlcerata: illud monete, intererat multu, valerent ne melancholia affecti, aut morbo pituitoso, hoc remedium ferre: indicaretur ne idem ab hisce morbis.

Vallesi.

Propterea rem aliter determinauit Valles. 6. epid. com. 5. tex. 35. nempè distinguit de duplici epilepsia (idem dictum putà de alijs morbis) altera ex cerebri debilitate profecta, altera ex copia humorum: ab illa arcet Venerem; in hac permittit. Eodem modo censet de morbis à flatu excitatis, nimirum, qui flatus multos gignunt ob caloris inopiam, quæ vsq; adeò magna est, vt nec facillima cibaria coquat, læduntur coitu; qui flatus gignunt, quia materia est crassa, qua ratione est dictum ab Hippocr. *allium flatum* parit, iuuantur Venere. Qui, nec placet, nam quamuis ex causa fiant morbi pituitosi, calidorum vsu curantur, & ijs, quæ siccant: at Venus multo magis refrigerat excretione seminis, & spirituum, quam calfaciat motu, et propterea scripsere Galen. medici omnes, multo magis lædi, si quis refrigeratus det operam Veneri, quam calfactus. Quare, seu fiant ex copia pituitæ morbi frigidi, seu caloris inopia, numquam Venere hi morbi leuabuntur.

Ocrurritur Argent.

Non me latet scripsisse Argent. pituitosos homines calfieri magis à Venere, quam refrigerari; nam cum tardius Venerem absoluant, laborãtes in coitu diutius, incalescunt multum; esto enim, tunc temporis incalescant magis; non ne frigidi cum sint evacuata substantia calida, multo plus, quam calidi, infrigidabũtur? lædentur itaque magis.

Sententia Auctoris.

Propterea dicerem, iuuari coitu mulieres, vbi huiusmodi morbis tenentur, lædi viros: ratio discriminis est, quia calidum semen virorum, coctum, & refertum spiritibus: crudum semen mulierum, incoctum, aquosum, quod demum, si Aristot. credas, seminis nomen, non mœretur, sed potius pituitæ. De hoc puto loquutum, quando 4. probl. 50. scripsit, idcirco coitum morbis à pituita prodesse, quia coitu pituita purgatur; nam de semine viri, constat aliam habuisse sententiam. Vnde non est Gazæ traductio corrigenda, vt censuit Mercur. Cagnatus; Guastau & alij multi, sed retinenda *libido immodica*, nam hæc mulieribus, nequaquam officit, quamquam viris sit illa perniciosa. Nec audiendi, qui hanc causam contemnunt, quia parum est, quod coitu effunditur: non enim ita exigua seminis portio est, quam mulieres excernunt: nõ multum fecundo, quod nos lædit. Quis enim crederet, à tantulo semine, tot tantaque symptomata? tertio dixit iuuari, non curati hos morbos à coitu: demum immoderatam commendauit libidinem Arist. non moderatam; reperita autem Venere, multum est, quod excernitur.

Iuuat. non est tamen remedium necessarium.

Sed quamquam iuuare possit coitus sic affectos, non tamen ita remedium hoc necessarium esse censeo, vt si omittatur, vitæ aliquod discrimen immineat; nam semen est excrementum quantitate superfluum, quare poterit eius generatio inhiberi, & si inhibeatur, potest natura in somno semen fundere. Confirmatur auctoritate Arist. scribentis 27. probl. 4. idcirco coeundi desiderium nos occultare, fateri vero, vbi cibum, aut potum concupiscimus, *quia horum cupiditates sunt necessariæ, & ni explcantur, intereunt: rei Venereæ libido superfluit, & est abundantiæ index*. Propterea reiicio illud.

Guarinus Michael, iuuenilium occidit an... nis,
Virtute ambiguum, maior an ingenio.
Sola Venus lecto poterat succurrere morbo.
Ne se polueret, maluit ille mori,

Falsum, fictum, & ad extollendam hominis continentiam confictum, vel vt hac arte, incontinentes homines, maiorem peccandi licentiam sibi vendicent.

Quantum coeundum quando, & quomodo. Cap. XI.

Moderata Venus laudatur.

MOderatam laudauit Hippoc. Venerem, & medici omnes; nam vt bene Celsus. *Concubitus rarus corpus excitat, frequens exoluit*. Quia verò poterat quispiam quærere, quinam est mediocris, subdit. *Cum autem frequens, non numero sit, sed natura, ratione ætatis, & corporis, scire licet, cum non inutilem esse, quem neque corporis languor, nec dolor sequitur*. Aptius hanc difficultatem Gal. determinauit, vbi conferre scripsit, *si tantum interualli, in eius vsu adhibeatur, vt neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo, quodammodo leuior factus, & melius spirare videatur*; non enim ea vtilis vacuatio, quę nullum nobis detrimentum infert, sed quæ est emolumento: vnde dixit Hippocr. *si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*.

At quo modo, rara.

Cels.

Occasio Veneris.

Quod pertinet ad aliud. Præcipit 4. sect. probl. 8. Arist. quod attinet ad omne redundantiæ genus, numquam excerni oportere, ni turgeat, aliter magna naturæ vis inferetur: hærent nimirum contumaciter excernenda. Quare numquam extrudes, ni primum diuellas: secreta suo nixu proxilient: vim infers, & reluctante natura, aut non adiuuante, quidquam

Arist. vbi turget dat Veneri operam.

quam tentas educere? aut non assequeris, aut vtilia educes. Vt cùm cespitem aliquis vi à terra trahit, aut aliquid terrę educit, aut aliqua pars cespitis disrumpetur, & terræ infixa manebit. Ne tamen fallaris aduerte, nō esse statim, ac turget, Veneri dandam operam, sed cum nulla fœda conuersatio præcessit, non impuri contactus; nulla demum causa externa turgentiæ, sed natura. Vide Auic. 20. 3. tr. 2. cap. 12. At quando nam tutius, turgentem hanc materiam vacuare, & commodius, die ne, an noctu? Cels. *idem*, inquit, *interdiu peior est, noctu tutior, ita tamen si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia, labor statim sequitur*: probari potest, quia calor per somnum, & tenebras intus collectus, melius coctiones celebrat: & quia pudor est inimicus Veneris nullus at pudor noctu: est demum noctis tempus aptum complexibus Veneris, quia phantasia ab obiectis non distracta, tota in hoc opus incumbit.

Noctu tamen id cōmodius fieri cēsemus.

Sed quia potest noctu Venus, statim à cæna celebrari, potest eadem coctione peracta exerceri: vtrum tempus commodius? laudat coitum à cæna Paulus lib. 1. cap. 35. cum ad lectum dormituri accedimus, quia lassitudo ex coitu contracta, statim remittitur, & mulier consopita, genituram facilius retinebit: contrarium probant alij, nam Hippoc. agendorum ordinem, nedum quātitatem præscripsit, vbi scripsit, *labor, cibus, somnus, Venus, omnia mediocria*: & quoniam si à cæna, id fiat crudum semen effundetur, vnde gignentur fæmellæ: dubius propter hæc Argenterius, nec satis certus, quid statuat, consuluit de re ista mulieres, & quo tempore coitus esset exercendus, rogauit; medici enim subdit, de re ista litigant, Hippocr. commendante illum à somno, à cęna Paulo: cui matrona quædam, satis huius negotij perita, tres enim viros habuerat, & Hippocr & Paulum errare respondit: siquidem, & mane, & vesperi celebranda est Venus, quia ita occasio dabitur, vt vel masculus gignatur, vel fœmina. Huic simile est, quod quædam nobilissima mulier. Audiens hęc virum suum dicentem, coitum à cęna, ad generationem conferre, ad sanitatem tuendam, vtiliorem, qui coctione celebrata perficitur; & mane ergo subdit, & vesperi congrediendum est; mane quidē ad sanitatem seruandam: vesperi procreandi causa. At quoniam suspecta sunt in hac lite, mulierum vota, iam enim statutum est, in decuplum amplius affectari à muliere coitum, quam à viro, consulenda propterea natura rei. Ac certè, si verum est, corpus non esse exercendum à cibo, certum est esse coitum à cœna noxium, & insuper si dogma illud est verum, naturam rectè operantem esse imitandam, cum illa optimè valens, in somno, coctione absoluta effundat semen, à somno, & à coctione, danda est opera Veneri. Pauli rationes, non obstant, nam Venus per interualla temporum adhibita, leuat corpus, tantum abest, vt prosternat; præterquam, quod nil prohibet, quin à coitu vir, & mulier detineātur in lecto, vnde Cels. *idem interdiu peior, noctu tutior, si tamen neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur*.

A cæna an coctione peracta.

Paul.

Alij.

Fœmellarum opinio.

Nostra.

De modo multa essent examinanda, ne tamen offendantur castæ aures, & pagina impudica euadat, tria attingam, figuram seruandam, an expediat mulierem moueri, an nudari, & ad lucem hæc facere.

De primo multas esse coeundi figuras scripsit Sabellus quidam, nam de eius opere hæc Martial.

Quę figura in coitu seruanda.

Sunt illic Veneris, nouæ figuræ,
Quales perditus audiat fututor.

Nihilominus, quia res est sordida attingam tantum. Damnat Auicen. & medici omnes eam figuram, in qua vir mulieri subijcitur; laborat enim vir in spermatis emissione, descenditquè non rarò à matrice in ipsam virgam masculi, excrementitium quoddam. Probant quidam, vt quadrupedum more coeatur. Ita Lucret. lib. 4. sui operis circa finem, Mercur. lib. 1. de morb. mul. & alij multi. At verò, quia non indagamus, quæ figura commodior ad procreandum; sed quæ vtilior morbis abigendis, sitquè laboriosum magis coire more quadrupedum, facilius id facere pectore admoto pectori, hanc probo.

Auic.

Mercur.

Nostra.

Probo ob eamdem rationem, vt mulier moueatur in actu Venereo, ita enim minus vir laborabit, & delectabitur magis; nec timendum, ne inordinata illa motione semen auertatur ab vtero, trahitur .n. semen, non fertur impetu proprio.

An mulier debeas moueri.

An nudi decumbant, & lucerna apposita. Si sit deformis mulier, aut verecunda nimis, laudo tenebras, nec denudabitur tota, vt enim dixit illa, *omnis mulier dempta lucerna, eadem est*: si fuerit pulchra, vir impudens, laudo lucem: talis cum esset Martialis, non miror, hæc ad vxorem scripsisse.

An nudi decumbere, & cum luce.

Vxor, vade foras, aut moribus vtere nostris:
Non ego, sum Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me iucunda iuuant, tractæ per pocula, noctes;
Tu properas pota, surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes, me ludere teste lucerna,
Et iuuat admissa, rumpere lance latus.
Fascia te, tunicæquè tegunt, obscuraq; palla,
At mihi, nuda satis, nulla puella patet.
Basia me capiunt, blandas imitata columbas,
Tu mihi das auiæ, qualia mane soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce iuuare,
Nec digitis, tāquam thura, merumq; pares.

Concludit tandem.

Si te delectat grauitas, Lucretia toto
Sis licet vsq; die, Thaida nocte volo.

Quid

Quid de antiqua illa mulierum consuetudine, quas perhibent Venere in ea, loculos aqua lauare, consueuisse, Vnde Ouid lib. 3. Amor. eleg. 6.

Neue sua possent intactam scire ministræ
Dedecus hoc sumpta, dissimulauit aqua.

Respondeo si sit aqua simplex, & frigida, damno prorsus eius vsum; potest enim humiditate laxare, frigiditate semen extinguere exceptum, quare & conceptionem impedire; flatuum quoque generationi præbere occasionem: is autem in vteri cauitate conclusus, dolores solet acerbos inferre. Permitto, vt medicata, & tepida, loca illa abluantur, laudo tamen, vt pannis siccentur, & mundentur: nec mulieribus tantum id præcipio, sed vt viri idem faciant, quam maximè hortor; solent enim sordes, quædam hærere virili membro, quæ ni abigantur, breui contracta putredine, inducunt caricem. Quare cautè faciunt nostri iuuenes, qui postquam adiere meretrices, lauant penem vrina; habet enim vrina insignem vim abstergendi, mundandi, & resistendi prauis qualitatibus. Cæterum, quia non omnes sunt matrimonio copulati, quid facere debeant, quibus Venus est interdicta, cap. sequenti dicendum.

Quid faciendum, si sint sic affecti voto continentiæ adstricti. Cap. XII.

IMpellunt nos ad coitum, & ad Venerem, vel inuitos trahunt, semen copia multum, qualitate calidum, acre, mordax, illaq; omnia, quæ rerum venerearum memoriam refricant; vt visus mulieris pulchræ, seu vetus, siue fictus: sermones impudici, Pictura, tactus, odoratus; Gustatus, sensus demum omnes, præsertim verò imaginatio, & memoria præteritæ voluptatis. Valere multum seminis copiã, præsertim si acre illud sit mordax, calidumq; ad Venerem sopitam excitandam, cõstat inde, quia vacuato semine cessant motus omnes Venerei, statim sedatur libido. Conferre eodem visum, & expletæ libidinis memoriam, vel à rudi asello addiscere possumus; nam onustus & labore confectus, mox visa asella rudit gestitq; & qui paulo antea, neq; minis, aut multis clamoribus poterat concitari admotum, non impelli verberibus: currit velox postea, & onustus, & fatigatus tentat explere libidinem; tantum valet rei amatæ intuitus ad Venerem supitam excitandam. Idem præstare rerum Venerearum phantasiam, idem asellus docet; nam olfacta vrina asellæ incitatur ad Venerem. An quoniam intuitus acrius semen reddit, mordacius? numquam ero vsq; adeo tudis, vt hæc somniem; excitatur libido re pulchra visa, quia molestia à semine inflicta, quæ paulo antea ob inaduertentiam, non sentiebatur: ita exactè percipitur postea, vt tolerari non possit. Nempè illud accidit in hoc casu, quod & vrinam retinentibus. Vt itaq; sine molestia illam, alio abrepti mente retinemus: at vbi alium mingentem conspicimus, mox mingere cogimur: haud quia visus, maiorem vrinæ acrimoniam addidit, sed quia tunc aduertimus: haud secus, semen molestans, quod antea ob inaduertentiam, nõ sentiebatur, quia postea aduertitur, nos mirè lacessit.

Expediet proinde seruandę continentiæ, generationem multi seminis inhibere. Curandũ secundo, ne quod gignitur, acre admodum sit, mordax, calidum. Cauenda tertio illa omnia sunt, quæ memoriam Veneris valent refricare.

Generationem multi seminis inhibemus laboribus multis, & parsimonia victus; si enim est semen reliquia vltimi alimenti. Quis non videt, ex exiguo sanguine, multum gigni semen non posse? imò aut nulli, aut quam paucissimum. Idcirco illi omnes, qui seruandæ continentię studuerunt, ieiunabant frequenter: nempè, vt ait ille, venter opipare satur, libentissimè Venerem amplexatur. Ob eamdem causam à carnibus abstinendum, & à vino; nam vt D. Hieron. in epist. *Venter mero æstuans citò spumat in libidinem. Venter, & genitalia vicina sunt, & vnum alteri subministrat; ex vicinia enim membrorum, sequitur confœderatio vitiorum.* Tertull. lib. contra Psichichum, *Monstrum haberetur libido sine gula, cum hæc inter se tam sint coniuncta, vt si disiungi nullo modo possint, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus: vna regio est.* Vulgo circumfertur, *sine Cerere, & Baccho, friget Venus.* Quoniam verò hęc satis non sunt, ad compescendam effrenem carnis exultantis libidinem, vt testantur hæc, quæ de se scripta nobis reliquit Hieron. *quoties*, inquit, *in eremo constitutus in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridũ membris præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. horrebant sacco membra deformia: & squallida cutis, situm æthiopissæ carnis obduxerat: quotidie lacbryma, quotidie gemitus: & si quando repugnantem vigiliam somnus imminens oppressisset nuda humo ossa vix hærentia collidebam. De cibo vero, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquis accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehenna metũ tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum, anguiũ socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat: in frigido corpore, & ante hominem sicca iam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni*

auxilio

auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, eos rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam &c. Inedia ergo, & tot afflictionibus, cum generatio seminis inhiberi non possit; potest enim esse tantus calor testium, vt subtracto alijs partibus alimento, multum sanguinem alliciant, & in semen conuertant: studendum secundo est, vt quam minime calidum gignatur; vt enim spirituosum, & calidum sollicitat multum: sic frigidum, aut nullam, aut quam minimam molestiam infert. Abstinendum itaq; ab omni cibo calido potuuè: ab omni atomatum genere: ab ijs demum omnibus, quæ calfacere possunt: hoc enim remedio Franciscum virum sanctissimum vsum legimus: flammis .n. libidinis incensus voiutauit se niuibus, vt ardor carnis, à niuis frigiditate extingueretur.

Sed & externorum ratio est habenda: ac primum fugienda est conuersatio mulierum, cautè, & prudenter Poeta ille.

Quid facies? facies Veneris, cum veneris ante?

Ne sedeas; sed eas, ne pereas per eas.

dat rationem 3. Georg. Virg.

Carpit .n. vires peculatim, vritq; videndo Famina.

Neq; occursum vitare satis, sed & earundem imagines cauendæ. Ouid. 2. de rem. amor.

Si potes, & ceras remoue, quid imagine muta

Carperis? hoc perijt Laomedia modo.

Ob eamdem causam, & scripta remouenda, hoc est mulieris adamatæ epistolas.

Scripta caue relegas blandæ seruata puellæ:

Constantes animos, scripta relecta mouēt.

Omnia pone feror, quamuis inuitus in ignē:

Et dic, ardoris, sit rogus iste, mei.

Demum cum memoriam rerum Venerearum refricent libri amatorij, sermones impudici, conuersationes fœdæ, sunt hæc omnia diligenter cauenda, frequens in ore omnium Dauidicum illud carmen. Cum Sancto Sanctus eris: cum viro innocente innocens eris: & cum peruerso peruerteris. quid otium? non ne & hoc fugiendum? Ita prorsus, nam verè ille

res age: tutus eris. & alibi.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:

Contemptaq; iacent, & sine luce faces.

Non esse contrectandas mulieres haud puto necessarium, monere. Hieronymus, *alligabit quis in sinu suo ignem: & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? quemadmodum itaque qui ignem attigerit, statim aduritur: ita viri tactus, & fæmina sentit naturam suam, & diuersitatem sæpius intelligit.* Recede mulier hinc, dixit Vrsinus ille Presbyter continentissimus, & in mortis confinio positus: tolle paleam, adhuc igniculus uiuit: & tu incolumis, & iuuenis, fœmineum contactum non expauesces?

Quæres. Quid vbi hæc, & alia multa non proficiant? licebit ne exhibere remedium aliquod, quod feminis eliciendi vim habeat?

Gal. vt constat ex ijs, quæ 6. de loc. 5. scripta nobis reliquit, affirmat; accersitas enim ad curandam hystericam iussit aduocari obstetricem, quæ blandè pudenda confricaret ad feminis vsque effusionem. Negat in com. eius loci Valles. connenite hac medico Christiano: reprehēditq; duas ob causas Gal. ob adductam, nimirum, & quod Diogenem Cynicum, continentissimum vocet, cum tamen manu pudendis admota, semen effudisse referat, mulieremq; tardius aduentratē reiecerit à se inquiēs, manus hymenæum celebrando, te præuenit. Sances tom. 2. de matrim. posse hoc fieri docet, si medicus certis signis coniiciat, semen esse corruptum, & in aliam formam degenerasse: non enim semen effunditur, quod est vetitum, sed venenata substantia, quā vacuare licet, non secus ac alios corruptos humores. Sed litigent, de re ista Theologi, & legat, si quis uelit Caiet. 2. 2. nos quod nostrum est, prosequamur institutum.



ANTEPRAXIS MEDICAE

Liber Decimus nonus.

DE CHYRVRGIA.



Dicendorum occasio, & ordo. Cap. I.



Iquis æquus sit rerum æstimator, nec ex eorum genere, quibus nihil bene olet, fatebitur hic ingenuè, explicata esse ea omnia, quæ ad rectam rerum non naturalium administrationem in morbis pertinebant. Quare vt ad finem quandoque nostra perueniat oratio, esse illud modo consequens videtur, vt de Chyrurgia pertractemus, seu de præsidijs chyrurgicis, ita dictis, quia manibus fiunt, & manuum opera absoluuntur. Ergo cum sint hæc multiplicia, sectiones nempè, incisiones, vstiones, deductiones membrorum, ligaturæ, dicendum de his omnibus esset; quia verò de deducendis partibus à sua sede amotis, seiunctisque dicemus libr. vit. & ibidem loquemur de ratione suend., de incisione tantum, seu sectione venæ, & vstione sermonem habebimus hoc libro; primo verò de venæ sectione, nam cum hoc præsidium sit euacuans, est illud superiori disputationi congeneum. Vt autem mox quisque intelligat, quę sit futurę series disputationis, examinabimus primum, à quonam indicetur venæ sectio, dicemus secundo, quæ quantitas extrahenda, ex qua vena, & quando loquemur demum de apparatu ad venæ sectionem, & illis, quæ à vena secta expedit, vt fiant, & in actu secandi. Quoniam verò prima difficultas non potest absolui, ni primum declaremus, quid venæ sectio, idcircò disputationem hanc hinc auspicabimur.

Quid Phlebotomia, quis eius vsus, & differentiæ. Cap. II.

PHlebotomia vox græca est, quæ latinè idem sonat, ac venæ sectio: propterea videamus, quid venæ sectio, ita enim constabit, quid Phlebotomia. Definit ita illam Auic. 4. 1. cap. 20. est vacuatio vniuersalis, quæ multitudinem vacuat. Admittere illam ipsius interpetres: reijcienda tamen tres ob causas; Prima est, quia conuenit alteri à definito. Secundo, quia non conuenit omni definito. Tertio, quia diminuta. Patet primum, nam conuenit inediæ, balneis naturalibus, exercitio, & fluxui sanguinis, seù naturali, siuè præter naturam, seù per vterum fiat, seù per nares, aut quamcumque aliam partem.

Affertur Auic.

Reijcitur.

Est pariter euidens, quod sit illa imminuta, siquidem, nedum plenitudinem tollit venæ sectio, sed etiam venarum cachochimiam imminuit: nam vacuat indiscriminatim, quæcumque in venis habentur. Cæterum non conuenire eâdem omni definito, inde apertè colligitur, quia non quæuis venæ sectio vniuersalis est vacuatio; hac enim auctore Gal. 4. Aphor. 2 corpus vniuersum inanitur: particulari, certa, & determinata particula exhauritur. Nunc vero, non quæuis venæ sectio, corpus vniuersum euacuat, vt infra dicemus. Quod si dicat, nomine vacuationis vniuersalis Auic. intelligere eâm, quæ humores omnes indifferenter euacuat, non aliquem certum, & determinatum, vt purgatio, quæ propterea debetur magis humori peccanti in quali, quam in quanto, præterquam quod recedis à communi sensu, quem Auic. interpretres illi tribuunt, conijcis dein ipsum in non minora incommoda, nam facis ipsum nugacem, est enim sensus. Phlebotomia est vacuatio educens omnes humores, quæ multitudinem, hoc est, omnes humores euacuat.

Propterea sic venæ sectionem definitam. Est venæ sectio vacuatio sensibilis eorum omnium, quæ continentur in venis, facta à Chyrurgo varijs instrumentis, ad multiplices vsus absoluendos. sic definit Arnaldus, & Gordonius, habet enim *Phlebotomia est incisio venæ euacuans sanguinem, & humores cum sanguine in venis decurrentes*, & quidem sufficienter, nam continet genus omne causarum. Dicam, & rectè, nam neque particula aliqua desideratur, neque vlla abundat; enim vero euacuatio ponitur loco generis, qua ratione conuenit cum alijs multis: aliæ par-

Apes definitio proponitur, & declaratur.

particulæ locum differentiæ obtinent: & quidem, non absurdè esse positas, demonstratur facile; nam per ly sensibilis, differt ab media, balneo, motu. Per id quod vacuatur, diuersa est venæ sectio à purgatione, nam hæc cachochimiam potissimum exhaurit, plenitudinem illa, & alia vitia sanguinis emendat, vt exempli gr. motum inepte susceptum, & eiusdem feruorem. Per causam finalem differt, à fluxu præter naturam. Petes, quæ sunt varia hæc instrumenta, quibus Chyrurgus solet vacuare sanguinem, quiue sunt vsus venæ sectionis?

Vsus venæ sectionis.

Respondeo instrumenta hæc esse hirudines, lanceolam, scarificationem, cucurbitulas scarificatas. Vsus sanguinis missionis sunt sex numero. Primus est vacuatio multitudinis, secundus vacuatio Cachochimiæ, Tertius, refrigeratio, Quartus, ventilatio, Quintus, Reuulsio, Sextus, & vltimus deriuatio,

Differentiæ.

Ex his hauriuntur duæ differentiæ sanguinis missionis, quarum altera ab instrumenti varietate desumitur, alia vero ab vsu multiplici: habentur istæ ab vsu. Quædam est vacuatio sanguinis vacuatiua; alia reuulsiua, alia Deriuatiua, seu deriuatio, Reuulsio, euacuatio, & euentatio.

Deriuantur hæ ab instrumentis, hyrudines, scarificatio, cucurbitulæ, scarificatæ, Phlebotomia. Habet quæque vsum pecularem; quare esset videndum, à quo nam vnaquæque indicetur; quia verò adhuc phlebotomiæ natura est obscura, ni primum declaretur, qualis vacuatio sit, vniuersalis ne, an particularis, & quare vena secta sanguis prodeat: idcirco isthæc primum discutiemus.

Sit nè Phlebotomia vacuatio vniuersalis. Cap. III.

Proponuntur rationes dubitandi.

DVbitandi ratio est, quia non desunt, quæ partem vtramque suadeant: ac primum, quod sit vacuatio particularis, non vniuersalis suadetur, quia si foret illa vniuersalis, non liceret in scabie, & alia quauis affectione cutanea sanguinem mittere, non in exanthematibus, aut erisipelate partium externarum. Patet consequentia, quia non licet nocuum, & venenatum humorem à cute, quæ est cloaca vniuersi corporis, ad partes internas nobiliores, & digniores traducere: at vero traduceretur si partem omnem corporis vacuaret. Quare cum faciant hoc medici innoxiè, immo cum magna vtilitate languentium. particularis est vacuatio venæ sectio, non vniuersalis.

Ex aduerso videmus ophtalmiam, phrenitim, pleuritim, huius tantum remedij beneficio curari passim: non curarentur autem, ni humores à venis effusi, Phlebotomia ad venas retraherentur. Quare vniuersalis vacuatio esse videtur venæ sectio. Confirmatur, quia Auic. quē medici omnes sunt sequuti, huic innixus principio, prohibet ne eruptis variolis, morbillisque secetur vena, & eamdem ob causam damnatur venæ sectio in bubone gallico, ne humor à natura repositus ad ignobilem partem, ad hepar, et principes partes reuocaretur: timerent autem, vbi timendum non esset, ni foret vniuersalis vacuatio Phlebotomia.

Et deciditur controuersia.

Vt positis difficultatibus satisfiat, distingnere oportet. Dicendum itaque venæ sectionem esse duplicem, aliam quæ fit ex venis exiguis capillaribus, est alia, quæ fit ex venis magnis, quæ magnum habent cum alijs venis, arterijsque consensum; est item vtraque duplex, alia copiosa, & repetita, exigua alia, & in pauca quantitate. Si loquamur de copiosa venæ sectione; & eius venæ, quæ magna est, magnamque habet cum cœteris affinitatem, vacuat hæc proeul dubio corpus vniuersum: quare erit hæc vniuersalis vacuatio. Probant hanc assertionem argumenta secundo loco proposita. Nec opinandum est aliter, quia in scabie variolis, morbillisque mittimus sāguinem, in his n. mittimus sanguinem, cum nondum materia est ad cutim deposita: aut si quando idem facimus post eruptionē, tunc tantum facimus (in hoc enim casu tantum licet) cum magna adhuc est plenitudo in venis, nullum vt propterea immineat discrimen, ne vena secta, sic omnes inaniantur, vt ab habitu corporis humor attrahatur. Vnde quia huiusmodi discrimen non vitatur cum venæ sunt inanitæ, & nulla est plenitudo, cauenda est venæ sectio vacuata plethora. Auic. 1. 4. tract. 4. cap 7. *oportet in variolis, vt incipiatur, & extrahatur sufficienter sanguis, cum conditiones fuerunt, & simpliciter cum morbillus fuerit cum repletione sanguinis, & spatium illius est vsque ad quartum. Sed quando procedunt variolæ, non oportet tunc vt administretur Phlebotomia, nisi inueniatur vehementia repletionis.*

Quam ob causam mittimus sanguinem in variolis.

Est præterea, quod pertinet ad scabiē aduertendum, non in quauis scabie venæ sectionem conuenire; sed in ea, quę fit vitio hepatis prauos succos gignentis, & eosdem ad cutim deponentis: in ea, quę fit ex contagio, neque vitium est hepati communicatum abstinemus, ni aliud suadeat ipsam. Insuper vbi mittimus sanguinem, parum mittimus, non multum, nec multoties: ergo cum non quæuis sanguinis missio vacuatio sit vniuersalis, sed copiosa: non est, cur timeamus, ne per hanc Phlebotomiam, humor ad venas, & partes internas retrahatur. Nempe habemus pro certo exiguam uenæ sectionem, aut ex uenis capillaribus factam, non esse uniuersalem uacuationē,

sed partem dumtaxat inanire. Rem ita se habere admittet quiuis, qui intelligat, quo pacto uena secta corpus uniuersum uacuetur. Propterea sciendum, quod uelutimotus animi, spiritus animales potissimum exhauriunt, motus corporis primum musculos uacuat, deinde consensione quadam alias partes: sic dissecta vena, ille sanguis primum vacuatur, qui secto loco est vicinior, prodit secundo, qui illi proximus est, & continuatus: mox ad eamdem venam sectam accurret ille, qui magnam habet eum secta consensionem. Quia ergo venæ magnæ habent consensum, eum omnibus nostri corporis partibus, potest vena hæc secta, vniuersum corpus vacuari. Contra venæ exiguæ, & capillares, quæ sunt in habitu corporis, quia huiusmodi consensum nō habent; hinc fit, vt ex vniuerso corpore vacuare non possint, præsertim vbi hæc vacuatio copiosa non fuerit.

Quomodo vena secta vacuat.

Confirmatur: nam in angina, vbi est indicatio vacuandi sanguinem, qui ad partem affluxit, & est ibidem impactus, mittit Hipp. sanguinem ex venis, quæ sub lingua sunt. At vero inepte prorsus fieret, si venæ illæ sectæ ab vniuerso corpore attrahere possent, quia multo plus afflueret, quam vacuaretur. Quare non quævis venæ sectio vniuersalis est vacuatio, sed copiosa tantummodo, quæ que ex magnis fit venis.

Obiectio.

Sed dices, ni venæ sectio exiguæ, & ex venis capillaribus facta, vacuatio esset vniuersalis, liceret à principio in angina e.g. ex venis, quæ sunt sub lingua sanguinem mittere; nam si quid hoc prohiberet, illud esset, periculum nempe, ne maior ad partem inflammatam affluxus fieret: at vbi ponamus Phlebotomia illa, non nisi partem affectam vacuari, cessat metus iste. Quare liceret mox à venis illis extrahere sanguinem. Secundo, cucurbitulæ sunt vicariæ venæ sectionis, & auctore Auic. 4.1. capit. 21. admotæ scapulis, vicem tenent basilicæ, super venas colli, vicem cephalicæ: at hæ venæ vacuant vniuersum corpus, ergo & cucurbitulæ: ergo multo magis venæ exiguæ dissectę.

Solutio.

Respondeo non esse nihilominus id faciendum; nam quamquam uena exigua dissecta, sanguis attrahi nequeat ab alijs partibus, & ab ea, quæ male affecta est, longe dissita; possent tamen aliæ partes plenæ, & turgidæ ad ipsam, quæ primum secaretur exonerari; quare ne hoc accidat, prȩstabit primum corpus vniuersum uacuare, deinde ad partem affectam deuenire.

Cucurbiculæ quomodo sunt vicariæ venæ sectionis.

Ad secundum dicimus cucurbitulas scarificatas, posse dici uicarias uenæ sectionis bifariam; aut quoniam vacuant sanguinem, quemadmodum uena secta: aut quia vacuant crassum à toto, & ex corpore vniuerso, quemadmodum venæ sectio facta ex uenis magnis. Primus sensus uerus est, & admittendus, secundus nequaquam ut docet Dinus, Vgo Senensis cit. loco & Augen. lib. 10. de uenę sect. cap. 21. & nos infra latius declarabimus. Proinde fit, ut non uacuent illæ corpus uniuersum, quod explet, & quam citissime uenę sectio, quę quoniam explorata sunt cuique, non est cur hic amplius hęreamus. Dicamus proinde.

Quomodo venæ sectio sanguinem vacuet. Cap. IV.

Postquam vidimus, an venæ sectio vacuet plenitudinem, esset consequens modo examinare, euacuet nè eadem eachochimiam quameumque, tùm venarū, cum eam quæ extra venas est, vt in ventriculo, cerebro, & habitu corporis; quoniam vero, ex ijs quæ capite superiori sunt dicta, intelligitur statim, quid de caechochimia affirmandum, nempe copiosa venæ sectione, nedum cachochimiam venarum imminui posse, sed ventriculi, alioquin non timeret Gal. & medici omnes, crudo adhuc stomacho sanguinem mittere: propterea ne in re admodum clara, & cuique comperta, tempus frustra teramus, examinabimus illud, quod est ordini proposito consonum: quomodo scilicet vena dissecta sanguis fluat, & vna cum ipso succi omnes, qui in venis continentur. Vt verò mox quisque intelligat, quid est illud, quod quæritur, sciat idem, quod cum trifariam possit fieri, vt vena dissecta sanguis effundatur, aut quoniam à uena frictione, & aqua calida calfacta attrahitur: aut quoniam à ligatura, aut sectione dolet (dolor enim, & calor trahendi uim habent): aut quia expultrice ui expellitur foras, vel ab impetu ab alijs sanguinis partibus illi impresso: dubitatio est, quonam modo id fiat; an quia foras extruditur, an quoniā trahitur; nam quod non prodeat sanguis, impulsus à principio interno, hoc est à grauitate, quæ illi inest, inde apertè colligitur, quia à grauitate deorsum mouetur, modo sanguis ad latus primum fertur, deinde à propria impulsus grauitate descendit; quare alterutrum dicamus necesse est, vel sanguinem, attractum prodire, vel impulsum, foras prosilire.

Ratio dubitandi proponitur.

Trifariam fieri potest, vt sanguis vena secta fluat.

Attrahi docent, quæ antequam vena secetur, fiunt à perito Chyrurgo: fricant enim primum partem, à qua sanguinem extrahere volunt; ligant: in aquam immittunt calentem, dolorem demum inferunt, eam tantum ob causam, vt alliciant sanguinem; quare citius foras ille prodibit. Confirmatur nam laxato vinculo, qui antea sanguis magno prodibat

eum

cum impetu, mox compescitur. Ergo certo est argumento, attractum dolore sanguinem prodire foras.

Pars tamen, quæ negat probatur.

Sed licet conducat aliquid dolor, vt sanguis ad partem alligatam confluat: vt tamen dolor sit in causa fluxus sanguinis vena secta, nequaquam adducta suadent; dolor enim non trahit, nam est tristis sensatio: ergo actio immanens: per hanc autem, nihil ad extra producitur. Pręterea esto produceret aliquid, non tamen propterea traheret; nam vna actio non terminatur ad aliam actionem; ergo à sensatione, nullo modo tractio, sed est occasio cur aliæ dolorem auferre intendentes, ad dolentem particulam spiritus transmittant, & sanguinem. Præterea exiguus est dolor, frictio non multa. Nō itaque sanguinem tantum allicere possunt. Demus tandem posse trahere multa copia sanguinem: an prodibit propterea? nihil vero nimus; nam trahens ad se obiectum allicit: pellens reijcit. Nunc vero repellitur sanguis extra corpus: ergo esto trahatur ad partem sectā, dolentem, & confricatam, nō exiliet propterea à vena secta: quare alia est afferenda causa illius motus, quod paucis facere aggrediar: paucis inquam, nam multis de re hac disputare, Physici muneris est, non medici; nam quodcumque dicatur, parum refert ad medicinam rectè faciendam.

Dico itaque fluere quandoque sanguinem, quia impellitur. Impelli vero quandoque à facultate expultrice: quandoque ab alijs sanguinis partibus supra positis: ab vtraque causa quandoque. Primum probatur ex officio, & vsu facultatis pellentis. Sunt partes facultatis pellentis extrudere ea omnia, quæ sunt nostræ naturæ molesta, vnde cum bifatiam aliqua molestare nos possint; vel quia copia grauant, aut quoniam prauā habent qualitatem; & quæ copia nobis sunt oneri, & quæ qualitate sunt molesta, si valeat facultas, extrudet, & è confinio corporis expellet. At verò vbi est multus in corpore sanguis, est illi copia oneri: vbi prauus, qualitate stimulat: quare si offeratur occasio, qua data porta, ad expellendum insurget. Vena itaque secta, si copiosus sit sanguis, aut prauus, à natura expelletur.

Prodibit pariter, impulsa parte proxima venæ sectæ ab alia, & hac ab alia; enim vero hac ratione prodit vinum è dolio perforato: cur non eodem modo vena secta sanguis? quæ poterit diuersitatis causa assignari? nulla certè: quod vero hac ratione è dolio vinum prodeat, patet primum, quia nulla alia fingi potest: & insuper, quia vino deficiente, non prodit eodem cum impetu vinum, sed guttatim, nempe, quia deficit vinum, quod sua grauitate impellat.

Corollariu.

Ex hoc infero rectè facere eos medicos, qui inspecto sanguinis prodeuntis impetu, magna copia extrahunt, abstinēt contra cum guttatim extillat. Nempe vbi prodit cum impetu, validam esse monstrat facultatem pellentem, sanguinem esse copia multum, qualitate calidū stimulantem: vbi autem multus est sanguis, & facultas valida, est sanguis pro ratione multæ redundantiæ multus extrahendus: oppositum cum colligatur ex sanguine guttatim stillante, cautè abstinent, vel parum educunt.

Cur sanguis quandoque prodit cum impetu, mox guttatim, secus alias.

Colligo secundo rationem, cur sanguis statim rupta vena prodeat quandoque cum impetu, deinde statim deponit impressum impetum, & guttatim fluit: alius lentè incipit fluere, deinde prodit cum impetu. Nempe primi ratio est, quia statim facultas languescit, aut quia sanguis erat quantitate paucus: secundi causa est, quia pressa à copia facultas, nō valebat à principio expellere, deinde exonerata, quia euadit robustior, idcirco expellit valentius.

Dicta tamen vera esse scias, cum ab externa causa non fiunt; multoties enim stillatim prodit sanguis, quia vena non bene fuit dissecta; Præter has causas fluxus sanguinis, assignanda est alia, quæ est grauitas sanguinis; enim vero si ob primas causas tantum fieret fluor sanguinis: tunc tantum secta vena posset sanguis fluere, cum multus est sanguis, & facultas robusta: at fluit idem proditque etiā facultate languente, & cum sanguis est paucus; alioquin numquam errare posset medicus mittens sanguinem; numquam enim prodiret nulla existente copia, aut robore expultricis. Quare dicendum, preter causas positas, fluere interdum sanguinem, & moueri à propria grauitate: mouetur alias à propria forma ad seruandam inter partes continuitatem; ab his causis mouetur, quoties non prodit cum impetu, neo mouetur ad latus, sed per ipsum brachium extillat: à propria grauitate, cum deorsum fertur, cum per nares fluit, a forma quidam dicunt moueri, vt seruet continuitatem suarum partium sanguis. Habemus quid vacuatur vena secta, quomodo, & quos affectus gignat in nostro corpore vacuatio sanguinis, est itaque tempus, vt ad scopos huius præsidij accedamus. Propterea erit sequens caput, de scopis huiusce remedij.

Secunda causa fluxus.

A quonam indicetur vena sectio.
Cap. V.

EST venæ sectio species missionis sanguinis; quamobrem cum non possit exactè nosci species, ni primum generis natura exploretur, exposceret methodus,

dus, vt antequam de scopis indicantibus venæ sectionem loqueremur, illud reuocaremus sub examen, à quonam indicaretur sanguinis missio, quoniam verò est omnibus compertum, missionem sanguinis ab eiusdem repletione indicari; quare à Plethora, quemadmodum euacuatio in genere à repletione in genere; idcirco ne in ijs, quæ clara sunt, & facilia, tempus frustra teramus, hoc misso quæremus, à quonam indicetur vacuatio sãguinis per venam dissectam.

Auctoris opinio. Si nos consideremus, quomodo vacuet sanguinem venæ sectio, intelligemus facile, à quonam indicetur, quoue intueri oporteat, vt opportune illa administretur. Sciendum proinde, vena secta vacuari sanguinem multum, cito, & confertim: refrigerari, ventilarique calorem, præsertim si vena secta sit magna, & quæ consensum habeat cum venis magnis, & hepate. Ergo indicabitur illa à plenitudine, morbo magno coniuncta, seu faciente morbum magnum acutum. Patet nam ni vacues quamprimum, nullus erat postea remedio locus; quia verò vacuatio magna, & confertim facta, nonnisi à validis viribus ferri potest, propterea præter plenitudinem inferentem magnum morbum, est necessarium etiam viriumq; robur; vt in vniuersum tres sint scopi venæ sectionis, plenitudo; magnitudo morbi, & robur virium, sed plenitudo est, quæ propriè sanguinis euacuationem indicat, exposcitque: magnitudo morbi, modum vacuandi demonstrat, nempe vt fiat vena secta; nam cum vacuari sanguis posset paulatim, sensim, & insensibiliter, vt per inediam ex. g. frictiones, balnea, exercitia: posset quoque vacuari sensibiliter, citoque, & confertim, magnitudo morbi est, quæ monet, ne sensim vacuare tentemus, sed confertim, sed cito, nam magnus morbus statim magna pericula infert, vnde ni occurramus remedio quam primum, nullus erit in posterum remedio locus. Vires non indicant reuera vacuationem sanguinis, nec quodcumq; aliud remedium, sed indicatum remedium tolerantes permittunt, vt quod morbi caussa requirit, medicus exequatur quamprimum.

Sic vbi exigua est faucium inflammatio, nec veremur, ne noua excitata fluxione augeatur, quamquam vires sint fortes, & validæ, non iubemus propterea, vt quamprimum mittatur vena secta sanguis, sed quoniã est affectus exiguus, datq; inducias, imperamus inediam, frictiones, atque hac arte, nullo virium dispendio, & quod ad fauces confluxerat insensibiliter vacuamus, quodq; poterat fluere inhibemus; nam vbi per inediam sanguis detrahitur, partes exhauriuntur; depauperatæ autem, nequaquam expellunt, sed auarè retinent, quod sibi ad alimentum est, quam maximè opus. Contra vbi morbus est magnus, vt grauis ex. g. angina, & timemus nè ob nouam fluxionem fiat grauior in dies, tunc temporis, quia affectus præsens, & discrimen impendens, præsentaneam vacuationem exposcunt; est enim in mora, mortis discrimen, nõ tantum inedia procuramus, & frictionibus minuere, sed statim vena secta citò multum sanguinem, & multoties vacuamus, partis plenitudinem tollere studentes, & vniuersum corpus, à quo fluit humor ad partem, inanire.

Obiectio. Obijcies Hippocr. 4 de rat. vict. 19. ait, *in acutis sanguinem detrahes, si morbus vehemens fuerit, vigeat ægrotantis ætas, & adsit virium robur*. Gal. quoque 4. method. 6. scripsit, *nunc illud volo docere, morbi siue robur, siue magnitudinem, scopum esse constituendum detractionis sanguinis, vel purgationis, & Hippocr. omnium, quos scimus primum, talem scopum adinuenisse*: Et secundo per loca docens curare capitis dolorem ex vulnere vel contusione. *Ergo, ait, si tota affectio ægri curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet, optimum fuerit in his, nisi ætas prohibeat, & nisi facultas vitalis debilis appareat, à sectione venæ, curationis initium facere*. Non itaquè plenitudo, scopus erit venæ sectionis, sed magnitudo morbi, ætas florens, & virium robur, aut si ætatem, nos cẽdarum virium gratia consideramus, duo tantum erunt scòpi missionis sanguinis, magnitudo nẽpè morbi, & virium robur.

Confirmari idem potest, quià dato opposito, quoties est plenitudo, esset vena secanda, vbi illa non est, non esset modo aliquo mittendus sanguis: at oppositum Practici faciunt, nam nonnumquam in plenitudine venam non secamus, sed inedia, exercitio, frictionequè minuimus sanguinem: contra alias venam secamus, quamquam nulla sit plenitudo, vt in casu, dolore, & Hippoc. 3. de artic. in fractura costarum, eamquè ob causam scripsit in commento Gal. mitti ab Hippocr. sanguinem, non ratione plenitudinis, sed ratione morbi magni; & lib. de cur. rat. per sang. mission. cap. 8. 9. 11. & 12. irridet antiquiores, qui venam, tunc tantum secandam esse putabant, cum signa plenitudinis aderant in corpore, nam vt 8. meth. c. 4. secanda interna vena est, etiã si plenitudinis signa non adsint.

Assertor Massar. Dixerunt propterea multi: pro quibus acerrime pugnat peculiari disputatione de re hac edita Massaria, à sola magnitudine morbi, quæcumque sit illa, venæ sectionem indicari. Cœterum, quia videbant ijdem, nullum vnquam vsque adeo temerarium fuisse, qui auserit in hectica confirmata hydropisi, scirrhoque lienis, hoc remedio vti, cum tamen sint hi morbi magni, & lœthales, subdunt, haud patere medicos huic præsidio,

tam-

tamquam non indicetur ab affectibus potiis, sed quia nequeunt vires illud ferre; vnde quia indicatio à viribus, maior longè ea est, quæ à morbo sumitur, & causa morbosa, adeirco est venæ sectioni parcendum: nempe quia vires non sunt ferendo.

Sed quamquam hanc sententiam expressè videatur profiteri Gal. & Hippoc. communis tamen schola medicorum, admittendam non esse existimauit; & iure; nam neo Gal. aut Hipp. illa est, nec vera, Primum infra monstrabimus adducta loca explicantes; conuincenda nunc falsitatis illo argumento communi. Euacuatio in genere, à repletione in genere indicatur. Ergo vacuatio sanguinis ab eiusdem repletione indicabitur. Patet consequentia; nam vt genus auxilij à genere vitij indicatur, sic species auxilij, à vitij specie peculiari indicabitur. Non erit itaque magnus morbus mittendi sanguinis scopus. Secundo remedium in genere indicatur à morbo; remedij quantitas à magnitudine morbi: sic febris est, quæ poscit refrigerantia, & humectantia: quantum tamen oporteat refrigerare, febris magnitudo præscribit: quamobrē si sit illa exigua, parum refrigerabimus, & humectabimus: multum, si sit eadem magna. Eodem ergo modo res se habet in vacuatione. Nempe humoris peccatum, vt bilis, bilim esse vacuandam clamat; quantum tamen vacuandum, an leui pharmaco, an magno, copia peccantis bilis docebit, ad rem: magnitudo morbi, est quantitas morbi. Non ergo remedium indicare poterit: quare nec venæ sectionem, sed vt communis est omnium sententia, magnum exposcit remedium: quamobrem cum sit istud multiplex, pur gatio, venæ sectio, & tenuissimus victus, hæc omnia à magnitudine morbi indicabuntur, quia hęc omnia sub remedio magno continentur: aliud itaque prętér magnitudinem morbi, medicum oportet inspicere, vt intelligat, an sit vena secanda, an purgandum.

Dederunt, vel Aduersarij manus huic argumento. Ergo fatentur vltro, prætér magnitudinem morbi, aliud esse inspiciendum venam secare intendentibus, id tamen esse aiunt robur virium; nam quamquam & purgatio, & venæ sectio, nonnisi à robusta virtute ferri possit: maiores tamen vires venæ sectio postulat, quam purgatio; nam hac noxij educuntur humores: illa thesaurus naturæ: vnde permisit Hippoc. & Gal. expurgari pueros, cum tamen non audeant secare ijs venam ante annum 14.

Attendunt alij coctionem humorum, & cruditatem, & in cruditate humorum mittunt sanguinem; expurgant, cum sunt illi concocti.

Quos omnes reijcias facile: ac priores quidem, quia non possunt docere, quo intuendum, vbi ita robustæ sunt vires, vt æquè vtrumque remedium ferre possint. Præterea aliud est tolerari remedia aliud indicari: tolerant vires, indicat morbus: non magnus; nam hic magnum remedium poscit; ergo aliud morbo addendum, quo possit certum remedium indicare.

Reijcias, & posteriores, nam sana corpora, quæ præseruatione opus habent, ne in morbos incurrant, quamquam habeant concoctos humores, adhuc inquiendum esse docet Gal. 6. aphor. 46. an venæ sectione sint præseruanda, an purgatione. Dixerunt propterea alij, vbi morbus est magnus, & vis ita robusta, vt vtrumque remedium possit tolerare, primum esse venam secandam, quia hæc disponit corpus ad purgationem.

Qui nec placent, nam in magno morbo à bile ex. g. excitato cum plenitudine purgamus statim, cum materia turget. Esto præterea sit primum sanguis mittendus, mox purgandum, cum vtriusque remedij necessitas vrgruit: peto modo, quo intuendum, vt noscam, sitnè venæ sectio duntaxat ex vsu, an purgatio, an vtrumque remedium admouere conueniat. Cum ergo, quocumque se vertat Massaria, non possit se ab his nodis explicare, dicendum est, à plenitudine faciēte magnum morbum, vel à magnitudine morbi, plenitudine, & virium robore, venæ sectionem indicari. Ad ea, quæ in contrarium.

Ad locum 4. de rat. vict. 19. Negant multi esse Hippoc. sententiam illam, sed ab aliquo temere infectam suspicantur multas ob causas. Primum, quia scribit, *in acutis sanguinem detrahes, si morbus vehemens fuerit*, ac si daretur acutus, qui vehemens non esset. Secundo, quia ætates considerantur à medico, tanquam indiditia virtutis: quare alterutrum abundat, vel ly *vigeat ægrotantis ætas*, vel ly *adsit virium robur*, vnde Celsus *interest*, inquit, *non qua ætas, aut quid intus in corpore geratur, sed quæ vires sint; firmus enim puer, & robustus senex, & valida mulier vtero gerēs, tuto curantur*. Hos confutat Gal. auctoritas, qui tantum abest, vt adductam sententiam reprehendat, vt miretur potius, non esse inter aphorismos repositam: & iure quidem, nam adducta haud sunt tati momenti: vox enim acuti eo loco, idem quod celer significat, vnde est sensus: in morbis, qui celeriter mouentur ad finē, & sunt magni, sanguinem mittas, &c. Nō quod in diuturnis eadem non habeat locum, sed quia de acutis loqui libro illo proposuerat.

Neque nouum est hoc, vt acuti nomine, morbum qui celeriter properat ad finem, Hippocr. intelligat, sed frequenter sub hoc significato vsurpasse multis locis

Reijciu.

Explicatur Hipp.

Acuti nomine quid voluerit Hipp.

locis collectis monstrauit abundè Altimarus in opusc. an tertiana exquisita sit morbus acutus. Secundæ difficultati dedit manus Massaria, nec propterea à Galen. aut Hippocr. recedit, sed eorum mentem non assequi fatetur: damnant alij: conabor ego lucem aliquam afferre, nè gratis Hippocrati videar assentiri. Dico ergo ly &, non stare reduplicatiuè, sed expositiuè, vt germanus sensus illius loci sit, in acutis, sanguinem detrahes, si morbus vehemens fuerit, vigeatq; ægrotantis ætas, & (lege tu) idest virium robur adfuerit; cum enim posset quispiam petere quorsum florens illa ætas desideretur, respondet, quia hæc robusta, vnde mittendus sanguis, cum robur virium adetit. Sed si magni Hipp. hæc sententia est, & eius ingenio digna, quomodo

Cur non meminerit plenitudinis.

plenitudinis non meminit? Defecit in huius nodi solutione Valles. dicit enim

Vall. affertur.

7. controu. 2. & 4. de rat. vict. magnitudinis morbi Hippocratem meminisse, non plenitudinis, quia non semper plenitudo venam secari postulat, postulat illud morbi magnitudo; nam vel vult Valles. esse mittendum sanguinem, vbi morbus est magnus, quamquam nulla sit plenitudo, aut hanc necessariam esse censet, quemadmodum & morbi magnitudo.

Non potest dicere primum, nam probaret sententiam, quam paulo antea damnarat: quod si velit vtcumque necessarium esse, tenebatur docere, cur scopum hunc adeò necessarium omiserit Hipp. nam veluti numquam conuenit sanguinẽ mittere, ni vel adsit morbus magnus, aut immineat, sic neq; expedit vnquam hoc vti remedio, ni sit plenitudo.

Auct. opinio.

Proinde dicendum, illud omissum ab Hippoc. tamquam clarum; nam cum dixisset alibi, *morbi quicumque ex repletione fiunt, inanitione curantur, & vbi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*, quia ita obseruamus in spõtinis vomitibus. Quis vel rudissimus hinc non intelliget, tunc esse venæ sectionem proficuam, cum sanguis abundat? Dic secundo, non esse id omissum ab Hippoc. sed innuisse verbo illo, *vigeat ægrotantis ætas*; nam cum fuerit Hippoc. breuitatis amator, paucis multa exponit. Itaque vt doceret mittendum esse sanguinem, cum est plenitudo, ac simul declaret, quibus indicijs plenitudo noscatur, quia hæc est in ætate adolescentiæ dixit, in acutis hoc est morbis, qui celeriter terminantur, detrahes sanguinem, si ijdem vehementes fuerint, vigeat ægrotantis ætas, hoc est adsit plenitudo, quæ esse solet passim in adolescentibus, & est virtus robusta.

Omiserit non plenitudinem Gal.

Galeni adducta loca haud faciunt pro Massaria, sed si quis illa consulat, & legat attentè, intelliget statim Menodoti sententiam damnare, nostram statuere, probare; scribit enim, non quoties plenitudo est in corpore mitti sanguinem; nam si cum plenitudine sit morbus lenis, sufficiet inedia, exercitium, frictiones; quare preter plenitudinem est alius scopus necessarius, morbi nimirum magnitudo.

Ex alio loco habetur mittendum esse sanguinem quandoque, cum nulla est plenitudo totius, quamquam partis plenitudo timeatur, quæ quoniam dilucidabuntur magis, respondendo ad rationem vltimo loco adductam, ad illam accedamus.

Putauit Augenius ductus hac ratione, sectionem venæ indicari à magnitudine morbi, & quouis vitio sanguinis vehementi; vnde cum possit esse quadruplex hoc vitium, in quãtitate, vt cum multus, in qualitate, vt cum calidior, feruidior, mordacior, acrior: motu, vt cũ præceps in aliquam delabitur partem, & substantia, vt cum est putrefactus, mitti sanguinem consulit, cum multus ille est, cum qualitate calidior, cum motu molestus, cum substantia putris: in copia tamen, vt minuamus: cum qualitate est prauus, vt temperemus, corrigamus: cum motu officit, vt reuellamus, deriuemus: cum est putris, vt eradicemus.

Augen.

Huius placitum, an sit aliqua ex parte diminutum, non est animus modo examinare, sed placet sigillatim respondere. concedimus itaque consequentiam; vbi obijcitur nonnumquam in plenitudine medicos non mittere sanguinem, concedo: at ex hoc illud tantum licet inferre, venæ sectionem non tantum indicari à plenitudine, quod putabat, & malè Menodotus, sed ab hac, & morbi magnitudine.

Vbi rursus obijcitur mitti nonnumquam sanguinem, quamquam nulla sit plenitudo, quod apertè docet Galenus, dicimus posse venæ sectionem quadrifariam considerari, vt remedium vacuans, vt reuellens, deriuans, vt refrigerans, vt contemperans. Si sermo sit de venæ sectione, quatenus temperandi vim habet, refrigerandi, vacuandi cachochimiam, reuellendi, deriuandi nulli dubium, posse illam administrari, quamquam nulla sit plenitudo. Verumtamen si loquamur de venæ sectione, quatenus est præsidium vacuans, tunc numquam rectè ipsa vtemur, nisi aliqua adsit plenitudo, atque hæc vel sit præsens, vel immineat: ob hanc causam mittimus sanguinem in casu, & dolente particula citra plenitudinem totius, vel partis præsentem, quia timemus multum, ne adcurrens ad dolentem particulam multus sanguis, plenitudinem excitet in parte; atque hoc est, quod innuit Gal. 8. meth. 4. & 2. per loca in curatione doloris capitis, ex plaga, quæ quoniam clariora sunt, quam vt maiori declaratione indigeant, propterea

his

his caput istud concludo, præsertim cum tract. de feb. dicenda sint multa.

Quid plenitudo, & quotuplex. Cap. VI.

Plenitudinis nomen, quamquam in schola medicorũ sit vulgatum, est tamen eius natura controuersia: nec satis conuenit de speciebus eiusdem: Quamobrem, vt intelligamus, quando erit pro vsu, venam tundere, duximus opere pretium declarare, quid plenitudo, quotuplex, & num quæque venæ sectionem indicet.

Quid plenitudo.

Quantum ad primum, est communis omnium sententia, plenitudinem esse omnium humorum, veteri tamen proportione seruata, exuberantiam. Quamobrem cum sint quatuor humores, sanguis, piruita, & vtraque cholera, erit plenitudo, bilis, pituitæ, sanguinis, & melancholiæ abundantia. Veteri tamen proportione seruata; neque enim necessariũ est, vt eadem quantitate abundet bilis, qua sanguis excellit: eadem mensura melancholia, qua pituita, sed satis est, si sanguis pro quarta substantia plus abundet, quam consueuerat, & conditio corporis requirebat, pari pacto abundet bilis, & alij humores.

An è copia sanguinis solius, plenitudo.

An verò, solo sanguine abundante, fiat plenitudo, hoc dubium. Negat in suis institutionibus Fuchs. quia est semper sanguis in venis cum alijs succis: numquam ergo hic excellere poterit, nisi, & alij succi pari pacto abundent. Quia verò videbat Galen scripsisse passim, plenitudinem fieri, abundante sanguine, sanguinis nomine quatuor exponit humores: apertè à Galen. recedens, & veritate; nam docens ille 2. per loca cap. 3. ex quanam materia fiat plenitudo, *fit*, inquit, *plethora, quatuor humoribus iuxta proportionem redundantibus, vel solo sanguine*; & 13. meth. cap. 4. *considerandum*, inquit, *est, num corpus totum, aut sanguine, aut humoribus omnibus, equaliter abundet, plectoram vocant*. Nunc si sanguinis nomine quatuor humores intelligit, omninò nugaretur dicens, fit plectora, ex quatuor humoribus, secundum proportionem redundantibus, vel ex sanguine, hoc est, vel ex quatuor humoribus. Est eius ratio futilis; nam aliud est esse solum in venis, aliud est abundare solum. Primum fateor nequit fieri: potest secundum frequenter contingere; nam vt phialæ, in qua aqua, & vinum, si adijciatur aqua, aqua solum augetur, quamquam vino admixta; haud secus, poterit sanguis solus excrescere, quamquam alijs sit admixtus humoribus. Nec dispar ratio est, vt quidam dicunt, quia sanguis non potest augeri, ni assumptis cocticis alimentis, ex his autem gignuntur omnes succi; esto enim gignantur, potest tamen ex hoc cibo plus sanguinis gigni, quam aliorum humorum. Fit ergo plenitudo, aut omnibus humoribus secundum veterem proportionem adauctis, aut solo sanguine. Addit Aug. 2. de sang. miss. cap. 7. posse eamdem fieri, sanguine tantum, & bili adauctis, aut sanguine, & melancholia, seu pituita. At cõmunis sententia, à qua citra rationem nõ puto recedendum, hunc affectum plectoram esse censet, & cachochimiam.

Reijcitur Fuchs. qui negat, & communis sententia, quæ affirmat probatur.

Num à sanguine redundante cũ bili fieri eadem possit? Putat Aug. nos negamus.

Quotuplex plenitudo.

Quod pertinet ad secundum, est plenitudo duplex, vniuersalis, & particularis: illa fit, vniuerso corpore scatente succis: hæc, vna tantum particula redundante: est vnaquæque adhuc duplex, quoad vasa, & quoad vires: illa fit venis, mirum in modum distentis, hæc vbi à redundantia, grauantur vires: reperitur hæc in animalibus solũm, communis est illa inanimis etiam. Addit tertium membrum Argent. Augen. & est plenitudo, ex vtrisque composita; nimirum quoad vasa, & quoad vires, quod recipio; nam fieri facilè potest, vt sint vasa distenta, & vires valeant, vt in Athletis: interdum possunt labescere vires à sarcina humorum, nec vasa esse distenta: contingit demum quãdoque vtrumque. Sed quia vires nostri corporis, aut sunt naturales, aut animales, aut vitales. Petes respectu quarum virium, dicitur plenitudo quoad vires; enimuerò, cum doceat hanc noscere Galen. ex sensu quodam oneris, & impotentia ad motum, ad facultatem animalem spectare innuit: at cum subdit cognosci eamdem, ex inæquali pulsu; nam grauata facultas, nunc vehementes edit ictus, mõdu languidos, cum onere pressa, nequeat æquè semper attollere, potest hinc colligi, spectare eamdem ad facultatem vitalem. Nec desunt, quæ ad naturalem pertinere confirment; nam quemadmodum, multo ingesto alimento, grauatur ventriculus, qui illud nequit coquere: sic vbi plus sanguinis partibus demandatur, quam coqui posse, premet illas: ad naturalem itaque spectat potentiam. Confirmatur, quia primo de differentijs febriũ cap. 3. *quemadmodum*, inquit, *per alteram multitudinem, quæ est ad facultatem, citò ad corruptionem veniunt succi, qua neque vincuntur, neque coquuntur benè, vtpotè facultate, quæ ipsos elaborat debiliori*.

Plenitudo quoad vires quid?

Hinc varia, de re ista placita. Dicendũ tamen cum Vallesio 7. controu. c. 1. spectare eam multitudinem ad vires quascumque; nam cum arteriæ venis, hæ neruis, ita docente anatome, committantur, & vt dicebat Hippocr. confluxus vnus: facilè fit, vt venis repletis, premantur arteriæ, ab his nerui. Quare naturalibus viribus laborantibus, compatientur vitales, & animales. Quia vero, vbi vis naturalis coquit, non ita grauis est copia,

vide-

videtur primo, & per se hic affectus ad naturalem spectare, consensione ad cæteras.

Est vnaqueque ex dictis præsens, vel futura, seu imminens. Habet, & quæuis etiam differentiam, à loci diuersitate desumptam; vel enim abundant in venis, vel in carnibus, vnde est quædam plenitudo vasorum, quæ adhuc duplex, vel cauitatũ earum, quæ ventres communiter nuncupantur a medicis, vel venarum, & arteriarum. Plenitudo meatuum, qui in carne sunt, inflammatio dicitur, cauitatum grumus, venarum, & arteriarum simpliciter plenitudo vocatur. In vniuersum itaque è triplici fonte, differentiæ plectoræ hauriuntur, è varia substantia redundante, vario loco redundantiæ, & ex vario respectu, quem redundantia habet, modo ad vires, modo ad Vasa, modo ad vtrumque: esset modo reliquum, vt traderemus signa, quibus queque plenitudo nosci posset, ac doceremus tertium propositum, an quæque plenitudo, phlebotomiam exposcat. Sed de inditijs cuiusque humoris redundantis, actum abundè à nobis est libr. 7. huius operis, & ex ijs, quæ illic diximus, potest quisque intelligere, in plenitudine quoad vires, oneris quemdam sensum esse, impotentiam ad motum, pulsum inæqualem: tumorum inditia, alibi prosequuti sumus. Quare ne actum agatur, pete loca illa, & Argent. 2. lib. de signis cap. 8. vltimam itaq; difficultatem attingemus, sed sequenti cap. ne istud plus æquo excrescat.

Poscat ne plenitudo quæuis sectionem venæ. Cap. VII.

Difficultatis titulus explicatur.

AD tituli euidentiam, nota primo, nõ esse dubitationem, an plenitudo quoad vasa, hoc est venas, & arterias, vel quoad vires, venæ sectionem desideret; constat enim pars, quæ affirmat, tum ratione, ex communi illo axiomate deducta, contraria contrariorum sunt remedia, cum aphor. 3. 1. sect. Non est difficultas secundo, an plenitudo futura, seu imminens, phlebotomiam postulet, quemadmodum illa, quæ actu adest; poscit enim; nam practicantes omnes mittunt sanguinem, in casu ab alto, eam vt constat ob causam, quia verentur ne ad contusam partem, magna fiat sanguinis, & aliorum humorum confluxio. Non est tertio dubitatio de plenitudine vniuersali, aut particulari; nam si contraria contrarijs curantur; cui dubium esse potest, quin redundante sanguine, siue abundet in vniuerso corpore, seu in certa particula, sanguinem esse extrahendum? Dubitatio est, ne te detineam pluribus, an in plenitudine carnium, vel ventrium, licet sanguinem mittere; nam sit illa, vt plurimũ,

An in plenitudine carnium, mitti sanguis debeat.

Dubitandi ratio.

internis partibus ad externas supervacanea queque deponentibus. quare e sunt illi critici, & pro vsu naturæ, vnde nulla debent ratione impediri, imò omni arte iuuari: impediuntur autem vena secta. Nam vel humor effusus ad carnes, ad venas recurreret, aut si quod est effusum, nulla arte potest intus reuocari, impedietur saltem natura, ne transmittat, effundatque. Confirmatur, nam hac ratione ducti medici, timent mittere sanguinem, vbi variolæ iam prodiere, aut morbilli, idemque reformidant facere in quauis efflorescentia cutis, tametsi antequã effundantur, mittunt sanguinem, tum vt subtrahant variolarum materiam, quæ vbi multa est, semper grauia solet inferre pericula, cum vt compescant febrilem calorem. Auic. fen. 1. 4. tract. 4. cap. 7. *oportet*, inquit, *in variolis, vt incipiatur, & extrahatur sufficienter sanguis, cum conditiones ferunt, & simpliciter si morbillus fuerit, cum repletione sanguinis, & spatium illius est, vsque ad quartum. Sed quando procedũt variolæ, non oportet tunc, vt administretur phlebotomia, nisi inueniatur vehementia repletionis.*

In hac difficultate, sunt duo certa in praxi. Alterum est mitti sanguinem in inflammationibus externis, alterum est non mitti in variolis, & morbillis, alijsue exanthematibus, vbi iam erupere ad cutim. Quare tradenda est ratio, cur illic non vereamur sanguinem mittere, formidemus idem facere ruptis variolis, aut pestilentibus maculis. Possunt autem duæ assignari mea sententia: prima est, quia tumores illos omninò inhibere est animus; nam quamquam sint critici, est tamen crisis illa per commutationem, satius autem est nocuam materiam omninò è corpore extrudere, quam nouo morbo producto diutius vexare languẽtem: secus cum res se habeat in gallico bubone, & pestilenti, in variolis, & morbillis, hinc fit ne sanguinem mittant, neque aliquid quicquam moliantur, quod eorum exortum possit impedire, quinimò omni industria promouent, & adaugent. Altera causa est, quia maior supponitur plenitudo in venis, tumore genito; quam eruptis variolis: in magna autem venarũ plenitudine, esto mittatur sanguis, haud venæ inaniuntur eum in modum, vt è carnibus attrahant ad propriam cauitatem replendam: vnde si magna quandoque sit plenitudo in venis, postquam prodiere variolæ, poterit in hoc casu Auic. consilio, etiam mitti sanguis; non enim veremur retrocessionem: nec motus naturæ impeditur, quinimo exonerata illa, expellet valentius. Potest tradi, & tertia causa, cur in exanthematibus malignis, timeant medici uenæ sectionẽ, laudent magis cucurbitulas scarificatas: scilicet timẽt uiribus, nam ubi in magno morbo,

Quid certum in hac difficultate.

Cur curantes externas inflammationes mittimus sanguinẽ, non in variolis cũ erupere.

morbo, exiguum quid excernit natura, prostratæ facultatis inditium est, quæ proponit quidem superflua excernere, nequit tamen præ debilitate. Vnde si robusta illa sit, & venæ sectionem ferre possit, tundenda vena; nam 2. epid. comm. 2. text. 25. miratur Galen. cur non secarit venam Critoni Hippoc. cui humor decubuerat ad talum, cum facilè posset intelligere, non esse membrum illud capax totius superflui, quod natura transmiserat.

An in plenitudine ventrium secanda vena.

Quod pertinet ad ventrium plenitudinem, hoc est grumos sanguinis, sunt illi primum dissoluendi, procurandum deinde, vt eliquatus grumus educatur. Id venæ sectione vix fieri potest, nisi ab ea exonerata natura, extrudat illa postea quidquid est superuacaneum in corpore. vide Galen. 3. de loc. aff. cap. 5.

An in cachochimia mittendus sanguis. Cap. VIII.

Affirmat Massaria, ob has causas.

AFfirmat Massaria disp. de scop. mitt. sang. generaliter, & cum eo alij multi, probatque tum ratione, cum auctoritate: Rationes has affert: mittit Galen. sanguinem in quauis febre putri: eamdē laudat in quouis morbo magno, vnde in maligno: detrahunt, & medici omnes sanguinem ictericis, melancholicis, lienosis, elephanticis, gallicis, in quibus omnibus insignis est cachochimia, quare &c. Addit secundo: in sanguine sunt omnes humores, nec vbi ille extrahitur, sanguis prout est quarta quædam substantia, dumtaxat educitur, sed cum eo alij succi; nam quod dicit Andr. Turin. pituitā suo lentore parietibus venarum hærere; choleram imbibi in poris earumdem, melancholiam ita impactam esse, vt euelli nullatenus queat, experiantia ipsa abunde refellit; nam si quis sanguinem eductum inspiciat, singulorum humorum portionem aduertet. Loca auctorum, quibus idem confirmat, multa congerit: affert primum Galen. lib. de sang. miss. cap. 12. hæc dicentem, *in quibus multa vacuatione est opus, vires autem sunt imbecilliores, in ijs vacuationem partiri conuenit, quemadmodum, & me facere conspexistis in iis, qui crudorum humorum copia laborabant, nam pauco sanguine detracto protinus mulsam probè coctam exibeo, cum extenuantium medicamentorum quopiam*: affert secundo Auic. qui in curatione prunæ; & ignis persici, venæ sectionem commendat: Galen. qui eamdem extollit in cura ardentis febris, lethargo, apoplexia, & epilepsia. Quia verò viderat idem, grauissimos auctores Paul. Auic. Galen. contrarium non semel probasse sententiam; nam Paul. lib. 4. cap. 40. loquens de dolore, *si*, inquit, *vna adsit plenitudo; sanguinem mittendum, si cachochimia, dandum medicamentum: si vtrumque simul coniungatur, primum sanguinis missionem, deinde purgationem perficiendam*, & Auic. lib. 1. fen. 4. cap. 10. *etsi vrina*, ait, *fuerit subtilis, aut ignea, aut facies à principio ægritudinis fuerit tornatilis, caue tibi à phlebotomia*: & paulò post *summopere tibi caue, ne ægrum deducas ad humorum cholericorum ebullitionem, aut crudorum infrigidationem*. Gal. item exponens aphorismū 47. sextæ sectionis, scribit, *hos oportet, vt anticipemus vacuare adueniente vere, vel sectione venæ, si plenitudinis morbis subijciantur, vel per purgationem, si ijs, qui ex corruptione proueniunt*; idemque repetere aph. 23. primæ partic. 3. de humoribus com. 32. & 33. & cap. 7. lib de cur. rat. per sang. mission. Paul. & Auicen. nihili facit, quinimò Auic. in contradictionem deducit. De Gal. scribit, si quando damnat in cachochimia venæ sectionem, idcirco damnare, quia timet viribus, pro qua re citat eundem Galen lib. de bonit. & vitio succorum cap. 1. vbi docet, idcircò in ea peste, quę ex fame inuasit, nullum ausum fuisse, mittere sanguinem, quia formidabant virium imbecillitatem, & lib. de sangu. miss. cap. 9. *sufficiunt*, inquit, *hi soli tres scopi ad mittendum sanguinem, neq; enim vbi copia crudorum humorum tanta est coaceruata, vt missionem sanguinis probibeat; sermo redarguitur, quippe robur virium istis non adest*, & quinto de tuen. valet. vlt. ait, hominem maximè calidum; neq; Athletam, neque messorem, aratorem, aut denique ad rustica, vrbanaue opera, satis fortem esse, & 10. meth. cap. 5, statuit, calidas, & siccas naturas, siue ex proprio ortu, seu aliter tales euaserunt, inediam tolerare non posse, & vires imbecillas habere; probat hoc demum in vniuersū ea ratione, quia ni hoc dicatur, non potest tradi ratio, cur in cachochimia, non mittamus continuò sanguinem, quando multoties mitti à clarissimis viris, est probatum.

Et has auctoritates nempè Gal.

Auicen.

occurritque ijsdem, nam aliter quandoque videbantur stat[u]isse.

Nunquam id facere vult Augen.

At certè, si ille semper humor educendus, qui peccat, non video, quid veniat in mentem medico, qui bili, aut pituita peccante, ac propterea de vacuandis hisce, indicatione insurgente, sanguinem loco eorum, aut vna cum ipsis educat. Vulgatum est illud, & omnium ore tritū, nocuum tantum humorem educendum: non peccat modo aliquo sanguis in cachochimia, aut si quam habet malitiam, ex aliorum admixtione dependet; non itaq; sanguinem, modo aliquo expediet, in cachochimia vacuare, esto valeant vires. Quid ergo? numquamnè in cachochimia mittemus sanguinem? nunquam mittendum esse Augenius contendit, ni cum cachochimia pletorica adsit dispositio, quod facta inductione in ijsdem affectibus à Massaria propositis, probare contendit; nam in ijs, qui à frigidis suc-

cis, trahunt ottum, non mittit semper sanguinem Galen. cauet enim, cum sunt crudi succi in ventriculo, ne venæ sectione allicerentur ad venas: neque vbi ijdem in venis stagnant, sanguinem indiscriminatim mitti consulit, sed cum patum à sanguinis natura recesserint: vnde in ea apoplexia, seu timeatur, seu adsit, epilepsia, vertigine, mittit sanguinem libr. de cur. per sang. miss. cap. 7. quæ ab humorum omnium multitudine fiunt; ex his autem fit ea plenitudinis species, quę pituitosa vocatur. Mittit idem in lethargo sanguinem, vt reuellat, quod ad cerebrum, vi pituitæ, debilitatum, confluere potuerat. In phrenitide, quid mirum venæ sectionem laudari, quando fit illa à sanguine tenui, & biliosoę nam à sanguine omnis inflammatio? In febribus laudatur venæ sectio, si fit corpus plethoricum, aut obstructio, seu prohibita ventilatio, à qua putredo, à plenitudine fiat. Dans enim huius consilij rationem subdit, leuata namque natura, eo quo veluti sarcina premebatur valentius cōcoquit. Præterea in tertiana exquisita non facit huius præsidij mentionem: laudat illam in curatione quartanæ, & nothæ tertianę lib. 1. ad Glauc. pleno tamen corpore, quamquam nec si cautelam hanc omitteret, haberet proprerea intentum Mass. cum venæ sectio febri curandæ conducere possit, & quoniam refrigerat, & quoniam ventilat.

Nos ita distinguimus. Mihi verò attentè cogitanti sectionem venę, non solum ea conferre ratione, qua sanguinem minuit, sed qua refrigerat, reuellit, & partem cachochimiæ, permixtę tamen sanguini demit, dicendum videtur, vbi pura est cachochimia, posse adhuc sanguinem mitti; ac primum mitti consulo, si feruesant humores; nam hanc ob causam laudauit Galen. 1. aphor 23. vt in ardentissimis febribus, ad animi deliquium vsque mittatur sanguis, nempe quia statim totus corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, quod cum locum habeat, nedum in ardentibus ex sanguine, sed à bili, non est cur de ardentibus tantum à sanguine, Galen esse loquutum contendant quidam: præsertim cum sit cuique compertum, si maneat eadem humorum proportio misso sanguine (manet autem) nequaquam formidandam calidorum ebullitionem, qua ter refactus quandoque Auic. parcendum esse censuit huic remedio. Mittatur secundo, vbi est reuellendum, & cum minuere est necessarium cachochimiam, nec eam pharmaco licet minorem reddere, quia corpus fortasse impreparatum, aut succi crudi: ni hæc obstent, in plenitudine tantum mittatur sanguis, in cachochimia expurgetur.

Quisnam morbus magnus indicet sectionem venæ, & quæ facultas robusta esse debeat. Cap. IX.

EST morbus magnus triplex, seu trifariam potest fieri magnus ratione propriæ essentiæ, partis principis, & facultatis regentis vniuersum corpus. Est pariter facultas triplex, Vitalis, naturalis, & animalis: Propterea, vt constet planè de scopis mittendi sanguinem, examinanda hæc duo: Primum, quæ magnitudo morbi, venæ sectionem exposcat: Secundum, quæ facultas debet esse robusta.

Prima difficultatis decisio. Quantum ad primum, est communis sententia omnium, quouis modo morbus sit magnus, si cœtera annuant venæ sectionem indicare, quam amplector; nam quæuis magnitudo morbi poscit magnū remedium: quare cum inter magna præsidia medica præcipuum locum obtineat venæ sectio, si cœtera consentiant, in quouis morbo magno venam secare conueniet. Ne tamen reprehendendi ansam inde quis arripiat, quod Gal. in Ephemera febre mittit sanguinem, & quamplurimi medici idem faciunt in leuibus quibusdam affectibus, quique nullum habent discrimen adiunctum: intelligat idem, quod cum magnitudo possit esse duplex, præsens nimirum, & imminens: imminere autem possit bifariam, vel ob propriam naturam morbi; nam multi lentè incipiunt, qui postea in progressu exacerbantur, imminet alias magnitudo ob ægri intemperantiam, vnde videmus exiguas quasdam inflammationes ob victus copiam, mirum in modum augeri quandoque nedum in præsenti magnitudine, venæ sectionem conuenire, sed imminente eadem, huiusmodi præsidium esse opportunum, nam cum venæ sectio, non tantum sit remedium, quod potest affectum præsentem curare, sed imminentem etiam inhibere, poterit eo vti medicus, non tantum ad tollendum affectum genitum, sed ad inhibendum eiusdem augmentum, aut alterius ortum. Hinc Gal. non in quauis Ephemera mittit sanguinem, sed in ea dumtaxat, quæ in putridam potest degenerare. Neque prudentes medici in quouis leui affectu ad hoc remedium confugiunt, sed in eo, qui potest magnus fieri; vnde quoniam ijs potissimum discrimen hoc imminet, qui intemperati sunt, & genio proprio indulgentes negligunt medicorum consilia, poterit in hoc casu medicus, quod tenui victu assequi non potest, vena secta consequi; quod si in eo affectu idem faciant, qui neque grauis est actu, neque vt grauis fiat est, vt timeamus, non sunt modo

modo aliquo ijdem imitandi; debet enim remedium esse æquale morbo: quare nunquam magnum præsidium ex vsu esse poterit leui affectui, quique nunquam grauis potest fieri, eosque prorsus odi, & arceo, qui nunquam recedunt ab ægro, quin præscribant aliquid, & quoties ad ipsum accedunt, toties peccant.

Obiectio.

At obijcies nam medicus debet citò curare: at vena secta cito plenitudo inanitur, sit hoc sensim per inediam, & non ità iucunde; quare estò leuis sit affectus, & contemnendus, præstabit nihilominus, si à plenitudine fiat, venam secare, vt citius, & iucundius curetur; quare à sola plenitudine sectio venæ indicatur, non ab hac, atque morbi magnitudine.

Sol.

Respondeo, quod scopi hoc remedium indicantes sunt duplices, necessarij & non necessarij; si loquamur de primis; hi sunt plenitudo, & morbi magnitudo; Si de secundis sit sermo, qui vt cumque indicant, hic est plenitudo duntaxat. Proinde fit, vt existente plenitudine morbi magnitudini adiuncta, non possit citra ægri dispendium hoc remedium omitti: Si contra sit sola plenitudo, licebit vtrũque rectè pro libito facere; nempe, & vena secta, & inedia plenitudinem inanire.

Secunda determinatio.

Quod spectat ad secundam difficultatem, videtur in re ista Galen. non satis sibi constare; nam tradens rationem 2. Aph. 29 cur satius sit in statu quiescere, *quia* inquit *vis animalis est fatigata*, cum tamen 4. de rat. vict. 19. & alibi interdicat pueris venæ sectionem, quia eorum substantia facilè dissipatur, hac ratione manifeste innuens vitalis robur requiri, vbi est hoc præsidium administrandum, & 2. per loca capit. 2. laudat phlebotomiam ad capitis dolorem ex plaga, *si vis* inquit *vitalis imbecilla non fuerit*: vnde quia huius robur potissimum ex pulsu dignoscitur, idcirco libr. de sang. miss. cap. 13. monet, vt volentes mittere sanguinem, pulsui tamquam signo minimè omnium fallaci fidem adhibeamus.

Desiderat alias, nedum robur vitalis, sed aliarum omnium: sic cap. 9. 11. meth. quod probat 9. meth. 10. quia tanta est omnium facultatum consensio, vt vna deficiente, aliæ omnes labascant.

Sententia Communis.

Communis ferè omnium sententia est, vnius vitalis robur sufficere: si aliæ valeant, tutius id exequi posse. Et quidẽ, quod animalis robur non sit admodum necessarium, inde habetur apertè, quoniam interdum Galen. mittit sanguinem ad animi deliquium vsque, vt libro sequẽti dicemus; neque repugnat huic dogmati, quod habet 2. Apho. 29. vt enim clarè constat cuique locum illum legenti, de expurgatione habet sermonem ibi, non de phlebotomia; ad expurgationem autem, cum motus conducat, vnde Hipp. *cum purgare vis, moue corpus*, ad motum autem arbitrarium virtus animalis, rectè ab ipso dictum, non esse in statu expurgandum, *quia vis animalis est fatigata*: quod vero non sit multa ratio habenda naturalis facultatis in venæ sectione, potest inde colligi, quia idem Gal. laudat missionem sanguinis in principio morbi, cruda adhuc existente morbifica causa: at neutrum expediret facere, si æqua esset aliarum facultatum necessitas, ac vitalis robur in recta huius præsidij administratione. Quare vitalis robur potissimum desideratur, aliarum nequaquam, ni tamen tantus sit earum languor, vt vitalem pariter trahant in consensum; nam idcirco in ventriculi cruditate abstinemus à venæ sectione, quia stomacho plus iusto refrigerato, & intemperato, cor consentit, abstinemus pariter hepate refrigerato, & cerebro, vt in catarrho frigido, & vbi idem paucos gignit spiritus, & hanc ob causam virtus euadit hebes: Sic etiam languente vi expultrice in pleuriticis, aut quouis alio thoracis affectu, in quo vacuandæ materiæ sit indicatio, parcendum est pariter huic remedio, nam ad imbecillitatem animalis virtutis, vsque adeo magnam, vt expellere nequeat suffocatio consequitur, quare natiui caloris extinctio, ergo abstinere præstabit; nam vt hoc quoque addatur, quod animaduertere est maximè necessarium (aduertunt autem omnes) non solũ præsens robur facultatis vitalis est satis, quo tutò sanguis mittatur, sed & illud est quam maxime necessarium, vt scilicet robusta perseueret in posterum; nequit autem esse robusta suffocatione imminẽte. Ideirco Hippocr. 4. de rat. vict. 105. prohibet sectionem venæ in alui fluxu, *quia si misso sanguine fluxus adhuc perseueret, virtus prosternetur*; & Gal. primo ad Glau c. 14. *Sed neque* inquit, *si quis simul & distentione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, huic tantum semel mittere oportet, quantum exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est relinquendum, cuius causa sæpè sudores eueniunt & vigiliæ molestant, & vires ægroti debilitantur*. Ergo quia in morbo longiori maior virium cura est habenda, ne in itineris longitudine cadant: in morbo longo potissimum attendere oportet, vt vires ferendo morbo sufficiant, Auic. 4. 1. doctr. 5. cap. 10. *& cũ* inquit *ægritudo est habens crisim, in cuius fine tempore est longitudo, nullo modo sanguis multus est minuendus, sed si possibile fuerit, quies est facienda*: Celsus demum l. 2. cap. 10. missurus sanguinem vtero gerenti, virtutem fortem desiderat, quæ satis sit nõ tantum curationi, sed gestationi; *mulieri* inquit *pregnanti post curationem quoque viribus opus est, non tantum ad se, sed etiam ad fœtum sustinendum*; Neque hi tantum in hac sententia, sed ad vnum omne sita-

cen-

censent: neque aliter licet opinari; nam quis vsque adeo temerarius fuerit, qui vna cum morbo, naturam prosternere velit? quod si hęc semper à medico est seruanda, erit illi sanguinem vacuaturo perpetuò attendendum, vt non solum facultas antequam sanguis mittatur sit robusta, sed vt sanguine misso pari pacto perseuerer robusta.

Quid si talis non sit? an perpetuo abstinebimus, nec vnquam imbecillibus uiribus sanguinem mittemus?

Respondeo si sit facultas uitalis dissoluta, parcendum omninò huic remedio est: si sit eadem oppressa à copia sanguinis, mox erit uena secanda, nam ut 11. meth. 15. *leuata natura, quo veluti sarcina premebatur, valentius concoquet*, quibus notis possit distingui altera uirium imbecillitas ab altera, & num sint uires robustæ, alibi declaratum: nunc an prægnantes sint ita robustæ cap. sequenti dicemus.

Possit ne gerentibus vtero mitti sanguis. Cap. X.

Quomodo exponendus 31. Aph. p. 5.

DAt huic difficultati occasionem Hippoc. qui 5. Aph. 31. scripsit, *Mulier, vena secta abortit*; nam quotidiana experientia docet, non solùm non abortire mulierem misso sanguine, sed præseruari hoc remedio; non rarò ab abortu, quamquam repugnet tractatui de re hac edito Alrim. Quare, si commodam habeat expositionem Aphorismus adductus, iam omnis remouebitur difficultas.

1. Quorumdã Interpetratio.

Dicunt quidam, interdixisse utero gerẽtibus uenæ sectionem Hippoc. Gal. quia copiosissimè sanguinem extrahebant: cõstat autem multo sanguine educto, destitui fœtum alimento, indeque emori.

Secunda.

Interpetrantur alij Aphor. de uena pedis, unde legunt, mulier uena pedis secta abortit: dant rationem, quia pedis uena tusa, cientur menstrua, his autem fluentibus uterus aperitur: quare & fœtus immature prodibit. Ita Fuchs. Mercur. in Pisan. prælection. & alij multi.

Reijciuntur omnes, ac priores, quia nec Hip. nec Galen. indiscriminatim euacuant.

At uerò primi mentiuntur aperte, & ea Gal. imponunt, & Hipp. quæ nec indocti medici, somniare possint; quis enim credere potest, doctissimos medicos, eosque apptimè exactos, & prudentes, indiscriminatim cuicumque, eamdem copiam sanguinis extraxisse? probarem multis, numquam id in mentem venisse Hippocrati, ni vel parum in medicina versatis, id esset compertum; ad vberiorem tamẽ doctrinam lubet quædam loca adnotare 4. de rat. vict. 25. *Sanguinemque inquit auferre oportet, inspecta secundum habitum, ætatemque pluris minorisque ratione* 1. Aph. 3. extremas omnes vacuationes periculosas vocat, ac propterea, ne compressiones ad extremum ducamus, nos admonet, idemque repetit 2. Aph. 52. dum multũ, ac repente vacuare, replere, calfacere, periculosum censet, quando omne nimis est naturæ inimicum. Gal. etiam lib. de cur. rat. per sanguin. miss. quærens, an semel expediat vniuersum sanguinem peccantem educere, ân satius sit vacuationẽ partiri, *præstat* inquit, *nisi quid vrgeat priori missione detrahere, iterumque eam repetere, imo si lubet, & tertio*: & in fine eiusdem capitis 12. *proinde* inquit. *satius est, tum copiosis euacuationibus abstinere, nisi magna incumbit necessitas.*

Et alij, quia quandoque potest vena pedis tundi.

Qui exponunt Hippocr. de vena pedis, cautè monent, multa enim debet pẽdere medicus, antequam mittat sanguinem è vena pedis in vtero gerentibus: puto tamen propositionem illam, ita vniuersaliter prolatam, falsam esse. Quid ergo? poterit ne vnquam medicus mulieri vtero gerenti venam pedis secare? potest, debet: possem hoc probare exemplo Illustrissimæ Ducissæ Circentium, quæ cum, quo tempore, vtero gestabat, quibusdam doloribus vnà cum febre mire torqueretur, nullo alio est adiuta remedio: nihilominus quia possent peruicaces quidam, fœlicitatem euentus adscribere temeritati, firmabo hoc ratione. Quicumque affectus fiunt in partibus, quæ infra renes, superioribus venis apertis, non iuuantur; si secentur, quæ in pede, curationem recipient 13. meth. cap. 11. 6. Aph. 36. lib. de sang. miss. cap. 16. 17. & 18. Si illud ergo accidat in muliere grauida, vt scilicet causa morbi in partibus infernis resideat, vtero ex. g. numquam curationem recipiet, vena brachij secta: venam itaque pedis aperire cogemur.

Euasio.

Dices, quamquam indicatione à parte male affecta desumpta, pedum vena esset aperienda, non esse tamen id exequendum, quia fœtus, & vires, quę facto abortu cõcidunt, contra indicant.

Instantia.

At liceat mihi tacitè, tecum agere, & primum quærere: cur vteri gestatio omninò prohibet, ne vena pedis secetur? An quia detrahit alimentum fœtui? atqui, si id obstet, neque brachij vena aperienda. An quia multam facit commotionem? at maiorem infert purgatio, & tamen purgantur grauidæ auctore Hippocr. Dices esse hoc cauendum, quia vena secta in pede, ciet menstrua. Primum est valdè hoc dubium: Quoties quæso per Deum, ad conuocãda menstrua, venam pedum frustra secamus? Quoties inhonestæ quædam mulieres, virgines, & viduę fingentes mẽstruorum defectum ex morbo, cum vtero habeant, ad hoc remedium inutiliter confugiunt? Sed prouocentur menstrua, an abortiet propterea mulier? haud quidẽ: sed tunc id fiet: cum fluent menstrua è venis, quæ in cauo sunt vteri: si manent ex ijs, quę in collo sunt vteri, nullum est abot-

abortus periculum: vnde multę mulieres menstruant, & vtero gerunt. Sed immineat vena secta è pede, abortus periculum: non ne idem discrimen à purgatione, nam pharmaca diuretica? cur ergo purgamus. Quia dices magnum impendet vitæ discrimen, quare cum ea tantum spes supersit, quæ à pharmaco, satius est aliquid tentare, quam omnino spe dempta perire. Optima certe ratio, cui adherentes medici, omne remediorum genus grauidis exhibent: at cur non liceat eadem ratione venam pedis tundere? Si nullis remedijs tentatis non iuuatur vtero gerens, neque alia spes est euadendi, cur non id facere expediet? Licebit quidem, licebit. Quid ergo ad Hippocr. quid ad eius interpretem Galen. Tacite reprehendunt non nulli, vt Moxius 2. de morb. acu. curat. in fœtis cap. 7. Trahunt alij in suam sententiam Hipp. quādu explicare non valent: ne tamen id gratis facere videantur, adducunt testimonium Auer. qui 7. coll. cap. 4. hæc habet, *dicit Hippocr. mulier prægnans, non debet phlebotomari, nisi quando embrionis virtus fuerit fortis, hoc est à quarto mense, vsque ad septimum nisi humores fuerint furiosi, & pharmaciam concedit tunc.* Quod si, non inuenimus nos eandem sententiam in suis operibus scriptam: id inquiunt fortasse factum est, quia non habemus omnia Hippocratis opera, in quibus illud testatum reliquerat. Ita Augen lib 6. de sang. miss. cap. 12.

Id dictum intellige iuxta Canon.

Quid ergo ad Hippocr.

Reprehendūt quidam.

Trahunt alij in suam sententiam.

Quod non placet, nam si hoc scripsit alibi Hippocr. quomodo in Aphor. oppositum docet? quis credat præterea vidisse Auerr. alia Hippocratis opera, prę ter ea, quę vidit Galenus multò Auerroe antiquior? Auerrois codex, aut supplendus aut corrigendus hunc in modum: *dicit Hippoc. quod mulier prægnans, non debet phlebotomari*: supple tu post hæc verba, *purgari autem, non nisi quando embrionis virtus, fortis fuerit*, hoc est à quarto mense, vsque ad septimum, nisi humores fuerint furiosi. Vt ita Auerroem legam, ducor duabus coniecturis. Prima est, quia tractat in illo capit. Auer. de pharmacia, postquam de phlebotomia cap. præcedenti tractarat. Quare, si absoluerat iam tractatum de phlebotomia, non video quorsum sequenti capite de purgatione pertractans, iterum de venæ sectione disputarit. Secunda coniectura est, quia hic locus ab Auer. citatus inuenitur in Aph. 1. 4. lib. in quo de purgatione habet sermonem Hippocr. Quod si supplere nolis, poteris corrigere locum mutato ly, nisi, in nec, hoc modo. *dicit Hippocrates, quod mulier prægnans, non debet phlebotomari, nec quando embrionis virtus fortis fuerit.*

Quod si damnauit Hippocr. venæ sectionem, quo pacto nos eam probamus?

Nos ita locū exponimus.

Debet hic Aphorismus eodem modo explicari, vt & multæ aliæ Hippoc. sententię, dixit idem, *mulierem grauidam capi morbo aliquo acuto, lethale*, & tamen multæ euadunt: quare, ni dicere velimus falsum esse Hippocr. ita est exponendus Aphorismus, mulier morbo acuto correpta, vt plurimum moritur: aduertas propterea medice, dum illam curandam suscipis? Eadem, vena secta, solet abortum facere, pręsertim si vena pedis secetur, aut multa quantitas sanguinis extrahatur à brachio. Itaque non interdicit omnino venæ sectionem ex brachio, vel ex pede, admonet dumtaxat periculi, ne incautè procedens medicus, in illud incurrat. Confirmatur, nam scribit, *mulier grauida, sanguine misso abortit, & eo magis, si fætus sit maior.* Quod si numquam grauida esset phlebotomanda, numquam esset plus, aut minus cauendum, sed eodem modo semper. Plura, quam putaram, plura proinde non addam, nam Galen. sententia, qua prohibet, ne vena secetur in pueris, eodem modo explicanda, quemadmodum Aphorismus Hippoc. vide Zaccut. lib. 1. Hist. 32.

An omni gestationis tempore, possit vena secari, & quando id tutius fieri. Cap. XI.

DVo proponuntur disputanda: alterum est, an omni fętationis tempore, tutò possit vena secari: alterum, quo tempore tutius fiat, & commodius: vtrūque scire conducit, propterea vtrumque attingemus.

Quod pertinet ad primum, facilè est ex dictis rem diffinire; nam si est illud verum, gestationem vteri, eodem modo indicare, quo ætas: minuendo nimirum quantitatem, non repugnando illi, quod à morbo, & causa morbifica indicatur, cui nam poterit vmquam esse dubium, magno morbo vtero gerentem vrgente, quouis fætationis tempore, id accidat, esse venam secandam?

Quouis tempore fætationis potest mitti sang.

Secundi decisio, non ita facilis. Hippocr. 5. part. aphot. 31. *mulier, inquit, vtero gerens, sanguine misso ex vena abortit, & magis si fætus sit maior*: quibus apertè innuit, quouis tempore à phlebotomia, esse abstinendum; præcipuè autem, cum fętus est maior: primis itaque mensibus administrabitur tutius. Hippoc. sectatur Galenus, probatque hoc dogma, quia idcircò timetur venæ sectio in grauidis, quia inducit abortum, inducit autem quia vacuato sanguine, destituitur fœtus alimento: at quo fœtus maior, maiori alimonia indiget, tunc ergo erit maximè phlebotomia suspecta: cum minor, tutior. Orationem hanc, & rationem Gal. pro-

Primis tamen mensibus tutius fieri vult Galen. Hipp. & medici ferè omnes.

Examinatur nihilominus hæc sententia.

probarunt medici omnes, quorum auctoritas, & si magni sit ponderis, quia tamen maioris momenti est ratio, perpendenda hæc sententia. Enimuerò, euacuationes offendunt gerentes vtero, non solum, vbi subtrahunt alimentum fœtui, hac enim ratione numquam noceret purgatio, sed quia motione possunt ligamenta disrumpere: tunc itaque tutior erit phlebotomia, cum minus instat periculum, ne alimentum deficiat, aut ligamenta frangantur: at medijs mensibus, & plus suppetit sanguinis, & ligamenta sunt validiora: quare medijs mensibus tutior sanguinis missio, & postremis. Plus esse sanguinis mensibus postremis (nam de robore ligamentorum, haud puto aliquã esse controuersiam) probat Aristotiles 4. de gener. animal. 8. quia primis mensibus, æget natura sanguine, tum ad fœtus nutritionem, cum ad constitutionem eiusdem, postremis mensibus, nutriri tantum postulat, non efformari: *sed*, inquit, *cum fœtus magis magisque perficiatur, plus excrementi superest, minus absumitur, idq; dulcius est, cum non æque detrahatur, quod bene concoctum sit*. Nec satisfacit, quod quidam dicunt, plus superesse excrementi, fœtu in perfectionem abeunte, non sanguinis; nam subdit, prioris dicti tradens rationem, *non enim in fœtus formationem consumitur, sed ad incrementum mediocre, quasi iam fœtus constet adeptus finem suum*. Confirmat Arist. quia primis mensibus mulier nullum habet lac, gignit vltimis, eam vt patet ob causam, quia tunc mulier scatet sanguine, ideoque ab vtero ad mammas repellitur. Idem Galen. censuit, vt constat ex ijs, quæ scripsit aphor. 39. 5. part. Nec aliter fortasse sentit Hippoc. nam quidam legunt, præcipuè cuius fœtus est maior, ac si compararet mulierẽ, quæ grandes solet parere fœtus, cum alia, quæ exiguos gignit, & mole minimos, & facta vtriusque collatione statueret, eam potissimum abortire, cuius fœtus est maior, hoc est, solet gignere maiores; nam huiusmodi fętus maiori opus habent alimento. Ni fallor, in eo videtur esse posita controuersia, abundet ne plus sanguine mulier primis mensibus, an postremis, & medijs; nam quod pertinet ad ruptionem ligamentorum, adeò leuis est motus, qui fit vena secta, nullum vt hanc ob causam videatur facessere negotium: & certè si liberè fatenda res est, plus sanguinis habere puto primis mensibus mulierem, minus medijs, minimum vltimis. Nam si plus veri sanguinis haberet mulier nono e.g. mense nulla esset ratio, cur fętus in lucem prodire tentaret: nulla esset causa, cur primis mensibus cibaria, quæq; mulier fastidiret, appeteret eadem postea medijs mensibus, vberi illa copia sanguinis iam exhausta, vt benè docet Galen. & licet primis mensibus opus sit sanguine ad efformandum fętum, non est cur propterea dicamus, maiorem copiã sanguinis, tunc absumi; exigua enim huic operi satis, & maior multò requiritur ad augmentum eiusdem, quod fit fętu efformato medijs mensibus, ac postrèmis: vnde non placet, quod dicit Arist. non absumi tantum sanguinis medijs mensibus, ac si debitam fit perfectionem adeptus: nedum enim in vtero, sed & extra ad multos annos augetur. Quod à partu effunditur, plus est, quam quod primis mensibus solet excernere mulier, si patiatur abortum: excrementitium tamen; verus sanguis, & purus, copiosior multò primis mensibus. Arist. haud aliter sentit, vt facile intelliget, quicumque locum illum perpendet: quærens enim ibi, cur cum lactis materia sit sanguis, isq; abundet, tum primis, cum vltimis fętationis mensibus, gignatur tamen lac vltimis mensibus, & id fieri inquit, *quia plus sanguinis est vltimis mensibus, quam reliquis; nam reliquis mensibus, absumitur ille in fœtus augmentatione, & constitutione*: vltimis ad nutritionem dumtaxat requiritur, proinde ad mammas mitti. Ergo si ad mammas mitti vult, & in lac verti, non abundabunt illo venæ. Quare neque tutior erit, tunc temporis venæ sectio, etiam si ex Arist. sensu, res sit decernenda. Mitto non esse eam causam cur lac vltimis mensibus gignatur, sed eam quam tradidit Hippoc. lib. de nat. puer. s. quia à fœtu grandiori venæ vteri sanguine turgidæ comprimuntur. Proinde fit, vt sanguis ad mammas, quæ maximum habent cum vtero consensum, resiliat.

Nam Aristot. aliud sentire videtur.

Adherendum nihilominus Gal.

Difficilis Ar. locus explicatur.

A quonam indicetur venæ sectio reuulsiua, & deriuatiua.

Cap. XII.

MVltiplicem vsum habere sectionem venæ supra diximus vacuare nempe, refrigerare, reuellere, & deriuare: vnde subdebamus quatuor esse huius remedij differentias, atque vnam dici posse vacuatiuam, aliam euentatiuam, seu refrigerantem, tertiam reuellentem, quartam, & vltimam deriuantem. Ergo postquam multis à nobis declaratum est, à quonam indicetur venę sectio, quatenus vacuandi vim habet, agendum est modo de indicantibus venæ sectionem, quatenus reuellere valet, & deriuare; nam quod venæ sectio, quæ ad ventilandum fit, & refrigerandum à calida intemperie indicetur, vsque adeo notum est vnicuique, vt ociosi hominis esse censeam, & literario ocio abutentis, in re ista tempus inutiliter terere. Cui ergo debeatur venæ sectio, quatenus reuellere valet, & deriuare, facilè intelliget quisq; si intelligat

pti-

primum, quidnam reuulſio ſit, quid deriuatio, & à quo indicetur reuulſio in genere; propterea hoc primum agamus.

Quid reuulſio.

Eſt reuulſio, retractio materiæ, quę mouetur inepte, & importunè, aut eſt parata moueri; addunt alij ad contrarium ſui motus, ſeu contrariam partem; ſed ſuperfluè; nam ſi retractio eſt, aut auerſio, certum eſt fieri reuulſionis opera motũ, primo motui contrarium, ſeu ad contrariam partem; nam motus locales contrarij dicuntur, & varij ob contrarium vbi, ad quod terminantur, quare ſi voce auerſionis, vel retractionis motus priori cõtrarius intelligitur, motuſque dicuntur oppoſiti, & varij ob contrariam loci poſitionem, nulli eſſe dubium poteſt, quin retrahatur per illam, ſeu humor, ſeu vapor ad contrariam partem. Quod ſi ad maiorem claritatem quis addere id velit, non multum contendam. Cenſeo tamen diminutè eos reuulſionis naturam explicaſſe, qui dicunt eſſe retractionem humoris; nam ſi non tantum humor, ſed & vapor etiam poteſt ineptè moueri, ac propterea reuellendorum vaporum etiam indicatio inſurgit, non erit reuulſio, humoris tantum retractio, ſed materiæ, vt hac voce, & humorem complectat, & vaporem. Diminuti quoque ſunt dicentes eſſe vacuationem per contrarium? nam non ſemper vacuamus cum reuellimus, ergo eſt auocatio.

Diminuti ergo quidam.

Et alij.

Addere demum neceſſarium cenſui, ſeu motæ, ſeu paratæ moueri; ſiquidem nedum humor fluens reuellendus eſt, ſi quo non oportet, ſed ille pariter debet omni ſtudio auerti, quem timemus ne fluat, & ad partem aliquam, quo nõ oportet labatur, vt cuiq; parum in medicina facienda verſato eſt notiſſimum.

Conuenit ergo morbis materialibus tantum.

Ex hoc poteſt vnuſquiſque intelligere, reuulſionem nonniſi morbis à materia poſſe conuenire, in immaterialibus contra nullum locum habere. Patet, quia eſt auerſio materiæ, vbi itaque nulla eſt materia, quæ morbum efficiat, nullum poteſt reuulſio habere locum.

Et proprio rheumaticis.

Patet ſecundo, neque in morbo quocumque materiali habere locum, ſed in eo, qui rheumaticus eſt, hoc eſt, qui excitatur à fluxione, aut timemus ne fiat, & conſequenter morbum gignat, augeat; ad cuius intelligentiam aduertere oportet, triplicem poſſe humorem conſiderari in rheumaticis affectionibus; vnus eſt, qui fluxit ad partem, & in vacuis eius ſpacijs receptus tumorem gignit, aut alium morbum; eſt alius qui in proximis affectæ particulæ venis continetur; eſt tertio alius, qui fluit ad eandem partem, aut paratus eſt fluere, huic humori debetur reuulſio, fluenti nempe, aut parato fluere; fluxo iam, deriuatio, & vacuatio: hæc illi, qui à venis ad ſpacia inania fluxit; Deriuatio verò humori, qui fluxit, & in venis proximis parti malè affectæ adſeruatur, & continetur. Eſt hæc doctrina communi conſenſu ab omnibus recepta, placet tamen in gratiam iuniorum, nonnullis locis Galeni confirmare, *fluentium*, ait 2. ad Glauc. 2. *adhuc humorũ antiſpaſis, ideſt, retractio; ſic enim Hippocr. nominat; eorum autem, qui iam membrum obſident, deriuatio medela eſt*; & 4. meth. 6. *Si fluxio* ait *valenter irruat, reuellere ad contrarium ſtudebimus, vtique ſi in ſuperioribus, vlcus conſiſtat, per inferna purgantes: ſin autem in inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem vacuantes; vt ſi iam fluxio reſiſtit, & membro inhæſit, deriuare per vicina magis expedit, cum vt in propinquiora translatio ſit, & purganti medicamento promptior, tum acceſſus, tum attractus detur è vicino*; Et paulò infra commendans Hippocr. quod ſcripſerit omni recens vlceri ſanguinẽ mitti oportere, & vlceribus pariter inueteratis ait, *ac ſi perpetuum eſt, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam eſſe, fixam vero iam in laborante particula vacuandam eſſe, vel ab ipſa particula, quæ affligitur, vel maximè vicina.*

Habemus à quonam indicetur reuulſio in genere: videamus modo, quod reliquũ à quonam indicetur reuulſio in ſpecie, aut per chyrurgiam, aut pharmaciam, inde enim facilè hauriemus indicantia reuulſionem per venam ſectam: quod eſt noſtrum principale propoſitum.

Quidnam indicans reuulſionem.

Reuulſio in genere ab importuno motu materię indicatur; ergo pro eius quod mouetur varietate, ſic varia debent eſſe præſidia reuellentia. Debent quoque eſſe varia pro differentia affectus, qui excitatur; nam ſi exiguus eſt, ſatis erit remedium paruum: at ſi magnus fuerit, aut immineat, tunc magnum debet eſſe remedium, quod ad reuellendum, & retrahendum aſſumitur, alioquin nequaquam voti compotes erimus.

Quando faciendo.

Vbi ergo exiguus eſt affectus, vel genitus, vel qui imminet, quæcunque materia eius auctor exiſtat, conueniunt frictiones, cucurbitulæ, enemata, ſuppoſitoria, inedia; retrahunt enim hæc remedia cuiuſcumque materiæ affluxum; facit idem inedia, ſed per accidens, ſiquidem reddita eius opera auara natura, nihil pellit, ſed cuncta retinebit amicè. Vbi contra aut magnus affectus eſt genitus à fluxione, aut imminet, in hac anguſtia de magno cogitemus remedio neceſſe eſt: quare aut de purgatione, aut venę ſectione, hac enim ratione hae præſidia ab alijs differunt, quod illa ſenſim vacuant, & lentè, vnde potis non ſunt aduerſus morbum magnum, & velociter properantem ad finem: contra hæc, quia citò vacuant, & multum, accommodata ſunt magno morbo expugnando.

Quibus.

At vtrum eligibilius? addiſces hoc ex indicantibus venæ ſectionem, & purgationem.

tionem. *Indicatur* hæc in vniuersum, vt infra dicemus à cachochimia, à sanguinis peccato venæ sectio, si de indicante generatim loquamur; si verò de indicante hoc remedium, tamquam vacuans, plenitudo. Ergo si fuerit cachochimia, quæ mouetur, & magnum facit morbum, purgatione erit molienda reuulsio: at si sanguis suo motu huius mali sit author, sectio venæ erit accomodatum præsidium. Indicatur vtiq; venæ sectio, vt reuellens auxilium à motu sanguinis, qui magnum morbum aut gignit, aut timemus ne gignat. Hæc quoniam satis clara, & cuiq; competta plura addenda non censeo.

De Hirudinibus. Cap. XIII.

EXpeditis ijs, quæ de phlebotomia, erat opere pretium disputare, id esset modo consequens, vt de secandis arterijs sermo haberetur; Est enim hæc disputatio congenea illi, & ad eosdem fere vsus, est dissectio harum excogitata. At quoniam hoc remedium, ita exoleuit, & è schola medicorum exulauit (seù imperitia artificum, seù quoniam ijs apertis, non contemnendum iminet discrimen, immoderatæ sanguinis effluxionis, hanc propter causam, de hirudinibus, & scarificatis cucurbitulis, aggrediar dicere; nam de scarificatione, ob eamdem causam, non loquar; Etenim cum de sanguinis missione statuerimus loqui, atque hic possit extrahi, aut vena dissecta, aut eadem hirudine disrupta, omnino manca esset hæc disputatio, ni doceatur, quando vnus, quando alter extrahendi modus ex vsu sit magis. Quomodo autem id scies, ni cuiusque remedij vires scias? De hirudinibus itaque dicendum, atque illud primum, sint ne vmquam ex vsu, ad euacuandum sanguinem, & quibus in morbis, cuius decisionem, cum assequi nequaquam possimus, ni primum videamus, an trahant è cute dumtaxat, an è profundis partibus, an tenuem tantum sanguinem, an etiam crassum, hoc erit disputationis prędictæ secundum caput, tertium, & vltimum, secundo loco propositum.

Non esse hirundinum vsum admittendum quatuor môstrant

Quantum ad primum, non esse hirudinum vsum admittendum quatuor suadēt: Primum, quia habent hęc animalcula, venenosam naturam: secundo, quia sæpè non sugunt; vnde operam sæpè ludemus, cum horum opera sanguinem procuramus educere. Tertiò, quia plus iusto trahunt suguntque; vnde Horatius

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Ex quo factum est, vt homines plus iusto seduli, & in rebus comparandis immodici hirudines dicantur, & exhaustorem ęrarij, æraij hirudinem lib. 1. ep. ad Attic. Cicero appellauit; Neq; aliam eb causam sic dictam outant quidam, nisi ab hærendo, eo quod plus iusto hærens corpori, sanguinem plus iusto exsugit. Adde quod non semel eorum morsui copiosus fluxus sanguinis succedere solet, quod ne videar fingere, producam in medium Auicen. hæc scribentem, *in omnibus istis existit venenositas, & prouenıunt ex eis apostemata, & syncopes, & sanguinis fluxus, & laxitas, & vlcera mala.* Damnātur quarto, quia cum nasi venis admouentur, aut ani, non rarò in penitiores sese insinuant partes, non minori molestiæ, quam timore languentis.

Admittunt nihilominus Medici omnes, ac primum Gal. Galenistæ, vniuersaq; Arabum schola; non enim nouum inuentum essent, constata ex Plin lib. 32. c. 10. actuar. 3. met. c. 3. Paulo act. quamuis neget Merc. hist. 2. ep. Gal. aut Hipp. hæc probasse, & certè non contemnendi illæ momenti, nam dum sanguinem paulatim eliciunt, exiguntque, non tantam faciunt virium iacturam, quanta infertur à venæ sectione, à qua maius dispendium virium, duas ob causas; primum, quia hæc sanguis cōfertim educitur; secundo, quia maior aperto foramine, fit exhaustio spirituum. Hinc pueri innoxiè euacuationem hanc ferunt, cum tamen non pauci timeant, venam pertundere ijsdem: Quod fortasse venit in mentem Argent. vbi 3. art. med. 40. scripsit, *ac tanto quidem agnoscitur, esse huius remedij vsus, quod non solum in validis corporibus, sed etiam in debilioribus, ac prope modum exolutis à febribus, est tutissimus vsus, quod ego sæpe expertus sum, & didici ab Aetruriæ medicis, dum Pisis medicinam facerem.* Vide Fern. & Haust., Adde quod hæ venis sedis admouentur, vnde non potest aliter mitti sanguis.

Probatur tamen.

Ad ea, quæ in contrarium, dic ad primum, falso hoc hirudinibus quibusque imponi; nam vt idem Auic. illæ tantum virulentam habent naturam, quæ magna habent capita, quarum color est niger, aut viridis, quæque in prauis aquis colliguntur. Quamquam, nec si vniuersæ aliquam virulentiam habeant, ablegandū propterea hoc remedium; nam facilè, vbi purgentur, omne virus deponunt. Expurgantur autem, si statim ac fuerint captæ, ita premantur, vt quicquid in corpore habent, euomant, deinde spongia, aut aspero panno abstergantur, demū in aqua pura per diem detineantur.

Et rationibus positis respondetur, & declaratur primum eam virulentiam habeant.

Ad secundum non sugere hæc animalcula dicimus, cum sunt repleta: vbi longa fuerint inedia exhausta, statim ac admouentur, exugere incipiunt, præsertim si pars cui admouendæ, ita confricetur, vt suffundatur rubore, lac admouentur, sanguis pulli, aut, columbi; allectæ enim dulcedine lactis, aut sanguinis, sugent statim:

Quomodo alia vitentur incommoda.

tim: laudant alij, vt acu, aut vngue locus cui imponendæ, exulceretur; moneo ego, vt pars cui imponendæ, non oleat male; obseruaui enim non semel, vbi admouentur hirudines venis sedis, mox ab iniecto enemate, & facta excretione, omnino auersari suctionem, nec nisi lota parte sugere, vnde in eam veni coniecturam, auersari hæc animalcula grauem excrementorum olorem, ac propterea non esse inijciendum enema, vbi sunt venis sedis applicandæ, aut multo ante esse immittendum clisterem. Et certè si id tanti momenti, vt proficuum remedium omittatur, omni destituetur remedio medicina. Quod enim est, quod maiorem non inferat molestiam, & pluris, vt ita dicam non constet? nam quod dicitur plus iusto sugere, alias insinuari; Quis ita nescius, rei medicæ est, qui ignoret, vtrumq; incommodum facilè vitari: etenim quod spectat ad immodicam suctionem, pauco sale, aut cinere, aut vino iniecto, mox sugere desinent. Quod pertinet ad aliud, nũquam id diligenti artifici accidet. Mitto, nec si insinuentur, esse cur multum quis timeat, quando iniecto vino, aut aqua salsa per siphonem, mox illa à suctione cessabit, & educetur. Vtinam tam facilè posset occurri puncto neruo, aut arteriæ, quæ accidunt multo frequentius, cum plus iusto ferrum immittit Chyrurgus. Est itaque eorum vsus vsui rei medicæ: nam neq; fluxum sanguinis, est quod vereamur, vt sit propter hanc causam abstinendum ab hoc remedio continuò, cũ multa sint, quibus facilè occurrimus huic simptomati; ac primum laudantur gallæ combustæ ab Auic. à nostratibus medicis puluis boli armeni, terræ lemniæ cum aloe, & albumine oui simul mixtis: ab alijs puluis calchanti, qui potissimus est ad quemcumque, vel grauem sanguinis fluxum compescendum.

E quibus partibus sanguinem alliciant hirudines.

At quibus illæ affectibus conducunt? mox dicam, vbi tamen dixero, vnde nam trahant, & quem sanguinem. E cute dumtaxat, quidam sanguinem allicere putant, ea vt patet coniectura ducti, quod exiguum animal, vix cutim tenellam, disrumpere est potis: E venis, & profundioribus partibus posse eas allicere sanguinẽ, putant alij, nam si è brutis abundè prolectant, cur non ex hominum corpore, quod multo magis tenellum? & cur non è vena, si venæ morsu hæreant? Probabilior eorum sententia, qui vndequaque & partibus profundis, & extimis sanguinẽ, earum morsu allici docent, tenuem tamen, non crassum: Quamquam neq; admittenda illa est: licet enim, ita angustum foramen, earum morsu infligatur, vt non pateat exitus crasso sanguini, vbi tamen, vel leuiter disrupta vena est, facto impetu sanguis dilatat ipsam: docet hoc quotidie flumina, quæ angustis coercentur limitibus: etenim, vbi quis vel exiguam rimulam inducat in argine, mox facto impetu à flumine, mirum quantum dilatetur. Adde, quod vbi rupta est vena ab hirudine, vel in calidam mergitur, vt cum vena pedum secatur, aut calidis halitibus excipiendis obijcitur, aut cucurbitula ijs admouetur, quæ statim multum sanguinem attrahit. Quare statuendum hirudines, nedum à cuti, & partibus externis, sed ab ijs, quæ intus sunt conditæ, trahere: Nec trahere tenuem tantummodo sanguinem, sed crassum, potissimũ autem melancholicum; etenim vnumquodque nutritur, ex quibus fuit coalitum; vnde cum terream habeant naturã hirudines, certum est terreo sanguine gaudere, fæculento, & crasso, eamque ob causam hunc seligere, attrahere. Cumq; illum sensim sugant, conueniet his sanguinem trahere, vbi imbecilles sunt vires & vbi melancholicum sanguinem è venis sedis euacuare est animus; nam hunc natura, ad sedis venas transmittere solet, & hæ nonnisi hirudinum vsu aperiri possunt. Quamobrem, cum aperiri hæ debeant in affectibus omnibus melancholicis, frequenter vtemur ijs in melancholicorum affectuum curatione. Nam quod extirpandis cutaneis, eæ admotæ conducant, nulli dubium, quamquam frequentius vtantur nostri medici ad rebellem scabiem, scarificatis cucurbitulis potius quam hirudinibus.

An conducat nephriticis.

An conducet admouere eas venis sedis ad dolorem nephriticum tollendum? minimè quidem, si nephriticus dolor, vel à lapillo ortum habeat, vel à pituita. Non enim vacuatur doloris causa. Quare vbi dixit Hippoc. *Melancholicis, & Nephriticis hemorroides superuenientes, bonum*; dic cum Valles. Hippoc. loqui de eo dolore, qui à sanguine crasso ortum habet, aut à liene tumefacto, & tumore renem sinistrum comprimente, vt Holl. Aut quod probabilius, lege loco nephriticis, phreniticis; ita enim Mercur. Marinel. & multi antiqui, nam cum aph. 21. eamdem sententiam scribat, *In insanientibus*, inquit, *si varices, vel hemorroides superuenerint, insaniæ solutio*. Quod si non placeat literam, cum multis corrigere, & velis in vniuersum, dolori nephritico, à quauis causa fiat, superuenientes hemorroides conducere, non repugnabo: imò vt rem fatear ingenuè, hoc magis dicere placet; tota enim ratio, aut corrigendi literam, aut limitandi aphorismum, illa fuit, quia non poterant intelligere ijdem quomodo affectui à lapillo excitato, posset sanguinis fluxus ex venis sedis conducere: si itaque conducere posse intelligamus, est quod dicamus, & dolori à lapillo, si hæc vacuatio succedat, proficuum esse. Cõducere vero mox fatebitur quisq; si repetamus causam, qua ducti medici pro-

bant expurgans medicamentum in dolore nephritico, clisterem, vomitum, & ea omnia, quæ flatus discutiunt: propterea hoc faciamus. Conueniunt vacuantia ventriculum, & partes has naturales in dicto affectu, non quod pharmaca valeāt lapillum expellere, aut eumdem ad vesicam allicere, quemadmodum à substantię familiaritate succos trahunt, sed quia inanitis his partibus, non comprimunt renes, aut vreteres; vbi non comprimātur, & compressione viæ angoltentur, poterunt vasa vretera lapillum excipere, & renum cauitas, si sit lapillus genitus in eius sublantia. Eodem modo conducūt mollientia. Nempe partes molles facilè cedunt distendentibus, resistunt durę, & contranituntur. Ergo cum vias impedire possint nedum flatus pituitaque & succi crudi, sed sanguis etiam, qui vberior affluxit ad renes, & vreteres ob dolorem, caloremquè, erunt vijs expediendis proficua, non tantum ea, quæ pituitam, & cruda quæque vacuant, sed vacuantia sanguinem, qui ad huiusmodi partes dolentes, & calfactas affluere solet. Potest partes vacuare, & vena secta in poplite, & venæ sedis apertę, quare vt in dolore à lapillo ob hanc causam conducit incidere poplitem; sic erit vtile pariter venas, quę in sede sunt aperire. Quare conducent hæmorroides superuenientes dolori nephritico, seù fiat à sanguine crasso, seu à tumefacto liene, siue à lapillo. Demum vt rem paucis expediam, conueniunt hirudines, quotijs venas sedis potissimum aperire, est ex vsu. Quando aperire has expediat, est alibi dictum à nobis.

De Cucurbitulis. Cap. XIV.

SAnguinem, ne dum vena secta, & hirudinum suctu extrahi, sed si scarificatæ admoueantur cucurbitulæ, supra dictum. Quamobrem postquam vidimus, quando venam secare, quando hirudinē admouere conueniat, est illud reliquum, vt de scarificatis cucurbiculis admouēdis tractetur; quarum vis cum intelligi nequat, ni vis cucurbitularum in vniuersum noscatur; neque enim scire speciem est, si ignoretur genus; tum propter hāc causam, cum quia cucurbitula est auxiliū Chyrurgicum, ab illo ordientes, hęc omnia explicabimus; quid cucurbitula, quotuplex, quæ vis cuiusque: vnde intelligetur, quę cuique affectui conueniat, & quomodo.

Cucurbitulæ cur sic dictæ. Cucurbitulas, sic dictas putant quidā, quia ex cucurbita primum illas facere, in vsu fuit. Quos reijcio, nam si in siccam ignis cucurbita concludatur, facilè illam combureret, vt propterea non possim mihi suadere, illas vnquam fuisse cucurbitulas ex hac materia constructas; præsertim cum Galen. seu Orib. & Paulus recensentes varias cucurbitularum differentias, ex materia desumptas, nunquam huius meminerunt, sed eas omnes ex vitro, ære, aut cornu constructas esse docuere: Quamquam Cels. lib. 3. cap. 11. & Ollulam pulti coquendæ dicatam, in hūc vsum, assumptam quandoque esse scribat, vt propterea credam, sic dictam cucurbitulam, quia figura est admodum similis cucurbitæ nostræ; nam ob eamdē causam, testatus est Heron. lib. de spiritalib. Qua medica esse vocata, scilicet, quia ouorum figuram quodammodo simulantur. Vndecumque tamen illa fiṁam trahat originem, & vt cumquè dicatur, quatuor habet differentias, vnam à materia sumptam, ex qua cucurbitula constat: alteram ex magnitudine eiusdem: tertiam ex figura: quartam ex vario modo applicandi illam. Proinde dicamus, cucurbitulas, aut esse vitreas, aut corneas, aut æneas, aut figulinas. A magnitudine, quædam exiguæ, magnæ aliæ: à figura quædam oblongæ breuiores aliæ, quædam angusti orificij, quædam latiores. Habent aliæ duplex orificium, habent aliæ vnicum: quædam applicantur cum stuppa ignita, aliæ immissa candela; scarificantur quandoque partes, mox cucurbitula admouetur, alias citra scarificationem applicatur: Vnde quædam cucurbitulæ scarificatæ dicuntur, quædam siccę.

Quotuplex vsus earumdem. Vsus eius, si credimus Celso, vnicus est, tumefactam, nempè particulam exhaurire, & repletam: nec alium agnoscit Galen. lib. de cucurbitulis, & 13. meth. medendi; verum tamen, si earum vim attentè perpendamus, multa possunt nobis commoda pręstare; nam quamquam ad se trahant, hinc tamen fit, vt possint deriuare, reuellere, & foras extrahere euacuabit repletam partem, cum illi applicatur: cum vicinæ admouetur, deriuabit, cum remotæ, reuellet. Rem ita se habere docet praxis medica; nam ad alliciendū sanguinem ad vterum, cruribus cucurbitulas affigimus: mammis, vt reuellatur idem, cum laxato fræno, & ruptis, vt ita dicam habenis, extra vterum prodit. Ob eamdem causam in capitis dolore aut epilepsia affigimus easdem natibus, & partibus quibusquè infernis. Vt extrahamus foras, quod intus contentum magnopere lædit, in luxatione vertebræ, quæ ad partes internas recurrit, in bubone gallico, dum foras non prodit, & in malignis febribus, non pauci dorso, spatulisque illas affigunt, vt venenatam materiam, quæ ad cor fluxerat, foras euocent. Quare iuuat credere Gal. Cels. & alios, qui eum tantum vsum cucurbitulis tribuunt, non esse loquutos in vniuersum de illis sed de ijs, quæ inflamma-

tæ particulæ possunt admoueri: Quod ita esse, intelliget facile, qui loca illa consulet, nam Celsus ait, *vsus autem cucurbitulæ præcipuus est, vbi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est*: Quod si ille est vsus præcipuus cucurbitularũ, non est dubitandum, habere alios Gal. *verum ait utendum ipsa cucurbitula in ipsa parte: quæ phlegmone vrgetur inter initia, non est, imo postea, quam totum corpus euacuauerit, ac necessarium est, eorum quæ in inflammata parte continentur, aliquid educas, ac etiam foras versus attrahas.*

Qua efficaciores.

Præstant hæc opera efficacius, quæ dã cucurbitulæ, debiliter aliæ. Nempe scarificatę oblongæ, & quæ strictum, habent orificium, vehementium mouent, reuellunt, extrahunt. Leuiter eadem faciunt siccæ, latique orificij, & exigua cum flamma appositæ; fortiores Aheneæ, & Corneæ Vitreis, nam maiorem illæ substinẽt flammam; Vitreæ disrumpuntur facilè. Præter hæc extrahunt scarificatæ sanguinem, & spiritum, siccæ spiritum tantum valenter educunt, vnde scripsit 12. meth. 7. Galen. ad dolores à flatu, esse veluti incantamentum cucurbitulam magnam, magna cum flamma ventri admotam.

Quem sanguinem extrahant cucurbitulæ.

At quæres, quemnam sanguinem scarificata cucurbitula extrahit, tenuem tantum, an etiam crassum; & ex qua parte, cuti tantum, an ex ijs etiam, quæ intimæ sunt, & profundiores?

Deducitur prioris solutio, ex posterioris decisione, nam si è cuti tãtum scarificata cucurbitula vacuat, cum ad cutim perueniant exiguę venæ, tenuemque tantum sanguinem ferunt, hũc tantum potis erunt extrahere cucurbitulæ, non crassum: vnde & alia difficultas elucidabitur, frustra eas apponi ad extrahendũ humorem, qui cor, aut aliam partem internam occupauit; quando vsque adeo limitata earum vis est, vt vix è vicinis cuti partibus allicere valeant.

Sol.

Cæterum quidquid alij senserint, puto eorum sententiæ adhærendum, qui statuunt, si profundè vlcuscula infligantur, posse è profundis partibus, & internis crassum sanguinem extrahere: si leuiter cutis pungatur, aut secetur, tenuis tantum sanguis, & e partibus cuti proximis vacuabitur. Primam partem probat apertè Gal. nam 13. meth. 5. & lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 11. docet satis aperte, esse scarificatam cucurbitulam, venæ sectionis vicariam, & multo clarius post ipsum Auic. 4. 1. cap. de cucurbitulis; at falsò hoc dicerent, ni vniuersum corpus, & à tenui sanguine, & à crasso possent exonerare, quare vacuabunt vtrumque scarificatæ cucurbitulæ.

Confirmatur, nam si quæ ratio posset suadere contrariam sententiam, illa esset, quia exiguæ venulæ, cuiusmodi sunt, quæ ad cutim perueniunt, non possunt crassum sanguinem excipere, qualis in intimis partibus continetur, at hoc dici non potest, vbi profunda est facta scarificatio. Præterea vbi vniuersum corpus est melancholicum, scatent partes, omnes melancholico sanguine, ergo crasso. Demum si tenuem tantum vacuarent, frustra adhiberentur ad deriuandum sanguinẽ in angina spatulis; at vero prosunt. Ergo signum est vacuasse sanguinem, qui fluxerat, & crassitiem habet. Quare dicendum quamquam primò, & præcipue cucurbitulæ tenuem alliciant sanguinem, ac propter hanc causam corporibus scatentibus hoc sanguine conducant, & in affectibus, qui ab huiusmodi sanguine sunt geniti, vt Auic. 4. 1. cap. 21. quia tamẽ pręstant, vtrumque, hoc est, & crassum sanguinem allicere valent, nedum tenuẽ, & è profundis partibus attrahere, non solum in cutaneis affectibus, si cutis profunde scarificetur, intererit illis vti, sed laborantibus etiam internis à crasso sanguine, conducent.

Vbi itaque reuellendi indicatio vrget, attrahendi, foras educendi, affigendæ cucurbitulæ: æneæ, aut vitreę, stricti orificij, lati, oblongæ breues, prout maior, minorue reuellendi, attrahendi, extrahẽdi, necessitas ingruet: hinc ad ciendos menses, assignant medici cruribus cucurbitulas: ad reuellendos eosdem, sub mãmis magnam imponunt, id consulente Hipp. 5. Aphor. 50. Hepati, cum immodicè sanguis per narem effluit dextram. Vt foras educant venenatum humorem, admouent cucurbitulas medici, vbi exãthemata in cute apparere incipiunt, nec aliud Hispani faciunt; nostri expurgant, & sanguinem mittunt; Vtrique benè, nã ijs apud Hispanos sufficienter solet natura, vbi illam crisim molitur, terminare morbos: hic numquam videre est, sufficienter naturam, omne humorum venenum, ea via deponere: fortasse quia humor crassior, nam aer humidior, nec ita feruidus.

Hinc quibus in affectibus, & quę conueniant deducitur.

Non tamen, eodem morbi tempore, hoc remedio vtemur, sed cum ad reuellẽdum, ijs vtimur, statim, admouebimus: Vnde cum in principio tumorum, fluat humor, possumus non dum purgato corpore, nec vena secta, in morborum initijs, eas admouere. At vbi, à parte extrahere est animus, fiet hoc corpore manito, nè maior ad partem attractio concitetur obijcies nam. Paulus cit. loc. *Cucurbitulis, at neque per affectuum initia, neque cum corpora sunt plethorica, vtemur, sed ijs prius euacuatis, cumque nihil particulæ influit.*

Quando ijs vtendum.

Præterea, in principio tumorum, est corpus plenum: quare quantumuis tentes reuellere, & alio humorem reuocare, non propterea rem assequeris, cum nullus

lus sit locus corporis, in quem humorẽ deducere possis. Dic primum, non esse
Sol, necessarium, vt tanta sit in corpore plenitudo; nam mittitur humor, non solum vbi copia est oneri; sed vbi qualitate est molestus: Dic secundo vbi tanta est plenitudo in corpore, illud fieri, ne admotæ cucurbitulę prosint, vt noceant, nequaquam. Quare laudo multum, vt vacuato corpore admoueantur: si secus fiat; non reprehendo, cum possint prodesse, obesse numquam, vt propterea suspicer, morosum, & contendendi auidum fuisse cum medicum, quem scribit Valler. 4. enarr. cap. 6. tanquam pro aris, & focis pugnasse, ne lippienti mulieri, corpore nõ dum vacuato, scarificatę cucurbitulæ admouerentur; Enim verò, cum applicantur parti ab inflammata remotæ, non video, quid inde detrimenti potuisset ægrotanti oboriri, non dabo propterea esse verè vicarias venæ sectionis nam neq. totum vacuant, neque partes internas æque benè, quemadmodum venę sectio. Clauderem his caput istud, & finem imponerem ijs, quæ de cucurbitulis; sunt enim dicta ni fallor, quæcumque disputare necessarium erant ni me detinerent nostrates medici, qui in quauis febre, qua nocte primum ægrum inuisunt, frictiones, & cucurbitulas spatulis admoueri iubent. Quorsum per Deum, cum nulla reuellẽdi, attrahendi, educendi indicatio vrgeat? ni velint fortasse, vberiorem segetem vaporum ad cor, & partes spiritales traducere: nam si reuellere cuperent, cruribus eas adhiberent, natibus: tolerandus eorum error magis, qui in febribus, quæ capitis habent dolorem adiunctum, a dolore, indicatione desumpta, id præcipiunt, quamquam, & ipsi errent; nam cum non rarò à stomaco, crudis repleto humoribus, flatus illi, ad caput adsurgant, aut à venis, in quibus efferuescunt humores, & bulliunt; tantum abest, vt illos hac ratione reuellant, vt magis ducant ad partes superas, aut ad cor ipsum. At quoniam res hæc practici est negocij, litigent de re hac, qui praxim docent: ob eamdem causam parco alteri controuersiæ, qua quærunt, an apparentibus maculis in febre maligna, scarificatæ dorso cucurbitulæ sint admouendæ.

De quantitate sanguinis educenda. Cap. XV.

QVo intuendum, vt commodè sanguis extrahatur, hucusque vidimus: examinandum modo, quæ quantitas extrahenda, quæ quia duplex continua, & discreta, & vtraque in vacuatione perpendenda videbimus propterea, quantum sanguinis debeat educi, an vnica vice, an pluribus. Quod si pluribus, examinandum tertio, an eadem tundenda vena, an alia, & alia.

De primo, nulli dubium fuit, tantum sanguinis esse extrahendum, quantum peccat, si tolerent vires; nam vbi minus educatur, retunditur morbus, non extirpatur: vbi plus, quam abundet, & virtus prosternitur, & morbus ex inanitione inducetur: tantundem vacuare, quantum abundat, commodum. Quoniam verò, numquam certò conijcere possumus, quantus, nam est sanguis, qui peccat, sũt aliqua tradenda signa, quæ certam faciãt coniecturam. Sunt illa triplicia, pręgressa, præsentia, & quæ sequuntur. Prioris generis sunt habitus corporis, aer, victus, vitæque ratio; secundi temperies ęgri, ętas, tempus anni, regio, & sexus: tertij tenor virium, morbus, & sanguinis exeuntis impetus: addit Hipp. 2. de rat. vict. 10. mutationem sanguinis exeuntis. Si quis ergo benè nutritus ægrotat, ociosus, nullam habens vacuationem consuetam, aut si quæ erat illi familiaris, retenta fuerit: morbus fit ex sanguine vis robusta, huic multum sanguinis erit extrahendum, pręsertim si secundi, & tertij generis signa annuant: vt si fit æger, temperamento calidus humidus, ætate adolescens, tempus anni vernum, temperata regio, in qua viuit, si demum disrupta vena, cum impetu, prosiliat sanguis. Contra si senex ęger fuerit, temperie frigidus, parco victu contentus, tempus hybernum, exercitatus, morbus frigidus: huic nec vena aperienda, tantum abest, vt multũ educere oporteat. Quod si indicia medio se habeant modo, plus minus detrahendum. Dat causam de re hac vlterius inquirendi Hippocr. qui 2. de rat. vict. pręscribens sanguinis quantitatem, quæ extrahi à Pleuritico debet, *ne verearis* inquit, *copiosum sanguinem detrahere, sed vel donec multo rubicundior, vel pro puro rubicundoque liuidus effluat, vtrumque enim accidere solet*: quem sequutus Auic. 4. 1. cap. 20. *cum* inquit, *pertransierit pulchritudo coloris, aut mutabitur color sanguinis, aut mutabitur pulsus propriè ad debilitatem, retine*. Sed hæc fortasse non sunt diuersa ab illis, quæ statuimus, sed eamdem sententiam confirmant, tantum esse demendum sanguinis, quousque plenitudo exhauriatur; nam cum loquatur co loci Hippocr. de curatione plenitudinis, quæ est inflammatio membranæ cingentis costas, certum est, numquam eam tolli, ni sanguis ad partem delapsus extrahatur. Extractum esse cognoscimus, vbi pro puro ruber, aut pro rubro liuidus exierit; quare erit eousque sanguis educendus, quia tunc plenitudini vniuersali, & particulari satisfactum fuerit. Mitto neque hoc esse semper faciẽdum, sed in leui tantum pleuritide, quę mis-

Tantum sanguinis extrahendum, quicum abundat.

Quantum verò abundet, ex tribus cognosces.

An mittendus ad mutationem vsq; coloris in plenitudo.

missione sanguinis terminari potest: quæ contumacior est, numquam hoc tantum præsidio curabitur, sed sputo, quare temere venæ sectione contendes, quod fluxit iam,& in parte est impactum reuocare ad venas,& foras educere, vt propterea concludam quantitatem vacuationis à quantitate repletionis indicari, & virni robore cumque indicatio, quę à viribus sumitur, sit dignissima omnium, vbi vires reclament, nequaquam vacuandum. At dices si tanti est hoc indicium, quomodo Hippoc. vacuat ad animi deliquium, vique? de hac difficultate dictum libr. superiori.

Quoties minuendus sanguis. Quod spectat ad secundam difficultatem, tres sunt casus, in quibus præstat venæ sectionem repetere, quam confertim vnica vice vniuersum effundere. Primus est cum virtus languet. Secundus, cum reuellere volumus. Tertius, cum ab habitu corporis ad ipsas venas humorem traducere cupimus. Languente virtute,& in reuulsione, satius multo esse multiplicare vices, quam quantitatem, docent omnes, potissimum Gal. lib. de curan. rat. per sang. miss. cap. 12. Tertium, idem Galen. docet 4. de san. tuen. 4. cum tractat de euratione lassitudinis vlcerosæ. Debemus autem vena secta, nunc magis, minusue quiescere, prout varia sunt, quę nos cogunt, venæ sectionem repetere: cũ ob languorem virtutis parum extrahimus sanguinis, eo vsque quiescere debemus, quo vsque vires fuerint refectæ: cũ gratia reuulsionis, prout magis, minusue vrget renellendi necessitas, sic plus minusuè, quiescere oportet. Quare vbi humores magno cum impetu fluunt, bis, aut ter sanguinem, vnica mittemus die. Debet quoque, inter vnam phlebotomiam, & alteram aliqualis mora intercedere, cum humorem à corporis habitu, ad venas traducere, est animus: aliqualis inquam, nam si multum corruptus ille sanguis detineatur in venis, massam vniuersam inficiet. An alia, & alia vena aperienda? Si eadem causa venam secare compellat, eadem prorsus vena tundenda: si modo mittimus sanguinem, vt reuellamus, modo vt deriuemus, nunc vt vacuemus, nulli dubium fuerit esse varias venas pertundendas. Vnde quia in putridis febribus secamus venas, vt refrigeremus, reuellamus, vacuemus, hinc varias secamus venas in febribus; apertis enim multis, vt ita dicam fenestris perspirat melius calor,& ventilatur.

Quæ vena aperienda. Cap. XVI.

Declaratur titulus. NOn est difficultas, quænam aperienda sit vena, cum ad refrigerandum corpus, & natiuum calorem ventilandũ, sanguinem vacuare est animus; est enim cuique compertum, vbi id faciendi indicatio est aliqua, internam dextri brachij venam pertundendam esse, nam cũ hęc citius vacuet,& ab hepate, hęc aperta,& citius, & omnium maximè, vniuersum corpus refrigerare valebit; Vt enim corpus plus iusto ab ignis vicinia incalescens, tunc maxime refrigeratur, cum ignis sibi proximior, non longe ab ipso distitus remouetur: sic vbi calidissimus sanguis (huiusmodi est, qui prope hepar) vacuatur,& multum,& citissime refrigerabit: non valet tantumdem ad id consequendum minus calidus, & ab hepate sepositus. Quare hæc vena refrigerandi, & ventilandi gratia, est secanda, vide Gal. 2. de rat. vic. 11.

Non est dubitatio secundo, quę sit tũdenda vena, cum vacuandæ partis, aut corporis indiscriminatim indicatio vrget; constitutum enim est apud omnes, cum vacuandæ partis cogitatio irrepit, eam esse aperiendam venam, quę cum repleta parte habet communionem: vnde cum vena interna brachij, totius plenitudinem exhauriat 2. de rat. vict. 11. Caput verò vena Cephalica,& funis brachij ab Auicen. vocata, vena frontis tem porum, narium: Basilica dextra, hepar; sinixtra lienem, & vena media inter anullarem, & minimum: Communis, seu media, nigram vocat. Auic. partes inferiores, & superiores; vena externa pedis,& sura ab osse ischiadis: vena interna, saphena vocata vesicam inaniat, & vterum; Venæ quæ sunt in angulis, oculorum, oculos,& palpebras: quæ sunt in infima parte, aures oculosque, quę sub lingua, laryngis,& faucium musculos: hæ erunt in cuiusque particulæ plenitudine aperiende. Vide Auic. 4. 1. cap. 20. & Gal. libr. de cur. rat. per sang. miss. cap. 18.

Quæ in deriuatione. Tertio aduertere placet, non esse controuersiam, quænam vena debeat aperiri à medico, cum deriuandi causa sanguinẽ extrahere volumus; est enim rata omniũ sententia comprobatum, quod cum per deriuationem deducamus humorem ad partem proximiorem malè affectæ, proximas venas parti malè affectæ secandas esse, non ab eadem semotas. Intelligas ergo, ne te pluribus teneam, ea in re esse controuersiam, vnde sit vacuandum, cum reuellendi causa vena est aperienda, cuius exacta decisio, quia haberi nullo modo potest, ni ante omnia constet, quasnã cõditiones debeat habere reuulsio; propterea hinc auspicabimur.

Reuulsionis conditiones, prima vt fiat secundum rectitudinem. Debet primum reuulsio, & vacuatio quæ à parte, per directum fieri,& vt greco vtar vocabulo per cataixin, vt Galen. lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 16. 1. aph. 21. & 3. de cris. cum enim medicus sit naturæ minister, debet ipse cum vacuat, naturam rectè operantem imitari: at verò vbi illa criticat, semper hanc legem seruat

uat; Ergo & medicus seu reuellat, seu vacuet, idem debet præceptum religiosè seruare, seruabit autem, si per eas venas vacuet, quæ cum venis mittentis particulæ communicant, non per illas, quæ cũ malè affectis particulis, fibrarum rectitudinem habet, vt malè opinatus est Fuchsius lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 16. Curtius, & Fernelius, Rodericus, Vega, & alij; nam quamquam fluxionis occasio fit dolor, & calor partis malè affectæ fit quandoque; quia tamen numquam fluet humor, quantumuis doleat male affecta particula, caleatque ni sit multitudo in parte, quæ debet transmittere: huius vacuandæ ratio est habenda (reuellere volentibus, non dolantis. Assumptum demonstratur, quia tendente inflammatione ad supputationem, dolor & quidem vehemens excitatur, & febris, iuxta illud Hipp. *dum pus conficitur dolores, & febres*; & tamen nulla tunc temporis fit ad partem dolentem, & calfactam cõfluxio, quia nulla est plenitudo in parte, quæ possit transmitti: quare ad inhibendam fluxionem, mittentis particulæ ratio maior est habenda, recipientis minor; cum enim in principio, & fine omnia sint imbecilliora, non potuit multum in principio fluxisse: quod timetur ne fluat, hoc est multum; quare de inhibenda hac debemus esse solliciti; cumque hoc consequamur vacuando eas venas, quæ cum mittente habent conuentionem, hæc attendenda communio, non quæ est cum dolente particula.

Nota hoc, & aduerte.

Secunda reuulsionis conditio est, vt ad contrariam partem materia fluens, aut fluxura retrahatur; id enim reuulsionis naturam significare supra diximus; Sed cum pars parti possit esse contraria quadrifariam, vel quia vna superior, altera inferior, dextra sinistra, interna externa, anterior posterior, videre vlterius oportet, quanam contrarietas in parte attendi debet à medico tantante reuellere, vt inde quisq; possit intelligere, vnde nam vacuandum, cum reuellere volumus.

Secunda, vt fiat ad contrarium.

Quæ contrarietas requiratur.

Insuper, quia partes hanc habentes contrarietatem, possunt esse multum distantes, & proximiores, examinandum secundo, ad proximas ne, an ad distantiores ducendus sit humor. Cœterum, quia omnes fatentur, vbi à supernis partibus ad infernas, aut ab his ad illas humor reuocetur, reuulsionem fieri, de alijs est dubitatio, propterea ne in ijs dilucidandis, quæ rata sunt omnium consensu, & firma, tempus frustra teramus, accedo ad ea, quæ dubia, & controuersa. Videamus itaque an à sinistra ad dextram possit humor reuelli, & è contra, ab interna ad externam, antica parte ad posteriorẽ. Sit ergo primum dictum. Non est reuulsio, reuocatio humoris ab internis partibus ad externas, sed potius vocatur extractio. Non est secundo reuulsio retractio humoris à parte posteriori ad anteriorem, aut è contra. Videbitur alicui repugnare hoc Gal. nam dans rationem 5. aphor. 68. cur vena in fronte adaperta minuat dolores, posteriorem capitis partem infastantes: quia inquit, *non solum euacuat, sed reuellit*, quod probat, quia reuulsio ad contraria fit, secundum longitudinem quidem supra infra, secundũ latitudinem verò hinc inde, hoc est à dextris ad sinistra: secundum latitudinẽ verò ante retro. Sed certè si quid sit reuulsio recordemur, non mœretur hæc vacuatio nomen reuulsionis; nam neque humori fluenti, aut parato fluere est commoda: neque est vsui in principio rheumaticarum affectionum, sed post alias vacuationes vsurpatur à medicis. Itaque vel localem reuulsionem vocabimus cũ Argent. Augen. aut si magis propriè velimus loqui, deriuationem appellabimus: vt ipsemet Gal. 5. meth. 3. ad vertit.

Non reuulsio reuocatio humoris ab internis extra.

A parte posteriori ad anteriorem.

Dico tertio reuulsio est omnium consensu retractio humoris à parte superna ad infernam aut è contra. An sit retractio humoris à parte dextra ad sinistram, aut è contra reuulsio, hoc dubium. Pars quæ negat arrisit Argenterio 3. art. med. ob has causas; Prima est, quia nullam habet sinistrum latus cum dextro communitatem venarum, quamquam inter crus dextrum, & sinistrum sit aliqua. Secundo quia si inter has partes eadem communio esset, frustra Hippoc Gal. & alij desiderarent continuo, vt in vacuatione quacumque rectitudo seruetur. Non probarent in inflammatione iocinoris sanguinis fluxum per narem dextram, per sinistram in lienis affectibus; neque referret in pleuritide alterutrum latus secare, cum tamen dicat Gal. sectionem, quæ sit in latere opposito, aut nullam, aut certè tardam opem afferre. Cœterum, quia videbat Argenterius posse illi obijci communem illum partium omnium consensum inter sese, tantoperè ab Hippocr. decantatum, subdit rectitudinem, quam ad reuulsionem Hippocr. optat non constitui à qualicumque connexione venarum (habent enim aliqualem communitatem partes omnes) sed à communitate, quæ oritur à deriuatione venarum ab eodem trunco, quæ cum inter venas dextri lateris, & sinistri non existat, negat reuulsionem fieri à parte dextra, vena sinistri lateris dissecta, licet in cruribus aliter se habeat, quia venæ ad crura deductæ, ab eodem trunco, qui in inguine deriuantur.

A parte dextra an sinistram.

Arg. negat esse consensum.

Idem placuit Fuchsio 2. Parado. 4. c. 4. & c. 16. comm. super lib. de cur. rat. per S.M. & alijs multis, à quibus cogor recedere; nam multa docent apertè sufficientem esse inter has partes communionem ad reuellendum, & quouis alio modo

Nos agnoscimus.

va-

vacuandum: ac primum scribit Hippoc. venam sectam in fronte, iuuare dolorem, posteriorem capitis partem affligentem: non iuuaret, ni vacuaret causam morbi, nec vacuare posset, ni multam communionem haberent. Gal. quoque. scribit sectam venam oppositi lateris obscuram, & longo post tempore vtilitatem afferre; Reueliet itaque quamquam tardius; Fernelius etiã ea ratione damnat vacuationem, quæ ex opposito fit latere, quia autem sanguinem bonum vacuat relicto impuro, aut purum attracto impuro à particula patiente conspurcat, aut aliam excitat in latere sano inflammationem: at timeret hæc citra causam, si non esset sufficiens inter has partes consensio: quare admittenda.

An inter partes internas, & externas.

Est quoque admittenda inter partes internas, & externas; nam medici erumpentibus maculis, aut variolis, timent mittere sanguinem, eam vt patet ob causam, ne reuocetur humor à partibus externis ad internas: inepte ijdem ad reuocandas easdem, cucurbitulas dorso admouerent, ni tanta esset inter has partes consensio, quanta ad reuulsionem faciendam est satis. Preterea nihil desideratur ad reuellendum; si quid enim deficeret, maximè esset rectitudo illa, quam tantopere exposcunt in vacuatione; at neque hæc deficit, siquidem rectitudo non tantum inter eas est particulas, quæ secundum mathematicam rectitudinem opponuntur, sed & inter eas, quæ secundum latitudinem sunt contrariæ, vt expreisè docet 3. de fract. tex. 19. Gal. & experientia ... proposita confirmant. Confirmatur, quia volentes reuellere, non debemus inquirere rectitudinem cum parte, quæ recipit, sed cum ea quę mittit, vt supra diximus: mittente itaque parte dextera ad sinistram cum sanguinem ex. g. mittimus ex dextra, seruamus procul dubio rectitudinem cum mittente particula, hæc autem cum seruari debeat, rectè hinc sanguis mittetur. Demum rectitudo hic non solum ex consensu venarum, quæ ab eodem trunco deriuantur, sed vt aduertit, & optimè idem Argenterius cit. loc. ex quadam communione meatuum, & cauitatum musculorum coalescit, alioquin non posset reddi ratio rectitudinis, quæ inter lienem est, & narem manumque sinixtram; nam quantum spectat ad vasa, communicat magis lien cum dextera parte à qua venæ, quam cum sinixtra: nec docere quis posset per quas venas aura, tam breui momento à pede adscendit ad caput, à capite humor descendit ad pedes, si hanc communionem meatuum, & intercapedinem musculorũ negemus; nam etsi mortuo homine, ob meatuum conniuentiam, vel adstrictionẽ, nequaquam obseruetur, negandam tamen non esse in viuente, & adducta experimenta, & alia multa docent; quamobrem cum possit eadem meatuum, cauitatumq; communio inter partes dextras, sinixtrasque internas externas intercedere, poterit & illa communio satis esse superque reuulsioni faciendæ.

Ad reuellendum demum non tantum rectitudo attendi debet, sed distantia, vt infra dicemus; quamobrem cum hæc reperiatur, multo magis inter sinistras partes cum dextris, quam inter eas, quæ secundum longitudinem lateralem opponuntur, poterimus volentes à dextris reuellere partibus, sinistras secare, & è conuerso.

Cur verò voluerit Hippocr. & cum ipso Gal. & medici omnes, vt laborante hepate fiat sanguinis fluxus à nare dextra, non à sinixtra, diximus supra lib. 11. Reuellemus itaque humorem, vel reuocantes ipsum à partibus supernis ad infernas, vel à sinixtris ad dextras, vel ab internis ad externas seponentes, & è contra quamquam extra corpus labatur, & fluat.

Sed quando hæc reuocatio bifariam potest fieri, ad partes nempe admodum distantes, & non multum distitas, videamus tertio ad quasnam partes debeat reuocari cupientes reuellere. Dat causam dubitandi Hippoc. Galen. dant alij omnes. Hippoc. quidem, nam 2. de nat. hum. text. 9. *curare*, inquit, *oportet in sectionibus longissime secare a locis, in quibus dolores fieri consueuere, & sanguis colligi, ita enim minimè magna mutatio inopinatè fiet, & consuetudinem praeciderís, ne amplius eodem loco colligatur*; & 6. epid. 2. tex. 9. *quæ dissimilia*, ait, *sunt, si sursum delata repant, deorsum soluere oportet*, hoc est, vt ait Gal. in commento, *humores qui membris sunt in totum dissimiles, si sursum repant, infra detracti soluendi sunt, si deorsum vergant, sursum reuellendi*. Contra monuit idem, vt in doloribus, ventrem proximum soluamus. Dat causam dubitandi Gal. nam reuulsurus humorem ad contrariam partem, eamq; distantissimam reuocandum, censet 3. art. medic. ait *enim attrahendi ex omni loco ad oppositas partes communis indicatio est, ad quam maxime distantia, deriuato vero ad vicina*: & 13. meth. *longissime* ait, *à parte fluxione tentata reuellere oportet*, cũ tamen curans hepatis inflammationem, ex brachio dextro sanguinem mitti consulat: & de pleuritide tractans lib. de cur. rat. per sang. miss. ex brachio lateris affecti mittit sanguinem, damnatque sectionem ex opposito, quia hæc, aut nullam, aut longo post tempore affert vtilitatem. Reuocari idem in dubium ab alijs, & in varias iuisse sententias nullus est, qui ignoret.

An reuellendum ad distantissimas partes.

At certè, si reuulsio hac ratione differt à deriuatione, quod hęc fit tracto humore ad partem vicinam, reuulsio, eodem

Auct. opin.

tracto ad distantissimam, certum est, reuellere volentes, illud quam maximè enrare debere, vt ad distātes partes humor ducatur; distantes inquam ab ea, ad quam fluit humor, proximas tamen illi, quæ humorem ad partem laborantem transmittit. Neque aliter oportet opinari, ob loca Gal. aut Hippoc. quæ videntur oppositam statuere sententiam; nam vbi partes eligunt proximas, haud id faciunt ad reuellendum tantummodo, sed vt reuellant simul, & deriuent, vacuentque vna venæ sectione; non tantum, quod paratū est fluere, sed & illud quod ad partem est lapsum: certum autem est ad deriuandum, ineptum prorsus esse, partes distātes secare: nos de reuulsione in præsentia loquimur.

Qua vena secanda in pleuritide. Ex his intelligi potest, quænam sit vena tundenda in pleuritide, qua de re, tot tantaque à tot scripta fuere, & tractatus peculiares concinnati, vt à Petro Brissotto, Andrea, Thurino, Curtio, Trincanellio, & alijs multis. Nempe si pleuritis fiat sanguine ab vtero, venis sedis, aut alia parte inferna ad pleuram transmisso, infernæ venæ erunt pertundendæ; nam vacuata pars mittens per has venas, non amplius mittet: si fluat humor à capite, vena vacuans caput; si ab vniuerso corpore fiat fluxio, vacuandæ primum partes infernæ sunt, secanda deinde vena oppositi lateris, deueniendum postea ad idem latus, vt deriuemus, & vacuemus à parte affecta.

Obiectio. Obijcies, venæ sectio qua simul reuellimus, atque deriuamus, præferenda illi est, qua reuellimus tantum; nam præstat quam citissimè curare, & simul lenire dolorem, calorémque partis dolentis compescere, vt omnis fluxionis occasio adimatur; At vena eiusdem lateris secta hęc omnia assequimur, nō secta vena pedum, aut oppositi lateris, quinimo nocebimus, nam aduocatus sanguis ab opposito latere ad sanum, aut conspurcabitur sanguis sani lateris, aut noua in sano latere inflāmatio inducetur: quare cum sit pleuritis affectus valde acutus, citumque exposcens remedium, ex parte vicina male affectæ mittendus sanguis: in præseruatione, aut leni morbo, ex remota.

Secundo vena nutriens octo costas inferiores, est vena sine pari procedens à caua, quæ à parte dextra procedit; ergo quocumque in latere excitetur pleuritis, dum tamen sit in octo costis inferioribus, vena brachij dextri est aperienda. Putarunt moti hac ratione quamplures, semper esse ex eodem latere vacuandos vena secta pleuriticos, quia hinc sanguis eductus vna simul reuellit, deriuat, vacuat, quod in morbo præcipiti faciendum: ita Manard. fern. Vallesf. Brissott. Curtius, & alij multi. Sed certè non est semper pleuritis morbus, ita præceps; nam ad 34. vsque diem Anaxionem vexauit: neque esse vnquam potest angina acutior, in qua Hippoc. ex brachio primo sanguinem mittit, deinde ad venas proximas, quæ vacuant à parte accedit. Ad rationem primam dic, procurādum, vt quam citissimè morbus abijciatur, & pro morbo, optima sanitas inducatur; ijs tamen remedijs hoc procurandum, quæ sint tuta, nam debet esse curatio tuta, cita, & iucunda; nunc verò non est tutum mittente vrero sanguinem ad pleuram, aut alia inferna parte, aut alio brachio, venas eiusdem brachij pertundere; immo erit idem quam maximè perniciosum. Non est etiam tutum, mittente toto, aut capite ad pleuram, eam venam aperire, quæ à pleura possit deriuare; nam non habente eadem commercium cum capite, non poterit caput inaniri; quare neque fluxio inhiberi: in contrarijs autem indicationibus vacandum vrgentiori est, quare reuellendum est primum. Quod si dicas, faciendum hoc simul, cum explere id possumus: nunquam id negauerim; an tamen possit vnquam id fieri, hoc mihi admodum dubium: & certè si in dubijs, tutiori debemus parti adhærere, debebimus semper ex contrario latere ad reuellendum vacuare, quando hoc tutius multo, vel eiusdem Galen. testimonio; neque enim vnquam dixit Gal. læsum iri ægrotantem vena oppositi lateris adaperta, sed parum emolumenti allaturam, idq; tarde. adde demū, quod vbi Gal. vsque adeo contemnit ex latere opposito vacuationem, vt dicat, aut parum, aut tardè iuuare, asserit Capiu. conducere parum euacuando humori, qui fluxit, nam deriuando non valet: ad reuellendum efficacissimum esse. Quare cum in principio reuellendi indicatio vrgeat, non deriuandi, nam parum est, quod fluxit, multum, quod potest affluere, oppositi lateris vena, non eiusdem secanda; nam Fern. terriculamenta, qui nos conatur ab hac sententia dimouere, quia attractus illa venæ sectione putris sanguis ad sanam particulam, aut eius partis sanguinem conspurcabit, aut nouam inducet pleuritim, contemno: numquam id visum, nunquam à medico aliquo obseruatum: parum iuuare, aut tardè Gal. dixit; vt nocuam, nullibi damnauit. Quamobrem cum sit tutius remedium vtiliori, dubio tamen præferendum, præstabit mittere sanguinem ex contrario latere in pleuriti.

Quando venam manus sinixtra, dextra secare expediat. C. XVII

CVM supra dictum sit, euacuari hepar secta vena basilica dextri brachij, & media inter annularem, & minimū dextræ

dextræ manus: lienem pariter secta vena sinixtra, mediaque manus sinixtræ inter medium digitum, & aunularem, examinare præstat, quando hanc, quando illam sit ex vsu aperire: cumque huius difficultatis decisio haberi nullatenus possit, ni ante omnia constet, quorsum venæ minimę manus eligantur cum occurrant maiores quæ & celerius vacuant dictas partes, & tunduntur facilius, propterea hoc præmittemus.

Paul. opinio. Existimauit Paul. lib. 6. cap. 43. idcirco has venas eligi, quandoque à medico in affectibus hepatis, & lienis, alijsque venis maioribus præferri, quia valentius vtraque à prædictis visceribus reuellit.

Sed huic repugnat praxis quotidiana: Si enim ad reuellendum efficacius venæ istæ aperirentur, tunderentur certè in initio inflammationis, huiusmodi partes affligentis; at verò in morbi inclinatione harum venarum dissectio probatur, aliud ergo ad has venas aperiendas medicos hortatur.

Valles. Putauit Valles. lib. 7. cont. 5. & 2. ep. 2. t. 19. idcirco in affectibus hepatis venam manus dextræ pertundendam, laborante liene sinistræ manus venam secandam esse, quia vt dextra manus est emunctoriũ hepatis, sic sinixtra lienis. Quare vt ad dextram manum hepar, sic ad sinixtram lien progressio, iam morbo se se exonerabunt, & excrementa deponent. Propterea subdit tunc temporis has venas aperire expedire, vel vt motum naturæ adiuuemus, vel vt sopitam eamdem, ad salutarem hanc excremẽtorum depositionem excitemus. Cæterum quia videbat posse obijcere aliquem frustra motum hunc tentari, cum venæ illæ exiguę crassis excipiendis non sint aptæ, subdit idcirco in his secandis ligare strictius artifices, fricare easdem partes multo magis, quam in maiorum venarum sectione, & balneare, vt pars excipiendis recrementis reddatur idonea.

Vt probat Zacut. lib. 1. quæst. 27. Sed neque Valles. satisfacit. Primum quia incertum admodum est, quod tamquam certum supponit, manus esse emũctorium hepatis; nam quamquam dicant Arabes, manus, & pedes esse fenestras hepatis, malè tamen hoc inde deducunt, quia calor hepatis in planta manus potissimum elucet: sit .n. in parte illa conspicuus, quia è cuti densa non potest ita facilè calidum perspirare. Secundo si hec causa moti has venas secamus, eadem ducti ratione possemus venam pedum secare, quod non facimus. Tertio aliud est fenestra ab emunctorio.

Augen. Contempsere propterea alij hoc remedium, inter quos recensendus Augenius, vt cõstat ex ijs, quæ scripsit tom. 1. epist. lib. 8. ep. vlt. & lib. 3. de sang. miss. cap. 6. & Siluat. c. 43. Ne tamen à Galen. videretur recedere, subdit nunquam Gal. ex propria sententia hoc remedium probasse, sed ex aliorum mente admisisse; loquens enim de hac vena lib. 3. de anat. administ. prope medium habet, *quam nonnulli secantes, sinentesque fluere ex ea, quousque sua sponte sistatur, lienem ex tali vacuatione iuuari asserunt*, & lib. de cur. rat. 14. habet, *quemadmodum putant, qui lienem curari credunt à venæ ad paruum digitum sitæ sectione*. tundendas ergo statuit, cum maiores, aut quia non apparerent, aut aliam ob causã, secari non possunt. vbi est locus his aperiendis, frustra ad exiles venas manus recurri. Idem censuit quandoque Valles. cum nulla illi causa occurrebat, qua posset, probari præferendam esse quandoq; vacuationem, quæ ex venis exiguis illi, quæ ex cubito: vbi verò experientia didicit, ad extirpandos affectus hypocondriorum, vtilius esse manus venam secare, quam cubiti, cœpit huius causam longa meditatione inuestigare. Ergo cum & nos censeamus, non esse fidem Vallesio negandam (& si neget Augenius) nam idem alij multi, vt Auic, Tral. Aetius, Rasis, Hollerius, ... cont. 22. 3. tr. 2. c. 25. causaq; à Valles. adducta non arrideat, excogitanda alia est.

Mercati, & nostra. Dixit Merc. lib. 1. de recta præsidior. indicat. cap. 4. conducere magis huiusmodi venarum sectionem, quia his adapertis deriuantur fęlicius humores crassi in venis impacti, & morbi, vsque adeo diuturni auctores: qui si assumptum monstrasset, omne punctum tulisset: quoniam vero partem hanc omisit, quod omittendum non erat: aut supplendum hoc est, aut alia huius experientię ratio assignanda; quoniam vero illam esse reor huius experientiæ causam, conabor monstrare venis his dissectis, humores crassos potissimum vacuari, quod suadere non admodum difficile erit; nam cum extremæ hac partes crassiori sanguine alantur, nam hic maiorem habet affinitatem cum illis, dissectis venis, quæ sanguinem ad earum nutrimentum, & seruant, & deferũt, crassus sanguis quo scatent, educetur potissimum, quo fiet, vt similem trahant, & prope illum, qui morbo fouendo in venis penitioribus seruabatur: fomite dẽpto, aut morbum tolli, aut minui necesse est: hoc beneficium, cum nullo modo habeatur à sectione venarum, quæ in brachio sunt, idcirco erit magnarum venarum dissectio non ita proficua, quantum proficiet sectio exignarum. Hæc mihi videtur propositæ experientiæ ratio, quam si placere intelligam, gaudebo me in re hac profecisse: sin minus, non erit ingratum in re adeò honesta laborasse.

Quid faciendum cum venæ secandæ non apparent, partiumque malè affectarum complicatione. Cap. XVIII.

Contingit non raro, vt venæ secandæ ita in abditis corporis delitescant, nullo vt pacto queant à Chyrurgo, quantumuis diligenti, & petito aperiri, contingit item frequenter plures partes vna simul affici, atque alteram poscere, vt ab infernis partibus sanguis extrahatur, vt cum e. g. puerperis pleuritis supervenit, angina, aut alius affectus consimilis. Propterea ne hic hæreat medicus, quid faciendum sit breuiter indicabimus.

De primo, fuit Gal. sententia lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 16. deficiente aliqua maiorum venarum, quæ in brachio, earum alteram, quæ maiores sunt, pertundi debere. Vt e. g. non apparente cephalica secanda est media, quippe sæ cephalica, & interiori coalescit, quę si neque appareat, interior erit substituenda, ac demum si neque hæc sit manifesta, descendendum ad eas, quæ minores; vnde vena, quæ funis brachij dicitur aperienda erit, vel media inter annularem, & minimum, aut ea, quæ inter pollicem, in dicem que intermediat. *Tres inquit sunt mittendi sanguinis loci ex cubito, interior, exterior medius. Igitur interior vtilis est ijs, quibus inferiores partes patiuntur; exterior vero in ijs, quæ ijs superiores sunt, vt facies, & caput, medius locus, interdum, vtrasque deductas habet venas, ulteriorem brachij partem tendentes, ac deinde hic coeuntes, interim vero celeriter in vnum numero congredientes, in ipso videlicet iunctura flexu, ac nonnunquam obscuram earum alteram, claram verò alteram. Itaque vbi vena, quæ parti affectæ propria est, obscura fuerit, & ad mediarum aliquam accedas, conare, quæ à propria deducitur potius incidere.* Idem habetur 53. meth. cap. 11. & 2. de rat. vict. 12.

Quantum ad 2. existimauit quidam, nunquam licere puerperis è partibus supernis extrahere sanguinem. Ita autem putauit, auctoritate motus, & ratione, nam Trincauellius cap. 1. lib. 12. puerperam vehementissimis articulorum doloribus conflictatam, sanguine ex vtroque talo misso, quam citissime liberauit. & Amatus Lusitanus cent. 7. cur. 31. puerperam pleuritici correptam sanguine ex talo misso sanitati restituit: cumque alteri melancholia laboranti, alterique cui multa exanthemata eruperant, sanguine ex pede misso, ex brachio postea mittere tentasset, hanc ipsomet ingenue fatente necauit, illam insanabilem reddidit. Gal. quoque 13. meth. 11. 4. de san. tuend. 6. & lib. de cur. rat per sang. miss. 19. scripsit vtero male affecto semper venas, quę in cruribus sunt aperiendas esse; quare cũ huius culpa fiant morbi omnes à partu, de hoc vacuando continuo oportet esse sollicitos. Auctoritatibus hisce addit hãc rationem; Reuellit criticam puerperiorum vacuationem sanguis missus à brachio; quare nunquam mittendus: quod si cum Fernelio dicas, non omnem ex venis cubiti sanguinis detractionem menstrua cohibere, sed copiosam, ac magnã, ac propterea hanc cauendam, non autem landam exiguam, vrget acrius, & ait. Vel vrget multum scopus mittendi sanguinẽ ex brachio, aut non vrget: si dicas hoc secundum, prẹstabit abstinere; quorsum enim ratione scopi non admodum vrgentis, vacuationem naturali contrariam molimur? quod si multum vrgere affirmes, necesse est multum sanguinis educas, alioquin vrgentissimo scopo nequaquam satisfacies: at hoc remedium retrahit puerperia quare nullo pacto ex venis supernis erit sanguis mittendus. Præter hæc subdit alia multa ad conuellendam Fern. sententiam, quæ non affetam, tum quia habes à Moxio lib. 3. de cur. rat enixas per sang. miss. capit. 32. 33. & 34. cum quoniam exigui momenti, vt propterea censeam oppositam sententiam esse amplexandam, nam adducta nõ probãt, quod assumpsit, nec rationi satisfacit, cui aduersarij nituntur: Patet primum, nam etsi Gal. probet Trincauell. vt in euocandis mensibus adstrictis venas pedum tundamus, dolores ex mensibus adstrictis exortos, vena pedũ aperta pari pacto curet, non negant propterea, quin aliter quandoque expediat fieri, vt cum affectus non pendet à restrictis mensibus, aut esto pendeat, illud tamen quod fluxit, quam citissimam sui vacuationem exposcit, quam cum explere nequeat vena secta partium infernarum, erunt velimus, nolimus, superiores, quæ proximè partem affectam respiciunt dissecandæ. Idem dictum puta de Lusitano, misit quidem in pleuritide à menstruis retentis sanguinem ex saphena, at non negat propterea vlterius morbo progrediente, & indicatione vrgente vacuandi, quod fluxit, esse à proximioribus vacuãdum: imò in hac fuisse sententia, apertè declarat duobus locis, cent. 1. curat. 14. & curat. 15. siquidem mulieri deliranti à puerperijs suppressis, præmissa sectione partium infernarum, supernas aperuit: idemque præstitit, dum præesset curationi macularum à menstruis retentis, quæ intuitus huius sententiæ auctor reprehendit Amatum, siquidem melancholica illa mulier ex importuno vsu huius remedij tardè post mensem conualuit, altera vero misere perijt, transcendens

de

de genere in genus, nam cum negaret primum, Amatum stare pro contraria sententia, re desperata postea, malè Amatum sentire affirmat. De sententia Amati controuertere cœperas, ad examen sententiæ te conuertis, & male ab ipso superiores partes sectas fuisse contendis, quia melancholica illa mulier, tarde, & post 4. mensem conualuit. Dic quæso si phreniti correptus optio tibi detur, vtrum malles, conualescere tarde, an cito mori? Prætetea. Quisnam Deorum tibi reuelauit, ob hanc causam mulierem illam tarde conualuisse? an id suspicaris, quia altera, cui exanthemata eruperant post mēstrua suppressa, misso ex brachio sanguine, misere perijt: at longe aliud est perire hominem misso sanguine, aut perijsse idcirco, quia missus est sanguis: quemadmodum non est idem dicere, ambulante Sociate coruscauit, aut dicere, propter hanc causam coruscasse, quia Socrates ambulauit. Sed mi homo lege attentius auctores: ne fucum facias, noli nobis imponere: conualuit illa mulier, non perijt. Non itaque stat pro te Lusitanus. Neque Moxius, quem pro te citas, sed eius, quem tibi aduersarium constituisti sententiam probat, vt manifeste poteris videre lib. 3. capit. 44. Nullus itaque est auctor, qui tuam probet sententiam.

An ratio suadet? minime vero; negat enim Mercatus retrahi puerperia, si admotis cucurbitulis cruribus, & ligaturis, sanguis è superioribus partibus extrahatur: nego pariter retrahi, cum multa est plenitudo in supernis partibus; trahunt enim venę sectę ab alijs, vbi sunt inanitæ. quare cum vnica venæ sectione, nequaquam inaniantur, non est cur tantopere retractionem vereamur: quamquam nec si retrahantur, improsperè propterea venæ partium superiorum secabuntur; nullum enim remedium est, vsque adeo fœlix, vt omni ex parte iuuet: sic tenuis victus ratio, quantum morbi coctioni conducit, tantumdem viribus officit, quemadmodum plenus, quantum prodest viribus, pari passu coctionem causæ morbificæ impedit: sic potius aquæ frigidæ febrilem calorem extinguit, aut compescit, at causam febris, hoc est obstructionem, & humorum crassitiem adauget: contra attenuantia, & deobstruentia, causam febris imminuunt, febrem tamen adaugent. Quid commemorem pharmaca? notum est, vel medicinæ Tironibus, indicari à causa, reijci à calore febtili. Demum vulgo dicitur, lo che gioua allo fegato, fa danno allo polmone. Ergo etsi retrahantur, sanguine misso ex brachio puerperia, non erit propterea confestim reijciendum consilium de sanguine ex brachio extrahendo, sed iuxta Galen. monitum, quod vnanimiter omnes accepere, vrgentiori vacandum, altero non neglecto. quare vbi duo fuerint affectus, quorum alter vacuari partes supernas exposcit, reclamat contra alter, & vt infernæ pertundantur desiderat, indicantium dignitas ponderanda, & digniori vacandum: cumque pleuritis, angina febrisque acuta, multo magis vrgeant quandoque, quam mensium retractio, aut puerperiorum, licebit quandoque vrgentiori vacantes à partibus supernis extrahere sanguinem. Demum quia indicatio contraria non est vsquequaque contemnenda, faciendum id parcius, vt bene monet doctiss. Fern. quicquid alius dixerit; rogante enim ipso, vel indicatio mittendi ex brachio sanguinem, multum vrget, vel parum; si parum, nihil agendum: si multum, multum itaque sanguinis extrahendum erit, occurram facile si dixero, multum quidem vrgere indicationem illam, ac propterea venas supernas secandas esse, minori tamen copia, quia à contrario affectu contra indicatur, & in contrarijs indicationibus, vrgentiori ita debet medicus vacare, vt alterum scopum omnino non negligat; quare. etsi à principali indicante indicatione desumpta, multum sanguinis esset extrahendum, quia tamen contrarium prohibens, non est negligendum, minora est ille copia vacuandus. Non verendum propterea, ne morbum diutius protrahamus, aut nullo pacto curemus, nam fracto vi remedij morbi impetu, natura facilè postea, quod est reliquum superat. Hinc quoniam id quod in principio pleuritis, aut anginæ fluxit, multum esse non potest, nam in principio omnia imbecilliora, non debemus statim, de eo quod fluxit esse admodum solliciti, vt propterea improbem Valleriol. qui statim puerperæ, & pleuriticæ venam brachij secauit. Contra quia à partu prouocandorum puerperiorum indicatio est magna, transacta prima hebdomada minus vrget, minus transacta secunda, quo magis recedimus à partus diebus, eo tutius poterimus venas brachij secare, nam quod nonnulli credunt, Hipp. moti authoritate, vacuandis puerperijs per mensem, aut dies 40 vacādum, vt falsum reijcio, repugnat experientiæ: neque Hipp. voluit per integrum mensem continuo vacuare naturam, sed hoc: maximum esse, & vltimū illius vacuationis. Itaque vt acutorum vltimus terminus est 14. dies, tertianæ exquisitæ 7. circuitus, febris ephemeræ vna dies, vitæ humanæ anni 80. etsi ferè semper hi citius extinguantur, morbi illi terminentur, haud aliter terminus puerperiorum maximus, potest esse spatium 30. dierum aut 40. etsi fere semper citius vacuatio ista absoluatur.

Obijcies, est vterus corporis totius cloaca, vnde per ipsum commodissime

po-

poterit corpus vniuersum expurgari; quare esto partes supernę afficiantur, prætiabit ab vtero vacuare, ita enim sollemus, quod factum est in angina, & pleuritide, nec propterea menstrua, aut puerperia retrahemus.

An negabimus primum, posset quod fluxit ad pleuram, aut fauces, aut quoduis aliud quod in supernis partibus est impactum, ad vterum retrahi? vel potius, ne quæstionem, quæstioni apponamus, dicemus posse quidem, quod in supernis partibus stagnat, reuocari ad vterum, tarde tamen, & multis repetitis vacuationibus: quamobrem cum non dat moras morbus, sed clamat, vt quam citissime quicquid fluxit vacuetur, cogimur violentia morbi à partibus infernis ad supernas adscendere. vide Zacut. lib. 1. histor. 77.

Quo morbi tẽpore uena sit secanda. Cap. XIX.

Quid de re ista senserint Antiqui.

CONstat apud omnes, tunc esse administrandum remedium vnum quodque, cum est, quod indicat, nec quidquam prohibet; an sit indicans venæ sectionem in quouis tempore morbi, & semper virtus ita robusta, vt ferre valeat, hoc controuersum. Quidam quos refert Galen. lib. de curan. rat. per sang. miss. 20. transacta quarta die, numquam mittebant sanguinem. Idem Cels. 2. suæ medic. cap. 10. Paul. lib. 6. cap. 48. non transacta adhuc 7. à quibus non multum differt Aug. & nostrates medici, quamquam angustiores isti præfixerint terminos huic remedio; nostri enim medici, misso bis sanguine primis febris diebus, vix possunt postea induci, vt tertio pertundant venam, licet purgato corpore hirudines venis sedis apponant. Augen. autem, non tantum primis diebus, sed & decima quarta mittit sanguinem, vt licet apud ipsum videre 8. de sanguinis missione cap. 9.

Augenius.

Quid alij.

Alij non tam è numero dierum indicationem sumentes, quam nullam desumi deberi, omnes de re medica benè meriti affirmant, quam à temporibus morbi, à quibus, & variatur virtus, & plenitudo exhauritur; initio morbi, mittunt sanguinem, hoc transacto, huic remedio parcunt. Vsurpant alij hoc præsidium, quocumque morbi tempore indiscriminatim. Commendat Auic. 4. 1. c. 20. inclinate iam morbo, damnat in principio, *quia humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eum sano sanguine admiscet.* Verumtamen, si scopos phlebotomiæ perpendamus, administrabitur commodius illa, inchoante iam morbo, & in principio, quam alijs temporibus: enimuero est illa ex vsu, cum magnus est morbus, summa est plenitudo, valet virtus: nunc autẽ

Auic.

Author.

in declinatione, remissus est morbus, plenitudo nulla, nam morbo acuto correpti, tenui nutriuntur victu, tenuiter nutriti, nullam congerere possunt plenitudinem: in augmento, & statu, quamquam vrgeat morbus, vires tamen fatiscunt, vt propterea videatur dicendum, in vno morbi initio conuenire vt plurimum scopos mittendi sanguinem. Confirmatur ex Galen. nam declarans 2. part. Aphor. quæ remedia admouenda in principio, quando aliquid tentandum esse monuerat Hippocr. *sunt*, inquit, *duo præcipua remedia, venæ sectio, non numquam, & purgatio*, ac si illa semper, non numquam illa in principio admouenda esset. Ita Paul. lib. 6. cap. 40. Fernel. 4. meth. cap. 15. Fuchs. 2. instit. sect. 5. capit. 7. Augen. lib. 8. de sang. miss. Nec Auic. dissentit, nam docens, quo tempore mittendus sit sanguis in tertiana exquisita, iubet *ne proroget vltra tertiam periodum, quia postea coctus humor melius pharmaco educitur, quam phlebotomia.* Hinc quoniam acuti morbi trium dierum spatio, aut quatuor solent præterire principium, extenditur alias ad octauum vsque pro varia ratione acutiei: transactis primis hisce diebus, anile censent quidam hoc præsidium, cum tamen sensissent æquius, si dixissent, vacuata plenitudine, aut atritis viribus, non esse amplius locum huic remedio: cumque exhauriri illa soleat circa initia morbi, nullam seruari ad augmentum, vique aut alia morbi tempora, non virili robur, nam sæuitiẽ simptomatum, mossique progressu prosternitur: morbi initio transacto, nullam esse amplius sanguinis vacuandi indicationem: esse tamen aliter faciẽdum, quandoque & alijs morbi temporibus phlebotomandum si alijs morbi temporibus indicantia huiusmodi auxilium habeantur. Hinc facile poterit vnusquisque intelligere, quid sit ad quæstionem illam respondendum, qua quærunt, sitne repetenda venæ sectio in febribus putridis, quod passim faciunt Hispani, an præstet contra bis, aut ter sanguine misso primis febris diebus, perpetuo postea abstinere, de vacuanda tãtum cachochimia solliciti, quod video placuisse Iouberto, duabus epistolis de re hac conscriptis ad Gaudinum. Nempe si bis sanguine misso, fuerit plenitudo exhausta, aut vires attritæ vehementia symptomatum, non erit in posterum de remedio isto cogitandum: erit contra idem repetendum, si eædem habeantur indicationes; etenim quod nunquam fieri posse quidam credunt, vt post morbi initia, aliqualis sit plenitudo, nam à vigilijs & victus tenuitate est exhausta, nõ est perpetuo verum teste Galeno; siquidem illud discrimen agnoscit inter aquę potum, & venæ sectionem, quod aquæ potus, nõ nisi cocto iam morbo est opor-

An repetenda venæ sectio in feb. putrid.

tu-

tunus, venæ sectio quouis tempore potest esse vsui; multi enim febricitantes, vel ob medici incuriam, vel contumacia adstantium, nequaquam tenuiter nutriũtur: alij etsi ab externo abstinuerint alimento, concoctis crudis succis congestis alias, multum sanguinis congerunt: alij demum quamquam nullam habeant plenitudinem quoad vasa, laborant tamẽ ea, quæ quoad vires vocatur, Hinc quoniam Hyspani largius languentes nutriunt, & eorum corpora non ita facile difflantur, quippe qui degunt in aere sicciori, & alimentis aluntur siccioribus, alunt eosdem tenuius Itali, (Neapolitanos nonnullos excipio,) atque ijdem ob aeris, ciborumque mollitiẽ facilius exoluuntur, largius illi sanguinem mittunt, & pluries, rarius isti, & minori quantitate. Præterea non vsurpatur huiusmodi auxilium, exhauriendæ tantum plenitudinis gratia, sed ad refrigerandum, ventilandumque calorem, aperta enim vena perspirant, tanquam per patefactum caminum fuligines: viget vero hæc indicatio in alijs temporibus febrium, siquidem oportet continuo de inhibenda putredine sollicitos esse; quare cum propter hanc causam, tum quia fieri potest, vt eædem vigeant indicationes in alijs temporibus morbi, erit in alijs temporibus morbi, erit in alijs temporibus febris, huiusmodi auxilium repetendum. Tenentur vero id facere potissimum, qui venæ sectionẽ non tantum ad vacuãdam plenitudinem probant, sed ad exhauriendam pariter cachochimiam commendant, & pharmaco allicere reformidant: vel quia cruda, vel quoniam corpus est impræparatum, nam quamquam hæc non valeat æque, ac pharmacum, præstabit tamen hoc tanquam tutius eligere.

Cur Hyspani largius mittant sanguinem.

Cur natura ma'e vacuat sanguinem in principio.

At petes, si vique adeo confert vacuatio sanguinis in morborum initio: cur si natura id faciat per initia morbi, damnatur à medicis: vnde in vniuersum scriptum ab Hippocr. est, Decretoria non statim appareant.

Cur bene in statu, & declinatione secus ac art.

Secundo si natura vacuat cum profectu languentium sanguinem in statu morbi, & declinatione eiusdem, cur non conducet eadem si fiat à medico?

Cur cocto morbo pharmacandum: crudo sanguis mittendus.

Tertio quæres, cur vacuandum est pharmaco, cocto iam morbo: contra eodem crudo secanda est vena? Difficultatis ratio est multiplex. Prima quia, vt illa fit natura expellente, sic sanguinem vena secta effluere supra diximus natura pellente; quare si hæc pellere solet concocto, iam morbo, & euicto cocto iam morbo sanguinem expediet mittere.

Confirmatur, quia Hipp. 1. aph. 22. præcipit vt concocta, hoc est concoctos humores purgemus, & quouis alio modo vacuemus, id enim significat ly mouere, ac propterea apposuit post ly medicari, ne quis suspicaretur falso, in vacuatione per pharmacum tantum, concoctionem esse expectandam, non alio modo vacuaturi.

Auicennas demum 4. 1. cap. 20 *& debes inquit scire, quod dum istæ ægritudines timentur, & nondum in eas ceciderint, plus secure eis conceditur minutio; & cum in eas ceciderint, in earum principio penitus phlebotomia dimittatur, quia humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eos sano sanguini admiscet.*

Primi Sol.

Respondeo singulis, atque quod pertinet ad primum dicimus, si adsint scopi sanguinis mittendi, vacuationem sanguinis a natura tentatam sub initium morbi proficuam esse, non secus ac si à medico extraheretur, nulla enim fingi ratio potest, cur iuuet, si arte vacuetur, noceat vero si à natura idem fiat: damnatur itaque à medicis non vt causa, hac enim ratione prodest, non aliter ac si à medico extraheretur, sed vt signum; nam quoties intempestiue natura vacuat, hoc est crudo iam morbo, signum est irritatã naturam vel à copia sanguinis, aut à maligna eiusdem qualitate, illius vacuationem moliri: siquidem hoc sibi in more est, ut in principio retineat, coquat, coctione separet, segregata postea inutilia expellat; quare vbi missa hac lege intempestiue insurgit ad expellendum, nemo est, qui non uideat, irritatam hoc facere, ac propterea uacuationem illam in genere signi prauam esse.

Ad secundum dici primum posset, si eadem sanguinis vacuatio, tunc fieret à 2.
medico adhuc utilem esse; neque enim negamus nos, quin quouis morbi tempore scopi sanguinis vacuandi se offerant: quia tamen passim se se offerunt in initio morbi, raro in morbi inclinatione, augmento, aut uigore: propterea frequẽter in exordio morbi uenam secari iubemus, raro in alijs temporibus morbi.

Dici potest secundo, uacuationem illam tunc temporis factam, ut fluxum sanguinis per nares in declinatione, uel status fine, ardenti febri proficuam esse, & ipsam iudicare, non quia sanguinem per nares euacuet, sed quoniam tenuissimam bilim, & ferè in halitum uersam, ut in sudore contingit è corpore pellit, enimuero si ardens febris à bili ortum habet, hac uacuata sedari febris potest, non sanguine effuso, quod si in sanguinis fluxum hoc reijciunt medici, idcirco hoc faciunt, quia ut sensati artifices sequuti sensum loquuntur, cum tamen ratio dictet, quod nos autumamus. Vide Ioubertum epist. 1. ad Gaudinum.

Ad tertium dicimus illam esse diuer- 3.
sitatis rationem, quia pharmacum, certum potest humorem attrahere, omnes indiscriminatim uena secta extrudere: propterea nulla hic opus erit secretione,

sed

sed satis est premi copia, aut qualitate molestari, vt per disruptam venā vacuet sanguinem: contra in purgatione, quia certus est humor attrahendus à pharmaco, & à natura pellendus, certus autem expelli non potest, ni separetur, nec separari, nisi concoquatur propterea coctione est opus in bona purgatione, inutilis eadem, cum fuerit vena aperienda, & ob eandem causam venæ sectio est in morbi principio potissimum commoda, in inclinatione purgatio.

Hæc tamen dicta intellige de venæ sectione, vt est vacuans præsidium, & reuellens; nam si spectemus eamdem, quatenus refrigerandi vim habet, poterit eadem sub morbi finem conducere ad corrigendam viscerum intemperiem, quod in causa est, cur mittant nostri medici sanguinem ijs, qui sudarunt, & balneis naturalibus calidis, varijsque remedijs sunt exerciti: Nempe haud hoc faciunt indicatione aliqua sumpta à plenitudine, quę nulla adest, sed ad emendandam calidam viscerum intemperiem, aut præcauendum, ne eadem ab impressa vi medicamentorum inducatur.

Ad confirmationem dicimus breuiter; nam intra examinandi illum redibit occasio, non posse modo aliquo ex illo loco colligi, quod argumentum intendit: est enim eius sensus; concocta pathemata, seu nosimata, quæ cocta, & cruda dicuntur ratione causæ, à qua excitātur, quemadmodum abscessus coctos dicimus, & crudos, quod est idem ac dicere, concoctam causam facientem morbum vacua medicamento purgante, & moue, hoc est, & quouis alio modo expurga, vt balneis, diureticis, sudorificis, non vbi eadem cruda fuerit. Illa itaque morbi causa mouenda est, quæ potest vi pharmaci educi at verò non potest esse hæc sanguis, quare non potest Hippoc. de vacuando sanguine sermonem habere, quamquam ly cocta, causam omnem, morbum facientem includat.

Habet Auic. locus maiorem difficultatem, nam expressè videtur profiteri, nonnisi cocto iam morbo, sectioni venæ locum esse; quo factum, vt Fern. id pro comperto assumens, acriter ipsum 2. meth. 13. reprehenderit: quod iustissimè factum, nemo auderet negare, ni multis testimonijs ab eodem Auic. collectis apertè probaretur, oppositam illi sententiam placuisse; docens enim methodum febrium putrium curandarum in genere, *& cum postponitur*, ait, *phlebotomia in principio ægritudinis, non est amplius ei intentio*, & ibidem, cum reddere vellet axiomatis huius rationem, *sanguis*, ait, *quod est de genere eius. in quo non expectatur digestio*. Demum vt paucis id demonstrem, legantur curationes ab ipso institutę peculiarium affectuum, nam semper inuenies, mox præcipi venę sectionem ab ipso, vbi mittendi sanguinis indicatio est aliqua; quod nequaquam faceret, si censuisset quandoque ad rectam huius præsidij administrationem, concoctionem esse expectandam. Studendum itaq; quando amicè veterum dicta interpetrari debemus, locum hunc, in quo videtur secum apertè pugnare, & cum communi schola medicorum dilucidare. Ne verò longior, quam par est, euadat hic sermo, ac propterea tędio sim lectori, mittam, quæ excogitauit Dinus, Vgo Senensis, quęque attulit postea Augenius lib. 8. de sang. miss. cap. 17. conficta enim illa omnia sunt, & Auic. attributa, vt facilè noscet quicumq; illa perlegerit, sed meam breuiter proponam sententiā. Sciendum itaque loqui eo loco Auic. de venæ sectione facienda in casu, percussioneuè, & apostematibus, varias nostri corporis partes obsidentibus.

Sciendum secundo vacuationem sanguinis, quæ in prædictis casibus posset fieri, esse duplicem, reuulsiuam alteram, quæ iuxta eius consilium fit in parte, ab ea quæ malè affecta est longe dissita, non vicina, vt nonnulli Galenistæ censent. Datur alia vacuatio sanguinis, vacuatiua vocata ab Arabibus, quia vacuat sanguinem, qui fluxit ad partem, non reuellit eum, qui paratus erat ad ipsam confluere. Conuenit illa in principio fluxionis, nam retracto humoris affluxu, inhiberi potest tumoris generatio; est vsui ea, quę à parte fluxione oppressa euacuat, in declinatione fluxionis, & postquā illa iam substitit. Peruertis ordinem, & de humoris fluxi vacuatione sollicitus, statim à parte vacuare contendis, & in exordio morbi? aut nihil allicies, vt docet Hipp. 4. de rat vict. aut si quid inde trahis, sanguinem purum, impuri huius contagione, & vicinia conspurcabis. Hæc volens docere Auic. ait, *& dum istæ ægritudines timentur, & nondum in eas ceciderint, plus securè eis conceditur minutio, nam vires validiores, nondum morbo afflictæ, & sanguis eum nondum cœperit in partem illabi, reuelletur facilius. Cum vero in eas ceciderint, penitus phlebotomia dimittatur*, non ea quæ fit ad reuellendum, & in parte distante, sed quæ vacuandæ partis gratia solet institui à medico, ac propterea ab eadem fit parte; nam humores ad partem illapsos, dum retrahere conatur, per corpus fluere facit, & sano sanguini admiscet: *& est etiam cum nihil vacuatur ex eo, quod oportet, & facit quod necessaria sint medicamenta alleuiantia*; nam concitato maiori humorum ad partem dolentem affluxu, maior, dubio procul, omni dolor excitabitur; quare ad ipsum sedandum erunt medicamenta mitigantia dolorem vsurpanda. Quando itaque erit hæc vacuatio à parte, commoda? *cum maturatio*, inquit, *apparuerit, & ægritudo, principium, &*

flatus

statum præterierit, tunc oportebit, vt minutio fiat, si non fuerit, quod prohibeat; atque hæc de communi loco, & vniuersa quæstione. Cæterum, quia ad opportunam horę electionem indagandam, non tantum vniuersalia morbi tempora oportet intueri, sed & particularia etiam inspicere, idcirco videndum, an in accessione possit mitti sanguis.

Possit ne mitti sanguis in accessione. Cap. XX.

Vidimus qua parte vniuersali morbi mitti sanguis debeat: indagandum modo, an in accessione hoc facere liceat: cumque habeat hæc, quemadmodum & morbus quatuor tempora, videndum quanam periodi parte possimus tutius hoc remedio vti.

Quorundam sententia affertur. Laudarunt quidam, quos refert Valles. 4. meth. med. cap. 3. vt in augmento, & statu accessionis mittatur sanguis, ea, vt ipsemet refert, ratione ducti, quia eo potissimum tempore sanguinem mitti ratio postulat, quando magis vrget eius vsus, vt cum refrigerandi indicatio, & humores fluentes reuellendi, quam maximè vrget. At in augmento, & statu periodi, vrgent hæ indicationes. quare in augmento, & statu erit sanguis mittendus. Confirmatur, nam fluente humore ad pedes e.g. manus, aut dentes, aut immodicè eodem extra corpus, seu per nares hoc fiat, seu per pedes expulso, ad reuellendum vacuant, & summo cum languentium profectu medici. Quare idem seruandum in febribus. Præterea debet medicus imitari naturam rectè operantem, at hæc in statu, & augmento accessionis, summa cum vtilitate languentis vacuat sanguinem, vt passim obseruamus in crisibus, non in remissione accessionis, aut intermissione eiusdem. quare eodem debet medicus tempore, extrahere sanguinem.

Et reijcitur. Profectò si hi propriæ velint vtilitati consulere, non ægroti commodo, haud ineptè faciunt; nam cum sanguine misso leuius sese habeat æger (non tamen quia sanguis est missus, sed quoniam remisit inuasio) in importunam venæ sectionem adhibitam referetur leuamen, non in morbi naturam. Contra vero, si paroxismo remisso secetur vena, cum paulo post altera superueniat accessio, venæ sectionem, sequentis inuasionis causam esse dicent; at quando non imperito vulgo medicus satisfacere debet, neq; hic artē docemus aucupandi gloriolam, sed rectè medendi; cum ratio suadeat, non esse afflicto, afflictionem addendam, monet Hippocr. vt in accessione abstineamus: temperandum omnino accessione vrgente ab hoc remedio est, & tunc opportunè admouebitur, cum terminata fuerit accessio, aut remiserit saltim, ni morbus sit ex genere intermittentium. Celsus lib. 2. cap. 10 *si febris vehemens vrget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hoc enim iugulare est, expectanda ergo remissio. si non decrescit. sed decrescere desiit, neque speratur remissio, tunc quoque quamuis peior, sola tamen occasio non est omittenda.* Paul. lib. 6. cap. 49. *iis igitur, qui ob morbi necessitatem sanguinis detractionem requirunt, quouis tempore venam incidemus, si particularium dutaxat in febribus accessionum vigorem, seu statum excipiamus; At si continens omnino febris extiterit, matutinum tempus magis est idoneum.*

Ad opposita: Profectò si esset prima ratio alicuius momenti, accessionis initio esset vena secanda; nam tunc maxime humor ad focum putredinis confluit. Præterea non est secanda in febribus vena, vt paroxismus exortus inhibeatur, sed ad febrem sedandam: nec si refrigerationis necessitas vrgeat, venæ sectione propterea id faciendum, sed oris ablutione, & haustu aeris frigidi; quippe qui, vt fiat remedium, haud satis est indicari, sed vt indicatum toleretur, vnde cum non toleret conflictata natura per accessionem febrilem, vt vacuatione per sanguinem affligatur, præstabit tunc temporis ab huiusmodi remedio abstinere. Hęc ratio, quia locum non habet in alijs paroxismis, qui febriles non sunt, vt in sputo sanguinis in immoderato fluxu eiusdem per quamuis partem, dolore vehementi; propterea in his paroxismis sanguinem vacuamus, in accessione febrili abstinemus. Nempe hi paroxismi, vacuato sanguine, aut omnino tolluntur, aut valde imminuuntur, quare & indicantur ab affectu præter naturam, & tolerantur à viribus: non accidit idem per paroxismum febrilem; quare ne missione sanguinis debilitata natura, paroxismo postea vlterius progrediente magis debilitetur, abstinere conuenit; nam ob eamdem causam iubebat Hipp. 4 de rat vict. 110. ne in alui fluxione sanguinem mitteremus, quia si fluxus, misso sanguine perseuerat, vires debilitabitur. Poscit autē venæ sectio nedum præsentes vires robustas, sed vt fortes in posterum perseuerent.

Ad vltimum dicimus, quamquam natura vacuet accessione nondum absoluta sanguinem, non esse propterea à medico imitandam; nam non rectè operatur, quātum spectat ad horæ electionem; non est tamen propterea accusanda, quia de possibilibus facit, quod melius est: vnde cū vacuare non valeat ni irritetur, atque irritetur multum in principio, augmento, & statu accessionis, cogitur velit nolit, in deteriori circuitus parte vacuare; medicus contra cum vacuare tunc temporis teneatur, quando est indicans, &

 fa-

facultas indicatum remedium facillus valet tolerate, erit sub inclinatione perpetuo vacuandum, quando tunc temporis minus est cõflictata natura, etsi quod patitur sanguine vacuato dispendium, mox potest cibo exhibito refici. Video ad hunc locum pariter pertinere illius difficultatis examen, qua anni parte sit sanguis mittendus, qua parte diei, & nũ in die accessionis, quando habemus diem vacuam, est enim qui putat multo melius fieri, si tertianam patienti, tertianæ die sanguis mittatur, quam die quieta, & vacua; sed quoniam lib. sequenti redibit de re hac occasio disputandi; propterea, ne eadem frustra repetamus, plura hoc loco de re ista non afferam.

De apparatu corporis, cum vena est secanda. Cap. XXI.

SCripsit Galen. 9. meth. 5. *Attendenda maxime esse cum vena secandæ indicatio vrget, tum quæ eam præcedunt, cum quæ eam subsequentur*: quibus monet, aduertendũ esse, vbi vena secetur, & præsens, & futura cõditio corporis. Hinc quærunt Doctores, debeant ne intestina vacare excrementis, alimento ventriculus, & cruditatibus: non exercuisse Venerem, cum vena est secanda: an contra fundi illa potest, esto aluus non sit exonerata, sit repletus ventriculus, scateat aliqua cruditate, nõ pepercerit Veneri, quæ quia necessarium examinare; nos quoque agitabimus.

An mitti sanguis possit nõdum aluo lenita.

De prima difficultate, non vna est medicorum sententia. Numquam audent quidam secare venam, ni prius exonerarit se aluus, ne inanitæ venæ sanguine, trahant ab intestinis fœces, & sanguinem vniuersum conspurcent. Numquam audent alij, antequam venam secent, clysterem immittere, ne distractæ à motibus contrarijs vires labascant. Venam ergo cum sunt secaturi crastina e.g. die, aut nocte præcedente, clysterem inijciunt, aut sequente, Hippocratis credo exemplo moti, qui 4. de ratione victus, postquam secuit venam, *clysterem* inquit *postea exhibebis*. Mediam tenuerunt viam alij, & vbi mitis est morbus, & dat inducias, primò aluum leniunt, deinde venam secant, secus vbi est præceps: sic mittit sanguinem Fern. nulla expectata fæcum excretione, cum magna sit fluxio, & impetu quodam ruunt ad partem inflammatam humores: sic Cels. nuper pasto homini, statim extrahit sanguinem. Aliter rem ego distinguo, & vbi multum sunt sicca intestina, lenienda primum moneo; nam quæ tanta potest esse morbi immanitas, vt non sit locus enemati? fluat humor, & laxatis habenis, ad partẽ ruat, non minus retrahetur idem, enemate immisso, quam phlebotomia; quare

Distinguunt alij, vt Aug. l. 8 de sang. miss. cap. 22.

quamquam reuellendi necessitas vrgeat, erit ob eamdem causam clyster immittendus. Parcerem illi, vbi intestina non turgent, primum quia non est necessarium, non enim sentitur pondus vllum, neque tanta est repletio, quæ grauet. Secundo quia non caret hoc remedium aliquali noxa. Prima esse potest, facultatis languor: secunda tanta euacuatio, quæ phlebotomiam impediat. Adde, quod venæ sectio solet proritare aluum: quod si non fluat, post horam à venæ sectione, aut nocte sequente clyster immittatur. Demum quoties vrget indicatio vtriusque remedij, numquam eadem administrabis confertim, sed vbi respirauit facultas ab altero, tunc altero vrgendum. Reprehendendi proinde rustici quidam medici, qui nulla virium habita ratione, vix educto clystere, educunt sanguinem, nam rarò euacuare bis conuenit, & numquam, antequam à priori labore, refici facultas potuerit.

Possit ne, cum scatet cruditatibus venter mitti sanguis.

NEgant omnes, & primum cruditatibus vacant, deinde aperiunt venã. ita Fernel. 2. de venæ sect. cap. 14 Augen. libr. 8 de sang miss cap 31. & lib. 5. cap. 19. ni sit tamẽ, quod vrgeat magis; quis enim laboranti angina, non mittat sanguinem, quo vsque cruditates ventriculi, non abigantur? cum nihil itaque vrget à cruditatum remotione incipiat, ne tracti per venæ sectionem crudi succi, à ventriculo ad venas, maiorem obstructionem faciãt, & infarctum 4. de san. tuen. 5. quod in plethora, vt angina, cum timendum non sit possumus tunc tuto à sanguinis missione ordiri, deinde expurgare cruditates. Ob eamdem causam, non audent mittere sanguinem, stomacho humore bilioso repleto, sed prius illum expurgant. Qua tamen ratione, hoc fieri debeat, leui ne pharmaco, lenitiuo vocato, an vsu clysterium, victuque tenui, controuersum hoc valde. Expurgatores quidam semper ab ipsa purgatione incipiunt curationem, tamquam non sit alia via ad extrudendos illos crudos succos: nam si quo alio remedio, id fieri posset, maximè esset clyster, vel inedia: at ille intestina dumtaxat inanit, inedia potest illas tollere, serò tamen id facit: vnde sumet interdum vires morbus, prosternetur natura, & effugiet occasio cuiuscumque remedij. Contra verentes alij, ne quæ fiat à leuibus hisce pharmacis humorum seditio, cane, peius, & angue huiusmodi lenitiua cauent, clysteribus dumtaxat insistunt; nam putant, nedum intestina, & ventriculum ijs purgari posse, sed simam hepatis partem. Quare eo reducitur

Semper primum vacandum cruditatibus.

vni-

vniuersa hæc questio possint ne clysteres expurgare ventriculum: nam si possint æque benè id facere, ac illa lenientia pharmaca, nullus erit, qui non magis probet clysteres, quam lenientiã pharmaca. Posse vero clysterum ope id fieri; docet Gal. 2. de compos. per loc. capit. 1. vbi ad dolorem capitis, ex plaga, aut casu, laudat venæ sectionem, quam si fieri prohibeat, aut virtus, aut ætas, substituit clysteres, *tum vt superflua alui recrementa extrahãt: cum vt humores, qui ad affectam partem fluere consueuerũt, reuellamus*, & 6 de compos. per loca cap. 1. *etenim* inquit, *venæ sectione vtimur, & purgatione, & inedia, vbi totum corpus apparuerit, aut multitudine humorum refertum, aut eorumdem malitia vitiatum*. Quid ergo? cum cruditatibus scatet ventriculus, aut alimento corrupto, est repletus, clysterem tantum inijcere sufficiet, aut imperare inediam? si magna sit cruditatum copia, & morbus non det inducias, sed vt quamprimum sanguis mittatur, expostulet, leniens aliquod pharmacum commendo magis, præsertim, si non ignoretur ægrotantis natura, sed sciamus ægrum expurgari faciliter, nam quamuis possint vehemẽtium clysterium vsu, ne dum intestina expurgari, sed partes valdè longinquæ, quo circa reuellunt è capite, quia tamen hoc fieri vnico clystere non potest, & è mora, præceps impendet discrimen, cogemur confugere ad pharmacum, vt expurgato quamprimum ventriculo, quamprimum possimus ad venæ sectionem accedere. Nec timẽdum, ne aliqua fiat humorum commotio, nam cum limitata sit sphæra cuiusque agentis, & longa experientia didicimus, leuia huiusmodi pharmaca non extendi vltra ventriculum, nulla est ratio, cur hãc turbationem formidemus. Quod si cruditates ventriculi, non sint multę, aut morbus det inducias, aut naturam infirmi ignoremus, clysterium vsui insistemus: clysteribus inquam, cum exigua est cruditas; debet enim remedium æquale esse morbo: ijsdem vtemur, cum dat morbus inducias: nam semper magna remedia excusari debent, cum excusari illa possunt. Et quidem si Galen. cum nullus est morbus, demit plenitudinem inedia, exercitio, fructionibus, balneis (tanti esse censuit phlebotomare hominem robustum, & sanum) cur non & nos, minus tutum remedium excusabimus? Hoc idem faciendum cum ægri naturam ignoramus, eiusdem Galeni exemplo moti; nẽpe commutat ille purgationem in venæ sectionem, quo tempore ignorat ęgri naturam; quare, & nos iuro quodam purgationem cum clystere poterimus permutare.

Debeat ne, venæ sectio semper fieri ventriculo vacuo alimento.

QVod pertinet ad tertiam difficultatem, est communis omnium sententia, non esse venam secandam, vbi crudum est alimentum in ventriculo. Quæ partem negantem suadent. Galen. 9. meth. 5. *si* inquit *præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere cum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur.* Auic. 4. p. 1. cap. 20. *d minutione* inquit, *præterea tibi cauere debes super cibi repletionem, ne materiam, non maturam ad venas trahas; loco eius, quod ab eis euacuasti. Et oportet etiam, vt tibi caueas ab ea in repletione stomaci, & intestinorum, facta ex fæce iam consequuta, & propinqua.* Limitat hanc regulam Celsus, dummodo nihil sit, quod cunctatione inualescat; sic homini nuper pasto, qui ex alto ceciderit, mittit sanguinem. Est tamen, quod oppositum, posse fieri suadet: si quid enim cogit, ne repleto ventriculo mittamus sanguinem, illa est ratio, quam ponit Auic. & alij medici passim innuunt, ne crudum, & incoctum alimentum, trahatur ad venas; at nulla est causa, cur id timeamus; nam cum venæ trahunt, vel trahũt, vt vitetur vacuum, ac repleant cauitatem inanitam: vel vt attracto fruantur: nihil habere hic locũ potest: non timor vacui, nam possunt illæ concidere: sunt quandoque multum repletæ: non vt attracto fruantur: gaudent enim concocto, non crudo alimento. Et certè, si trahere possent venæ crudum alimentum, traherent illud, vbi ingeritur post famem, ac demum male cõsuleret Auic. ut habentes uentriculum exquisiti sensus, panis buccellam succo acetoso intinctam assumerent; antequam ijsdem uena aperiretur.

At verò, vtrumque monet prudenter Auicen. & vniuersa schola medicorum; Quid sentiendum. enimuero quicumque pollent sensu exquisito ventriculi, solet ijs aperta vena, tenuis quædam bilis, & mordax ad ipsum confluere, à qua lancinato eius ore, animi deliquium succedit, & syncopes; prudenter proinde panis buccellam, vino granatorum intinctam, prius exhibent, nam remissa, huius aciditate, ferociabilis, non valebit molestare ventriculum. Nec id reijciendum, inani quadam formidine territi, ne illa panis buccella, cruda, & inconcocta trahatur ad venas, nam vbi exigua cibi quantitas est in ventriculo, retinetur ab illo, & trahẽtibus venis nequaquã cedit: cedit verò, aut pellit etiã, cum copia eiusdem grauatur: proinde fit, vt sit admodum noxium, phlebotomare ventriculo repleto: sit admodum vtile, porrigere aliquid, ad præcauendum

deliquium animi, quod solet à venæ sectione contingere.

Quod dicunt, idem futurum, si ingeratur cibus post longam famem, admitto lubens, nec video, quo pacto possit oppositum probari, nam si eodem pacto philosophandum est de venis, ac de ventriculo: quemadmodum hic, vbi homo famescit, alimentum nondum commansum ad se rapit, & absorbet integrum: haud secus venæ, tenuiorem saltem alimenti particulam, priusquam sit in probum versa chylum, ad se allicient. Aliæ rationes, vel non est cur soluantur, vel siquid probant, illud probant, non semper imminere discrimen propositum, vbi vena post repletionem aperiatur; at quando debet medicus, ne dum cauere ea omnia, quæ vel leuem inferunt suspicionem mali, sed & cuncta persequi, quæ prodesse possunt, erit illud præceptum religiosè obseruandum: repletum ne phlebotomes; & licet Celsus in casu ab alto mittat statim sanguinem nuper pasto, commendo, quod, & multi medici satis prudenter faciunt, & si id fieri possit, vomat antè æger, aut aluum clystere exoneret, vide Auic. l. 3. tract. 2. c. 25. & Costæu.

Delictum Veneris, ea ratione impedit secari venam, quia reddit languidas vires; quare si erratum, non sit graue, vires ita robustæ, vt venæ sectionem ferre valeant, poterit illa tutò administrari, si morbus præsertim sit præceps & exitiosus; Adest enim, quod indicat, est vis, quæ ferre valet; quoniam vero ita formidat vulgus, sanguinem à coitu mittere, vt si quod infortunium succedat, in vnam venæ sectionem referant prudenter proinde in re hac se gerat medicus, ne dum morbo consulit, propriam famam deserat.

Quid fieri debeat, cum vena secatur. Quid ea secta. Cap. XXII.

> Dissecturus venam fricet ante omnia partem, & adstringat, modo plus, modo minus.

QVid faciendum, antequam vena secetur, hucusque diximus: declaranda modo, quæ conueniant, cum actu secatur, quæ ea dissecta, & licet quædam horum ad Chyrurgum pertineant, perpendemus nos omnia, vt rudem Chyrurgum valeamus docere, & errantem corrigere. Procuret primum Chyrurgus, vt sit vena conspicua, ne in apertione aberret. hoc assequetur duobus remedijs frictione nempe, lotione calida, ligatura: hanc amant omnes blandam, & leuiter adstringenda pars est, perfricanda mollirer, vbi venæ tument; quorsum enim affliges? at vbi illæ latitant, alliganda strictius, tunc pars est: vnde cum lateant in oboesis corporibus venæ, in mulieribus, his magis arcta ligatura conueniet, laxior extenuatis debetur 4. 1. d. 5. capit. 20. ligata parte, & vena exacte conspecta, vulnus infligendum venę, nunc latius, nunc angustius, pro vario tenore virtutis, vario peccato sanguinis, vario phlebotomiæ vsu. Nimirum cum languet facultas, vix vena aperiatur, nam vbi exiguum est vulnus, non fit tanta exhaustio spirituum; eodem modo aperienda vena est, cum reuellere volumus: cum euacuare, nunc latum, nunc angustum infligendum vulnus: latum, cum crudum sanguinem educere volumus: angustum, vbi tenuis peccat, & biliosus. Vnde quia æstate, calidi abundant succi, & tenues, hyeme frigidi, & crassi, in quartana crassus sanguis, & melancholicus peccat, tenuis, & biliosus in tertianis: multum erit aperienda vena quartanarijs, leuiter percutienda in tertianis: latum vulnus infligendum hyeme, angustum vero æstate: idem faciendum monent alij, dum noctu secatur vena, ne dum dormiens imprudenter partes hac illac mouet, copiosus sanguis in somno perfundatur. Excipiatur sanguis pedis, aut manus, in aqua tepida: qui prodit disrupta vena brachij, in pluribus, ijsque vitreis vasibus, vt melius pateant eius qualitates. Exceptus seruetur eo in loco, qui non sit soli expositus, aut pluuiæ, aut ventis, nam vbi ita fuerit expositus, mutatur color eius, & substantia, hæc sunt, quę ad Chyrurgum, & ministrum pertinent: nunc quæ sunt medici breuiter attingam; Debet medicus, cum vena secatur, pulsum diligenter attendere, præsertim cum veremur, ne ęger deficiat, vt obseruato virtutis languore claudatur vena, antequam ex toto labascat, ni morbus ex eorum sit numero, qui vsque ad defectum animi sanguinem mitti postulet. Si deficiat, occurrat ijs, quæ medentur deliquio: laudat Auic. musci odorem, & confectionem Diamusci: nostrates aquas odoratas, purum vinum, vel Diacinthum in eo dissolutum: educta sanguinis copia pro ratione virium, & morbi, ligetur vulnus fasciculа, apposito primum plumaceolo madefacto in aqua, & ipsa expressa. Valet enim illius frigiditas, ad repellendum sanguinem. Nec placent, qui indicatione sumpta à vulnere, siccum plumaceolum probant; nam cum sit vulnus exiguum, minima omnium est indicatio, quę ab ipso desumitur. Exhibent medici post venæ sectionem Diacyntum, puluerem Bezoar, margaritas in vino, aut aqua, frequenter tamen, aut succum limonum, aut syrupum de acredine citri. Diacyntum exibent, vt dissoluti spiritus restaurentur: acida vt retundant acrimoniam bilis, quę delapsa ad ventriculum, miram solet molestiam inferre. Docet post hæc alij, quid faciendum, vbi sanguis immodicè fluat, potissimum ex venis hemorroydum, nam ex vena brachij fluentem, aut

aut pedis, facili valemus negotio compescere; sed quia sunt hæc admodum trita, & vulgaria, hæc tantum monuisse sit satis, ne manca esset disputatio ista.

De Cauterijs. Cap. XXIII.

Cauterium trifariam sumi potest.

VLtimum huius libri locum, disputatio de cauterijs occupat nec immerito, nam idem ordo seruandus in recta præsidiorum administratione, si adhibenda fides Hippocr. 7. enim Aphor. vlt. scripsit, *quæ medicamenta non sanant, sanat ferrum: quæ ferrum non sanat, ea sanat ignis: quæ vero ignis non sanat, ea insanabilia putare oportet*. Cum vero cauterium trifariam sumi posit, scilicet pro igneo præsidio, quo fit inustio, pro inustione, ac demum pro vlcere inustionis opera inducto: ne quæ oriatur confusio, loquemur primo de vstione in vniuersum, mox de vlcere, vstionis vi excitato: Cumque non possimus addiscere, an sit futura vsui morbis abigendis, & quibus, quandoue, ni constet primum, quinam combustionis effectus, hinc ordiemur.

Quinam effectus cauterij.

Cauteriorum opera, multa in nostro corpore fieri, non est dubitandum; constat enim, cum igneum sit præsidiũ, exiccare sua natura, & calfacere: absumet itaque exuberantem humiditatem: quam obrem robur addet, & putrefactionem, cuius eadem humiditas mater, coercebit. Coercet idem carnem luxuriantem, & quamcumque excrescentiam extirpat: solutaque partium continuitate, potis est præbere exitum decutis humoribus, excrementisque. Excitat idem præsidium escharam, estque in causa per accidens cicatricis, quæ restituta vnitate succedit. Valebit ergo combustio, eritque maximo vsui coercendæ putredini, roborandis partibus exiccatione, aperiendis abscessibus, adimendis excrescẽtijs, cohibendis succis vtilibus, extrudendis noxijs, & cuicumque intemperiei emendandæ, nedum frigidæ, & humidæ, sed calidę, & siccæ, si tamen habuerit comitem materiam. Prioribus affectibus, esse cauterium vtile, intelliget quisque, vel parú in re medica exercitatus; enimuero quis ignorat, igneis hisce præsidijs, aut omninò tolli cancrenam, aut cohiberi, ne vlterius serpat, & vsque ad partes sanas contagione diffundatur? Aut quis adeò, rei medicę, est rudis, qui non noscat, aperiendis abscessibus, excrescentijs quibusque abigendis, esse hoc auxilium maximè proficuum? Vtuntur illo passim, ad affectus hosce extirpandos nostri medici: quin Hipp. ipsi in more fuit, vrere suppuratos: idemque 6. Aphor. vlt docet conflictatis diuturno. Coxendicis dolore, crus contabescere, fæmorisque caput suo loco excidere, ni exurantur: ex quo intelligi potest, addere cauterium robur, siquidem absumptis vstione muccoribus, ac mox cute contracta, eum in modum ossa constringuntur, nequeant vt amplius excidere. Denique si contrariorum affectuum, contraria sint remedia, erit hoc remedium vtile frigidæ, & humidæ intemperiei. An in curatione calidæ, & siccæ, posit quandoque esse commodum, hoc dubium fortasse. Sed quamqeam, quidam negarint; pars tamen, quæ affirmat, ratione, auctoritate Galen. & communi usu practicantium adstruitur, enimuerò, si in curandis febribus, licet calida medicamenta exhibere, quia quanquam calfaciant, exiccẽtque, est tamen maior utilitas, quæ ex humoris uacuatione comparatur: cur non licebit pariter euocandis humoribus calidis, qui intemperiem fouet, calida quoque præsidia admouere? Licere docuit Galen. nam *13*. meth. 21. declinantem phrenitim discussorijs calidis, ac propè ijsdem, quibus lethargum curat: & 5. meth. 13. catharrum salsum uesicatorio ex thapsia, sinapi, & stercore columbino, capiti imposito, curare contendit. Medici quin etiam omnes, scabiem, quæ ex salso humore, & acri ortum habet, calidorum usu abigere procurant. Omni itaque ferè morborum generi symptumatibus multis, est cauteriũ utile; prodest enim, abigendæ cuicumque intemperiei, quæ materiam habeat adiunctam: prodest ulceribus putridis, & ita prodest, ut nequeat caries ossis alio pręsidio tolli: prodest uenenatorum animalium morsibus: est utile tertio morbis in quantitate adaucta, numeroue abundante, nam carnem superfluam, & excrescentiam omnẽ, caustico remouent. Morbos in situ, qui ex prolapsu fiunt, quantum iuuat, dictum; enimuero contractis à cicatrice partibus, quę mox erant laxatæ, non poterunt amplius aliæ, modo ullo delabi. Ob eamdem causam ualet cauterium, motum humorum, uaporumque cohibere: unde Rasis, Paul. Aet. Haliab. Cels. & alij, ad præcauendum humorum defluxum ad oculos, iubent temporum uenas, & arterias inuri: & in immoderato fluxu sanguinis, ob ulneratam uenam, aut arteriã; miros obtinet dotes eschara, ui caustici inducta. Demum, cum eadem combustio, soluta partis continuitate, præbeat exitũ excrementis retentis, emendat quoque symptoma retentorum præter naturam. Quę tamen uacuentur cauterio, & ex qua parte, mox ubi de cauterio, prout est ulcus quoddam combustione inflictum, loquemur.

Nunc illud examinandum, quibus facienda hæc inustio, nam ut cuique uel parum uersato in medicina est notum, sunt hęc cauteria duplicia, actualia, potentialia: illa sunt, quæ actu ignem habent:

Quanam materia cauterij eligibilior.

bent: hęc, quæ urendi potentiam, quamquam actu sint frigida, vrantque, cum ad actum vi nostri caloris deducta fuerint, vt arsenicum, sublimatum, calx non extincta: præstat itaque examinare, vtrum eligibilius.

Probant quique actualem ignem, damnant caustica nec iis vtuntur, nisi coacti, nempè vbi ægri occurrunt, qui ignem nequaquam admittunt. Dant huius placiti eam rationem, quia caustica habent venenatam naturam, maioremque multo inuehunt dolorem, quam actu ignita.

At ob eamdem causam, sunt virtualia caustica quandoque magis ex vsu; nempè cum attrahere à parte, ab alia reuellere quam maxime optamus: vt cum e.g. in apoplexia, lethargo, soporosis quibusque affectibus reuellere humorem ad ignobiles partes exoptamus, & è capite extrahere, non est cur renuamus, quæ igneam habent potentiam; vnde probant communiter vesicatoria cruribus, brachijs, humerisque admota: capitique admouęt commuuiter Practici, quæ igneam habet facultatem, quanquam actu ignem nequaquam contineant.

At quoniam quæ actu ignem habent, sunt multiplicia, prout multiplex est materia, quę actu ignem, potis est adseruare, nempè liquida, solida, vnde duplex est causticum, liquidum alterum, vt oleum feruens, aqua ebulliēs, pix eliquata, aliud solidum, cuius materia, adhuc multiplex: ignea, lapidea, metallica, metalla multa: æs, ferrum, chalybs, aurum, argentum: quodnam causticum commodius erit? scio alijs, cauterium ex auro probari, vt Auic. ob eam, quam habet nobiscū familiaritatem: improbari idem ab Albucasi, & alijs, & ferrum eligi, quia hoc facile noscimus, quando est ignitum, quod in auro difficillimum: litem ego sic centro dirimendam. Cauterium, duplicē potest ob vsum inuri, quātum facit pręsenti negotio: aut ad reuellendum humorem, qui ad partem nobilissimam repit, aut ad roborandam partem imbecillam, & flaccidam. Si roborare est animus, æs eligendum, nam hoc valentius cæteris exiccat: quare & robur addet maius, vt clare habetur ex Arist 1. probl. 32. Eadem roborandi vis, cum insit auro, ob rationem ab Auicen. propositam, probo, vt auro pars inuratur, dum partem roborare procuramus. At si cauterium, ad reuellendum inducimus, non vt vacuetur pars eo, quod intus detentum, mirè ipsam offendit, ferrum eligo. Vidimus, quibus in affectibus cauterium conueniat, prout est combustio: indaganda eadem modo de cauterio, prout est vlcus quod iam, vi cauterij inductum.

Cauterium prout est vlcus, quibus prodest affectibus.

Cauterium strictè sumptum, cum sit cauum, & rotundum vlcusculum, in extima nostri corporis parte, igneo præsidio, à Chyrurgo excitatum, vt paulatim, & sensim vacuetur nocuus humor: nulli dubium fuerit, nihil posse adiumenti afferre acutis morbis; nam ferox est hostis affectus acutus, & qui nos acriter torquet: si quis lenibus tentet eum præsidijs depellere, hic certè, quod prouerbio dicitur, Subula Leonem tentabit occidere, & illud ipsi iure posset obijci, Lunæ radijs, non maturescit botrus. Quare si quis putet, cauterio capiti inusto, ratione qua vacuat, apoplexiam curare, lethargum, carum, aut quemuis alium huiusce generis morbum, inepte tantum tribuet exiguæ vacuationi, quæ antequam fiat, morbus ægrum sustulit. Quod si Auicen. candens ferrum imprimit capiti apoplectici, candentem Rasis sartaginē, omnes vt capillos comburat; scias haud probari hoc remedium eximijs viris, quia vacuat: nec quoniam, vt ait Capiuac. excitato dolore, sensum reuocat, nā aut nullus ex vstione dolor, aut exiguus. Præterea satius esset, si hac ratione proficeret, parti longè à capite distanti admouere, ne dolore, maior ad cerebrum copia humoris conuocaretur. Probatur itaque, quoniam calfacit cerebrum, & humores ferè concretos dissoluit.

Non conuenit acutis.

Habendum secundò pro certo, nullum habere locum hoc remedium in affectibus, qui à materia, nullo modo dependent, præsertim calidis; nocet enim, qua ratione vacuat, nocetque pariter, qua ratione idem calfacit, & siccat, vt supra dictum. Vnde, in ea hepatis dyscrasia, potest vsui esse hoc remedium, quod ab humore calido fouetur: si nullam habeat materiam fouentem (quamquam, qui fieri potest, ne diuturna intemperies, comitem sibi adsciscat humorem) omnino nocet.

Nec morbis sine materia.

Ne tamen cuiuis morbo materiali proficuum esse putans, fallaris turpiter, scias non conuenire hoc remedium, vbi multa est materia noxia vacuanda; aut enim vniuersam illam materiam, non expurgabit, vnde morbus producetur, nec breui, quod optandum, curabitur: aut si omnem humorum farraginem, ad cauterium deponat natura, pars copia humorum oppressa, aut cancrena opprimetur, aut prauo alio morbo conflictabitur.

Aut cum multa.

Quibus ergo affectibus erit opportunum cauterium? Dicam paucis, ijs omnibus, qui à iugi quadam humorum congestione ortum habent, fouentur; enimuero, cum congerantur continuò, nec possit hoc inhiberi (hoc enim esset satius) remedio continuò vacuante omne id quod congeritur, opus erit. Non potest hoc esse sanguinis missio, aut pharmacia; nam cum vtrumque remedium, fit magno dispendio viribus, breui homo, vel robustissimus, frequenti vsu horum prosternetur, nam balnea, aut exercitia,

Sed pauca, quæ cōtinuò congeritur.

citia, impuris corporibus non conue-
niunt. vnicum itaque cauterium supe-
rest.

Et in quauis congestione.

Quia verò humorum congestio, varijs
habet ortum ex causis, & in varijs cor-
poris partibus solet coaceruari: exami-
nemus vlterius, num in quauis conge-
stione excrementorum, & vbique loco-
rum aggregata, hoc vti remedio liceat.

Quod pertinet ad primum. Pars, quæ
affirmat, cuique certa. Siue itaque hu-
mor aggregetur ob alicuius partis di-
scrasiam, vel viarum impedimentum, aut
quia facultas expultrix est languida, cō-
ueniet congestum humorem, quacum-
que ex causa aggregetur, per inustum
fonticulum, expurgare. Secundę diffi-
cultatis solutio, non ita obuia, & prom-
pta; nam quidam humorem ventriculi
vitio in seipso congestum, clysteribus, &
vomitu esse expurgandum contendunt,
non cauterio. Parcunt quoque huic re-

Et quo vis loco facta.

medio alij, vbi in secunda corporis re-
gione, humor stagnat: fortasse, quia haud
fieri posse intelligunt, vt hic, à penetrali-
bus corporis, ad extimas particulas se
ponatur. Vtuntur itaque cauterio om-
nes, cum in habitu corporis, humor re-
dundat, vt cum in capite gignitur, & ibi-
dem morbos procreat, aut alibi lapsus,
alias partes vexat. Vsus verò obtinuit,
& longa experientia docuit, quouis loco
humor congeratur cauterium proficere,
enimuero, vt ijs occurram, qui cauteriū
damnant, in ea cachochimia, quæ in secū-
da corporis regione congeritur, nam vbi
in alijs partibus redundat, non reprehē-
dunt, si inutatur, quamquam putet, pos-
se excusari, quia ventriculus parte su-
perna, vomitu, inferna enematibus expur
gatur: scire illi debent, id fieri in nostro
corpore, quod in malè gubernata Repu-
blica contingit. Quamobtem, veluti hic,
infimam premi plebeculam obseruamus,
sic partes nostri corporis ad infimas
quasque, excrementa deponunt; Vnde,
cum cauterio languida pars reddatur,
non est dubitandum, quin vndequaque
humor ad illam seponatur: si tamen sit
inter illam & alias partes vasorum com-
munio, alioquin nihil referret, qua in
parte cauterium excitaretur. Præterea

Qui locus vrendus.

posset cauterium, supra hepatis regionē,
ventriculi, dorsi, vesicæ, & abdominis ex-
citari non secus, ac in capite quotidie
facimus, quamquam vsus hic exoleuetit.
Quamobrem cum vacuent cauteria illa
proximè partem inustam, non est dubi-
tandum, quin quamuis partem cauteriū
valeat inanire. In diuturnis itaque mor-
bis, qui à iugi humorum congestione
(quacumque ex causa fiat, & quouis in
loco) id pendeat, cauterium conueniet.
Cumque diuturni morbi, vt plurimum
à frigidis concitentur humoribus pitui-
tosis, & melancholicis, ad extirpandos
hos morbos, ad expurgandos hos suc-
cos, valebit potissimum cauterium; nam
calidos, ad partem vlceratam deducere,
non admodum tutum; maius enim fit vl-
cus acredine humorum, & inflammatur.
Præterea, calidi halitus facile expirant
per cutis meatus, quod cum locum non
habeat in frigidis succis, his expurgan-
dis, conducet: potissimum autem pitui-
tosis; nam melancholici adeo sunt craf-
si, & terrestres, nullo vt pacto possint, per
angustas venulas, ad habitum corporis
deduci.

Obijcies, multi in diuturno fluxu he- Obiect.
morroidum, e.g. brachio cauterium inu-
runt in cruribus alijs, nempe in brachio,
fonticulum excitant, vt eo reuellatur ma
teria, quæ delapsa ad venas sedis, sangui-
nis fluxum concitant: in crure, vt eun-
dem deriuent, vel reuellant etiam, quan-
do & illa quoque humoris retractio, po-
test reuulsio dici, quę fit à posterioribus
partibus ad anteriores. Non itaque hu-
morum congestio cauterium indicat. At Sol.
facile tollitur obiectio, si quod omnes fa-
tentur, inuratur cauterium reuulsionis
gratia, aut deriuationis. Cœterum, cum
quam maximè referat scire, quo in loco
excitandus fonticulus, id declarandum;
ne res vtilissima prætermittatur. Vt ta-
men eius decisio paucis habeatur id in-
spiciendum est à medico, & attentè con-
siderandum, humorem, à quo mor-
bus, duplicem posse generationem ha-
bere: interdem gignitur morbosa causa
in eadem, & parte, quę laborat, & dolet:
interdum alibi gignitur, moxque aliam
in partem demandatur, & in ea parit mor
bosum affectum, vt e.g. dolet nonnum-
quam caput à causa, in ipso genita: dolet
alias, humore, aut vapore, sibi ab vtero,
stomacho, aut alia nostri corporis parte,
communicato. Vbi morbus est per es-
sentiam in capite, vt dicunt medici, aut
in ipsamet parte male affecta, est excitan-
dus fonticulus, vnde in capite, aut pro-
pè partem affectam: nam ea pars uacuan-
da, in qua humor gignitur: at ubi aliunde
humor, aut uapor ad caput deriuatur,
tunc cum reuellendi indicatio insurgat,
ac reuulsio fiat retracto humore, uel ad
suam originem, uel ad contrariam par-
tem, ut supra à nobis est dictum: pars
longè à capite dissita furtasse inurenda
ad reuulsionem, uel, ut magis uera lo-
quat, ea pars uacuanda, quæ gignit humo
rem, genitumque communicat capiti, ne
fit, quod posset postea in caput deferri;
nam reuulsio, est moti humoris retra-
ctio: at nullam habet cauterium uim tra-
hendi, cum neque doleat pars, cui est inu-
stum cauterium, neque caleat: quare nec
reuellet. Conueniet itaque partem mit-
tentem inurere, aut intermediam, ut hu-
more, qui iugi quadam generatione col-
ligitur, iugi uacuatione exhausto, nihil
fit,

sit, quod postea alteri affundi possit. Quare, si ex restrictis mensibus, aut hemorroidibus, caput langueat, hæc vacuatio reuocáda, quæ cum reuocetur cauterio iniusto cruribus, hæc inurenda in hoc casu; nam, Galen. pariter illi, qui epilepsiam, ob auram, à pede adscendentem patiebatur, causticum cruri imposuit. Quid ergo? crura dumtaxat inuremus, neque vlla capitis vacuandi cura, nos habebit sollicitos? omnis vacuandi capitis cura deponetur, si per consensum dumtaxat caput laboret: at si diuturnitate doloris, affectus, qui primum erat per cõsensum, sic caput molestarit, vt intemperiem inuexerit, vnde & caput quoque sibi malum gignat, dum noxios sibi gignit humores, aut aliunde exceptos, non deponit ad loca excretioni dicata, sed retinet: vel quia viæ sunt impeditæ, aut quoniam vis expultrix est languida: tunc temporis, nedum partis mittentis habéda est ratio, sed & capitis quoque cura suscipienda, vnde & ipsum est omni studio vacuandum. Duo proinde erũt cauteria inurenda, alterum in parte, quæ ob eam, quam habet communionem cum vtero, possit ipsum expurgare: alterum prope caput, quod humorẽ in ipso prognatum, aut retentum, educat. Quod si satis non sunt, quia fortasse, multo plus est, quod partium intemperies congerit, quam quod cauterium expurgat, multiplicanda, & plura inurenda, vt quod vnico fieri nequit, multis assequamur. Vnde intelligi potest, quando vnum, quando plura cauteria inurenda, nempe vnum tantum excitabitur, si hoc satis: plura, ni vnum sufficiat. Non sufficiet autem, vel quia multa est copia excrementorũ, quæ in parte aggregatur: vel quoniam plurium partium vitium, ad vnius affectus productionem, conspirat.

Non est tamen, quod diximus, omni alia indicatione posthabita, exequendũ; nam cum remedium, nedum debeat indicari, sed tolerari, non est cruri inurendũ cauterium, statim ac vacuandi vteri e. g. indicatio insurgit, sed tunc faciendum, cum indicatum cauterium toleratur à crure: si contra indicet, abstinendum: contra indicabit autem si doleat, aut quouis modo langueat: contra indicat etiam pars, si sit princeps, aut vicina principi; nam neque decet, ad nobilissimum viscus excrementa ducere, quæ ad infimas quasque particulas relegat, quoties rectè operatur natura: nec pars est, addere afflictionem afflicto, & partem, quæ remedijs indiget, vt conualescat, multo imbecilliorem, cauterio reddere. Hæc tamen dicta intellige de cauterio intercipiente, deriuatorio, aut reuulsorio (liceat mihi reuulsionis nomine vti, ne à communi vsu loquendi recedamus: at vbi vacuandæ partis gratia, fonticulus excitatur, tunc audacter, pars illa inurẽda, nam vacuato humore, à quo dolor inferebatur, aut quouis alio modo imbecilla reddebatur, conualescet, & euadet robusta. Nulla in hoc præcepto aut lis, aut discordia: vnde medici omnes, capite laborante, atque eius causa, alijs partibus, caput inurunt, modo in futura coronali, modo in occipite, prout modo partes anteriores, modo posteriores male se habent: quo moti exemplo grauissimi viri, laborante hepate, hepatis partẽ externam inurunt, idemque faciunt, ventriculo affecto, aut corde propria affectione laborante.

Quæcumque tamẽ pars inuratur, perpetuò cauendum est, nè inurantur musculi, aut nerui, venæ, aut arteriæ; nam si harum continuitas adultione tollatur, magna fiet effusio sanguinis, spirituumque, vnde virium prostratio, syncopes, & mors randem: nec minora sequentur incommoda, si musculi, aut nerui exurantur; nempe acerrimi excitabuntur dolores motus conuulsiui, conuulsio, motusque omnino impedietur.

Vt tamen, veluti in tabula quadam, expressum habeas, quæ in quouis affectu pars inurenda, quæque generatim hucusque disceptauimus, in affectibus singulorum morborum applicemus: scias breuiter, cum vacuandi capitis paulatim, & lenſim indicatio insurgit, posse in quatuor partibus inuri cauterium, in vtroque brachio, in sutura coronali, in occipite: posse demum inter quartam, & quintam vertebram excitari setonem. Si quid extrahere expediat à corde, inurendum cauterium sub alis, nam ad has partes solet cor, se exonerare: si hepar, dextrum inguen; hoc enim est emunctorium hepatis, crus dextrum, aut brachiũ, nam cum vtroque membro maximum habet consensum hepar ob venas magnas, quę tam in crure, quàm brachio reperiuntur. Antiqui nedum has partes, ad expurgandum hepar inurebant, sed quandoque supra ipsamet hepatis regionem, inurebant cauterium: stomachumque inanire volentes, & à iugi excrementorum congestione expurgare, stomachũ pari pacto inurebant. Vbi idem faciendum in vtero, crus inuretur, aut dorsũ, cui alligatur, atque hac ratione, magnum habet consensum, aut pectini: eadem partes aperiendæ, laborante vesica; nam quod intestinis affectis, aut peritonæo, abdomen vrere expediat, fatebitur quisque, si fuerit eidem compertum nedum artus, hoc est brachia, & crura, sed & quasuis alias partes malè affectas, posse inuri. At cur illud non admittet, quando concedunt vnanimi sententia omnes, laborante per propriam essentiam capite, posse in ipsomet capite, excitari fonticulum? equidem, vt rem liberè fatear, nõ vi-

video, quæ causa diuersitatis fingi possit: quinimo, melius multo agi, cum ægrotantibus crederem, si quoties laborat hepar, cor, stomachus, intestina, vteru., vt ipsasmet partes exureremus, aut vicinas; ita enim facilius assequeremur propositum, neque hepatis loco, aliæ partes vacuarentur, quas vacuare, nullo pacto expedit. Vt mittam vitari hac ratione discrimen, nc dum hepar, e. g. ad crus, aut brachium, quæ imbecilliora sunt reddita cauterio, humorem deponere tentat, intermediæ partes, expurgandi excrementi contactu, oblædantur.

Non probo tamen, t diu in hisce partibus detineantur, nam cum sint laxiores, & calidiores, facile possent, vbi sunt vlceratæ, aliunde suscipere fluxionem humorum, morbique grauissimi excitari.

Ex his intelligetur, in qua nam parte expediat aperire cauterium, cum reuellendi gratia, est excitandum; enimuerò cum reuulsio ope cauterij fiat, vacuata illa parte, à qua humor ad aliam delabitur, vbi intelliget medicus, per quas vias, quæuis pars commodè expurgatur, intelliget idem, quænam pars inurenda, vt humoris confluxus inhibeatur. Cogita, e. g. laborare, aut pectus, aut stomachum, ex humoris defluxu à capite; cui dubium, inhiberi hunc influxum, vacuato capite sensim, quemadmodum sensim, & lentè humorem progignit? Quamobrem, cum vacuetur caput, excitato fonticulo, in occipite, futura coronali, vtroque brachio, nam vtrumque magnum habet consensum cum capite, ob venam cephalicā, canterio in aliqua harum partium excitato, humorum defluxus inhibebitur, reuocato ipso ad partes inusitas. Iisdem nixus principijs, intelliges facilè, quæ nā pars inurenda, laborante capite erysipelate, aut quouis alio affectu calido, hepatis vitio. Nempe in crure dextro erit aperiendus fonticulus; nam quamquam ad brachium hepar, possit se exonerare; quia tamen reuulsio tanto est commodior, quanto fit longius à parte, fluxione tentata, tanto commodius humor ducetur ad crura, quanto plus distat, quam brachium à capite.

An verò, interna pars cruris inurenda, an externa, ex iisdem, propositæ dubitationis decisio petenda: nimirum, si quæ ratio monstret, maiorem esse consensum, & communionem internę partis cruris cum hepate, quam externæ; illa aperienda: at si nullam liceat fingere, quod spectat ad hoc caput, causam maioris consensus, præstabit in viris potissimum, externam cruris partem inurere, ne si in interna excitetur, ab equitatione impediatur. Esset modò id reliquum docere, quo pacto sit formandum cauterium, & eius symptomatis occurrendum; at quoniam non formamus hic nos Chyrurgum, sed instruimus medicum, his claudam hanc de cauterio disputationem.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Vigesimus.
DE PHARMACIA.



Quid, & cur agendum. Cap. I.



I excidit è mēte, quod supra proposuimus, illud iam esse reliquū intelliges, vt de Pharmacia disputemus; perlustrauimus enim quæcumque de vacuatione prænoscere necessarium erat, & de Dieta, & Chyrurgia pluribus à nobis est actum, ne tamen in æquiuocis laboremus, placet primum aduertere, vocem hanc Pharmaciæ esse vocem grecam deductam à Pharmaco, itaque vt pharmacum est vox anceps, quæ in bonam, & malam partem accipitur, nam significat remedium, & venenum, si enim deducatur à *fero*, & *achios* idem est, ac ferens tristitiam, si à *fero*, & *achos* deriuetur, idem est, ac ferēs medelam: haud aliter Pharmacia interdum artem conficiendi venenum significat, & veneficia, & in hoc sensu sumendo pharmaciæ nomen, nequaquam intendimus de ipsa pertractare: agemus de ipsa,

Quod nomen Pharmaciæ.

ipsa, prout est tertia pars methodi curatiuæ; cum enim nostræ partes sint absoluere hanc methodum, & de duabus prioribus sit actum, reliquum est, vt de hoc tertio, & vltimo pertractemus: est autem Pharmacia hoc modo accepta, recta administratio medicamenti, seu methodus docens recte medicamenta administrare. Qua parte methodus est dirigens medicum, ne in administrando remedio aberret, conuenit Pharmacia, cum Chyrurgia, & Dieta, nam & hæc methodus curatiua est, docens rectam administrationem rerum non naturalium, Chyrurgia recte administrare ea omnia præsidia, quæ manuum opera perficiuntur: particula vltima, differt Pharmacia ab illis, quia hæc agit de pharmacis recte administrandis, non quidem sumpto Pharmaco pro veneno, absit tam graue facinus à facultate adeo præstantissima, sed sumpto nomine pharmaci pro medicamento. Cæterum quia medicamenti natura adhuc obscura, propterea, vt plane cunctis constet, qua de re instituatur disputatio, declaremus quid, & quotuplex medicamentum, & num de omnibus pertractandum, quoue ordine.

Quid Pharmacia.

Quid medicamentum. Cap. II.

Quid nomine medicamenti

Medicamenti nomine latini Græcos sequuti illud omne intelligunt, quod adhibitum, naturam eius, cui est adhibitum mutat; quamobrem quia æquè nostrum corpus a veneno mutatur, ac medicamento, idcirco latini non recedentes hac in re à Græcis, medicamenti nomine, & remedium, & venenum complectuntur: vnde Caius Iureconsultus de verbor. significat. *qui*, inquit, *venenum dicit, adiicere debet bonum, vel malum, nam & medicamenta sunt venena.* Sic philtra, & alia quæuis venena, quæ ad amorem dantur conciliandum, medicamenta amatoria sunt dicta, quemadmodum medicamenta, quibus accersitur somnus, soporifera pariter medicamenta latini vocarunt, atque hac de nomine. Quantum ad rem Gal. proposita disputatione de simplicium medicamentorum facultatibus, ac volens declarare, quidnam illud, de quo tractare instituerat in propositis libris, docet, quid sit medicamentum, quid simplex, quid facultas, & ait cap. 1. lib. de simpl. *medicamentum est, quod permutare potest nostrum corpus, alimentum, quod potest idem augere,* quod etsi clarum esse videatur, habet tamen difficultates, & illas quidem non faciles; potest enim corpus nostrum mutare nedum medicamentum, sed venenum, & cibus, alioquin dicat nobis Galen. si cibus nos mutare non potest, quo modo tot, & tã graues morbi à cibo; Arist. etiã scripsit à de anim. alimentum in principio esse cõtrarium in fine euadere simile: sed contraria agunt mutuo: aget itaque cibus in corpus, & hoc in cibum, mutabuntur itaque mutuo. Demum omne agens, in agendo repatitur, vt docet Arist. & cum Arist. schola omnis Philosophorum 1. de gen. aget itaque cibus in corpus. Quare inepta est definitio medicamenti, quando conuenit illa alteri. Augetur difficultas, nam non solum corpus permutandi vim habent alimenta, sed & in animum vsque suam actionem diffundunt, quippe qui quædam alimenta mentem acuũt, contra alia obnubilant eamdem, & deprimunt. Antecedens verum esse constat ex sacra Scriptura, nam in ea hæc legũtur, *ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, qui vocabitur Emmanuel: butirum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum;* legitur quoque libr. 1. genes. ab esu pomi vetiti apertos esse oculos nostrorum Parentum, & cognouisse quod essent nudi, ideoque fecisse ad nuditatem tegendam perizomata ex folijs ficus. In animum itaque agit, & corpus cibus; quare non differt hac parte alimentum à medicamento. Demum medicamentum interdum, in nostram substantiam vertitur, alioquin si hic metus abesset, non iuberent medici vt ab assumpta cassia, aut rosaceo zacharo comedatur: falsoque nonnulli credidissent, mannam, qua hodie vtimur ad purganda corpora, eamdẽ propemodum esse cum illa, qua Hebræi in deserto nutriti ad multos annos fuere. At vero est hoc dogma receptum à multis, alijque nedum hoc credidere, sed & illud pariter admisere, puellam quamdam nutritam esse veneno. quare malè dictum est, medicamentum esse, quod nos permutat.

Quid medicamentum.

Gal.

Dubitatio aduersus adductam definitionem Gal.

Hæc forsan intuiti quidam, laborarũt multum, vt Gal. sententiam ab his difficultatibus vindicarent; an sint illud assequuti, mox videbimus.

Auerr. vt ab ipso exordiar, explicauit hoc modo Galen. sententiam, *cibus est, qui partes dissolutas viuentis, easdem specie restituit, medicamentum vero, & si partes dissolutas restituat, non restituit tamen easdem secundum speciem, sed diuersas.* hanc expositionem noluit admittere quidam Auerr. socius Ahubertus Auensus quia à Gal. mente alienam censebat esse: admisit tandem multis Auerr. epistolis inductus, quæ si extarent, fortasse & nos ipsi adhæreremus: cum vero, neque extent, neque occurrat mihi via, qua possit hæc sententia defendi: censeo propterea esse reijciendam, nam nullo modo conuenit medicamento extrinsecus admoto: Secundo quia falso dicitur, medicamento restitui partes secundum speciem diuersas, nulla enim à medicamento, qua est medicamentum fit restitutio: Si quæ autem

Auer. de medicamenti natura sententia.

Reijcitur.

tem fit ab eodem, qua alimentum est medicamentosum, aut medicamentum alimentale, restituuntur partes temperie fortitan diuerse, non autem specie; quod si per speciem, temperiem dicat intelligere, improprie admodum loquitur Auerr.

Capiuac. Capiuac. capit. 1. lib. de venenis, putās loqui ex sententia Galen. 3. de temp. 4. hanc affert in medium definitionem. *Medicamentum est mixtum, quod secundum quamlibet qualitatem mutatur, & alteratur à corpore nostro, alimentum, quod secundum substantiam totam, & proinde etiam secundū qualitates*, nam vbi forma amittitur, etiam temperies perit, addit si decenti quantitate sumatur, nam si multum quis assumat, nequaquam vincitur. Demum volens explicare veneni naturam hæc scribit; *Venenum est mixtum, quod nequaquam secundum substantiam mutatur à corpore nostro, sicque corpus nostrum lædit*.

Reijcitur. Bone Deus, quid quæso est nugari, si hoc est philosophari? adeo verum est, quandoq; bonum Homœrum dormitare, ni tamen altus sopor sit hic error, non dormitantiæ; enimuero si medicamentū secundum quamcumque qualitatem à corpore nostro permutatur, ergo & secundum substantiam; Patet consequentia, nam cum requirat debitas in materia, quæuis forma dispositiones, non poterit corruptis illis informare materiam; quare si secundum quamcumque qualitatem mutatur medicamentum, iam mutabitur idem secundum substantiam, quod falsum vel eodem teste, nam idem esset medicamentum, ac cibus Secundo Sinapi, allia, & alia vesicantia cuti admota, nequaquam secundum omnem qualitatem mutantur, neque Pharmaca assumpta, nā multoties obseruauimus facta larga vacuatione exeretum esse pharmacum vomitu, aut deiectione; nunquam autem posset hoc obseruari, si fuisset medicamentum secundum omnem qualitatem permutatum. Vult aliquis forsitan auctoritatem Gal. legat cap 4. 3. de temp. nam hæc ad verbum inueniet, *quæ vero vna qualibet qualitate alterantur, ac mutantur ea medicamenta tantum sunt*. falso pariter docet corrumpi cibum secundum eius qualitates, quia forma corrumpitur, non enim est compositum subiectum accidētium, sed materia, possuntque accidentia, quæ in viuente, perseuerare in corrupto, quare falso probat cibum secundum substantiam, & qualitates mutari, quia cibus corrumpitur: & quidem si qualitates vna cum cibi substantia pereunt, numquam vsu ciborum poterit intemperies aliqua emendari. An admittenda, quæ scripsit de veneno? nihil vero minus, neque debet, qui vel limina Philosophiæ salutauit admittere, idcirco venena nos offendere, quia inalterata manent? primū, quia venena debent actuari, alioquin nūquam agent in nostrum corpus: suscipiūt itaque initium operandi à nobis, ergo & mutationem aliqualem, non ergo inalterata. Confirmatur, nam 3. de temp. 4. *medicamenta, ait, itidem sunt, quæ & nulla parte substantiæ sunt mutata, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt: cæterum grauia, & naturam animalis corrumpentia, vnde & totum genus eorum, deleterium, & pestilens dici reor*. secundum substantiam itaque mutari negat Gal. non secundum qualitatem. Demus vero hæc Capiuacco, nō erit propterea eidem concedendum, idcirco nos oblædere; nam esse inalteratum est, quid negatiuum; non potest autem negatiua causa effectum aliquem positiuum producere. Est quidem impermutatio secundum substantiam, conditio sine qua venenum operari non posset, & idcirco ad agendum præsupponitur: quemadmodum in quauis causa supponitur existentia: ratio tamen cur venenum nos perimat, nequaquam est negatio illa, sed summa inter nostram naturā, & venenum contrarietas; vnde redditur ratio, cur cum medicamentum, & venenum secundum substantiam maneant immutata, medicamentum tamen nos nō necet, occidat tamen venenum: ratio est, quia maior est inter nos, & venenum contrarietas, quam cum medicamento: minor præterea vis medicamenti, veneni maior, ideo expellit illud natura, veneno succumbit.

Defenditur Galen. Præstat itaque cum Gal. dicere, medicamentum esse illud omne, seu mixtum, siue elementum, quod aptum est nostram naturam permutare: cibum, qui est aptus natus seruare, & augere: venenum, quod est aptum natum perimere; mediat inter alimentum, & medicamentum cibus medicamentosus, nam permutat, & nutrit, quemadmodum mediat pariter inter venenum, & cibum medicamentosum, nam neque seruat vt cibus, nec vt venenum corrumpit, sed permutat dumtaxat. Vbi obijcitur, etiam cibus nos permutat, & medicamentum permutatur, immo & venenum, si vera sunt, quæ referunt de puella nutrita napello. Respondeo non esse rerum naturam colligendam ex ijs, quæ vtcumque ab illis fiunt, sed ex ijs, quæ per se proueduntur, & vltimo termino, ad quem, nam à termino ad quem, motus specificantur. Ergo cum cibus sua natura sit aptus conseruare, medicamentum alterare, finisque cibi sit conseruatio, medicamenti contra permutatio: iure ex his cibum distingues à medicamento; nam hæc est cuiusque natura. Probatur quia hæc fere semper à cibo, & à medicamento; quare quod aliter accidat quandoq; aut hoc fiet à multa cibi quantitate, exigua verò medicamenti, & veneni: aut fiet

ſecundo, quia medicamentum illud, & venenũ collatione facta ad hoc corpus, neque eſt medicamentum, nec venenum; vt enim alibi dictum à nobis eſt, cauſa eſt ad aliquid, & de genere relatiuorum. quare non eſt, quod moremur, ſi quoſdam permutet, non alios, hos nutriat hic cibus, non alios, immo necet, nam ad hoc animal comparatum, eſt venenum, alijs contra iucundum alimentum. Vnde redditur ratio cur ſcorpio comeſtus à gallinis non oblædat, necet hominem: occidat hominem pariter cicuta, ſturnos nutriat. Nempe ſunt hæc de genere ad aliquid, & quod venenum eſt vni, cibus eſt alteri, & iucundus. Neque tantum in diuerſis corporibus hanc effectuum diuerſitatem idem medicamentum producit, ſed in vno corpore, diuerſo tamen modo affecto, ſic pharmaca ægrotanti ſunt commoda, bene ſano, nocua: & aqua, calido natura, aut morbo, eſt ſalutare remedium, refrigerato eſt eadem venenum.

Obiectio. Obijcies. Non poteſt naturalis proprietas ſeparari; ergo ſi cibus ſua natura eſt aptus natus ſeruare, & augere, medicamentum contra permutare, non poterit, aut cibus permutare, aut medicamentum à corpore permutari.

Sol. Reſpondeo admittendo quicquid argumentum concludit; nam quando cibus permutat, non permutatur, non eſt amplius cibus: neque medicamentum, medicamentum eſt, cum non permutat, ſed à corpore contra permutatur; cum enim medicamentum, & alimentum, ſint de genere ad aliquid, nihil inconuenit, ſi modo permutet, non permutetur.

Secundo dico, quod etſi cibus ſit ſua natura aptus permutari, medicamentum contra, permutare, nihil repugnat quominus cibus permutet, & medicamentum contra permutetur, quoniam cum naturali aptitudine, poteſt ſtare contrarius actus; vnde homo flet, etſi ſua natura ſit riſibilis. ſtat ergo medicamentum ſua natura, eſſe aptum natum mutare, & interdum à corpore permutari, cibum mutare, etſi ſua natura ſit aptus mutari, & nutrire. quare rectè dictum, medicamentum eſſe, quod eſt aptum mutare, cibum, qui eſt aptus ſeruare, & augere:

Quomodo medicamentum mutet animum. mutari autem volumus à medicamento corpus tantum, animum nullo modo, ſi de mutatione per ſe dicta ſit ſermo; nam cum ſit animus ſimplex, & ab omni materiæ contagione immunis, non poteſt directè, & per ſe in animũ aut cibus, aut medicamẽtũ agere, debent enim conuenire in materia, quæ mutuo inter ſeſe agere debẽt: agere damus indirectè, & per accidens; nam cum anima corpori inexiſtens à corpore pendeat in operando, conducet mirum in modũ ad actiones illas melius, peiuſuè obeundas, bona, malauè, corporis conſtitutio. Quomodo autem primi noſtri parentes guſtato pomo vetito nouerint ſe eſſe nudos, & vt ait ſcriptura aperti ſint oculi eorum, curue arbor illa ſit dicta arbor ſcientiæ boni, & mali, demum quem ſenſum habeat locus alter adductus ex Iſaia, non eſt præſentis loci indagare; illud explicandum, nam obſcurum, quaſnã mutationes corpori noſtro inferat medicamentum.

Quaſnam mutationes corpori noſtro inferat medicamentum. Cap. III.

CORpus noſtrum à medicamento permutari ſupra dictum, nunc quoniam poteſt contingere id multifariam, declarare eſt conſequens, quænam mutationes inferantur, & quomodo, vt exploretur plane medicamenti natura, & ſit cuiuis comperta.

Permutat nos bifariam medicamentum, alterando nimirum, & vacuando: nam duplex medicamentum alterans, atque vacuans; vtrumque duplex, aliud eſt, quod vniuerſum corpus, & quamuis eius partem alterandi vim habet, aut vacuandi, mutat aliud determinatam partem, vacuatque: habet hoc tot fere differentias, quot ſunt partes, quibus addere robur poteſt, propterea dãtur medicamẽta cephalica, pectoralia, cordialia, hepatica, ſplenitica, ſtomachica, quæ os ventriculi roborant, ſtomaticha, quæ ventriculum reſpiciunt, nephrytica, hyſterica, arthritica, ophtalmica; odentica Vide Galen. 1. per gen. c. 1. Valleſ. 9. controu. c. 10.

Hæc item, & ſine delectu partem quæcumque permutantia, adhuc ſunt duplicia, ſunt quædam, quæ nos mutant qualitate occulta: faciunt idem alia. qualitate manifeſta, & ſenſili; vtrumque adhuc duplex; mutat nos aliud primis qualitatibus, permutant alia in ſecundis. Primi generis medicamentum octo habet differentias, eſt enim calidum, frigidum, humidum, ſiccum: calidum & ſiccum, calidũ & humidum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum: vnumquodque item quadruplex, nam aut calfacit, refrigerat, ſiccat, humectat in primo gradu, aut in 2. 3. & 4. vnumquodque adhuc triplex; nam aut calfacit ad principium tantum primi gradus, ſecundi, tertij, & quarti, aut extenditur ad medium gradus, aut demum ad vltimum cuiuſque gradus excurrit.

Permutans quoque in ſecundis qualitatibus adhuc eſt multiplex; nam multæ pariter ſunt qualitates ſecundæ, quæ à medicamentis induci poſſunt, emollit enim, indurat, rarefacit, addenſat, aperit, occludit, obſtructione, compreſſione, coalitu, concidentia. Attenuat, incraſſat, attrahit, repellit, coquit, maturat, erodit: quo factum, vt inter medicamenti diffe-

differentias hæ quoque recenseantur, quædam sunt emollientia, alia indurãtia, rarefacientia, densantia: apetientia, occludentia: attrahentia, repellentia, attenuantia, incrassantia, extergentia emplastica, atque hæ sunt mutationes, quas alterando inferunt medicamenta.

Non sunt minores, quæ ab iisdem vacuando inuehuntur; nam vacuantia duplicia, sunt quæ certum vacuant humorem, vt c. 6. dicemus, sunt alia, quæ indiscriminatim, & citra delectum expurgant omnes, vt Antimonium, Catapotia, Hydrargirum, sunt illa minus nostræ naturæ infensa, hæc sepe occidunt; nam teste Gal. 2. de rat. vict. 12. deleteriam obtinent naturam. Priora adhuc sunt multiplicia, nam multa sunt, quæ possũt vacuari; sunt quæ choleram vacuant, alia melancholiam alliciunt, alia pituitam, & aquam, alia stercus; vnde dantur medicamenta cholagoga, phlegmagoga, melanogoga, hydrogoga, eccoprotica, latini stercoratia appellant. Insuper quia possunt hæc vacuare leniendo, abstergendo, irritando, adstringendo, & hac ratione exprimendo: possunt item hoc facere per os, cutim, viam vrinarum, ideo dantur medicamenta lenientia, abstergentia, comptimentia, extimulantia, deiectoria, vomitoria, diuretica, sudorifica, adde & quæ vacuant tussi, screatione, spuitione; nam & illa pariter nos permutant. De his ergo, & cæteris pertractandum, ne sit diminuta proposita disputatio; Itaq; primum esset dicendum, qua ratione singula nos permutent, quia tamen lib. 2. huius operis declarauimus id de cibis, de vacuantibus, mox de purgatione tractãtes dicemus: propterea principale propositum aggredimur. Ne tamen horum sylua vsque adeo immensa nos offendat, loquemur primum de recta vacuandi ratione per pharmacum deiectorium; nam cum hæc frequenter vsurpentur à medicis, non ita passim aliæ vacuandi rationes occurrunt, vt huius ignoratio perniciosior esse potest, sic comparata eiusdem cognitio erit vtilior multo.

Cæterum, quia & hæc vacuatio bifariam potest fieri, assumptis nempe, & immissis per sedem clysteribus, balanisque, de recta vacuandi ratione per pharmacũ, seu deuoratum, seu bibitum primo loco, disputationem instituemus. Ne tamen eius series te lateat lector, dicam primũ, quid purgatio, quibusue in morbis conueniat, inquiram secundo commodum eius tempus: quibus id faciendum, quid demum præmittere, quæ vltimo facere expediat, mox subiungam.

Quid purgatio. Cap. IV.

VAcuationem eorum, quæ qualitate molestant purgationem esse voluit Gal. 1. pat. aphor. 2. 2. eiusdem 17. & 1. de hum. 12. idem arrisit Fern lib. 3. meth. cap. 1. & medicis multis; nam quãquam, excretionem humorum, q̃ui sola copia peccant, aut substantia, purgationem esse non diffiteantur, numquam tamen posse fieri putant, vt cum luxuriant succi, non contrahant iidem vitium in qualitate: alij multitudinis vitium crassitiei, & tenuitatis, in qualitate vitium esse dicunt. Primum modum dicendi tenet Merc. 2. de indic. cap. 6. secundum Fern cit. loc. Qui æquè displicent, ac Fern. quidem, quia copiæ, & substantiæ vitium, cum vitio qualitatis confundit, secundo quia si purgatio esset vacuatio eorum, quæ qualitate peccant, hoc est qualitate, quantitate, substantia, quouis demum modo, iam esset venæ sectio purgatio, nam hac vacuatur sanguis modo aliquo peccans. — *Gal. asseritur.* — *Explicatur.* — *Reijcitur Fern.*

Displicet, & Mercat. nam vbi vacuetur pituita delapsa ad pectus à capite, nullo tamen pacto adaucta, vere dicere possumus corpus expurgari, cum tamen nullum habeat pituita illa vitium in qualitate, nam hoc ex adaucta pituita resultabat. Sed demus tandem ex pituita illa ad Thoracem delapsa aliud vitium in qualitate perpetuo consurgere; nam seiuncta à reliquis succis, quorum vicinia frigiditas e. g. remittebatur, elucescit postea, & fit maior: cum vitium illud physicum sit, non medicum, nullum consequenter indicabit remediũ, aut si quod indicabit, erit illud certè alteratio, quare vacuatio eiusdem non erit vacuatio eorum, quæ qualitate nocebant, sed eius quod quantitate molestabat. — *Mercat.*

Propterea dixit Falloppius cap. 1. tract. de simpl. purgationem esse vacuationem eorum omnium, quibus humores, & spiritus, aut partes nostri corporis impuræ redduntur, qui neque admittendus primum, quia non complectitur malam purgationem. Secundo quia non declarat in quonam consistat impuritas ista. Tertio quia corpus nostrum potest fieri impurum à prauis halitibus, & sanguine: vnde idem purgabitur discussis halitibus, impuroque sanguine vacuato; at nec vaporum discussio, nec vacuatio hæc sanguinis, est purgatio. — *Fallop.*

Proinde dicerem posse purgationem bifariam definiri, communiter nempe, & propriè: communissimè sumpta, nihil aliud est, vt ait Galen. quam eorum, quæ qualitate sunt molesta vacuatio. Vt vero argumento ab initio proposito satisfacias, scire debes, nomine eorum, quæ qualitate sunt molesta, duo posse intelli- — *Auct. sententia.*

gi

gi in Hippocr. doctrina, & Gal. qualitatem veram, seu prima sit, seu secunda, & in hoc sensu falsa est definitio adducta; siquidem qualitatis vitium, alteratione emendatur, purgationem redundantia indicat. Sumitur secundo qualitas pro specie certa humoris, iuxta illud Hipp. 1. aph. 2. Si talia purgentur, &c. hoc est si vacuetur illa humoris species, quæ peccat, conferet vacuatio, ac tolerabitur facilè, & in hoc sensu nomen qualitatis accepit Gal. itaque est sensus definitionis, purgatio est certi cuiusdam succi redundantis vacuatio, seu vacuatio humoris cum delectu, secus ac venæ sectio, per quam omnes humores indiscriminatim, non vnus determinatè vacuatur: cumque succi determinati, & redundantis peccatum sit cachochimia, idem est dicere, purgatio est vacuatio eorum, quæ qualitate molestant, ac cachochimiæ: ad maiorem tamen intelligentiam oportet aduertere, redundantiam in nostro corpore, quandoque fieri à sanguine, prout est quarta quædam substantia, fit eadem alias, omnibus succis auctis, veteri tamen proportione seruata, fit alias demum redundantia ab vno tantum succo, quicumq; sit ille, sanguine tantum modo excepto. Priores duæ redundantiæ species, plethoræ vocantur. Tertia cachochimia, quæ latinè idem sonat quod succi vitiati redundantia. Vt itaque declaret Galen. qua ratione differt à venæ sectione purgatio; nam conueniunt genere vacuationis, dixit plethoram venæ sectione vacuari, purgatione, non omnes humores indiscriminatim, sed determinatam, & certam humoris speciem, bilim, pituitã, melancholiam, prout varium est pharmacum exhibitum, cholagogum, phlegmagogum, melanogogum Apte Fern. cit. loc. 4. *Venæ, inquit, sectio eum fortasse humorem, qui in venis consistit, at non sincerum euacuat, sed sanguine, & vtili humore permixtum. Purgatio vero id solum, quod vitiosum est, & qualitate peccat, vtili relicto, nisi forte immoderatius efferatur.*

Quid purgatur vero. Purgatio contra magis strictè sumpta, est cachochimiæ vacuatio, medicamenti purgantis, naturæq; vi elicita; & si enim natura vacuãte humores noxios corpus expurgatum dicimus, veræ tamen purgationis nomen est impositum à medicis ad eam vacuationem significandam, quæ cum naturæ opera, tum pharmaci absoluitur.

Purgantis medicamenti nomine, quãquam illud omne possit intelligi, quod humnres detergit, & expurgat, illud tamen sic meretur vocari, vt docta fuit Galen. sententia 5. simpl. 20 quod substantiæ, vt aiunt familiaritate, humores trahit educit. Erit itaque purgatio humorum proprietate substantiæ attractorum eductio.

Ita purgationem fieri, constat inde, nam si aliter, rem putes succedere, aut illud fiet, natura humorem pellente, aut humore, à pharmaco, tamquam ab hoste fugiente, vel ad ipsum, tamquam ad rem amaram, accurrente. **Quomodo fiat.** Nõ potest dici hoc vltimum, aut secundum, nempe accurrere humores, aut à pharmaco fugere, quamquam placuerit Fallop. tract. de simpl. medicam. purg. cap. 2. & 15. daremus enim humori, vim ad cognoscendũ, ad fugiendum pedes, alas ad accurrendum: nec primum; nam si hac ratione fiat, pharmaco assumpto purgatio? Cur non eadem fit, nullo medicamento ingesto, quando hoc est naturæ institutum, vt pellat quæcumque nocitura videntur? An quia euadit pharmaco deuorato robustior? At similia nos adaugent, & seruant: sunt pharmaca aduersa naturæ nostræ, & infensa. An acriores fiunt à pharmaco humores, indeque sequitur, vt quæ paulo antea feriabatur facultas, ad expellendum insurgat? sed quamquam multa valeant irritare, haud eo pertingit vis eorum, vt succis quicquam valeant communicare; nam sal, vix sedi immissum, copiosam ciet vacuationem: multa prætera purgant, quæ vim irritandi nullam habent. Quod si dicas secretione facta, vi pharmaci, bilis exempli gratia, ab alijs succis, actiorem euadere, ac propterea irritare naturam, & insurgere: quid dices de pituita, quæ secreta à bili, multo mitior redditur? In nostram demum venies sententiam, seligi, nempe primum à pharmaco humorem, trahi, tum naturam ad expellendum insurgere; nam quod Asclepiadis cõmentum, fingentis gigni à pharmaco bilim exempli gratia, eamque euacuari, non debeat admitti, satis superq; à Gal. lib. de purgant. medicament. facultat. est monstratum: vnde putauit Fallopp. numquam in ea Asclepiadem fuisse sententia, sed gigni autumasse, quia pharmaco assumpto sic perficiuntur, vt irritent, ac propterea natura ad expellendum insurgat. At quoniam tractio hæc, obscura admodum, qua ratione fiat, cap. sequenti dicendum.

Qua ratione trahit medicamentum humorem, magnes ferrum. Cap. V.

QVA ratione pellat natura humorem, & quæcumque ipsi nocent, e corpore extrudat, nullus est, qui non facilè intelligat, etsi à limine philosophiam, ne dum medicam artem salutarit. Qua arte, eumdem seligat medicamentum, alliciat, vel doctissimis dubium, & incompertum; nam quamquam Galen. similitudine quadam, id sit declarare conatus, trahi di-

ccns

cens à pharmaco succos, non secus ac ferrum, à magnete, maiores tamen tenebras offudit, quia obscurior est, huius euentus ratio, & abdita magis; nihilominus, quia multi, ijque grauissimi viri, in re hac laborarunt, versabimur nos in eodẽ puluere; nam & illud scire iucundum, quid alij de re hac dixerint, qui collimarint magis, si tamen vltro progredi non detur: & quando, eadem est ratio, medicamenti, & magnetis, auctore Gal. videbimus, quo pacto ferrum à magnete trahatur, vel ad ipsum accurrat; nam hinc propositæ difficultatis solutio elicietur.

Currat ne ferrum ad magnetem.

Affirmat Alex. Lic.

Aphrodiseus 2. nat. quęst. 1. c. 23. sponte ferrum ad magnetem accurrere autumauit: *ferrum* inquit *ad lapidem fertur, nõ trahentem ipsum, vt ad se, sed huius desiderio*; Eamdem sententiam nuperrime est sequutus, vir apprimè doctus Fortun. Licet. lib. 1. de spontaneo viuent. ortu cap. 16. eamque est conatus suadere his rationibus. Eodem modo ferrum ad magnetem accurrit, quo ignis ad naphtam: nunc ignis sponte propria ad naphtam mouetur, non trahitur à naphta, alioquin alliceret naphta suum corrũpens. Quare & cœt. Addit secundo, omne mouens mouendo, mouetur: at magnes nullo pacto mouetur, accurret itaque propria sponte ferrum. subdit demum, omne trahens sui gratia trahit: nunc ferrum à magnete perficitur, nam eius contactu, à rubigine præseruatur, & magneticam, vt ita dicam virtutem acquirit, magnes nullo modo perficitur. Quare &c.

Nos negamus.

Non placet nihilominus mihi; nam si ad magnetem sponte accurrit ferrum, è quouis loco, vel distantissimo moueretur ad ipsum, quemadmodum terra, vel in lunæ orbe reposita, ad centrum præceps delabitur. Nec nobis satisfacit, cum dicit, esse longè diuersam rationem terræ, & ferri; nam illa cum simplex sit, vnicum habet motum, proprium ad cẽtrum nimirum: ferrum duplicem, nempe ad terram, & ad magnetem, quia duplicem ferrum naturam habet, genericam mixti, & hanc ob causam, deorsum mouetur, & specificam, talis scilicet mixti, & ab hac habet, vt ad ferrum accurrat. Non satisfacit inquam: primum, quia ignis quoque simplex est corpus, & terra simplicius, & tamen multos ignis motus nõ motus habet, quãquã duos tribuat lib. 1. & 4. c. 17. sursum nẽpe, ad naphtam, & ad consimilem ignem: nam si vnica forma in igne est, & instrumentum motus vnicum, nempe leuitas. quo pacto ille poterit ad loca contraria moueri? vnicum itaque habebit. Nec aliter, nos coget sentire, quod videtur ignis ad similem ignem, aut naphtam accurrere, videtur etenim: at reuera elicit nouum ignem ex naphta, & duo ignes intermedium aerẽ, in ignem conuertunt, ac propterea videtur ad naphtam accurrere, aut consimilem ignem; alioquin cogemur dicere, ad omnem loci positionem moueri ignẽ, quia posita re combustibili in locis diuersis, vbique accendetur.

Non placet tertio duplex ille motus naturalis in ferro confictus; nam si quodcumque mixtum, ab elemento dominante mouetur, & in quouis mixto terræ elementum excellit, quoduis mixtum deorsum tantum, erit aptum delabi: & certè, si pro multitudine graduum, motus essent multiplicandi: cur non ponit multos alios in ferro, quando est idem substantia, corpus, mixtum, & tale mixtum.

Non tradit quarto causam sufficientem. cur ferrum, cum duplicem habeat, naturam, ac duplicem propterea motũ, ad terram potius moueatur, quam ad magnetem, aut contra, dum docet illud fieri, quia quoties duo fines proponuntur, semper mouetur ad illum consequẽdum, quem facilius sperat esse consequuturum; nam si hoc admittamus, ponamus necesse est, quemdam, vt ita dicã, discursum in ferro, esto enim à natura habeat inditam propensionem, vt moueatur ad illud, quod facilius sperat cõsequi: vt tamen modo intelligat, hunc finem facilius posse consequi, non pari facilitate alium, à natura certè habere, nequaquam potest.

Fe trahi volumus.

Quamobrem probabilior longè eorũ sententia mihi videtur, qui censent, trahi à magnete ferrum; nam quæ tractionem hanc impugnabant, facile repelluntur: enimuero vt mittam, non esse necessariũ, vt ferrum sic moueatur ad magnetem, quemadmodum mouetur ignis ad naphtam: non adstruetur propterea propositum, vbi hoc admittatur, quia vt dictum, ignis non mouetur ad naphtam; quemadmodum, nec idem mouetur ad puluerem, sed comburit. Propositio illa, omne mouens mouetur, longam habet inquisitionem, & à Physicis agitari debet: satis est nunc scire, pellentem facultatem plantarum pellere, quamquam non moueatur. Demum nos ponimus ex hac tractione, perfici magnetem, quãquam sit incompertum, quamnam motu perfectionem acquirat.

Non tamen vncinis.

Nec trahere, quia est eius pabulum.

Sed quamquam trahi ferrum à magnete ponamus, cẽsemus tamen, risu dignos eos omnes quos refert Auic. cap. 10 lib. de med. cord. putasse, emissa è magnete corpora quædam curua, instar hami, aut vncini, attrahere ferrum: neque admittendum Cardani figmentum, qui Thaletem Milesium, & quosdam antiquiores sequutus, ni fallor, viuere magnetem dixit, ferrumque ad se, tamquam pabulum prolectare: non enim ferrum à magnete voratur, aut consumitur, nec solus magnes trahit, sed ferrum à magnete con-

tactum

Nec per similitudinem.

ctum trahit aliud ferrum.

Peruetus fuit quædam opinio, quæ similitudinem Magnetis cum ferro, esse huius motus causam prædicauit: in quo autem similitudo ista consistat, non omnes vno modo explicarunt. Democritus, & Epicur. similem esse dicent magnetem ferro, tum ratione meatuum, qui in vtroque sunt commensurati, cum ratione at homorum, qui ex vtroque perspirant, licet magnetis athomi tenuiores sint, & rariores, crassiores, qui è ferro prosiliūt. Quomodo ex hac similitudine fiat, vt ferrum à magnete trahatur, non satis conuenit Empedocli cum Democrito. Hic hunc in modum fieri censuit. Elati inquit è magnete, ad ferri poros athomi, aerem in ferri poris contentum, propellunt, & athomos eiusdem, ad motum prouocant. Prouocati athomi ferri, ad poros magnetis mouentur, quos insequens ferrum, magnetem quoque versus mouetur.

Epicurus, vt refert Gal. 1. de nat. facult. cap. 14. ex vtroque ferri athomos ait, & in itinere occurrentes, se amplecti vicissim, propter similitudinem.

At Epicurum reijcit loc. cit. Galenus, Democritum Alex. nos quoque ab vtroque recedimus: atque à Democrito, quia si athomi à magnete prosilientes, & in ferri poris inclusi, ipsum propellunt, repelleretur ferrum à magnete, non moueretur ad ipsum: aut si dicas moueri, quia prodeuntes è ferro athomos, insequitur ferrum, deberet continuò moueri ferrum, cum semper e ferro quidpiam exhalet. Recedo & ab Epicuro, nam esto prodeuntes athomi vtrimque sese complectantur in via, cur ad magnetem potius mouetur ferrum, non ille ad ferrum? Nec placet Diogen. Apolloniatis opinio, qui vt refert Alex. credidit, ferrum trahi à magnete, quia est magnes siccioris substantiæ, humidioris ferrum; vnde cupiens substantiam hanc humidam ebibere magnes, ferrum trahit. Nam si quid tale exhalans. id faceret, traheret magnes humidiora metalla, vt plumbum, & alia; traheret aquam, idem faceret pumex. Fracast. lib. de antip. & sympath. cap. 1. & 7. interdum in athomos Democriti recurrit: exactius re pollea perpensa, huius motus causam, putat species à magnete ad ferrum missas, quę cum idem facere valeant, quod corpora, à quibus emissa, trahent pariter. Qui nec admittendus, quia species, vt alibi est à nobis monstratum, repræsentandi dumtaxat vim habent. Quid dicendum?

Sed quia vim habet, attractricem.

Trahi à magnete ferrum, non secus, ac trahitur alimentum ab anima vegetali: Quamobrem, vt hæc trahit, quia habet vim trahendi, haud secus magnes. Est expressa Galen. 3. de nat. fac. 3. facit enim ejus modi vim inesse magneti, qualis ad menstruum alliciendum, femini: & cap. 7. eiusdem lib. & cap. vlt. lib. 3. qualis inest singulis membris ad alimentum trahendum, & primo de loc. aff. vlt. eam esse illi docet persimilem, quam habent naturalia instrumenta, & corporis nostri membra ad perficiendas suas actiones. Vt itaque facultas animæ attractrix, naturalis quædam potencia est, sic quæ in magnete: & veluti illa trahit, nulla qualitate in alimento producta, nam non sunt multiplicanda entia citra necessitatem; vnde cum possit trahere motu tantum producto, vt passim experimur in arena, pumice, spongia, & alijs quibusque rebus siccis, quæ aqua imbibuntur, non est credendum animam superfluo aliquam dare alimento qualitatem, præter motum, qua sponte ad membrum accurreret: trahi vero in tanta distantia, non vltra, ob limitatam eius virtutem; sic magnes trahet ferrum, nulla re in ferro producta, sed motum dumtaxat. Trahit vero in determinata distātia, quia limitata est vis eius. Demum, vt causa tractionis alimenti, nō est occulta, sic neque occulta est causa, qua magnes allicit ferrum. Ita Auic. tract. 1. de virib. cord. cap. 10. *eadem inquit est responsio ad quæstionem de proprietate factam, quæ est responsio facta ad quæstionē de natura; Sicut enim, quando quæritur, propter quid comburit ignis nemo potest aliter dicere, vel respondere. quam propter caliditatem, et hæc quidem nihil aliud dicere est, quam quia habet per naturam, caliditatem combustiuam: similiter si dicatur, quare magnes attrahit ferrum, non potest quidem aliter respōdere, quam quod dicatur, quod naturalem habet virtutem attractiuam ipsius, ex quo patet, quoniam sicut sciens, quod propter caliditatem comburit ignis, est sciens secundum veritatem, & non est ignorans; similiter, & qui scit: quod magnes attrahit ferrum, quia virtutem habet, cuius natura est attrahere ferrum, sicut natura virtutis, quæ nominatur caliditas, est in igne comburens, procul dubio sciens est, nec ignorans: sed combustiua quidem virtus nomen habet appropriatum, alia verò non: illa est notitia, per hoc nomen habeatur, adeò quod sine ipso, haberi non possit, nullo modo, quoniam notitia impositi nominis, non tollit ignorantiā, quam inducit extraneitas rei. Prædicta autem responsione, non sunt contenti vulgares, ideo quia suppletur apud eos, quod omnis operatio procedens à corpore, fiat à caliditate, vel frigiditate, vel humiditate, vel siccitate, aut grauedine, aut leuitate, aut motu, vel aliquo ex his, quæ in simplicibus manifestè inueniuntur. Cum ergo actio, nulli attribuitur prædictorum, nec est manifesta ratio, à qua procedit esse ipsius, putant, quod omnia principia eius sunt ignota, cum tamen non sit ita.*

Dices nō esse hoc occultum, sed illud obscurum, & dubium, quomodo facultas hęc trahit; nam cum non detur actio in distans, atque hæc facultas non possit Dub.

pas-

passim sese communicare vsque ad ferrum; nam non est actiua, vt calor, & frigus Qua vi modo ferrum allicit? aut cur ferrum non alia? atqui hæc eadem quæri possunt de vi tractice animæ vegetalis, qua fugit alimentum, & allicit: quare si hic ad occultam qualitatem non fugis, cur modo fingis illā in magnete, & Reubarbaro? enimuero quod trahat ferrum, non alia, commune est virtuti magneticę, cum vi tractrice partium nostri corporis, viuentium omnium, nam singulę partes proportionatum sibi alimentum alliciunt, quia inter ipsum, & vim tractricē, est certa quædam proportio, quæ inter passum, & agens necessario requiritur. Communis quoque est altera difficultas de actione in distans. quare cum non cogamur illic, ad occultam proprietatem confugere, neque in tractione magnetis faciendum.

Trahant ne pharmaca certos quosdam succos, & determinatos.

Cap. VI.

TRahi succos à pharmaco, vt ferrum à magnete, insita nēpè quadam proprietate substantię, est dictum à nobis: discutiendum modo, an trahat indiscriminatim quemcumque, an certum, & diffinitum humorem alliciat.

Erasistrati opinio affertur.

Antiquissima fuit Erasistrati opinio, vt refert Galen. lib. de purg. med. facult. trahi indiscriminatim omnem humorem à pharmaco, eo tamen ordine, vt primo tenuiores educat, crassiores secundo, crassissimos vltimò. Vnde cum tenuissimum omnium sit serum, deinde bilis, tertium habeat locum pituita, quartum sanguis, crassissima omnium sit melancholia: primo serum educi testatur, secundo bilim, tertio pituitam, quarto sanguinem, postremo loco sequi melancholiam. Eamdem sententiam tribuunt Gal. quidam. vt Auic. 4. p. cap. 4. inde ducti, quia 2. de rat. vict. 11. & 4. meth 6. commutat purgationem cum venæ sectione; commutaret autem omninò ineptè ni indiscriminatim pharmacum, omnem humorem educeret. Hippocr. etiam 4. Aph. 21. peximam esse docet variegatam deiectionē, minus tamen timendam, si pharmaci opera illud fiat.

Et reijcitur.

Hanc sententiam improbant, quicumque Hippocrati militant, admittit eam Galen. in super purgationibus, tūc enim laxatis venis fluit, quod tenue primum, deinde ordine quodam crassiora sequūtur: & vbi facultas plus iusto irritatur, quod pariter euenit insuperpurgationibus, expellit primum, quæ tenuiora, quippe qui facultati pellenti resistunt minus, postea crassiora: Damnat, & iure in purgationibus: enimuero si hic quoque Erasistrati opinio locum habeat, superuacaneus erit medicorum omnium labor, qui vniuersi laborant, vt cognoscant, quibus medicamentis cholera, quibus melancholia commodius vacuatur: nec vmquam citra ægrotantis discrimen, posset medicus melancholiam educere. Vnde & hoc reprehendendum valdè in Erasistrato, quod putarit prius sanguinem elici, vltimo loco, & postremò melāncholiam: nam quamquam, si crassities sola spectetur, & tenuitas, id verum, & hoc ordine humores vacuari deberent; quia tamen sanguis est thesaurus naturæ, & amice ab ipsa retinetur: semper vltimo loco, hic reiectabitur. Demum si indiscriminatim omnes humores vacuat purgatio, indiscriminatim possemus purgationi, venæ sectionem subscribere, huic purgationem: neque humorum peccata essent contemplanda a medico, vt intelligeret, quando est ex vsu purgatio, quando venæ sectio proficua magis: sed vel ægri voluntas esset in causa, vt modo hoc, modò illud pręsidium admoueretur, vel medici libitum: vel Chyrurgi defectu fieret, vt purgans sumeretur medicamentum, aut huius inopia, vt venæ tundantur: quæ cum absurda, & à nullo medicorum admissa, est cum cōmuni schola medicorum dicendum, attrahi succos peculiares à pharmaco, atque hac ratione potissimum, à purgatione differre phlebotomiam, quod hæc humores omnes ęque inanit: illa peculiarem educit. Hippocrátem, vbi dicit, minus malum esse, si variégatæ excretiones, pharmaci assumpti vi fiant, interpetratur Fallop. de cōposito pharmaco, quod non consonat Hippocratis verbis; dicit enim minus absurdi obtinere excretionem variam, si vi pharmaci fiat: laudanda est autem excretio varia, quæ à pharmaco fit composito, non minus mala. Ergo cum minus malam censeat esse Hippocrat. de ea vacuatione artificiali exponēdus Aphor. quæ pharmaco irritante procedit, nam minus verenda est affectio omnis, quæ ab errore externo habet ortum: magnifacienda, si vitio partium illa fiat. Galen. haud mutauit purgationem cum venæ sectione 2. de rat. vict 11. sed satius esse duxit sanguinem mittere, quam expurgare in pleuriti, esto dolor descendat. Quarto de sanit. tuend. videtur rem hanc clarius docere: est tamen illud cantè intelligendum, & de purgatione, quę fit à composito pharmaco explicandū. Enimuero cum sit plenitudo, omnium humorum, veteri tamen proportione seruata abundantia. quis non videt, si pituita expurgetur, melancholia, & bilis, plenitudinem tolli, quamquā sanguis pro quarta substantia non vacuetur? cumque venæ sectio vacuet humores omnes, qui in ve-

Et contraria probatur.

Purgatio an substituenda venæ sectioni.

nis, est illud certum, tolli cachochimiam venarum pertusa vena, verum cum hæc, nedum cachochimiam, sed & sanguinem, prout est quarta quædam substantia demat, purgatio numquam sanguinem eliciat, sed vel vnum trahat humorem, vel multos, si fuerit compositum: constabit hinc cuique, non posse sic indiscriminatim alterum substitui alteri, sed tunc non incommodè hoc fiet, cum purgare est ex vsu, nec potest vacuandæ cachochimiæ indicatio expleri: vel quia cruda, aut quia corpus impræparatum, aut quia æger reluctatur purgationi, aut quia ægri naturam ignoramus 2. de rat. vict. 11. tūc demum phlebotomiam cum purgatione commutabimus, cum vacuandi indicatio vrget, & æger auersatur phlebotomiam, aut aliunde impeditur. Si nihil repugnet, semper quod indicatur, exequeris, nec rectè vnum alteri substitues.

Propositæ difficultatis decisio.

Ex dictis potest quisque intelligere, non esse à veritate alienum, quod medici multi docent, dari nempe medicamenta quædam, quæ à peculiaribus nostri corporis partibus succos seligant; nam si trahendo vacuant, atque inter agens, & passum necessaria est certa quædam proportio, atque hæc reperiri potest inter pharmacum, & pituitam, quæ in capite gignitur: non reperiri inter idem pharmacum, & pituitam alibi genitam, quia vt docet experientia, imprimit quæque pars peculiares quasdam qualitates in proprijs excrementis, quæ conata est euincere, nec tamen potuit: poterit medicamentum phlegmagogum, à capite pituitam seligere: quemadmodum, & plantæ remotiorem succum trahunt, proximiori relicto, si sit ille magis ex vsu, maioremque habeat familiaritatem cum ipsis.

Quid purgandum, seu de scopis purgationis. Cap. VII.

Vitiosi humores, qui emendari nō possunt vacuandi.

PVrgationem esse diximus, eductionē humorum, vi pharmaci factam: quāobrem, cum sit declaratum, qua ratione pharmacum humorem alliciat, est illud modo reliquum examinare, qui humores sint expurgandi, vt singulæ particulæ diffinitionis explicentur, ac simul intelligatur, quo intueri medicum oportet, vt hoc remedio salubriter vtatur. Peccantes humores, hoc est, pituitam, melancholiam, & bilim esse expurgandos, nulli dubium: cumque peccare hi possint qualitate, copia, substantia, & motu, est cuique compertum, quouis modo peccant, pharmaco expurgari debere: si tamen sit vitium inemendabile: si corrigi possit, alteratio erit ex vsu, non purgatio Galen. lib. de const. arr. med. cap. 19. *quod deinde potest iterum ad statum naturalem redire, per contraria alteretur, vt quod crassum, lentumque est attenuetur, quod tenue crassius reddatur, ambo vero pariter concoquantur.* Indicabitur ergo hoc remedium à cachochimia, & morbo magno, seu præsens ille sit, siue idem immineat; alioquin, non liceret ad præseruationem, purgans medicamentum exhibere. Deducitur apertè ex dictis, nam non quoduis vitium vacuari medicamento postulat, sed quod corrigi alteratione non potest: fuerit itaque magnum: at valida causa naturalis, cum agat pro ratione potentiæ, magnum affectum producit: ea itaque cachochimia indicat purgationem, quę aut magnū morbum inuexit, aut timemus, ne inuehat. Hinc 2. Aph. 36. *qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, citò exoluuntur*, & Aph. 37. *qui bene se habent corpore, difficulter ferunt purgationes*, & 5. Aph. 6. *helleborus periculosus, sanas carnes habentibus.* Galen quoque lib. Quos, quibus, & quando, *qui sano*, inquit *corpore sunt, si purgentur, molestias sentiunt, & vertigines, & tormina patiuntur, ægreque purgatio succedit, & cum hoc etiam celerrimè exoluuntur*: dat huius rationem Gal. in com. Aphor. dicens, *colliquantur enim, non purgantur*: quam dilucidius loco cit. ait, *causa autem horum omnium, medicamentum est, quod cum sibi obnoxium humorem educere cupiat nec ipsum reperiat sanguinem & carnes colliquat, vt ex eis, quod suum est, eliciat.*

Ex dictis deduco, non esse abolendum purgationis vsum in febribus putridis, nam quædam fiunt à bili, aliæ à melancholia, aut pituita peccantibus quantitate, aut substantia: at hoc vitium est cachochimia; nam est cachochimia, vitium alterius cuiusquè humoris à sanguine. Sed & methodus febrium curandarum, hoc suadet apertè; docens enim Gal. 11. meth. cap. 8. 10. & 13. curare humorum putredinem, à qua febres, dixit eam tolli, iisdem propè medijs, quibus compescitur ea, quæ in inanimis excitatur corporibus: in ijs siquid putrescit, statim quod computruit separamus, deinceps, quod reliquum est, in frigidum aerem traducimus, atque ita perspirationem molimur, & refrigerationem. Quare, & humorum putredinem, hoc pacto curabimus, euacuantes corruptum, quod remanet, moderatis motibus, & refrigeratione, ad moderatam symmetriam reducentes. Nunc autem, potest putridum purgatione abigi, quare conueniet illa. Conueniet secundo, vt inhibeatur putredo; putrescit enim humor, cum calor naturalis, fit igneus: ignescit, quia non ventilatur: non ventilatur, quia obstructi, aut astricti meatus, & viæ nostri corporis: obstruuntur, à crassitie succorum, vel multitudine 8. meth. 5. multitudo ergo demenda, crassi succi attenuandi, incidendi, quod cum fieri nequeat, ni multi-

titudo primum exhauriatur, hinc ordidum. At hæc purgatione adimitur. quare, &c. Dices, tolli eam quoque balneis, inedia, clysteribus, sudoribus, cucurbitulis, phlebotomia, atq; hæc eligenda; nam quiquam valeant idem facere pharmaca; quia tamen suo calore, non parum nocent, cane peius, & angue sunt fugienda, vnde Gal. numquam meminit pharmaci, quoties febrem curandam suscipit, non in lib. meth. non 3. art. medic. 40. Et certe si timet Hipp. sub cane, & ante canem expurgare. Quis audebit, calidissimum pharmacum febricitãti porrigere?

Obiectio.

Sol.

Sed quamquam, hæc moneant, non esse admodum tutum, vsum pharmacorum in febribus, quemadmodum vulgus medicorum existimat; calfaciunt enim, & exiccant, vacuunt humores, & mobiles redduntj quo fit, vt sæpissime, ad nobilissimam partem, & principem ducãt; haud tamen suadent, esse illa omninò exploden da; nam quamquam venæ sectio, plenitudinem minuat, haud demit tamen commodè cachochimiam; nam vna cum alijs humoribus, diuersis à sanguine, sanguinem, qui non peccabat, euacuat: vnde 13. merbod. cap. 6. docens, qua ratione possit confluxus humorum ad partem, inhiberi, *Plethora, inquit, tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione: succorum vitium, purgatione, quæcuique superanti succo sit accommodata corrigitur*, & cap. 5. eiusdem libri, loquens de venæ sectione, *Hæ, inquit, euacuationes indicat ipsa copia, sicuti, & succorum vitium, redundantis succi purgationem*: Vsus ne ijs fuerit Gal. Hippoc. negant multi, dubitant alij: pars, quæ affirmat apud me certa; nam purgat Hipp. in angina, & pleuriti, & materia turgente: at illud compertum magis, vtroque rarò pharmacis vsos. Video disputationis dulcedine captum, & eiusdem necessitate compulsum, à proposito scopo diuertisse: quare, vt eo, vnde fluxerat oratio, redeat, inemendabilis cachochimia expurganda: ista enim purgationem indicat faciendã: quia verò non est satis remedium indicari, sed vt idem toleretur à viribus, maximè est necessarium, virium quoque robur desideratur; enimuerò, & purgatio quoque magnum remedium est: non itaque ferre illam poterunt vires eneruatæ: consulendæ proinde diligenter à medico, & antequam consilium corporis expurgandi suscipiat, inspiciat primum, quid ferre valeant humeri, quid recusent; nam vt bene ille, turpis calamitas est ab assumpto pharmaco, mori ægrum. Cum verò vires sint triplices naturales, vitales, animales, constent omnes; vt enim sũpto pharmaco prospera succedat purgatio, actuetur primum necesse estiactuatum enim, alliciet ad ventriculum succos: tracti autem, & infernam partem ipsius irritantes, ab expultrice foras extrudentur. At vero nõn valebit ventriculus ipsum actuare, ni naturalis valeat facultas: non sentiet molestiam, si sensus sint torpidi: non pellet vix expultrix, si langueat: Demum non feret vitalis facultas vacuationem, si sit imbecilla; nam magnum patitur, vel in noxiorum vacuatione natura dispendium. Proinde fit, vt omnes debeant facultates constare, vt exequamur, quod indicat cachochimia. Hinc Galen. 1. ad Glauc. 14. cauet à quacumque vacuatione, vbi morsum quis sentit, afflictumque os ventriculi, congoscia vocant mulieres auctore Trinca. in comm. eius loci: nempe, quia non toleratur, ac propterea monet, vt primum consulamus ventriculo. Hipp. quoque censuit 6. epid. com. 5. tex. 35. vt volentes purgare pueros lactentes, purgemus nutrices, *mulier, inquit, capra, elaterium, aut cucumerem siluestrem comedentes, pueris pur gatio*, nam vt 4. 1. cap. 3. *ætas, quæ nondum ad augmenti complementum peruenit, aut ad consumptionis terminum est transiens, ab ea prohibet*. Quid sentiendum de prægnantibus, & num valeant purgationem tolerare cap. sequenti dicemus.

Confirmatur auctoritate Hipp. Gal.

Requiritur & virium robur

Et omnium.

Sed licet languor cuiusque facultatis vacuationem contraindicet, non tamen æquè quæuis contraindicare valet, sed minimè omniũ animalis, quia vt 7. meth. non multum indigemus in ægris robore sentientis, & motiuæ virtutis: multum contraindicat si vitalis langueat, maximè omnium naturalis imbecillitas, nam ipsa est, quæ actuat medicamentum. Hinc Auic. *Verum enimuero quandoque plus eligimus alicuius virtutum debilitatem, vt animalis, quam impedimentum relinquendi vacuationem*. Neque hanc tantum debilitatem quandoque contemnimus, sed adhuc in aliquali languore aliarum audet interdum medicus vacuare, si tamen multa vtilitas ex euacuatione speretur, & defectus facultatis sit facilè reparabilis, vt loco citato Dinus. hactenus de re hac, nunc proposita exequamur.

Possint ne Prægnantes purgari, quo medicamento, morbo, & quo mense gestationis. Cap. VIII.

Negat Auer.

NEgat Auerr. 7. Collig. 4. purgationem Prægnantibus vnquam conuenire. *Ego, inquit, dico, quod phlebotomia, quando adest repletio, qua embrio indiget, non est mala: Sed pharmaciam, numquam credo, ad bonum peruenire finem: imo necessario lædit embrionem*. Ita futurum putat duas ob causas: altera est, quia habent pharmaca venenatam naturam: altera quia sunt diuretica, & menses prouocandi vim habent: at hæc eadem faciunt abor-

tum. Cauenda ergo.

Confirmari idem potest, quia pharmaca maximè agitant, & pertutbant: at motus ligamenta disrumpunt. Quare erunt, & ex hoc capite pharmaca suspecta.

Non admittitur. Esse tamen vsui Prægnantibus communis schola medicorum docet, & experientia: itaque cum multis experimentis sit comprobatum, multas Prægnantes beneficio huius remedij, à grauissimis morbis esse liberatas, & sensim, & communi sententiæ medicorum innixi statuimus, non esse hoc beneficio Prægnantes priuandas: præsertim cum Auerr. nō probet à quouis medicamento offendi, sed à venenoso, diuretico, quare cauendum ab helleboro, collocinthide, scammonio, & alijs huius generis multis: māna, cassia, rosæ, violæ, tamarindi, mirabolani, quia nullam habent malignam qualitatem, nullam vim diureticam, quin ad strictoria quā pollent facultate addunt fœtui robur, poterunt his, & tuto, & iucunde Prægnantes purgari.

Quibus, an reubarbaro. Poterit ne ijsdem reubarbarum exhiberi? Putat Mesues cap. de reubarb. cui hodie medici fere omnes adhærent. Negat 4. aphor. 1. Fuchsius Actuarij ductus auctoritate lib. de comp. medicam. dicentis cassiam tantum, & mannam pueris, & prægnantibus dari posse, medicamentum robustius nequaquam.

Distinguerem ego de reubarbaro; vigorato, & absque spica, colato, & non colato, in pauca dosi, vt ad dracmam, & maiori. Reubarbarum in exigua dosi, & non colatum permitterem dari quandoque: à vigorato, & in dosi maiori abstinerem. Ratio est, quia est hoc diureticum, vt docent vrinæ, quæ statim ab assumpto reubarbaro croceæ fiunt. Præterea non caret vi aliqua irritandi, est enim calidum siceum, præsertim vbi spica accedit. Contra exhibitum in substantia, pauca dosi, dilutumque, quia diureticum non est, imò habet vim quamdam adstrictoriam, & roborantem, nullam videtur noxam posse inferre, & ideò tuto posse exhiberi.

An vomitorijs. Sed quoniam debilia hæc pharmaca omnis prauæ qualitatis expertia, possunt esse duplicia vomitoria deiectoria, quænam prędtat, eligere declarandum. In hac difficultate est vnum, in quo omnes conueniunt: est aliud controuersum, & dubium: fatentur omnes, illa medicamenta eligenda, à quibus minus imminet discrimen abortus: quænam illa, hoc dubium.

Hæc probat Martian. Probauit Martianus vomitoria, quandoquidem videmus prægnantes citra discrimen aliquod continuo vomere: si alui fluxione laborent, abortire; nam vt 5. aphor. 9. *mulieri, vtero gerenti, si aluus plurimum profluat, periculum est, ne abortiat*: & aph. 20. 7. part. *mulieri, vtero gerenti, si superueniat tenesmus, facit abortum*.

Confirmat idem auctor. Hippoc. nam vt passim licet apud ipsum videre, præsertim verò lib. 1. de morb. mulier. gerentes vtero, vomitorio expurgat.

Non deiectoria. Contraria sententia arrisit Concil. diff. 166. Petro Salio lib. 1. de morb. versu. 6. medicis fere omnibus, & est vera; nam & si à multa deiectione, & frequenti conatu ad deijciendum immineat abortus, vt dixit Hippoc. moderata tamen, & quę citra conatum aliquem perficitur, nullum habet discrimen adiunctum, aut multo minus, quam vomitoria quaque; quod vt ita esse intelligant omnes, prætermittere iuuat, fœtum conseruari in vtero, haud quia Promethei instar alligatus hęret; feruiunt potius vasa illa, quibus fœtus vtero hæret, deducendo alimento: conseruatur, quia detinet illum vterus vi sua contentrice, & quoniam vi sua nixus hæret, & detinetur. Cogita eodem pacto fœtum seruari in vtero, & ibi consistere, quemadmodum infans in vlnis matris. itaque velut iste, è collo matris pendet, & quia mater illum complexatur, & quia infans matris collum brachijs circum ambit: haud aliter, & vi propria fœtus detinetur in vtero, & vi facultatis contentricis matris. Vnde quia mortuus fœtus, non potest amplius vi propria detineri, & seruari, fit oneri vtero, ideoque mox illum deponere tentat: vt riden da prorsus eorum sententia sit, qui vterū mari dicunt esse simillimum, quia vt mare cadauer ad littus, sic mater fœtum mortuum è suo sinu deponit. Ergo cum ad retinendum facultas cōtentrix, seu vteri, sic fœtus iugi copia spirituū egeat: illa abortum procurabunt potissimum, quæ spiritus, aut corrumpunt, aut ab vtero auocant; hinc quia mœror maximè valet ad spiritus dissipandos, ad auocandos timor: ad extinguendos eosdem praui halitus venenati, vigilia, calor: propterea fit, vt ab his causis frequenter inducatur abortus. Inducunt eumdem frequenter, quæ fœtum occidendi vim habent; nam vbi est ille mortuus, fit oneri vtero, ideoque vterus ad expellendum insurget. hac via à destillatione fit abortus plerumque, etsi non negem idem posse contingere ligamentis laxatis, ijs nimirum, quibus vterus coxis alligatur, & dorso: vtroque modo inducit inedia. & sanguinis missio: nempe quia spiritus multi exhauriuntur, & quoniam subtracto fœtui alimento, concidit præ debilitate. Nunc vero, vt eo tandem reuertatur oratio, vnde fluxerat, maius multo dispendium spirituum à pharmacis vomitiuis fit, quam à deiectorijs: nam ab illis refrigerationes, deliquia, syncopes, anxietas, quęlcumque numquam à deiectorijs benedictis inferantur, erunt semper hæc illis præferenda. Nec faciet, vt aliter sentiam, quod Hippocr. vomitoria

Abortus, qua causa.

Cur elegerit vomitoria Hipp.

elc-

elegerit; probauit enim illa fortasse, quia antiqui sanitatis tempore vomitui assueuerant, sunt autem minus molesta consueta. Probauit secundo, quia sic præparabant vomitoria, vt quam minimam inferrent molestiam, deiectoria maiorem, nam vt illis abundabat antiquitas, sic istis carebat. Nunc quando nostro sæculo ea sunt deiectoria adiumenta, quæ si cum vomitorijs conferas, longè minus molestant, nam vomitiuis facilibus caremus, hæc præponenda continuo censeo. Habes quo medicamento sint Prægnantes purgandæ, nunc in quo morbo, & quo mense præstet illud facere declarandum.

In quo morbo purgandæ Prægnantes.

De primo constat illas esse purgandas, cum affectus quo tenentur, est grauis, & purgationem, quàm maximè exposcit. Itaquè cùm illud desideretur, vbi est multa materia morbosa: cùm mouetur, cum turget, cùm natura coctam, & euictam materiam non euacuat, in his omnibus casibus erunt purgandæ Prægnantes. vt notat Iacob. de Forliu. & alij.

At dices Hippocr. monet, vt purgemus, cùm turget tantum: cur nos in tot alijs casibus idem præstare tentabimus.

An dicemus textum sic esse legendũ? *vtero gerentes sunt medicandæ, cum conuenit?* vel exponemus cum Galen. in comm. cũ vrget, & premit? minime vero, nam prima expositio est gratis conficta: secunda Gal. non videtur Galeni; nam cum millies alibi, sit loquutus de turgentia, numquam voce turgere, exposuit vrgere, & premere: placetque propterea magis textus Valgrisij, in quo ita locus iste legitur: *non tamen omnes, quæ hoc tempore indigent purgatione, permittit purgari. Sed si materia turget, inquit, hoc est cogat accelerare, idest si motu ad vacuationem inuitet, ac sollicitet.* Probat motum requiri ad turgentiam, nam tractum vocabulum est ab animantibus concitatis ad coitum, quæ ratio esset omninò ridicula, si turgentiæ nomine, vrgentia exponatur.

Expurgamus ergo in alijs multis casibus, etsi Hippoc. moneat, vt id fiat, cum turget, quia verbum hoc appositum est exempli gratia. Itaque sensus germanus eius loci hic est, vtero gerentes sunt medicandæ, cum summa vrget necessitas, vt e.g. cum turget. Quod attinet ad vltimã difficultatem, est omnium sententia tatum, eo mense gestationis, medicamentũ esse porrigendum, quo est fœtus validior, & ferẽdis incommodis purgationis aptior: quando vero sit idem robustior, hoc non ita compertum; nam etsi Hippocr. 4. Aph. 1. ista scripserit. *vtero gerentes sunt medicandæ à quarto, vsque ad septimum: iuniores, & seniores cauere oportet:* quia tamen non declarauit, an à quarto inclusiue, vel exclusiuè, ad septimum vsque inclusiue, siue exclusiuè sint medicãdæ, & quid per iuniores, & seniores intelligere oporteat, fœtus ne, an mulieres, vtrumque enim sensum possunt verba illa recipere, data propterea occasio cõtrouersijs est, alijs aliter de re hac opinãtibus, & vnoquoque Hipp. in suam sententiam trahente. Conciliator, itaque differ. 169. Mercur. exponens Aph. citat. & alij multi includunt septimum, & idcirco docent posse septimestres purgari, alioquin non addidisset Hippoc. sed hæ minus. Excludunt septimum Fuchsius Valles. & Christop. auega, negantque septimestres purgandas esse. Excludunt communiter omnes tertium mensem, cum tamen Gal. 1. epid. com. 3. ægrot. 13. scribat trimestres, & quadrimestres difficillime omnium reuelli posse, idque in causa fuisse, cur mulier illa, & si grauia symptomata passa fuisset, fœtum tamen intempestiuè non exclaserit: quodque maiorem facit difficultatem, quo illud suadeat; citat Aph. 1. 4. lib. cum tamen, ne per somnium quidem trimestrium faciat mentionem Hipp. Communis tamen sententia, quæ diuiso tempore gestationis in tres partes, hoc est tres menses primos tres vltimos, totidemque medios docet, tribus medijs posse commodius prægnantes purgari, iuniores, & seniores fœtus continentes, non esse expurgandas, vel si legas in neutro genere iuniora, & seniora tempora cauere oportet, hæc vera est, & tenenda. Cauendam esse purgationem tribus vltimis mensibus, tribus primis, communis est omniũ sententia, nec quisquam ita audax fuit, qui tertio conceptionis mense posse prægnantes commode purgari autumarit, ideoque conati omnes sunt exponere locum illum Galen. etsi ab alijs aliter sit factum, vt constat ex ijs, quæ Manard. scripsit: 5 epist. 1. & Christoph. Auega in comm. dicti Aph. Ego ijs mensis dicerem loquutum esse Galen. de trimestribus progressis, qui ad quartum mensem accedunt, de quibus cum eadem ratio haberi debeat, ac quadrimestrium, idcirco robustos esse dixit, idque Aph. Hip. confirmauit, in quo etsi dicat à quarto ad septimum esse medicandas, quia tamen idem est trimestrium progressorum ac quadrimestrium indicium, iure testimonio illo Hippocr. vti potuit ad adstruendum trimestribus robur.

Concil.

Valles. Fuch.

Author.

Quous tempore.

Est pariter communiter receptum, à quarto mense, quinto, & sexto posse expurgari prægnantem: de septimo est difficultas, & idcirco esse hunc excludẽdum suadere conabor, quod me facile assequuturum confido illo argumento, est septimus congeneus nono, nam vt vltimo hoc mense maturus est fœtus, sic septimo, eamque ob causam est vterus ad ipsum excludendum paratus. Ergo vt nono præstat abstinere, sic septimo quiescere

ſcere expediet; vt enim belle in illo comm. Galen. *cum vtero fętuum connexus, eamdem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Ergo vt hi in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideo facile decidunt, quando vehementior ventus ipſos concuxerit: poſtea vero aucti difficilem habent a plantis diſſolutionem: ſicuti rurſus, cum perfecti ſunt ſponte ſua ſine vi extrinſeca decidunt: eodem modo conceptus in primo quidem tempore ſeminis iniectionis, ſi quando ſaltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, ſiue quouis alio modo, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus moueri vehementius, facillime diſrumpuntur: ſic etiam quando cum perfecti ſunt; tempore vero intermedio firmiorem habent coalitum. Quare mulier vtero gerens poteſt fortiores motus ſubſtinere ſine fœtus offenſione.* hæc Gal. ratio cum vera ſit ut plurimum, vt plurimum ſeruare oportet præceptum Hip. at ſi quãdoque mulier occurrat, cui ſint ligamenta, vſque adeo valida, vt numquam abortiat, quod experiuntur ſuo damno nonnullę viduæ: aut alia, cui ſint eadem vſque adeo laxa, vt leui ex cauſa dirumpantur, aut laxentur; ſcias hanc nullo mẽſe tuto expurgari, illam quouis menſe poſſe; idcirco enim primos, & vltimos menſes cauebamus, quia à ligamẽtis metuebamus: vbi itaque ceſſet hic metus, faciendum, quod morbus expoſcit: vltima ergo illa verba Aphoriſmi, ita legenda, *iuniores, & ſeniores vereri oportet*, non cauere: nec propterea Sacris Canonibus contradicimus, qui expurgationem prægnantibus interdicũt verentes abortum, non enim purgationem omnem interdicunt, ſed eam damnant, quæ citra abortum ſubſtineri non poteſt. Itaque aduerſus eos medicos lata lex eſt, qui ſatius eſſe rati abortum fieri, quam matrem vna ſimul cum fœtu deperdi, nullum genus medicamenti, quantumuis validi reſpuunt. Nos adhœrentes Theologis dãnamus omnem purgationem, ſi aperte conijciamus abortutam fuiſſe, eſto prægnans periclitetur, non enim facienda ſunt mala, vt eueniant bona: neque omnia, ſed licita ſunt pro ſalute hominis tentanda: vt mittam & matrem non raro periclitari, vbi abortit.

Exponitur ... non.

Poſsint ne Puerperæ morbo acuto correptę expurgari. Cap. IX.

HAbent puerperæ magnam affinitatẽ cum prægnãtibus. Propterea poſtquam vidimus, an poſſunt purgari prægnantes, in quo morbo, quo medicamento, quoue menſe geſtationis, liceat ne idẽ facere in puerperis morbo acuto correptis, examinabimus: acuto inquã morbo laborantibus, nam ſi eo affligantur, qui dat inducias, nullus eſt, qui non cenſeat, in commodius tempus, erit autem purgatione abſoluta, medicamẽtum purgans relegandum. Ne vero in æquiuocis laboremus, oportet ante omnia aduertere, morbos qui contingunt à partu, duplicem poſſe originem habere, fiunt quidam vtero patiente, inflammato e. g. obſtructo, ac propterea puerperijs cohibitis: fiunt alij, nihil patiente vtero, menſtruiſque vt decet fluentibus: ſolent autem oriri occaſione ſuſcepta, vel à partus doloribus, vel quia in expurgatione lochiorum, commotus aliquis humor, qui antea quieſcebat, grauem concitauit affectum, quippe cauſa noxia, quanto magis mouetur magis nocet. Nempe vt à dolore nephritico, & vigilijs multis ſummam ſolent humores contrahere putredinem: & veluti à pharmaco ſœpe febris: vel quia humor aliquis incaluit: aut quia in eam partem eſt detruſus, vbi non ventilatur: haud aliter à doloribus partus, vel à commotione, quæ in partu accidit, ſolent ſucci in partibus corporis ſupernis putreſcere, febremque prauam inferre, eamque typicam, quo poſito.

Morbi à partu duplices.

Scire oportet ſecundo, non verti in controuerſiam, an pro curatione eorum affectuum, qui à menſtruis cohibitis fiũt, purgare conueniat: nulla .n. eſt hic purgandi indicatio, ſed puerperia cohibita prouocandi, quod cum purgatio facere non valeat, nullus eſt in hoc caſu locus purgationi. Difficultas eſt reſpectu illorum morborum, qui ſuſcepta à partu occaſione, ſunt in alijs partibus ab vtero excitati.

Explicatur titulus.

Negant noſtri medici, cum tamen ſint purgationum amantiſſimi: negant autem ea ratione moti, quoniam iudicante natura, debet medicus ſpectator ſedere: quam quis non rideat? eſto enim moueat puerperia natura, non tamen euacuat cauſam morbi: debet autem medicus, tunc eſſe ſpectator, nec quidpiam facere, cum cauſam morbi vacuat natura: vbi hac relicta, alium ſuccum pellit, ſinet hic occaſionem turpiter labi, nam æger interea, aut extinguetur, aut labetur vſque adeo in deterius, vt nullus ſit in poſterum remedio locus.

Noſtrorum opinio affertur.

Reijciturque.

Probauit eamdem ſententiam multo efficacius Maſſaria in ſua praxi, c. de puerperis hac ratione. Non licet puerperia fluentia, aut cobibere, aut alio auertere, & auocare: hoc facit purgatio. Quare non licet intra puerperij metas expurgare.

Conuellitur ratio Maſſ.

Sed quamquam ſit hæc ratio robuſtior multo: haud tamen caret illa ſolutione: poſſet enim mox dicere quiſpiam, quod etſi puerperijs fluentibus non liceret ad aluum auocare, iiſdem tamen reſtrictis, & cohibitis, cum nullum ſit propoſitum diſcrimen, liceret ſaltem, tunc temporis

me-

medico vacuare per aluum.

Dicet secundo alius, quam plurimos medicos intra puerperij metas hyrudines venis sedis apponere: per loca vicina vacuantes: cur non purgare conueniet? Dices neque hoc faciendum, ob hanc causam. Non me latet improbari hanc ob causam propositum remedium hyrudinum à Massaria: scimus nihilo tamen minus à multis vsurpari, aut cum profectu, aut citra incommodum. Cur non & purgatio?

Dico tertio verum esse Massariæ discursum, vbi non est alia indicatio dignior, & vrgentior: si hæc extet, vrgentiori vacantes expurgabimus. Hinc Valleriol. lib. 5. obseruat. vlt. puerperam pleuriticam 8. die expurgauit, sanguinemque multo antea ex brachijs extraxit eidem, fœlici vt ipse refert cum successu. Idem placuit Moxio lib. 3 cap. 47. Mercat. lib. 4. de morb. mulierum, nam quod nonnulli possent pro Massaria dicere, indicationem illam vacuandę cachochimiæ expleri posse vena tusa ex pede, ideoque huic remedio insistendum: probarem laudarem, si quod pollicetur verbis, facto exequerentur. Nunc vero quando multoties, vena secta ex pede, fluentibus quæ large puerperijs, videmus vigere nihilominus morbum, augeri, non minuit, erit profecto contumacis ingenij eodem remedio humorem in partibus supernis infixum, & contumaciter illis adhærentem aduocare ad vterum: nolle alia experiti, sed ijsdem insistere, quæ toties nullius esse vsus est expertus: neque enim mox ad istud remedium confugiendum censemus, absit, sed quando cœteris omnibus tentatis, non est æger adiutus.

Sed vt vltimam tandem manum difficultati huic admoueamus, respondeamus hoc modo Massariæ. Non licet vacuationem laudatam cohibere, aut auertere: facit hoc purgatio, si intra puerperij metas tentetur à medico. Quare non erunt puerperæ expurgandæ, fateor non esse hoc tentandum, non dum transacta die 14. Verumtamen cum horum spatio dierum, vacuatio illa puerperiorum absoluatur, nihil erit tunc temporis, quod retardare possit purgationem, si eam tunc temporis adhuc morbus exposcat. Quare faciendum.

Hic videor ridentes multos audire, & in cachinnum profusos, illud objicere. Hippoc. passim docet, & Hippoc. assentientes medici omnes autumarunt, puerperia fluere per mensem, si marem pepererit mulier, per quadraginta dies, si excluserit fœminam. Qua ergo fronte asseritis modo, dierum quatuordecim spatio, puerperiorum vacuationem absolui?

Durent ne puerperia spatio 30. dierum.

Noc me latet vulgatum hoc dogma: audiui multoties, legi quoque in leuitico cap. 12. *mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die 8. circumcidetur infantulus: ipsa vero 30. diebus manebit in sanguine purificationis suæ*, explicanda tamen hæc loca Hippocr. sunt, non aliter, ac Aphor. ille, in quo habet, *acuti morbi quatuordecim diebus terminantur*: at vero scribunt omnes interpetres longinquum spatium acutorum morborum, non posse vltra dies quatuordecim extendi, posse tamen eosdem circumcidi, & multo antea finiri, vt docet passim experientia: quare, & longissimus terminus puerperiorum erit 30. dierum, quem citra magnum incommodum salutis, numquam mulier prægredietur: absolui tamen vacuationem hanc citius, tardius, pro varia temperie, ætate, habitu, vitæque genere eius quæ fœtum exclusit. Sed ne quis vereatur hæc à me esse conficta extorta, & Hipp. imposita, adducam eumdem Hippocr. sic libello de pueri natura loquentem. *purgatio fit à partu, vt plurimũ in fœmellis quidem diebus 42. atque hæc tardissima est, & perfecta: vacauerit autem periculo, etiam si in 20. diebus purgetur: in masculo verò purgatio fit in diebus 30. atque hæc fuerit tardissima, & perfecta, citra tamen periculum fuerit mulier, etiam si 20. purgetur*: vide Ar. 7. de hist. c. 10. & lib 7. de hist. ani. cap. 3. scripsit, *purgationes autem accidunt plurimis, cum conceperint ad tempus quoddam f. 30. dierum, si conceptus mas fuerit 40. si fœmina*, ita enim emendandus locus ille est, *à partu etiam purgationes eodem dierum numero consequi volunt*. Hipp. ni fallor innuens: addit tamen, quamquam non æque, ita diligenter eueniunt. Hinc Valles. lib. de sacra Philosophia c. 18. *Quid ergo? an nihil est in rebus, quæ ad fœtum, & puerperas spectant certum, ac firmum? sane nullum est tempus certum, quo mas, aut, fœmina figuram vtero accipiat, neque quo moueri incipiat, neque quo in lucem exeat, neque quo mulier vtero gerens statim à conceptionis initio expurgetur, neque quo expurgetur quæ conceperit siue marem siue fœminam, sed non omnia tempora varia, & multiplicia sunt*. Quare sunt omnino damnandi, & acriter reprehendendi nostri medici, qui numquam non dum transacto 40. die aut 30. posse purgari puerperas opinantur, nam cum post septimam diem, aut quod plus est post 14. aut nullæ sint purgationes, aut satis imminutę, & illæ per temporum interualla, poterunt post diem 14. tutissimè puerperæ purgari, & citius, si morbus maximè vrgeat, & quæ peperit non multa soleat purgatione gaudere. Sed satis multa de ijs, quę purgationem ferre possunt, nunc de purgationis tempore loquamur, ac primum dicamus, quo anni tempore expurgare sit commodum, secundo dicemus, quo morbi tempore purgare conueniat.

Quo

Quo anni tempore purgare conueniat. Cap. X.

Non est æstate purgandū.

CONabor id paucis absolnere, ne in re clara, ocio literario abutar. sit itaque primum dictum, æstuoso tempore, & feruido, nequaquam purgare conuenit, ni sit quod vrgeat multum. Ita Auerr. 7. Collig. cap. 4. Auic. 4. 1. cap. 11. Galen. libr. quos quibus, & quando, & est expresse scripta ab Hipp. Aph. 5. 4. lib. ijs verbis. *Sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.* Disputant multi, quidnam sit canicula, quo anni tempore apparet, & quamdiu perdurat, vt intelligant quando purgationes sunt difficiles, ac propterea cauendę, ni sit scopus vrgentior, quod scire parum refert ad Aphorismi propositi intelligentiam; est enim sensus, calidissimo tempore, cuiusmodi est caniculare, & quod caniculam proximè præcedit, cauendæ sunt medicationes. aptè Vallef. in illius Aph. commen. *apud me ille dies est sub cane, quo est maximus calor, quocumque die fiat:* Argen. ibidē *sunt* inquit, *qui hæc contemnūt, & nihil aliud spectant, nisi æquabilem aeris temperiem, cum qua virtus redditur apta ad ferendam vim, & humorum aptitudinem. At ego quidem horū opinionem sequutus, negligens semper fui obseruator motionum Lunæ, & aliorum astrorū, sed magnus obseruator earum mutationum, quæ in aere fiunt ex magno accessu, & recessu solis: nequaquam tamen damnauerim Hipp. & alios medicos, qui ex Astrologia medicinæ authoritatem comparant.*

Esse vero tunc temporis purgationes incommodas, probat Galen. in illo commento sufficienter duabus rationibus; quarum prima est, quia natura à Sirij calore exusta, non potest medicamēti acrimoniam ferre. Secunda, quia validus calor ambientis extrahit humores ad cutim à partibus intimis: contra, pharmacum ab externis partibus ad internas allicit. Nunc natura non patitur, vt in contrarias partes distrahatur. Proinde fit, vt præstet à purgatione abstinere, cū æstuosum fuerit anni tempus, seù sit caniculare, seu quodcumque aliud. Eadem ratio cum habeat locum in calida regione, in ijs qui temperie sunt calidi, prēstabit quoque abstinere ab hoc remedio si qui sunt purgandi, calidam regionem inhabitent, aut fuerint ijdem sicci, à suæ generationis primordijs, siue ob errata in victus ratione commissa, calidiores.

Nec hyeme.

Secundum dictum, cauendæ pariter sunt purgationes hyemali tempore, & cœlo iam algido: nam quamquam valeāt facultates tunc temporis (excipio decrepitos, & quosdam malè affectos) humores tamen, quia cōglaciati, vecte quasi indigent, vt extrudantur, quare trahenti pharmaco non obedient, nec naturæ pellenti; quinimò contumaciter contranituntur ijdem, & obsistent. Auic. 4. 1. c. 5. *Et scito* inquit, *quod tempus, quo maior canis adscendit, & hora, qua niues super montes quiescunt, & hora frigoris fortis, non est tempus sumendi medicinam,* & cap. 3. eiusdem. *Et regio* inquit, *meridionalis vehementer calida ab ea prohibet, quod plurima eorum, quæ ventrem soluunt sunt calida, & duarum actiuitatum actio tolerari non potest, quoniam virtutes in eis debiles erunt dissolutæ, & quia exterior calor, materiam ad exteriora trahit, & medicina ipsam trahit ad interiora; quare inde peruenit in diuersas partes distractio, & ad resistentiam perducit, & septentrionalis nimium frigida ab ea prohibet.*

Ver aptum.

Tertium dictum. Vernum tempus aptissimum præ omnibus est expurgandis corporibus. Ita Hippocr. 6. Aph. 47. Gal ibidem, lib quos, quibus, & quando, & passim Auicen. Auerr. citatis locis: communiter demum ab omnibus tanquam vera admittitur, & in praxi obseruatur; tunc enim temporis valent facultates potissimum, nam nullum habet excessum, caretque ijs omnibus incommodis, quę tum hyems, cum æstas inuehere solent. Cæterum quia Galen. viderat posse aliquem quærere, quænam Veris pars aptior alijs, an illius principium, an medium, an finis, huic occurrens in locis citatis, in pituitosis, & melancholicis vacuandis, Veris initium eligit: biliosorum contra expurgationem, ad finem vsque censuit prorogandam: cur vero ita senserit, non admodum obuium, nam cum maiori indigeant fusione, & attenuatione humores crassi, hos potius in fine veris medicus vacuare deberet. biliosos contra in illius initio.

Sed illustrauit has tenebras Vega lib 5. de loc. aff. cap. 1. & multo antea Musa, & alij multi. Dixit ergo posse hos sub Veris initium expurgari, ac debere, quia satis sunt fusi, & ni vacuentur quam primum mox fusi, & varias in partes delapsi, varios morbos excitabunt. Non imminet huiusmodi discrimen à bile, propterea ad æstatis initium poterit eius vacuatio differri.

Sed cur non hæc etiam tutius sub veris initium vacuabitur, illi contra? Respondet Vega, quia illi sunt per hyemem geniti, & Autumnum, non bilis. Idem Ferdinandus Mena in comm. super lib. de sang. miss. c. 2. & multo antea Brasau in comm. cit. Aphorismi; qui non placent; potuit enim æstate præterita gigni: & certè ni tunc genita fuerit, nec ver ipsam producet.

Proinde dicerem, nō negare Gal. quin sub veris initium possit illa expurgari: affirmat tantum posse hoc ad veris vsque finem citra aliquod discrimen differri, non posse protelari aliorum humorum vacuationem.

Ha-

Et autumnus.

Habet secundum locum Autumnus in expurgandis corporibus, postquam tamen descenderit pluuia, vt 7. Collig. cap.4. aduertit Auetr. nam patum à veris temperie recedit, nec sunt humores inepti, vt vacuentur, quemadmodum per hyemem sunt, nec non per æstatem.

Nec obstat Hipp. qui lib. de aere, aquis, & locis, monet, vt caueamus æquinoctia; non enim damnat illa in vniuersum, sed aduertit, vt eorum initia caueamus. Et quidem caute, nam in magnis his temporum mutationibus, magnæ solent mutationes contingere: in magnis autem mutationibus, non secus ac in Crisibus, nihil mouere, nihil nouare oportet. An quiescendum pariter in aspectibus Lunę diximus lib. de vacuandi ratione, nunc quod reliquum est de tempore purgationis prosequamur.

Quo morbi tempore purgare conueniat. Cap. XI.

SVnt morbi tempora quatuor, principium, augmentum, vigor, & declinatio, Propterea quo morbi tempore purgare sit commodum quæremus, inchoãte ne illo, an declinante, cùm ad augmentum progreditur, an cum consistit, & viget: cumque hæc tempora, ijs pręcipuè notis distinguantur (loquor de temporibus febrium putrium, nam de alijs non est fortasse, cur dubitetur) coctione nimirum, & cruditate, nam in principio febris, & augmento, crudus est humor, in declinatione concoctus: est dubitatio, coctus ne humor educendus, an crudus: an & coctus, & crudus indiscriminatim.

Crudum semper humorem quidam vacuant ob has causas.

Crudum vacuant semper quidam; nũquam coctum, ob has rationes: primum, quia est coctio adsimilatio itaque vbi succus coctus fuerit, erit idem redditus similis nostro corpori: hunc autem nullus, citra noxam educet: vnde irridendi ij medici, qui pituitam expurgare volẽtes, conantur concoquere: nam cum coctione vertatur in sanguinem, non est, quod postea vacues. Secundò id debet coqui, quod expurgari: quamobrem cùm sit expurgandum quod est putridũ, hoc coquendum: at putrefactus humor, non potest comptum naturæ recipere. statim ergo, vt monuit Gal. 3. art. med. extrudendus è corpore. Nec si idem naturę benignitatem recipere possit, est cur primum coquas, deinde vacues, nàm cùm coctio fiat à calore, & ijs iuuetur, quæ calidam habent facultatem, essent calida quęque ex vsu in febribus, quod ab surdum. Quarto cocta quæque calidiora euadunt, & crassiora; obstat autem crassities purgationi vnde Gal. lib. Quos quibus, & quando, *tenues*, inquit, *& serosos humores statim purgabis*.

Secunda.

Tertia;

Quarta.

Demum si essent cocti humores expurgandi, tunc esset, vel in statu expurgandum, vel in morbi inclinatione, nam his temporibus cocti sunt humores, non in augmento, aut principio; at vero in statu melius est quietem habere, in declinatione euictus est morbus, causa morbi edomita. quare erit inutilis purgatio; Crudos itaque succos vacuandos esse concludunt. Cœterum quia ijdem videbant monere Hipp. 1. Aph. 22. vt medicemur concocta, dixere nonnulli, insertum temere ab aliquo aph. illum fuisse, Hipp. non esse, quando apud Oribas. nõ legitur: non aduertentes legi eumdem 2. lib. de humoribus tex. 15. Tentarunt proinde alij exponere, & in hunc modum quidam explicarunt: concocta medicari, & mouere non: cruda expurga, & euacua, non tamen in principio, ni materia turgeat; nam in initio morbi, sunt omnes humores, & boni, & praui vnà simul permixti: quamobrem si tunc illos educere tentes, aut nullo modo educes, quia non habebis adminiculantem naturam: aut, vnà cum prauis, bonus quoque euacuabis: vel inquiunt secundo, ita est exponendus aphorismus Hippoc. vt ly cõcocta sit ablatiui casus, & hunc sensum faciat; postquam fuerit cocta materia, tunc medicare, & euacua cruda, non tamen in principio, ni materia turgeat. Primam expositionem excogitauit Sallust. Salu. secundam alij, quos refert Argent. 1. aphor. 22. & 3. art. med. 38. falso, vt patet, innixi fundamento, ac propterea explodendi; enimuerò putant ipsi, coctionem omnem esse adsimilationem, quod quamquam incertum, & dubium, esto tamen admittatur, conuincentur adhuc ex datis, cocta esse purganda, fateri; nam vel coctio est assimilatio eius, quod coquitur, quoad substantiam, vel penes accidentia: non primum, nam vbi alimentum consimilem corpori substantiam, est nactum, nutritio illa est, non concoctio; vnde vi chylificationis, sanguificationis, maturationis, haud vnquam talis similitudo comparatur. erit itaque coctio assimilatio quoad accidentia: at quæ secundum accidentia sunt similia reddita, si animalis corpori possint similia reddi secundum substantiam, sunt ad nutritionem amice seruanda: sin minus pelli: at sunt verè hæc cocta, quia similia reddita, quo ad accidentia. Quare velint, nolint, cogentur fateri, posse adhuc cocta purgari.

Et Hip. sic exponunt.

Qui reijciendi nam falsò nituntur fundamento.

Adde quod Hipp. pessime interpretantur, nam alij faciunt ipsum ænigmaticum, & more oraculi loquentem: fingunt alij ly cocta esse septimum casum, nõ aduertentes carere hoc casu Grœcos. Aptius locum illum exposuit Mars. Cagnat. qui referens ly concocta ad nosimata, seu pathemata, hoc est morbos, siue passiones

Et locũ Hipp. malè exponunt.

Aptius Cagnat.

ait, hunc esse germanum, & verum eius loci sensum, si morbi maturi fuerint, hoc est mites, benigni, & qui à natura facile vinci possunt, quemadmodum vincuntur à stomacho nostro maturi fructus, & esui apti, medicari oportet, & mouere: at si ijdem sint crudi, hoc est feri, immites, quique vinci nullatenus possunt: in his neque medicamentum dare oportet, nec mouere, neque aliud vllum prædium administrare, sed tamquam desperati solis relinquantur prognosticis. Cæterum quia videbat dari multos morbos, qui sũt medij, non adeo feri, neque adeo mites, subdit, vel esse medios temporis ratione, nam quibusdam temporibus, vt augmento, & vigore sunt feri, in principio, & inclinatione sunt leues, & in his morbis cum ad augmentum, & statum progrediuntur quiescere oportet, in declinatione, & principio aliquid moliri: vel sũt medij, quoniam respectu venæ sectionis, sunt cocti, & in istis affectibus oportet mittere sanguinem, non expurgare: quẽadmodum in alijs, qui venæ sectionem contra indicant, purgationem oportet exhibere, non venam secare. quo vero intuendum, vt cognoscamus quinam morbi poseant alterum remedium, & quando, aliunde inquit addiscere oportet.

Ad morbos ly concocta referri debere probat inductione, nam ni referatur ad morbos, referri dices ad corpora, ad excrementa, ad humores: at vero non potest referri ad corpora ęgrotantia, nam quamquam crudos vocent latini, qui nondum concoxerunt, eos tamen qui concoxerunt, haud coctos appellant, aut maturos. Græci quoque quorum Idioma attendendum, vt mentem Hipp. assequamur, non vocant cruda corpora, quæ nondum concoxerunt in significatione actiua, sed est vox passiuá, & cruda apud ipsos dicuntur nõdum cocta, ac propterea esui inepta. Referre itaque oportet ly concocta, ad excrementa, aut humores: at ad excrementa falsò referes, nam hæc seu sint cruda, seu cocta, statim ac retinentur, pelli è corpore debent; ideoque nullus medicorum in vrinæ suppressione, seu fæcũ, coctionem expectat, sed qualiacumque retinentur, mox omni industria procurant extrudere. Nonminus inepte referes ad humores, nam humor masculini generis est apud Græcos, concocta neutri. Secundo si coctos humores expurgare oportet, & mouere, cum sanguis sit humor, non nisi post coctionem esset sanguis mittendus, quod est prorsus falsum.

Sed quamquam hæc sententia sit probabilior, adhuc tamen displicet; quid enim prohibet, quominus ita exponamus? cum fuerint pathemata, seu nosimata cocta, non ratione sui, vt putauit Cagnat. sed causæ, quemadmodum abscessus maturus dicitur, quod est idem, ac dicere, cum causa morbum faciens cocta fuerit, maturaque. erit autem matura, cum instar fructuum, qui iam sunt maturitatem adepti, est apta expelli: tũc medicari conuenit, & mouere; nam habes adminiculantem naturam, quę postquam coxit, expellit, & humorem non reluctantem, nam edomitus? Quia inquit, si referas ad humores, etiam sanguis post coctionem educi deberet: at nulla hæc est, nam non est sermo Hippocr. de humoribus vtcumque vacuandis, sed opera purgantis medicamenti, sudore, balneis, exercitio, clisteribus, non per venæ sectionem: nec obstat, quod dixerit, concocta esse medicanda, & mouenda, nam quamquam non negem, voce mouere, comprehendi etiam vacuationem per sanguinis missionem, vt constat ex Gal. comm. 9. 2. Aphor. non infertur propterea recte ex hac propositione, concocti humores sunt purgandi, & quouis alio medicamenti genere vacuandi: ergo, & sanguis post coctionem educendus, nam hic non potest pharmaco educi, de his autem Hipp. loquitur, alioquin cogetur idem fateri, quod quando Hipp. monet, vt in morborum initijs, si quid videatur mouendum moueamus, posse in morborum principio excitari sudorem, vacuari per balnea, nec non exercitio, quod nullus admittet. Cocto itaque morbo, ratione causæ, hoc est cum coctus fuerit humor morbum faciens, tunc oportenũ erit medicamento purgante vacuare, & quouis alio medicamento, vt balneis sudorificis, diureticis eumdem educere.

Quæ sunt in contrarium, in initio adducta, mirum quantam opinionum diuersitatem pepererint. Quidam, pituitam, ni sit putrefacta, neququam coquunt, antequam expurgetur: coquunt alij, & in frigidis inquiunt fuceis, procuranda coctio est, nam hi crudi. Alij putrefactũ humorem non tentant concoquere, nam quod putre est, vt statim expellatur, monet Gal. In his tantum alij coctionem expectant eum putrefacti non sunt. quouis tempore indiscriminatim expurgant. Hi humores tenues, seu calidi sint, seu frigidi, seu putres, seu incorrupti, statim ab initio vacuant, in crassis coctionem expectant, Gal testimonio moti, qui monet lib quos, quibus, & quando, vt tenues, & ferosos humores statim purgemus, in crassis coctionem expectemus: coquunt alij tenues, & crassos illos reddere procurant. At quibus mens melior, præparant quidem illos, non vt crassos reddant, nam semper crassities obstat purgationi, sed vt alia vitia, quæ in tenuibus passim reperiuntur, emendent.

Sed litigant hi omnes verbo, re conue-

Adhuc tamen male.

Alij de ista sententia

Et conciliantur.

ueniunt: omnes enim fatentur, pituitam esse incidendam, attenuandam, calefaciendam, & humorem quemcumq; attemperandum, seu putris ille sit, seu incorruptus, nè naturę expellenti reluctetur: quidam tamen, hanc præparationem, nomine coctionis dignantur: alij præparationem esse concludunt, coctionem esse negant. Nec Salu. & alij à communi sententia discrepant; nam & ipsi fatentur, ni fiat segregatio vtilis ab inutili, nō esse purgationem ex vsu: vnde cùm hoc fiat coctione, postquam fuerit concocta materia, tunc expurgant, verumtamen illi affirmant, crudum esse, quod superest expurgandum, nos coctum esse contendimus; nam, vt alibi à nobis est monstratum, intrinsecus terminus coctionis, non est aptitudo ad nutriendum; nam coctio est passio mixti, cùm tamen non omnia mixta sint apta nutrire, sed est cuiusdam qualitatis adeptio, per quam res cocta in statum naturę conuenientiorem reducitur, vnde Hippocr. Gal. 2. de rat. vict. 44. bilim crudam vocant, & Arist. 4. met. excrementis, coctionem attribuit. Et quidem, hanc fuisse Arist. mentem, colligitur apertè, ex definitione coctionis, quam perfectionem vocauit: non quia, vt Vegæ sententia fuit, ab elementis ad mista procedit; nam per multas coctiones, vnum mixtum in aliud mutatur, vt panis in chylum, hic in sanguinem: nec quoniā mixtum, ad meliorem formam terminatur; nam sanguis humanus, per coctionē quandoque vertitur in sanguinem canis, sed est perfectio dicta, quia per coctionem, quæ coquuntur, qualitatem magis congruam humanæ naturæ acquirunt. Enimuero, ea passim omnes perfecta vocant, quæ finem, cuius gratia sunt facta, assequuntur. Quamobrem cum sint omnia in gratiam hominis, homo enim quodammodo est finis omnium, ea erūt proprium finem consequuta, quæ hominis vsui esse possunt: sic lateres dicuntur cocti, cum sunt exiccati, quia sunt vtiles domui extruendæ: sic homines prudentes, & rebus aptè gerendis idonei, maturi iudicij homines vocantur. Poeta mulieris aptitudinem nuptijs contrahendis, maturitatem vocauit dicens,

Intrinsecus terminus coctionis quis sit.

Cur coctio à perfectione vocatur Arist.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Et vbi Neptunum ventis imperantem inducit, vt recedant à mari, ita tamen, vt fugiendo maiorem, non exeitent tempestatem, *Maturate*, ait, *fugam*, hoc est, recedite statim, & ita citò, ac si fugeretis: sed fugiendo, temperate fugæ, nedum raptu nimio properatis, citatis fluctibus, naues obtuantur. Ergo is humor debet coctus vocari, qui naturæ obsequentior est redditus. At verò nullus negabit, hoc apprimè conducere purgationi rectè moliendæ. quare erunt cocta semper medicanda.

Vide Macro. lib. 6. Satur. circa finem.

Nec secus sentiendum, quia cocta calidiora euadunt, crassiora; nam coctio sic diffinita in vniuersum, quatenus excrementis quoque conuenit, nedum iunatur calidis, sed frigidis humidis, extenuatibus incidentibus. Preterea, quamquam si causa effectrix eius spectetur, debent quæcumque coquuntur, calidiora euadere, crassiora: contingit tamen non rarò contrarium; nam cum per coctionem fiat separatio vtilium ab inutilibus, & inutilia reiecta, sint quandoque calidiores partes eius, quod coquitur, crassiores, fit propterea, vt cocta præcedentis segregationis ratione, frigidiora reddantur, tenuiora. Adde nec si crassiora semper fierent, esse propterea auersandam coctionem; nam quamquam hac ratione, noceret, quia iuuat tamen magis dum alia tollit impedimenta, quæ purgationi rectè moliendæ obstabant, erit omni arte coctio procuranda, priusquam expurgetur, qualis esse debeat, mox dicemus.

An cocta semper calidiora, & crassiora.

Nota.

Sitne perfecta concoctio ad expurgationem necessaria. Cap. XII.

Concoctionem ad expurgationem rectè moliendam, necessariam esse, ac propterea expectandam à medico, superiori capite monstrauimus; quanta verò esse illa debeat, perfecta nè, & absoluta, an verò satis sit manifesta, nondum dictum, & idcirco declarandum, cum id scire quam maximè referat; nam si manifesta concoctio sit satis, cum hæc in incremento morbi vniuersali obseruetur, licebit quandoq; in incremento expurgare; at si absoluta, & perfecta esse debeat, cum hæc nonnisi in fine status cōtingat, tunc temporis, & in declinatione locus dabitur expurgationi.

Existimauit Fern. lib. 3. met. c. 12. obscuram concoctionem satis esse, quo tutò expurgemus, parcè tamen: quo idem moderatius fiat, manifestam requiri: vt validius, perfectam coctionem necessariā esse. suo itaque sensu, quod iussit Hipp. medicari concocta, quouis modo cocta comprehendit. Comprobari id potest, quia repetens eamdem sententiam 4. de rat. vict. 43. *quibus*, inquit *in principio vrinæ crassæ, & nebulosæ fuerint, hos si reliqua annuant, purgare oportet*, est autem nebula, auct. Gal. lib. 1. de Crisibus cap. 17. obscuræ cōcoctionis, aut manifestæ indicium. Idem quoq; in comm. cit. loci scribit, eos tantum à purgatione arcere Hipp. quibus adest omnimoda cruditas.

Fern. opinio.

Permisit idem Valles. 7. contr. cap. 14. in acutis morbis, si turgeant, aut vrgeant succi, quod admonere admodum necessarium non fuit; nam modo quæritur, quid fieri à medico debeat, regulariter operante, nullo vrgentiore scopo aliud sua-

ſuadente: Idcirco ſubdit in acutis morbis perfectam concoctionem ſemper eſſe expectandam, in chronicis, manifeſtam ſufficere. Id faciendum probat, quia natura, chronicos, vnica facta vacuatione non iudicat. Cur ſperet id aſſequi medicus? Vt itaque illa, quod coxit paulatim expurgat, ſic medicus imitãdo naturam, quod coctum eſt vacuet, ita enim, quod reliquum erit, natura facilius edomabit.

Noſtra.

Sed ſi repetamus memoria rationes, quæ docent eſſe expectandam in ſuccis coctionem, ad expurgationem rectè moliendam, cogemur dicere, abſolutam eſſe perpetuò neceſſariam; tunc enim expellit natura, cum ſegrogauit vtile ab inutili: neq; aliter putandum, quod in abſceſſu naturam obſeruemus, haud retinere materiam vniuerſam, quouſque concoctionem ſit aſſequuta, ſed partim ſuppurare, eamq; foras elicere; nam quod in phlegmone effundit ſuppurata, eſt perfectè concoctum; quare eadem experientia probatur, perfectam concoctionem expectandam eſſe, non tamen totius humoris, ſed ſi hæterogeneæ ſit naturæ, & partim ſit coctus, partim crudus, poterimus quod eſt coctum educere; nam ita reliquum euincetur facilius. Ergo cũ chronici morbi vt plurimum fiant ex materia hæterogenea, expediet in his non expectare omnium ſuccorum perfectam concoctionem, ſed ſatis erit ſi pars cauſæ morboſæ ſit concocta, perfectè tamen, nam quæ ex Hipp. & Gal. in comm adducuntur, haud aliter ſuadent, eſto enim dicat Gal quæ omnimodam habent cruditatem, non eſſe illa expurganda, non licet propterea inde inferre, quæ modicè cocta ſunt, poſſe illa expurgari. Hippoc. quoque ſcribit, vbi vrinæ craſſæ, & nebuloſæ ſint in morbis acutis, expurgari poſſe, ſi cœtera annuant, quia nebula in acutis, perfectæ coctionis eſt ſignum, vt ex Galen. habetur 1. de Criſ. 12. Confirmatur nam & agricolæ maturos fructus colligunt, relictis acerbis ad maturitatem, & coquus non detinet carnẽ vitulinam donec vaccina ſit cocta. Habes quid de re hac cenſemus ſentiendum; propterea non plura, nam quamquam Maſſaria, tract. de purgat. in princ. morborum contendat pertinaciter, perfectã coctionem humorum omnium facientiũ morbum, expectandam eſſe, quia tamen non affert rationem, quæ facilem non habeat explicationem, idcircò neceſſarium non cenſui in medium eas afferre, & diſſoluere.

Sintne ſemper medicanda concocta, an cruda quandoque. Cap. XIII.

Cruda vacuanda ſi turgeat.

CRuda poſſe expurgari, ſi turgeat, Hippocr. placuit, quem eſt ſchola vniuerſa medicorum ſequuta tres ob cauſas: vt Gal. 4. aph. 10. docet, ne corporis virtus interim collabatur, ne calor febrilis augeatur, ne vagi, & errantes humores in partem quampiam principem decumbant.

Præterea in turgentia, natura in humorum expulſionem incumbit nec reluctantur ipſi, quinimò naturæ tentanti expellere, facillimè obediunt. Quare ne cæca in partem aliquam nobilem humores ſeponat, porrigenda illi eſt manus, & pharmaco humores moti ad aluum deducendi, vt idem Gal. 4 aph. 1. Vbi itaq; turget, quãquam crudus ſit humor, medicamento expediet vacuare.

Propterea videamus.

Quando verò turgeat, non admodum conſtat inter illos, quo fit, vt quidam cenſeant, eſse quandoque purgandum, parcant alij huic remedio. Quamobrem, ne in re hac aberretur, quæ magni momẽti, examinanda natura turgentiæ, ne vel abſtineamus, cùm vacuare eſt commodum, vel expurgemus cum quieſcere eſt ſatius.

Quid turgere.

Ardorem quendam partis ad expellẽdum, quod vrget, turgentiam eſse voluit Fallop. 1. ſimp. 16. nàm Theoph. 1. de cau. plant. c 6. & 14. volens explicare, quanto teneantur deſiderio plantæ procreandi fructus, & germinandi, *Plantæ*, inquit, *turgent ad germinationem*, & alibi ait, plantas turgere ad partum, hoc eſt ad fructuum procreationem: Virg. dixit *turgent in palmite gemmæ*, hoc eſt appetunt, cu, iuntq; foras prodire. Ariſtor. etiam 1. de gen. anim. 18. vt innuat vaccarum, & equarum libidinem, has inquit turgere ad concubitum, & Hipp. 3 de fract. 18. tradens ſigna oſſis, ab vlceratis partibus receſsuri, *ſi oſſium*, inquit, *receſſio in hoc futura ſit, nota hæc erit, pus copioſum ex vlcere manat, turgereque videtur*. Quoniam verò videbat Gal. diffinire turgentiam, quod ſit reciprocus quidam: & inordinatus humorum motus, ſubdit, non eſse illam diffinitionem formalem, ſed per effectum traditam, & ſignum, ac ſi dicere voluiſset, dignoſces naturam turgere, ſi hac illac tranſmittat humores.

Fallop.

Placuit hæc ſententia multis, potiſſimum Merc. lib. 1. c. 6 de indicat. Cleto in comm. apol. c. 15. nec defuere, qui tacito Falloppij nomine, tanquam proprium partum venditare non erubuere, tanta eſt quorumdam impudentia. Mihi tamen nequaquam arridet, nam ſi illa naturæ libido, eſset turgentia, cum teneatur eodem deſiderio, quoties expellit natura (pellit enim ſemper, aut quia irritatur, aut quoniam exonerare ſe cupit) turgeret, quoties expellit natura: vnde cum frequenter ad expellendum inſurgat, ſæpiſſimè turgentia occurreret: at raro, Hipp. teſtimonio turget. Cumq; purgare liceat, vbi turget, eſset mouendum ſemper mouente natura. Proinde eſt cõmunis illa ſententia acceptanda, quam

Reijcitur.

Et communis probatur.

docuit

docuit passim Gal. 1.aph.22. 4.aphor.10. 4 aph 1.1.de cris.9. turgentiam esse, reciprocum quemdam, & inordinatum humorum, hinc inde motum: hinc inde inquam; nam si fluat ad vnam, est fluxio: nec obstat, quod grauissimi illi viri animatis concedant turgentiam; nam non negant, propterea, quin humoribus idem conuenire possit: Gal. etiam docet, esse nomen turgentiæ ab animalibus concitatis ad coitum, ad humores errantes trãslatum. Quod si per metaphoram, & translationẽ de humoribus dicitur: nõ negat Gal. quin de viuentibus propriè prædicetur.

An detur alia turgentiæ species.

Præter hanc ponunt aliam speciem turgentiæ multi. Vult Salu. 1.aphor.22.

Salu. opinio.

dici quoque turgentiam de omni morbo acuto, velociter properante ad finem communem; vnius Galeni testimonio adductus, qui 1.de cris 9. scripsit, *Turgere dictum est, de animalibus concitatis ad coitũ: translatum verò ad morbos, qui velociter properant, & velociter mouentur ad finem.* Quia verò videbat hinc sequi manifestũ absurdum, nempe semper esse expurgandum in morbis acutis, subdit non esse id exequendum, quamquam illud turgentia indicet, duas ob causas, pharmacorum caliditatẽ, & corporis impræparationẽ.

Brasau.

Brasau. quoque præter communem turgentiam, eam quoque censet admittendam, quæ est motus humorum ad loca excretioni dicata, vergentiam alij appellant: idem voluit Valles. 7. epid. ægr. 106. & Mass. tract de purg.

Reijciuntur

Qui omnes reijciendi, atq; hi quidem, quia gratis hoc fingunt. Præterea esset Dyarrea, Dissenteria, tenesinus, & quæuis alui fluxio turgentia, frequenter turgeret, & natura mouente per vrinas, aut ad cutim in principio esset mouendũ, quod falsum. Reijciendus, & Saluus Sclanus, nam quamquam dicat Galen translatum esse turgentiæ nomen ad morbos omnes acutos, qui velociter properant ad finẽ, subdit postea, *cum laborantis sensus inordinata spirituum, & humorum agitatione irritatur.* Et licet dicat præcipuè, lege tamẽmodo, nam eodem modo legitur particula illa 11.met.15. alioquin non turgeret raro. Non est itaque aliud turgentia, quam reciprocus quidam, & inordinatus motus humorum, ab vna parte ad aliam, ab hac ad illam, nec alia à posita est turgentiæ species inuehenda. Quare hic erit germanus sensus aph.22. 1.sect. concocta, vbi est materia expurgandum, non vbi est eadem cruda, ni turgeat, hoc est, ni humores inordinato quodam motu, hinc inde furibundi vagentur; tunc enim, vt benè ait Gal. in comm. naturam vacuationi adminiculantem habemus.

Ne tamẽ erres, & turpiter fallaris, aduerte nõ esse, quoties turget humor, purgandum, sed vbi biliosus humor e.g turget; vbi turgeat sanguis (nam & hic cum sit calidus humor, & præ calore attenuatus plus iusto, turgere potest, & vago quodam motu hiuc inde moueri) venam secare expediet, non expurgare; ille enim est humor vacuandus, qui turget. quare vbi turget sanguis, hunc vacua. At vacuatur vena secta, non pharmaco, quare *Vide Gent. 1.4.tr.2, dub. 48* vena secanda tunc temporis, non purgandum.

An eadem die purgandum.

Quoniam verò potest purgari bilis eadem die, qua turget, potest purgatio in diem sequentem differri: est dubitatio secundo, an hoc prorogandum, an contra mox faciendum? ita censuit Hip-

Adducitur Hipp. examinatur.

pocr. 4 aphor.10. vnde scripsit, medicari in valde acutis eadem die si turgeat; tardare enim in his malum: qua in re bifariã peccare videtur: primum, quia incautè, & temerè de re ista statuisse videtur, & quoniam ineptè proprium decretum confirmat. Primum probatur, quia morbi peracuti (sunt autem illi, qui ob magnitudinem symptomatum, summamque motus celeritatem, septimo die quod longissimum est, terminantur; aut semper, aut ferè semper habent adiunctam febrem, & illam putrem plerumque, cuius accessio non potest ita citò remitti, vt eadem die præbeatur occasio purgandi. quare velimus, nolimus cogemur differre, cum in accessionibus abstinere oporteat.

Confirmatur, nam docens idem 4. de rat. vict. 64. qua die in morbis acutis quos recenset, sit purgandum, id inquit ante diem quintum facito. Ne verò suspicaretur aliquis à prima esse id die faciendum, subdit tex. 65. verumtamen medicamentum expurgans quarta die dabis; Non erit itaq; eadem die medicandum.

Quod vero defecerit idem in probatione, est quoque notissimum; nam quis ignorat, si agendorum occasio præterlabatur, malum esse? quare si eadem die purgare est commodum, certum est malum esse procrastinare remedium, hoc tamen erat probandum.

At in re hac facilè veniam apud æquos lectores inueniet Hippoc. *Defenditur.* statim enim intelliget, omissum id ab ipso fuisse breuitatis causa, & vt lectoris ingenia exercerentur. adde quod neque admodum arduum, id erat; quis enim non videt, mox esse motum humorem, & in furorẽ actum vacuandum, anteaquam, vel in principem partem irruat, vel febrilis caliditas intendatur, aut corporis robur dissoluatur?

Neque est cur quis recedat ab Hipp. ob rationem propositam; nam cum materia turgens plerumque sit bilis, eaque tenuis, poterit illa, eadem die, qua accenditur dissolui: quare, & accessio remitti, vnde & purgans medicamentum exhiberi; quod si tanta eius sit copia, vt non remittatur, non est cur declinationem

quippe

quippe qui nulla est futura expectemus, sed statim faciendum, quod morbi ratio postulat, præsertim cum maior multo vtilitas sit, quę ex vacuatione habetur, quam detrimentum, quod ex temporis importunitate inferri potest.

Locus 4.de rat.vict.rectè a Gal. reijcitur, & prudenter statuit, nullam esse à numero dierum indicationem sumendã, sed iuxta regulam traditam in Aphor. concoctum humorem esse medicandum, aut turgentem: & quamprimum, cum mora interposita maximum possit detrimentum afferre, vtilitatem nullam.

Limitatur.

Non est tamen hoc faciendum cum validissima est febris, aut est interna aliqua inflammatio; vbi enim plures sunt indicationes explendæ, & illæ contrariæ, illi vacandum est, quod magis vrget. At vrget magis interna inflammatio, & valida febris, quam turgentia. quod si indicatio, quæ à turgentia sumitur, maior tibi esse videatur, adhuc tamen tutius esse tenseo, vt venę sectio purgationi substituatur; ita enim vacandũ est illi, quod magis vrget, vt alterius ratio habeatur. At vero si sanguis mittitur, occurremus humoribus turgentibus, inflammationi, & vehementiæ febris, nam venæ sectio vacuat indiscriminatim humores quoscumque in venis contentos, seu moueatur illi, seu quiescant. Compescit optime eadem, humotum feruorem, à quo fit plerumque vt inordinato quodam motu moueantur hac, illac, quare hęc magis in hoc casu probanda, quam purgatio. Nec si maius auxilium quis speret à pharmaco, quam à phlebotomia, erit propterea hæc illi postponenda: nam vt bene Gal.2. de rat. vict. 11. tutius remedium, minus tamen proficuum, vtiliori, minus tamen securo est præferendum: cauteque monuit Hippocr. vt medicus in hoc sese exerceat, ne noceat.

An quoties turget semper purgandum, & statim.

An id perpetuo seruandum, & statim ac turget, statim expurgabimus? ita prorsus, si paratum sit corpus: sin ineptum, vt si multis cruditatibus scateat, sint extenta, & inflata Hypocondria, aut supra modum calida, & ignea, parcendum Gal. consilio 1.aph.24. quod laudo summopere; nam quomodo educes, si sint viæ impeditæ, certè non solum, non vacuabis, sed vel infarcies magis vias ductuum: vel acti in futorem humores, hinc relabentur ad princeps aliquod membrum. Quare velim monitos nostrates medicos, vt maiorem adhibeant diligentiam, quam fere nullam adhibent, in præparãdis corporibus, & vt studeant noscere, an sint illa parata; nam verum illud oraculum, quod vtinam cõtinuò aures Medicorum percellat, *Corpora, cum quispiam purgare voluerit, fluida oportet facere.* Clauderem hoc monito caput, ni alius quorumdam error me detinetet. Nempè, sunt qui putant, vt vndequaque ansam purgandi arripiant, nedum in actuali turgentia purgandum esse, sed idem faciendum, vbi imminet, nam & in futura plenitudine, sanguinem mittũt medici: quos non esse admittendos docet ratio, quæ docet esse purgandum, cum actu turget humor: est autem illa, vt passim notat Gal. quia naturam adminiculantem habemus: at non habemus eamdem adiutricem, in imminente turgentia: nec indiget tunc temporis natura (nam non mouet cœca temereque huc, illuc) aliquo manum porrigente. Cruda ergo purgandum materia, cum actu turget: an idem expediat, ea non turgente, mox dicemus

An purgandũ in imminente turgentia.

propositis tamen indicijs primum, quæ humores actu turgere declarant, nam si id ignoretur, erunt prorsus nullius momenti, quæcumque de re hac disputauimus; scias proinde tunc actu bilim, aut sanguinem turgere; hi enim succi dumtaxat turgere possunt, alij ab illis, esto multi sint, possunt partem, cui insident distendere: hac, illac, moueri, vagari, ob propriam ignauiam non possunt: immo quia crassi, pertinaciter hęrent, & facultati pellere conanti, reluctantur obnixe. Illi itaque vbi turgent, hoc est vago quodam motu, in varias partes corporis impetunt dolores partibus afferunt, in quas illabuntur, nunc obtusos, & graues, mordicantes alios, & pungentes, pro varia partis, & succi natura. Nempe si turgeat sanguis, erunt obtusi dolores, grauiores à bili excitantur. Lædent ijdem varias actiones, nam si bilis feratur ad cerebrum, deliria fortasse inducet, & vigiljas, si ad stomachum, angorem, deliquia animi, syncopem; si aliam partem vellicet, vel per sentientes feratur, inducet rigorem: vide demum quicquid bilis in varias lata partes incommodi afferre potest, nam quæcumque valent hæc indicare, indicabunt illa eadem, turgentiam bilis. Cæterum, quia affectiones cõsimiles, acres halitus inducere possunt, vide signa distinguentia flatum ab humore, nam si in re ista falleris, turpiter aduersus statum pharmaco purgante pugnabis.

Turgentiæ signa.

Possit ne crudus humor; esto non turgeat, purgari. Cap.XIV.

AD euidentiam tituli, noto tria. Primum est, morbos esse triplices, quantum facit præsenti negotio, quosdam omninò salubres, perniciosos alios, sunt alij ancipites: periculosos vocant quidam. Noto secundò, & medicamenta purgantia triplicia esse, lenientia, seù lenitiua, sic dicta, quia leniendo vacuant, vt oleum amygdularum dulcium, Cassia, eradicãtia alia, siuè eradicatiua, quæ vniuer-

Explicatur titulus.

uersum humorem peccantem educunt. Sunt alia minoratiua, seù minorantia dicta, quia minorem reddunt humorem nocuum, non omnem educunt. Noto tertio, non esse dubium, an conueniant lenientia pharmaca, aut eradicantia; hæc enim omnes negant admittunt illa, controuersia est de minoratiuis: de his dubitatur, an vbi, crudus est humor, nec dũ turget, liceat exhibere, neque in omni morbo, sed ancipiti; nam exitiosis, non est adhibenda manus, & in salubribus regula est obseruanda.

Affertur 1. opin.

Negant multi, quos mordicus tuetur Massaria disp. peculiari de purg. in morbor. princip. affirmant alij multi. Citant illi Ar. 4. sect. prob. 8 & Hippocr. qui 1. aphor. 22. 4. de rat. vict. 43 semper concocta medicari præcipit: adducunt eumdem auctores posterioris sententiæ, nam 2. par. aphor. 29. scripsit. *Cum morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue.* Conantur priores, & rationibus proprium dogma stabilire. ergo inquiunt: tunc fœlix fit purgatio, cum pellit natura, trahit pharmacum, & vtile ab inutili est secretum: at hæc fiunt concocta materia, vbi est cruda, nec bonum est à malo secretum, nec pellit natura. Nituntur

Affertur secunda quæ vario modo defenditur.

iisdem Aduersarij expurgationem suadere; enimuero aiunt, si hanc ob causã purgationi parcendum in morborum initio, quia natura nequaquam est auxilio, nec bonum à malo secretum: tunc abstinendum, cum reluctatur natura, ac spetamus, posse humorem coquere, fælicemque postea vacuationem moliri: at verò vbi humor moueatur ad certam partem, adhuc habemus adminiculantem naturam: vbi idem, aut est malignus, aut vsque adeò multus, vt coqui nequeat, frustra concoctionem expectamus: non enim eam admittit malignus humor: multus licet admittat, nequit tamen natura, & prius illa succumbet, quam hoc assequatur. Concludunt proinde, esse purgationem in principio, quandoque ex vsu. Ne verò ab Hipp. aut Gal. viderentur recedere, qui passim iubent expurgare concocta, subdunt ita esse faciendum, cum nihil vrget, & cuncta regulariter procedunt: si quid anteuertere cogit, nec moras permittit, mox exequendum, quod scopus vrgentiæ indicat; nam ob eamdem causam pueris, & prægnantibus mittimus sanguinem, cum vtrisque phlebotomiam interdicant ijdem. Vide Vall. 4. meth. med. Qui tamen sit hic scopus vrgentiæ, non admodum conuenit, nec satis constat apud illos, quando liceat in

Trincau.

principio expurgare. Trinc. cp. 22. fluētem humorem in principio expurgat, in quieto, & fixo coctionem expectat. Suadet primum dictum, nam in secundo cõuenit illi cum aduersarijs, quia reuellendi indicatio viget, quæ non nisi purgatione potest fieri; & Hipp. 1. de rat. vict. 11. & 4. eiusdem 29. purgat incipiente angina, & pleuriti. Audaciores alij, nedum motum humorem, sed multum, & malignum, minorem reddere, in principio procurant: nam cum neuter possit coqui, vana est cunctatio omnis, vnde natura venenum e corpore statim deiectione, aut vomitu conatur extrudere. Addunt alij purgandum quoque esse, cũ est humor in principe parte fixus, vt in apoplexia, Lethargo. Ita Gent. exponens 22. aph. 1. par. & 4. 1. Manar. lib. 13. epist. 1. Alt. disp. propr. Fern. lib. de purg. Aug. lib. 1. ep. tom. 1. ep. 2. Cap. lib. de febr. Valles. 7. contr. 13. & salu 1. aph. 22. Probant autem, quia si timentes inturgentia, ne ad principem aliquam partem delabatur expurgamus, quanto magis præstabit hoc facere, cum est idem delapsus? At singula Aduersarij reijciũt, nam motum humorem, vena secta reuellunt: eadem minorant multum, nam vena secta minui cachochimiam venarum, communis est Doctorum omnium opinio. Quod si non ita bellè id præstet, vt purgatio; nam hæc exuberantem, & peccantem dumtaxat educit, indiscriminatim quoscumque venæ sectio; est tamen hæc illi præponenda, nàm prestat tutò curare, quam spe citæ curationis allecti, in discrimen ægrotantes conijcere. Parcunt quoque purgationi, cum vsque adeò malignus est humor, & prauus, vt coqui nequeat, nam vbi eam comparauit malitiam, nulla superest spes salutis: desperatos autem, non oportet attingere: nec quia assumptum venenum, mox reijcit natura vomitu, pharmaco idem procurandum extrudere; nam pro eductione sequetur commotio, vnde vel disseminabitur praua illa qualitas, & vniuersam massam humorum inficiet, non secus ac moto sterquilinio, maiorem fieri fœtorẽ videmus, aut in princeps aliquod membrum delabetur. Itaque fatentur, & isti (si posset humor multus minui) malignus educi, priusquam coquatur, fixus è parte principe extrahi, antequam mortem inferat, id esse præstandum; at subdunt, nunquam fieri posse, vt quis hoc assequatur; nam vel numquam educetur, non operante natura: vel plus boni, quam mali educetur: vnde erit nocumentum multo maius, quam emolumentum. Eò itaque reducitur questio, an vacuari possit crudus humor, & pro salute languẽtis; cumque res hæc experientia sola possit dirimi, iureiando affirmat Manar. & Alt. se multos hac arte, Orco subtraxisse: Negant id aduersarij, nec iuratis testibus Manardo, & Alt. fidem adhibent: quinimò multos intempestiua purgatione peremptos affirmant. Ergo iterum Hipp. & Gal. tribunal adeunt, qui semper cruda purgare reformidarunt. At me-

Alij.

Alij.

Sed omnes recedũt Mass.

metuisse Hipp. respondet Manar. quia caruit benedictis medicamentis, quibus nos abundamus: pepercisse Hipp. frequentibus purgationibus, quia temperati magis sui æui homines, intemperati nostrates: quę reijcit abunde Mass. nam neque copia crudorum, purgationum frequentiam suadet, neque ita temperati primi illi homines, non demùm ità steriIe Hippocr. sęculum, vt facilibus medicamentis caruerit. Vnusquisque itaquè in proprio sensu abundat. Quamobrem cum nulla occurrat ratio, quæ alteram esse probabiliorem suadeat, vtramque sententiam censeo probabilem. Puto itaquè posse expurgari quandoque in morbor. initio potissimum si tenues sint humores educendi, non admodum crassi, si mobiles, non hærentes: si in primis vijs, non in pænitioribus corporis: fiet idem tuties, si moueat natura, imminutè tamen ad loca excretionis: & quod perpetuò seruandum est, vtere hoc remedio, cum præparatum est corpus: ni sit aptè dispositum, quamquam coctus sit humor, ablniuebo; nam si multo plus valet dispositio passi, quam efficacia agentis, conducet multum purgationi recte administrandæ præparatio corporis, recteque monet Gal. 1. aphor 14. nec turgente materia, purgandum esse, si imparatum sic corpus, & caute Auic. 4. 1. cap. 3. quod inquit magis custodire debemus in huius dispositione, & habitudine canalium, ne ipsi sint clausi. Sed

O cæcas hominum mentes, ò pectora cæca. multi nostri temporis medici, nulla morborum habita ratione nulla apparatus corporis inquisitione facta, indiscriminatim in morbo quouis, quoduis corpus, quarta die expurgant. Ergo tempus illud agendorum, in quo indagando tantopere laborauit Hipp. desudarunt industrij medici, tam promptè sese exhibet istis medicis? Ita certa est occasio illa præceps, vt quartâ semper die occurrat? O facilem medendi regulam, quæ in quouis morbo, aut salubri, aut lœthali, seù ancipiti, quarta die expurgat. O breuem medendi methodum, quæ ficta in quouis morbo multitudine, humorum prauitate, discrimine imminentis turgentiæ, metu ne quispiam pereat, non purgatus, nùquam à purgatione desistût, & vbi Hipp. monet satius esse in statu quietem habere, magis hi mouent, ne si vehementia morbi pereat languens, illotus, & sordidus hinc migratet. Sed quo rapior, & surdis fabulam narro? Cocta sunt purganda, ni aliud vrgeat, proinde, qua arte ea possit iuuari, mox subinngam, namquædam horum, sequenti lib. exactius attingentur.

Qua arte iuuanda sit coctio. Cap. XV.

MAgna est coctionis necessitas, in expurgatione rectè molienda: non minus necessaria præparatio corporis: itaque conducet non parùm, si doceamus breuiter, qua arte possit coctio iuuari, quouè ingenio corpus præparari. Quia verò nequaquam possumus primû assequi, ni sciamus, quæ sunt, quæ coctionem faciunt, aut impediunt, præponemus propterea primum factrices causas, & impedientes, ve contrariorum admotione, coctionem iuuare possimus.

Fit coctio à calore naturali, & proprio, hoc est, vt perbellè adnotauit Mercen. à dominante calore, & pariuis qualitatibus commensurato. Nempè, vt proba concoctio fiat, non debet id, quod coquitur vri, non incoctum manere: vretur, si fit calor immoderatus: non coquetur si fuerit idem imbecillis: tunc optimè coctio celebrabitur, cum vicerit calor, ita tamen, vt non vrat. Quare fiet coctio à dominante calore, & proprio, hoc est commensurato. Hanc esse Arist. mentè, colligitur apertè ex ijs verbis, *Accidit enim hæc pati, cum victa fuerit humiditas, hæc enim est, quæ terminatur à naturali caliditate, quādiu enim in ipsa ratio est, naturalis est. Quapropter excrementa concocta sanitatis signa sunt, quoniam indicant calorem humido dominari*. Impeditur ergo coctio, aut quoniam calor non dominatur rei, quæ coqui debet, aut quia non habet dominium proportionatum. Non habet dominium, vel quia calor ipse est læsus, aut quia contentrix facultas, nequaquā retinet, aut vitio obiecti, quod adhuc multiplex, in substantia, quantitate, multa, qualitate occulta, aut manifesta, prima, aut secunda. Quare erunt multa, & varia præsidiorum genera, quæ coctione promouere valebunt: sunt quæ concoctionem iuuant, quia obiecti vitia emendant, quæ quia multa, sunt multa quoque præsidia, quę dum vitia obiecti corrigût, coctionem iuuant. Faciunt hoc quædā, minuendo copiam, vt vacuatio, alterando alia, alia incidendo, attenuando, incrassando: iuuant eamdem alia, vim contentricem dictam, roborando. Enimuero cū quæuis actio physica, in tempore fiat, nil poterit vinci a calore, & domari, ni retineatur. Hinc retentrice lœsa, lienteria: hinc pueri ob motus inordinatos, multas cruditates congerunt. Vnde rectè lib. de consti. ar. med. 19. *Porro ad concoctionem conducit quies*, & 4. de rat. vict. 44. *Qui tenues vrinas, ab initio mingunt, ijs medicamentum ne dato, sed si ita videtur clysterem ijs exhibe: tales autem ita curare conuenit, corpus quieti permittere*. Eamdem ob causam

A quibus causis coctio.

A quibus impeditur.

Ergo multis coctio poterit promoueri.

sam probatur somnus,& quia intus contractus calor,nec hac illac dispersus, efficacius coctionem molitur. Quare rectè monet Hipp.2.de rat.vict.23. vt qui plus iusto ingesto alimento, cruditatem commiserint, dormiant à prandio, *& dum tamquam noctem,à cœna ducant*;nam vt alibi idem, *Labor articulis, somnus visceribus robur*. Quod si præcipit Schola Salernitana,vt stemus post cibum,aut lentè ambulemus: imperent exercitium medici ad extirpandas lentas quasdam febres, scias, illud præcipi à Medicis Salernitanis,vt deducatur alimentum ad fundum ventriculi,vbi coctio viget: ad acuëdum calorem, laudant motum alij in febribus lentis, nam adauctus, valebit crassos succos euincere, quos antea superare, nequaquam valebat. Hinc vbi multum est alimentum ingestum,imperant vomitum medici,& in copia humorum vacuant ab initio,vt leuata eo,quo veluti sarcina, premebatur natura, valentius concoquat.2. aphor.29. Nec male ijdem nunc calidis, modo frigidis coctionem adiuuant; nam cum fiat hæc à calore dominante,ac proportionato,vbi hęc proportio non adsit,quia exiguus est calor, calfacientia opportuna: vbi amissa est proportio quia calor est multus,refrigerantia ex vsu. lib.9.met.5. *Cum,ait,concoctionis humorum in ijs notas videris, de quibus dictum abundè in lib.de cris. audacter frigidâ dabis;quippè solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iam humores aggreditur,ita vt,qui vtiles sunt,& ad nutriendum habiles,hos quidem ad se trahet,inutiles, vel per ventrem,vel per cutim eijciet*. Hęc facere, cum valeant varij multique syrupi,qui in officinis habentur,poterit prudens, & per tus medicus varijs multisq; syrupis humorum coctionem iuuare: vnde bilim coquet, ijs, quæ refrigerandi vim habent, vt sir. de end. cicor. de oxi Iac. de acred.citri: pituitam,calefacientibus,incidentibus,extenuantibus,vt ro. domelle oxymelle, syrupo de menta, cort.citri,de stecad.de absinthio.Reijciturque Manardus,qui dixit, solo syrupo de corr.citr.coctionem posse iuuari,nam cum multa sint, quæ ipsam impediunt, multa eamdem iuuare valebunt.

Quicquid dicat Manar.

Quæ corpora purgationi idonea, & qua arte parentur. Cap.XVI.

Apta sunt fluida.

Quomodo talia fiant.

Antiqui.

CORpora purgationi apta fluida esse, nemo ambigit,vndè scripsit 2.Aph. 9.Hipp. *corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere*; quid vero habere illa debent,quo fluida sint, non cõuenit Gal. cum antiquis. Putarunt illi runc corpus esse fluidum, cum sunt vię aperta; quamobrem quia opinabantur similium vacuationum frequentia aperiri vias, promptumque reddi corpus ad eam,quàm instituit medicus vacuationẽ, hinc laudabant expurgatur pharmaco deiectorio, proritantia aluum,& ad sedẽ excrementa quæcumque deducere conabantur.

Gal.

Desiderat præter viarum apertionem Gal. vt crassus humor, viscidus, atque tenax,incidatur,attenuetur abstergatur; Et quidem cautè, nam vbi hic reluctetur, nec naturæ pellenti, nec trahenti pharmaco obedit: quare quantumuis viæ sint peruiæ, numquam prospera succedet purgatio. Nunc vero resistunt crassi humores,& viscidi, reluctantur tenaces: & licet natura extremos ad pellendum conatus adhibeat,reluctabuntur illi tamen, & naturæ imperium detrectabunt:quare vt corpora fluida reddantur, non tantum necessarium est, vt vię sint expeditæ,sed requiritur etiam, vt vacuãdi humores sic sint domiti, vt naturæ pellenti, pharmacoque trahenti nequaquam resistant: cumque resistant humores crassitie,visciditate,& lentore, erunt huiusmodi vitia, antequam corpus purgetur, emendanda; quare incidendi hi humores, attenuandi,& abstergendi, vt fluidum fiat.

Humores tenues an incrassandi.

Affirmat Auic.

Quid si sint tenuiores; an incrassandi? Magna de re hac, controuersia, & aliud alijs placuit,Putauit Auic.lib.4.fen.1.de curatione putridarum in genere, nam Hipp.in vniuersum iubet medicari concocta: at coctione cuncta crassiora redduntur, quare si sunt tenues humores coquendi,erunt ijdem incrassandi. Confirmat hoc secundo, quia tenues sic impinguntur in poris, vt nequeant modo aliquo educi: quod si ad incrassandum natura non detinet, cur in initio morbi non pellit sedimenti materiam, quæ est portio morbificæ causæ?Cur non expurgant medici in initio cuiusuis acuti, quando ferè omnes à tenui excitantur humore?aut cur à tenui excremento tussis sicca excitatur, si tenuia facile pelluntur? Certe ni fatearis tenuitatem obstare,nulla alia causa tradi potest. Proindè concludit esse humores tenues incrassandos,crassos attenuandos. Eamdem sententiam videtur probasse Gal. nam lib.de consit.art.cap.19. *crassa* inquit *sunt attenuanda,tenuia incrassanda, vtraque demum concoquenda*, Idẽ docet primò epid. 2.text.25.

Nos reijcimus.

At vero nec Gal. est ista sententia, neque vera, vt doctè probat Valles. 7. contr.11.Non est Gal.siquidem cit.loco, loquitur de ea coctione, quam medici in iuuatiuo appellant, per quam debent quæ coquuntur in nostram verti substãtiam,constat autem,vbi hæc tenuia sunt, esse incrassanda, alioquin in carnem cõmutari non poterunt: contra, vbi de humoribus loquitur expurgandis sem-

per docet, tenues, medicamento facile obedire, trahique: vnde passim scribit, præsertim vero 3. de simpl. 26. & 27. tenues humores primum educi, postremo loco crassos, ac propterea monebat lib. quos, quibus, & quando, vt tenues, & serosos humores, qua ratione sunt tenues statim expurgemus, in crassis vero, concoctionem expectemus. Vt tenues inquã sunt, & sub illo conceptu formali, non enim me latet, & hoc argumenta Auic. probant, prout putres ijdem sunt, & aliud vitium iunctum habent, concoctione indigere, vt emendentur, alioquin mox in principio cuiusque morbi acuti expurgare liceret.

Non est deinde vera, nam humores à pharmaco trahuntur, à partibus, compressione exprimuntur. Nunc vero tenuia facile trahuntur, & exprimuntur; crassa contra, nec tracta sequuntur, neque compressa eliduntur. Quare semper obstabit purgationi crassities.

Nec sentiendum est aliter, quia tussi expurganda mediocrem debent substantiam habere; nam illa impetu producto à thorace reiectantur, non tractione, aut compressione. Quæ autem huc ratione foras à corpore protruduntur, mediocrem substantiam requirunt, nam multũ crassa obnituntur, & impetum vel nullo modo excipiunt, vel contemnunt: nimis tenuia cedendo, impetum subterfugiunt. Concludere itaque oportet, & hæc sententia communiter hodie tenetur in scholis, non esse humores tenues, ratione, qua tenues, incrassandos: neque aliud probant rationes adductæ pro Auic. nisi illud, coquenda esse tenuia, vt alia vitia emendentur: quare dicendum consequenter est, corpus esse fluidum, cum vias habuerit expeditas, & humores prõptos, vt trahantur, ac pellantur. Erunt autem huiusmodi cum nullam habuerint crassitiem, aut visciditatem, non aliqualem lentorem.

Hinc intelligere licet, vbi expurganda corpora aliter se habuerint, procurandum esse, vt euadant talia. quare vt reddãtur viæ patulæ, humores vero crassi, lenti, & viscidi præparentur, hoc est incidantur, attenuentur, abstergantur. Incidunt acria, & acida: abstergunt, calida, acria, & amara potissimum: habent hæc eadem vim attenuandi. quare conducet his scopis consequendis oximel quoduis, tum simplex, tum squilliticum, syrupus de oxyzaccharo, & de acredine citri, de succo acetoselle, & cicoreæ: omnia demum, quæ vim habent incidendi. Laudat quandoque Gal. vsum piperis, & decoctum origani, tragorigani, thimi, & pulegij: ego fæliciter sum expertus salsę, & chinæ decoctum, ad concoquendos huiusmodi succos diuturnam quamdam febrem, & lentam excitantes; cumque huiusmodi humores in stomacho potissimum gigni soleant, erit ratio ventriculi magna habenda. Itaque expediet calorem eius fouere, non solum alimentis, & potu, ad rem hanc consequendam opportunis, sed & multis exterius appositis. Poterunt autem admoueri, aut fomentationes ex herbis, quæ vim habent calfaciendi, dissecandi, & attenuandi, aut emplastris stomaticis dictis, aut oleis, quibus nostræ officinæ scatere solent.

Quid vbi adstrictum est corpus, aut quando viæ sunt impeditę? Aperiendæ, varijs tamen remediorum generibus, pro causæ impedientis varietate. Vt si e. g. sint impeditæ viæ, quia cauitates sunt inflammatæ, remedia ad inflammationem arcendam huc conuocanda: si obstructæ à crassis succis, & viscidis, hi attenuandi, vt dictum, & incidendi: si eædem fuerint à flatuum copia distentæ, in horum discussione incumbendum. Quod si excrementorum, vt fæcum durities id faciant, erunt opportuni clisteres, qui molliendi vim habent. Conducent quoque fomentationes ex rebus emollientibus factæ, nec non vnctiones ex oleo, & butiro. Inquire demum, & diligenter indaga causam impedientem, eamque contrario demoliri procura.

Obiectio, At quæres, si hac arte corpora fluida redduntur, & ad purgationem idonea, quomodo scripsit Hippoc. 13. aph. 4. lib. *ad helleboros qui non facile supra purgantur, eorum corpora pluri cibo, & quiete sunt humectanda*: an diminutus ille, nec viuit in re tanti momenti, quæ & quot facere ex vsu erat? an nos superfluo ad ostentationem, multo plura congessimus? at hoc dici non permittit ratio: quare videtur, tamquam mancus reprehendendus Hipp.

Sol. At vero nec falso commendat Hipp. multum cibum ad rem hanc consequendam, aut quietem, nec tanquam diminutus est idem repræhendendus; nam vt ab hoc vltimo exordiar, non fuit Hipp. consilium in illo aph. quemadmodum multi, turpiter hallucinati dixerunt, singula medicamenta proponere, quæ ad purgationem corpus præparare sunt potis, sed voluit monere, postea quam docuerat in quibus affectibus conducat vomere, in quibus expurgare per sedem, ne illotis, vt aiunt, manibus ad hæc facienda accedamus, sed vt inepta præparemus; vt cum e g. est quis sumpturus helleborũ, neque est corpus idoneum purgationi, procuremus antè omnia, ipsum opportunis remedijs præparare, vt quiete, nam quies humectat per accidens, vt Gal. in illo comm. & multo cibo, nam constat comedentes multum laxiori aluo esse, adstricta nimis, parum assumentes. Nec verendum id facere, quia à multis cibis crudicatum flatuum seges, vnde hypochon-

chondriorum obstructio, & distentio; multus enim dandus, sed qui coqui possit, & vinci; vt mittam Gal. in illius aph. comm. interpretari Hipp. de multo cibo medicamentoso, qui abstergendi vim habet, & incidendi. Vellem propterea, vt hinc saltem addiscerent quidam medici, non posse præparari humores, aut reddi corpora fluida, tribus tantum syrupis propinatis, qui vix quatuor vncias cum semisse ponderant: vt mittam parum succi continere, qui humorem præparandi vim habet, maiori parte zacchato constare, & aquis quibusdam stillatitijs, quæ cum neque eumdem habeant saporem, quem simplicia, ex quibus extractæ fuere, non odores; non possunt modo aliquo eas vires habere, quas falsò ipsi imaginantur. Multo cibo præparat Hippocr. quare si nos eius asseclas profitemur esse, ne quæso parum demus. Equidem si quid diuinando contestari licet, hinc fieri puto, diuturnos quosdam affectus; nam cùm ab humore contumaci fiant, contemnunt exiguas has sorbitiunculas, quarum ope tentamus causas morbos facientes demoliri; non enim attingunt locum in quo stagnant, aut si eo quandoq; perueniunt, morbificas caussas, vix attingent, tantum abest, vt crassos possint humores secare, viscosos abstergere, locaq; obstructa aperire. Video ad exitum deductum esse hoc caput, propterea plura non addam.

Damnatur exigua dosis syruporum.

Quibus expurgandum. C. XVII.

HAbent medicamenta expurgantia multas differentias: sunt quædam composita, simplicia alia; quædam debilia, alia robusta, & vehementia: quædam liquida, alia consistentia, & solida, quæ diuiduntur in pillulas, & confectiones, seu bolos. Quamobrem cùm non sint hæc inuenta frustra à medicis, sed alijs vsibus explendis, aptiora sint alia, & magis commoda: quando hæc, quando illa conueniant, declarandum hoc capite. Ac primum, quod spectat ad composita medicamenta, & simplicia, facilè intelligere est, quando hæc, quando illa ex vsu sint magis, si naturam affectus, medicamenti, & hominis affecti spectemus. Nimirum tenetur quandoque homo vno, eoque simplici affectu, ab vno humore producto; complicantur alias plures morbi, vel plures humores ad vnius morbi productionem conspirant. Hi cùm nequeant vnico, eoque simplici pharmaco expurgari; nam quædam phlegmagoga, cholagoga alia; composita medicamenta requirunt, scilicet, quæ omnium humorum vitia valeant emendare. Sunt eadem quandoque necessaria, propter medicamenti simplicis naturam; nam valent quædam bilim, e. g. purgare, at quia habent eadem qualitatem aliam inimicam ventriculo, e. g. & insuauem ori, hinc ne priuemur illo beneficio, permiscemus, quæ qualitatem illam emendent, & ex insuaui, reddant non iniucundam. hanc ob causam admiscemus oximel, rodomel, & salgemma cum agarico, ne diù in ore ventriculi detentus, mire ipsum infestet. & Hippocr. 2. de rat. vict. 11. permiscet cinnamomum, & alia odora, grataq; ventriculo cum helleboro, & peplio: Permiscemus alias medicamenta, vt citò vnius vis, ad partes malè affectas ducatur: sic in affectibus vteri, vterina apponimus, diuretica renibus malè affectis, capitalia capite laborante. Demum; sunt qui auersantur composita, non renuunt simplicia. Nauseant alij ad simplicia, aut timent ab illis, non à compositis: Quare, ne si vna esset medicamenti materia, forma, eaque ingrata languenti, medica arte destitutus iaceret; salutare excogitarunt consilium, & medicam artem, vt ita dicã, ditarunt, qui inuexere composita. Vnde reijciendus Plin. qui ad artis ostentationem, has compositiones excogitatas putauit. Vbi itaque plures sunt succi, qui simplici pharmaco nequeunt educi, aut si possint, est illud insuaue ori, aut ingratum ventriculo, aut à languente renuitur, eligenda composita. Contra, vbi caussa morbi, simplici potest medicamento extrudi, præpono hoc composito; quorsum enim pluribus niteris efficere, quod æquè benè vnum, idemque simplex medicamentum explebit?

Quando simplici aut composito.

Reprehenditur Plin.

De secundo nulli dubium, illud esse medicamentum eligẽdum, quod est proportionatum caussæ morbi. Quamobrem, si hæc vehemens fuerit, vehemens erit eligendum pharmacum, si exigua, debile; est enim certum axioma illud medicum, contrarijs æqualibus rectè curationem absolui: Quod si ad extremorum alterum est declinandum, neque enim satis exactè humorum copiam licet explorare, tutius est debile eligere, quam robustum, & vehemens; debile enim, non ita infestum naturæ, infensum vehemens; huius noxæ inemendabiles, neque enim illo absorpto, impedire possumus, quin copiosam eliciat euacuationem: ac vbi est eadem deficiens, facilè suppleri illa poterit. Quo pacto capite sequenti dicetur.

Quando vehementi.

Quantum spectat ad tertiam difficultatem, duo sunt contemplanda, vt intelligas, qua forma medicamentũ sit porrigẽdũ, nimirũ morbi, & ægri natura: huius quidem, nam alij sunt prompti ad vomitum, nunquam alij vomunt: sunt qui pillulas nequeunt deglutire, absorbent alij æquè facilè has, & potiones. Prioribus nunquam potionem, citra certum discrimen vomitus exhibebis, vnde vel nihil

Quando pillulis.

languens educet, vel humores medicamento agitati, nec educti, in partem aliquam principem delabentur: posterioribus nūquam pillulas porriges; nequeunt enim, quamquam velint deglutire: & quidam cum vim sibi in re hac inferre voluissent, penè sunt suffocati, vt refert Trinc. lib. 1. de comp. med. In ijs ergo cadit controuersia, qui & potionem bibere, & bolos, & pillulas deglutire possunt: qua in re, nē erres, duo exactè perpendes, naturam nempè morbi, & partis affectæ; si morbus sit calidus, causa calida, & sicca, tempus æstiuum, potione purgetur: bolo, & pillulis hyeme, morbo pituitoso; non enim vacuatione dumtaxat proderit, sed siccitate, & calore non paruo erit emolumento. Consideranda secūdo pars affecta, nā laborāti ventriculo, medicamentum solidum conueniet, diū enim in eō detentum, commodius ipsum expurgabit: imperfectè, si statim ad intimas partes se insinuet.

Quib. vtendū capite laborantem.

Quid si caput sit expurgandum? probant medici communiter pillulas, potiones Fern. 4. met. 14. nam cum citius in penetralia corporis sese insinuent facilius trahent è capite: cui assentirer, si pharmacum, ad humorem vsque expurgandum accurreret: nunc verò est illud, rata omnium sententia firmum, vel satis esse, vt physicè tangant, vel vt tenuiores huius partes ad humorē perueniant: Atque commodè à pillulis possunt trahi, ac à potionibus. quare non sunt ob hanc causam illis præferendæ: quin probo magis pillulas, nam cum cerebrum frigidis laboret affectibus, à frigidis succis, & crassis exortis, nedum euacuatione curatur, sed maximè iuuatur ab ijs, quæ calfaciunt, & siccant, quod cum faciant commodius pillulæ, quam potiones, illæ affecto cerebro præferendæ videntur.

An à pillulis danda potio.

An probanda nostrorum consuetudo, qui simul ac pillulas exhibuere, post tres aut quatuor horas dant potionem? Minimè verò; nam si post tres horas, à pillulis exhibeatur potio: aut impedietur vacuatio, reuocata natura ad actuandum pharmacum, mox ingestum: aut distracta, dissoluetur, aut reijciet vtrumque. Si post quinque horas à bolo, vel à pillulis potionem medicus porrigat, deinde vbi absoluta sit vacuatio, cibetur languens, multo tempore torquemus naturam, vnde non parum timendum est, nè à tot causis vexata succumbat, vt propterea probem magis eos, qui vnico pharmaco, quidquid est vitiosum, extrudere tentant: quique censent à pillulis esse exhibendam potionem ad temperandum calorem illarum, futili prorsus ratione mouentur; nam neque potio frigida, & si refrigerandi indicatio est aliqua, feliciūs iure exhibito explebitur.

Quid pharmaco assumpto facien- pium. Cap. XVIII.

An à pharmaco ptisana bibenda

QVatuor iubent facere Doctores à pharmaco. Præcipiunt primum, vt statim ac est absortum, os colluat æger, sorbeat aliquid, masticetque, quę facultatem habent adstrictoriam: vt dormiat super pharmacum forte: ni purgatio pro voto succedat, prouocetur, cohibeatur eadem si effrenitet. Primum expresse præcipitur ab Hippocrate, nam 1. de rat. vict. 12. *Cum inquit, medicamentum aliquis ebibit, mox ptisana sorbitioni danda est*, Gal. lib. quos quibus, & quando. *Vbi*, inquit, *exorbuerit expurgans medicamentum, conueniens est ptisanam superbibere*; hanc nostri in aquam commutarunt, quia est palato gratior, & minus grauis stomacho: expedit autem, à pharmaco superbibere aliquid, ob duas causas: altera est, vt detrudatur ad fundum ventriculi; nam ibi coniectum, non vometur, & actuabitur citius: quo quoque fit, vt commendent à pharmaco, quę adstringendi vim habēt: altera est, ad abstergendas pharmaci reliquias: nedum inhærent gulæ, aut ori vētriculi, ipsum mitè lancinent.

An dormiendum.

Dè secundo imperat Auic 4.1. cap. 5. somnum. *Cumque*, inquit, *aliquis medicinam ventris solutiuam biberit, melius erit ei, si medicina fuerit fortis, vt super eam dormiat, antequam operetur*.

Idem Hippocr. 4. aphor. 14. Et quidem rectè; necesse enim est pharmacū actuari à ventriculo, vt humorem alliciat. at nequit hic actuare forte pharmacum, ni roboretur. Dormiendum itaque, nam somnus visceribus robur.

Fortis autem medicinæ nomine, haud illud intelligo pharmacum, quod sua natura est robustum, sed quod ad ægrum collatum, censetur tale. Quare reprehendendi sunt duas ob causas multi medici. Primum, quia nunquam permittunt dormire ægrotantem, pharmaco sua natura debili assumpto. Secundò, quod somnum semper à pillulis, aut bolo concedunt: nam neque hæc medicamenta cunctis collata sunt fortia, nec liquida, respectu cuiusque, debilia. Vnde cum Auic. iubeat, & rectè, vt forti assumpto pharmaco dormiatur; est autem fortè pharmacum ad aliquid, nec potione assumpta, semper negandus somnus, nec deuoratis pillulis, idem concedendus: permittendus, negandus, prout robustum est pharmacum, aut debile, vt benè Valles. 7. controu. c. 16.

Hæc cum clara, & obuia cuique latuere tamen Valler. 2. enar. c. 5. & Fuchsium, & somnum à pharmaco quouis damnāt, quia frangit vires, medicamenti, Brasauolæ vt suspicor contradicendi ergo: nam

nam si actuat somnus pharmacum, non infringit: nec posset saltem forte pharmacum frangere. quare ab hoc saltim esset dormiendum.

Imò & à debili pariter permitterem: nec timeo timorem illum, ne à somno in nostri substantiam pharmacum conuertatur; vix enim leuissimi cibi tàm breui somno euincutur: cur superabitur pharmacum? Quare & bonum, & tutum hoc consilium est, non vt dicit Colteus 4. p. doc. 5. cap. 5. qui examinans sententiam Pauli negantis somnum à medicamento, & alteram Auic. qui còcedit, dixit Auic. quidem consilium optimum esse, Pauli verò tutius, nam si nequit medicamentū assimilari, & optimum, & tutum erit dormire à pharmaco.

Numquam tamen permiserim, vt dormiat tamdiù æger, quousque idem incipiat expurgari; nam cum somnus ad actuandum medicamentum conducat, satis est tantum somni indulgere, quantum satis esse videbitur pharmaco actuando: cum fuerit ad actum deductum, potior est mihi vigilia; nam vt trudantur humores, vis animalis requiritur, quæ viget in vigilia, feriatur in somno.

Nec vigilare satis, moueri quin etiam expedit, vt commoti succi, & à medicamento trahantur facilius, & è confinio corporis extrudantur. Ita futurum conectat Hippocr. ex nauigatione; nam & si nauigantes ob fœtorem vomant, & timorē: soluitur enim timentibus aluus, & vesica: fœtor quoque subuertit ventriculum, vnde à fœtore nausea, & vomitus: causa tamen præcipua vomitus nauigantium, inæqualis corporis motus est; ab hoc enim mouentur ad ventriculum succi, qui lancinantes illum, impellunt ad vomitum. Quamobrem cum duo desiderentur, quo bibito pharmaco succedat pro voto purgatio, vt humores nimirum alliciantur à pharmaco actuato, & extrudantur è corpore, atque his explendis somnus conducat, & motus, rectè ab Hippoc. 4 aphor. 14 est scriptum, *cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corpora ducere magis, ad somnos vero atque quietem minus*. Prater hæc nil aliud censuit faciendum Hippoc. ac si duobus his concludantur, quæcumq. facto sunt opus, ideoq; subiunxit aphor. sequenti, *cum voles elleborum magis ducere, moue corpus, cum vero sistere, somnum ducito, nec moueto*. cum tamen multo plura commendent omnes medici, cum ad superpurgationem compescendam, tum ad eā, quæ est imminuta proritandam. Non est tamen propterea aut ille tamquam diminutus reprehendendus, aut horum diligentia tamquam superuacanea contemnenda: affectauit enim ille, potissimum in aphorismis summam breuitatem, & quædam innuit potius quam attingit.

Præterea nomine motus commendati ab Hippoc. ad vacuationem protrahendam, non solum intellexit localem motum, vt omnes ferè interpretes credidere, maior enim pars sic affectorum localiter moueri non potest: mouendos censuit ijs omnibus motibus, qui humores ad ventriculum valent aduocare, si sint vacuandi vomitu, aut ad intestina, si per sedem: Constat autem hac voce complecti fere omnia præsidia, quæ opportuna sunt ad vacuationem proritandam; nam etsi alia multa nostri medici adducant in mediū, numquam illa poterāt esse vsui Hippocr. ijsq; qui eius doctrinam profitentur; nam cocta purgant, aut cum turget, cumque fluidum est corpus: itaque si quando hi non purgentur ex voto, pharmaci culpa in causa est, ideoq; nonnisi in hoc emendando insistendum, quod cum aptè fiat vsu eorum, quę mouent humores ventriculum versus, constat nequaquam Hippoc. diminutum fuisse. Et quidem si voce mouere non intellexit Hippoc. localem motum 1. aphor. 20. 22. & 2. aph. 50. & 29. non video, cur mutata sententia censeant de motu locali aph. 14. 4. sect. esse exponendum. Sed quoniam adhuc latet, quænam sint illa omnia, quę humores ad stomachum, vel ad intestina adducere valent, imminutamq; vacuationē promouere, immoderatam compescere, estque hoc scitu quam maximè necessarium, propterea studeamus id enucleare facto initio à causis diminutæ, ac immoderatæ vacuationis, imò à causis laudatæ, cum rectum sit iudex sui & obliqui.

Purgatio est humorum, medicamenti vi attractorum vacuatio: ergo est motus: sed motui ciendo sunt tria necessaria, mouens, mobile, & viæ expeditæ. Quare & purgationi absoluendæ: cumque mouens sit duplex vis expultrix, & pharmacum, mobile humor: viæ, venæ, intestina, aut ventriculus, hæc omnia conspirabūt ad purgationem. Vt tamen pro voto succedat, necessarium est, vt humor, seu mobile obediat naturæ pellenti, & pharmaco attrahenti: vis expellens sit valida ad pellendum, ad trahendum medicamentū: Sed quoniam neque expultrix pellit vmquam, ni præcedat molestiæ sensus: neq; pharmacū trahit, ni actuetur, nec actuari, ni retineatur: sit propterea, vt & aliarum facultatum robur desideretur, contentricis nempe ad retinendum, coctricis ad actuandum, tactus ad sentiendum, expultricis ad pellendum. Itaque continget vacuationem imminutam esse, aut quoniam pharmacum non retinetur, sed euomitur, vel quia non actuatur: aut quia expultrix non pellit: non expellit autem, aut quia sensus torpet, aut quia distractus est alibi: sit demum ne expellat, quia debilis. Fit imminuta secundo expurgatio cum vis pharmaci est debilis. Debile autem,

Quot conspirent ad bonā purgationem

Diminutæ causæ.

autem, aut sua natura, aut quia cōsenuit, aut quoniam ob externas iniurias corruptum est. Viarum impedimento idem contingere, & humoris crudi, crassi, & viscidi culpa, notius est, quam vt aliqua indigeat demonstratione. Nunc qua ratione singulis conueniat occurrere declarandum; quoniam verò humorum, viarumque vitia in illa angustia temporis emendari non possunt vix enim locus est clysteribus, fotibus, vnctionibus, quæ ventrem molliendi vim habent, non immorabor propterea in recensendis remedijs aduersus cruditatem humorum, & corporis ineptitudinem: deploranda potius est imperitia medici, qui ægros ita imparatos expurgādos suscepit; nam nullus fere remedio est locus: emendari ex tempore potest defectus pharmaci, & inopinatus languor coctricis, expultricis, ideoque de his emendandis sermonē habebimus. Coctricis languori somno succurremus, calfacientibus stomacho: expultrici debili bifariam, irritantibus suppositorijs, si ob sensus torporē, aut quoniam alio distracta ni sentiendi, nequaquam sentit: cibo si vere langueat: ita vt expellere non sit potis. Noui nobilissimum quemdam adolescentem, qui cum à pharmaco frigidum sudaret, nec quicquam educeret, à cibo fœliciter expurgatum, & conualuisse.

Remedia.

Defectum pharmaci sunt, qui nulla alia habita præmeditatione, mox alio exhibito emendant: veruntamen multa deberent antea præuidere; cum enim purgandi vis tenuioribus insit medicamenti particulis, frequenter accidit, vt ab euomito pharmaco, succedat nihilominus cōpiosa purgatio, quæ alio exhibito aut fuisset immodica, aut nulla, à nouo pharmaco distracta natura, & alio auocata. Et quidem, si multis olfacto tantum pharmaco aluus soluitur, cur suspicandum non erit, ne idem, illo euomito contingat quandoque? Expectet ergo medicus debitum tempus vacuationis: si nulla sequatur, nec speretur, aliud exhibeat pharmacum, si tamen ferat illud ventriculus, affectus moram non patiatur, neq; possit defectus clysteribus, aut suppositorijs emendari; nam vbi hæc sunt satis, omninò temere ad aliud pharmacū confugies; nam vt bene Auer. comm. 50. 2. phys. *qui potest sanare modica actione, ille ager actione artificiali.* Insuper si dat affectus inducias, præstabit in alium diem hoc differre; ne nimium vrgentes sanguinem eliciamus. vrgeat idem quātum velis: ni stomachus toleret, non est faciendum, nam indicatio, quę à viribus, est dignissima omnium.

Cogendi nō diminutes purgantes ad aliud pharmacum.

Atqui adhuc vrgebis, nam Auic. 4. p. doc. 5. cap. 5. *duas, inquit, medicinas soluentes in vna die coniungere timorosum.* Sed Auic. loquitur de duabus efficacibus, vbi alterum pharmacum aut euomitum est, aut nihil dignum commētatione eduxit, non est ab alio pharmaco timendum. Præterea multa vel cum timore faciēda absoluisse crederem, quæ facienda sunt ad supplendam purgationem imminutā, ni me detinerent adhuc in hoc ludo Hippocr. Auic. & Philippus Ingrassias: ille enim ad vacuationem hanc concitandam laudauit balneum 6. epid. com. 5. text. 29. *epotum* inquit *si celerius purgare vis, lauare aut cibum sumere oportet* Auic. 4. p. doc. 5. cap. 8. sanguinis missionem commendauit his verbis. *Quod si enema non iuuerit, & mala superuenerint accidentia extensionis corporis, & oculi exierint extra, & fuerit motus ad superiora, necessaria erit minutio: & cum medicina ventrem non soluerit, & mala cum non sequuta fuerint accidentia, melius etiam erit, vt ipsam consequatur minutio saltem post duos dies, aut tres.* Ingrassias demum epistola de re, hac edita ad Ioannem Antonium Pisanum aquæ frigidæ potum multis experimentis commendauit.

Num balneandi, phlebotomandi, bibenda frigida?

At verò quantum spectat ad balneum, pars quæ negat, est certa; aduocat enim balneum humores ad cutim: reuocat eosdem pharmacum exhibitum. Qui ergo conuenire illud potest. Ipse etiam Hippocrat. 3. de rat. vict. 62. balneum nonnisi varuatis concedit. & text. 59. interdicit ijs, qui aluum, aut nimis fluidam habent, aut nimis adstrictam.

Sol. 2. dub.

Laborauit Ioannes Costæus 4. p. doc. 5. cap 5. vt Hippocr. excusaret, quod an sit assequutus, non est modo animus examinare: crederem ego particulare balneum commendasse Hipp. vt vnctiones ventris, necnon totus, vniuersale alibi damnasse.

Auic. consilium videbitur alicui temere susceptum: at exacte inspectum, & sanum esse comperiet, & necessarium: vbi enim humores pharmaco sint commoti, repantque propterea ad partes supernas, insurgit indicatio reuellendi eosdem & vacuandi. quare cum hoc pharmaco assequi nequeamus, fecisset enim hoc primò loco exhibitum, si rectè fuit præscriptum, neque enemata profecerint quicquam, illud reliquum est, minuere sanguinem, præsertim cum Galen. non rarò hæc præsidia commutet, & vnum substituat alteri, vt 2. acut. 11. 2. per loc. c. 2. 4. met. 6. 4. san. tuen. 4. Idem habet Paulus lib. 7. vnde hanc fuisse mentem Auicen. colligitur expresse ex ipso, nam lib. 7. cap. 6. ex quo videtur suam sententiam transcripsisse habet hæc ad verbum. *Si vero quocumque medicamento ad aluū emolliendam assumpto quis non purgetur, neq; vacuetur, nullo accedente periculo nihil molendum est. At si magnitudo morbi vrgeat, aut ager vellicetur, & vellicationem expertus fuerit, clyster iniiciatur. si ne sic quidem venter*

2. diffic. sol.

ter respondeat, corpore rosionem, & veluti auersionem patiente, lauare liberaliter inungereuè oportet. vbi repletum est grauaturque, sanguinis missio conuenit. vide vt ad hanc recurrit, vbi cœtera frustra est expertus.

Tertia dilucidatio.

Demum quod ad aquæ potum pertinet, laudo ego vt exhibeatur languenti. cum non expurgatus æstuat, & quam maximè siti conflictatur; indicat enim sitis illa summum in ventriculo incendium: inflammatus robustus esse non potest. Quare neque expellere: roborandus itaque: cumq; robur nonnisi amota intemperie comparari possit, de illa abolenda debemus esse solliciti, quod cum præstet belle aquæ potus, hic indulgendus. Confirmatur, nam vbi tanta siti torquetur, nõ sentiet ventriculus humorum tractorũ irritationem; siquidem, vt dixit Hippoc. duobus doloribus infestantibus, maior minorem obscurat. at verò non percepta molestia, non potest ad pellendum insurgere. Compescenda itaque sitis. quare indulgendus aquæ potus. hæc de præsidijs ad imminutam, & mancam expurgationem.

Superpurgationis remedia.

Quantum est de remedijs superpurgationis, cum fiat illa quandoque culpa pharmaci effrenitantis, vel quia sua natura venenosum, aut quoniã acre, aut quia maiori dosi exhibitum fuit: fiat alias eadem culpa corporis plus iusto laxati, atque fluidi, nam vt quidam nulli cedunt medicamento, sic alij, vel à cassia, & mãna multum vacuantur, occurrendum superpurgationi, vel vomitu pharmaci, theriaca antiqua, si sit venenosũ, rosata nouella si sit admodũ acre, & quouis alio torporẽ inducente: quare somno 4. aphor. 16. reuellentibus ad partes externas, & contrarias, assumptione cibi. & adstringentium vsu, quorum silua quia magna occurrit, vel parum exercitatis in re medica, his claudo Caput.

Quando cibandum à pharmaco, quantum dandum sit, & an ius exhibendum. Cap. XX.

A Pharmaco nutriendum esse, nulli dubium, nam aut semper, aut frequentissimè ieiuni purgantur: quando tamen expediat cibare, an statim ac medicamentum est assumptum, an expurgatione absoluta dubium, & aliud alios facere, notum: Propterea vt explicentur omnia, quæ facere conuenit à pharmaco, declarabimus tria hæc puncta hoc capite, quando cibus sit assumendus, qua quantitate, & an brodium, at verò paucis illa expediam.

Quando comedendum à pharmaco

Dico primum. Comedendum à pharmaco est purgatione absoluta, est Hipp. 2. de rat. vict. 12. Galen. ibidem, & in lib. quos, quibus, & quando, Auic. 4. 1. doc. 5. cap. 5. Pauli lib. 7. cap. 6. communis, nam communiter ita obseruant in praxi omnes medici, & iure; nam si anteuertas hoc facere, cohibetur vacuatio, aut natura ad vacuandum sollicitata, extrudet vna cum humoribus alimentum assumptum, vel humores alimento permixti, corrumpent ipsum.

Non tamen semper: nam quandoq. statim est illud faciendum.

Dico secundo. Non esse hoc præceptum perpetuo obseruandum, sed vbi medicamenta benedicta vorantur, vt cassia, tamarindi, saccarum, rosaceum solutiuum, violatum: aut mox, si nulla sit nausea, aut hac sedata (ni tamen interea cœperit expurgari) cibus est exhibendus. est communis, probantque illam communiter, quoniam nisi cibus mox detur, vertetur pharmacum in substantiam corporis: sed mihi admittenda non videtur; nam videmus post multas horas integra euomi. Non ergo ita promptè assimilari illa possunt. Secundo si hoc verum, cum eadem bibita facilius vinci possint à corpore, esset à potu eorundem mox cibandum. At medici secus faciũt, & succedit purgatio. alia ergo huius facti ratio assignanda est.

Haud quoniã si prore leiur vertetur in nostri substãtiam.

Neq; ob illã, quia sũt alimenta medicamentosa

Dicunt aliqui, esse hæc medicamenta, non vere pharmaca, sed potius alimẽta quædam medicamentosa. Sed hæc assumuntur cum alijs, prima tamen mensa, ne cum descendunt, alia alimenta intempestiuè, & incocta extrudant è corpore. Quare idem seruandum in pharmacis benedictis vocatis.

Sed hæc ratio probat, posse ab huiusmodi pharmacis cibum mox exhiberi: esse tamen necessariò hoc faciendum, nullo modo probari: imò si ratio sumpta à simili quicquam valet. posse vtrumque fieri statuendum, quia vt pruna, & mora, seu sola sumantur, seu ante alios cibos, laxabunt corpus; ita huiusmodi pharmaca expurgabunt, seù quis mox cibetur, seu postea cibum assumat.

Sed ob rationem Trincau.

Placet propterea ratio Trincau. quam affert lib. 1. de comp. medicam. cap. 10. Scribit citato loco hic auctor mox esse ab his pharmacis comedẽdum, quoniam post multas horas expurgant, & euacuant: itaque si cibandum purgatione absoluta, cum hæc tardè succedat, tardè erit, & hora incommoda comedendum. Hinc quoniam eadem medicamenta ebibita citius actuantur, & expurgationem moliuntur, idcirco ab his bibitis non datur mox alimentum: quamquam si quis dare velit, nullum incommodum afferet.

Minus tamen

Dico tertio. Exhibendum est minus quam consuerat. est Hippocr. citat. 2. de rat. vict. Auicen. 3. 1. doc. 5. cap. 5. & probatur à Gal. in com. quia die purgationis, cum à pharmaco, tum à vacuatione est ventriculus imbecillis redditus. Sed

pro

pro vario huius partis robore est plus minus exhibendum; neque enim satis est indicari multum alimentum, nisi idem eoqui possit à stomacho: minus itaque exhibere conuenit, quando minus valet ad coquendum. vide Vallef.7.cont.c.17.

Et pridem ius gallinæ cum sale sumat.

Dico quarto. Paulo antequam alimentum assumat purgatus, sorbeat ius gallinæ, & salitum modice. est contra nonnullos, qui media purgatione ad illam proritandam dabant multam iuris copiam, & insulsi, aduersus quos quia acriter pugnauit Vallef.lib.7. controu.c.17. non videntur à me alia esse addenda. est contra alios, qui etsi à purgatione illud concedant, volunt tamen insulsum esse exhibendum, rati vacuationem ita proritari, cum tamen Galen. scribat 11. de simpl.fac. cap. de iure Gallinæ cohibere aluum, ius galli antiqui prouocare. Probatur quia à medicamēto potuerunt trahi ad ventriculum humores aliqui acres, & mordaces: potuit quin etiam imprimi à medicamento praua aliqua qualitas: at habet ius gallinæ vim adæquandi humores, & attemperandi, & ratione salis abstergendi. Qua ratione ergo commendant multi clysterem ex iurepulli albumine ouorum, & saccaro rubro ad abluēda intestina: eadem licebit dare ius pulli, & salitum, nam in clysteribus ponimus zaccarum rubrum ad abstergendum, nec sal irritando ad celerem depositionem clysteris, suas operationes impediat. Poterit itaque exhiberi. hæc de propositis, & ijs omnibus, quæ medicus facere tenetur à pharmaco assumpto: nunc absolutæ, & completæ vacuationis indicia proponere oportet.

Absoluta purgationis inditia. *Cap. XXI.*

DAnt huic difficultati occasionem, quæ supra statuimus de hora qua expurgatus nutriri debet; diximus enim esse, tunc temporis esse expurgatum nutriendum, cum purgari iam desijt, quod quia incertum; nam multoties credimus absolutam iam esse vacuationem, cum tamen paulo post adhuc excernant, idcircò ne ęgrum intempestiuè nutriamus, præstat determinare, quibus indicijs possit dignoscere medicus, esse iam vacuationem absolutam, eamque ob causam esse nutriendum.

Non est sitis nota purgationis absolutæ.

Existimarunt multi, inter quos est Christophor. Auega, sitim esse expurgationis iam absolutæ, certum argumentū: non eam quæ vacuationem quandoque præcedit, sed quæ eamdem sequitur. Vt ita opinarentur, Hippocr. in causa fuit, nam 4. aph.19. scripsit, *qui in pharmacorū potionibus purgati non sitiunt, non cessant purgari, donec sitiuerint*, & idcircò non sunt nutriendi, ne inchoata, & nondum absoluta vacuatio interrumpatur.

Sed non posse ex siti hoc colligi, neq; ex sitis carentia inferri, nondum esse vim pharmaci alias exolutam, adhuc vigere, & humores allicere, colligitur euidēter ex causis sitis; sit enim sitis absumpta substantia, rorida, aut eadem ebulliente: vnde quia senes ob eam, quam habent siccitatem, roridam hanc substantiam absumunt, in iuuenibus, ob calorem ebullit, & ætas senilis est bibula, & iuuenilis. Præterea non est causa, cur vacuatis humoribus debeat roralis illa substantia absumi, neque potest aliquis docere, cur pharmaco adhuc succos trahente, homo sitire non possit. Quare neque sitis erit absolutæ iam vacuationis indicium, neq; eiusdem defectus, nondum absolutam esse, certo indicabit.

Confirmatur nam vacuatis succis calidis; tollitur causa sitis, vt docent hydropici. Demum non proponit Hipp. cit. aphor. absolutæ iam purgationis indicia, sed eius tantum, quæ expurgandi ventriculi causa agitur, vt sit sensus. Cum expurgatur ventriculus à crudis succis, & frigidis, quibus solet vt plurimum scatere, ni sitiat, numquam cesset idem purgari, donec sitiuerit; nam signū est, adhuc esse frigidos humores in stomacho, qui humectantes os eius sunt in causa, ne sitiat. ita Dinus 4.1.c.6. Triuer. in illius aphor.com. & expresse Mesues cap.6. canon. vniuersalium.

Ex alijs potius hoc deprehendendum.

Sunt proinde alia afferenda indicia, quæ absolutam iam purgationem declarent. Dignosces hoc primum si inspicias pharmaci naturam, naturamque, & statum eius qui expurgatur: sunt enim quædam medicamenta quæ vacuant citò, faciunt alia id tarde, vt cassia manna pillulæ: sunt pariter quidam ita expurgari parati, vt vix assumpto pharmaco laxetur aluus: sunt alij ita duri, vt à nullo medicamento moueantur: Si itaq; transacto iam spatio in quo pharmacum solet expurgare, corpus expurgari, nihil amplius moueatur, est quod credas, nihil moturū amplius: esse vacuationem absolutam, præsertim si non amplius ructet pharmacum æger. eius venter non rugiat, non obmurmuret, cuncta sint quieta. Hæc ergo vbi inspexeris, ciba ęgrum omni timore posthabito, præsertim si absorptum pharmacū eius generis fuit, quod vel à cibo aluum mouere solet, quemadmodum manna, & alia multa, ita enim diligenter Hippocr. mandatum curabis, & saluti ægrotantis consulueris.

Bone

Bonæ purgationis indicia.
Cap. vltimum.

PRæstat hoc nouisse duas ob causas, altera est, vt qualiter se habeat æger cognoscamus: altera, vt satisfaciamus, & ægro, & Adstantibus, qui id scire desiderant.

Dignoscitur, ex conferentia, & tolerantia.

Hippocr. de re ista pertractans, duo adducit signa, quæ salutarem fuisse vacuationem, & commodam demonstrare possunt, conferétiam nimirum, & leuem tolerantiam. *Si talia dicebat, purgentur qualia purgari oportet confert, & leuiter ferunt, sin minus contra*. & aphor. 2. prim. part. *in perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus contra*. Quid conferentia, clarum cuique, & compertum: quid leuis tolerantia, & difficilis controuersum. Propterea, vt constet cuique, quæ fuerit Hipp. de re ista sententia declaremus quid leuis tolerantia.

Quid leuis tolerantia.

Delectationem, & gaudium exposuit Brasau. itaque iuxta eius mẽtem, tunc vacuatio dicetur ferri leuiter, cum à purgatione ita erit æger leuatus, vt ob hanc causam gaudeat, & exhilaretur: quod cum numquam posse fieri Argent. crederet, lenis tolerantiæ nomine, minimam virium læsionem exposuit. ergo statuit tunc leuiter ferri vacuationem, cum sit quamminimum viribus patientibus. Probat suam sententiam auctoritate Gal, siquidem exponens aphor. 13. 1. partic. senes facillimè ieiunium ferũt minimum inquit oblæduntur à ieiunio. Quare & ij ferre facilè vacuationem dicentur, qui à vacuatione quam minimum offenduntur.

Brasau. Argent.

Author.

At verò si bonæ purgationis effectus indagemus, intelligemus facile, à laudata purgatione illa omnia posse proficisci; nempe vt gaudeat lãguens à vacuatione, exhilaretur, & vt quamminimum vires offendantur; fit enim voluptas, quoties à statu præter naturam, ad naturalem reducimur: reducimur autem noxio humore vacuato. quare verè poterimus gaudere, si noxij tantum humores educantur. Sed quorsum ratione probare conor, quod passim experientia confirmat? Quis enim ita omnis sensus est expers, qui vacuato semine titillante, vrina pungente, & acrius stimulante, non gaudeat, non exhilaretur? & ratio itaque, & experientia docet, ex vacuatione rei noxiæ nasci delectationem. Nec dubitandum est fieri eamdem cum minimo dispendio virium, ni aliunde peccetur; nam per reductionem ad statum naturalem robustiores fieri illæ debent, non delabi.

Proinde dicamus, cum vacuatur humor noxius, & faciens morbum, aut quouis alio modo naturam molestans, proficere expurgatum gaudere, exhilarari, & quamminimum pati dispendium virium: vbi aliter res contingat, nempe vt doleat quis, à vacuatione, imbecillior fiat, tristior, ruatque in deterius, habendum pro certo, aut non esse vacuatum, quod in causa erat morbi, & inferebat molestiam, aut plusquam ratio postulat vacuatum esse; nam cum laboret natura, vel noxia expurgans, summum solet viribus detrimentum inferri, si immoderata fiat, vel nocui humoris vacuatio, vnde 6. aphor. 27. qui suppurati, aut aqua inter cutim laborantes vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua confestim effluxerint, commoriuntur.

Dub. aduers. Hippoc.

Obijcies scribit Auicen. 4. p. c. 3. multoties nocui humoris vacuationem, non solum non conferre statim, sed inferre quandoque dolorem, febrem, intestinorũ excoriationes, laxitatem ventriculi, & alias ægritudines, audi ipsum nostra lingua loquentem. *Si fiat vacuatio illius, quod est vacuandum, sequitur ipsam proculdubio tranquillitas: nisi quod receptaculorum lassitudo ipsam sequatur, aut caliditatis febris ebullitio, ephemera, aut aliæ ægritudines comitantur, sicut excoriatio, quam ventris solutio intestinis facit, aut vlcera, quæ vrinæ prouocatio in vessica facit: & hæc quidem licet iuuamentum conferat, eius tamen vtilitas nõ sentitur, immo quandoque præsentialiter dolet, donec accidens remoueatur*, quamobrem non erit illud certum, vbi vacuetur causa morbum faciens, conferre vacuationẽ, ac leuiter tolerari. hinc illud. Beata Vetula, quæ venit in fine morbi.

Confirmatur, nam si quis morbi principio transacto, vacuet portionem humoris facientis morbum; adhuc morbus augebitur. quare nulla sequetur conferentia. sequetur verò si alius humor vacuetur, non qui peccat morbo declinante.

Defenditur reiectio Arg.

Putauit propter hæc Argent. 1. aph. 2. laudatam vacuationem illam esse, quam morbi status exigit: idem affirmans reuera, quod alij, quamquam studuerit multum, vt recederet; quid enim aliud vacuari morbus postulat, quam quod morbum facit? ergo humorem peccantem. An id factum, non aliter licebit cognoscere, quam ex conferentia, & leui tolerantia; conferet enim laudata purgatio sub finem principij; nam vel omnino morbi incrementum præcidet, aut ita imminuet, nullo vt pacto augeatur iuxta proportionem principij. Demus secundo nullam sequi ex huiusmodi vacuatione vtilitatem, certum est facile eamdem tolerari à natura, quod cum nequaquam fiat, vbi alius humor, nõn qui peccat educitur, leuis tolerãntia saltem, quam sequi negare non poterit Argent. certum esse

poterit purgationis laudatæ argumentum. Idem monstrabit nobis incommodam fuisse purgationem humoris non peccantis, morbo in declinatione abeunte. Nempè difficulter à facultate tolerabitur. vbi ergo vacuatio prosit, semper noxius humor est eductus. Adde præterea, quod facta vtili vacuatione, sub morbi remissione, citius terminabitur morbus, & quem tardè natura curatura erat, mox medicamentum persanabit. At si importunè idem porrigatur, aut nouum morbum arcesset, aut prorogabit eumdem, aut virtutem prosternet.

Ad Auicen. Certè si locus ille exactè examinetur, haud fuit in alia sententia auctor; nō enim negat vtilem esse, & proficuam eam vacuationem, qua noxius humor educitur foras, monet tantum, ne prompti simus in medicis reprehendendis, quod vtiles humores eduxerint, relictis noxijs, si mala quædam prioribus accesserint; non enim semper subito elucescit vtilitas, quod Hipp. pariter admonuerat 2. aphor. 52. & mala, quæ à vacuatione emersere, haud inde exorta, quia vtilis humor vacuatus fuit, relicto noxio, sed vel pharmaci calor in causa fuit ephemeræ, aut agitatio, & commotio, aut deleteria vis medicamenti, aut humor ad loca sentientia delapsus. Itaq; si humoris nocui vacuatio spectetur, semper illa proderit, & tolerabitur facilè: damna ab Auic. recensita aliam causam, eamq; longè diuersam agnoscent.

At vrgebis nihilominus amplius, nam non rarò vidimus multos, qua die sunt expurgati, vsque adeò bellè se habere, vt cecinerint medici triumphum, cum tamen die sequenti postea perierint: non ergo conferentia, & leuis tolerantia certum est bonæ purgationis indicium. Respondeo primo, nō fuisse conferentiam, nam qui venit, & non iterit, non dicitur venisse: ideoq; sedimentum debet esse equale. Dic secundo conferentiam illum apparentem esse, non realem: apparere verò, aut quia emoritur sensus, & idcircò dolores, & febres remittuntur: aut quoniam prostrata vis expultrix, excrementa non mouet: quiescentia autem minus lædunt, & quia minus partibus occurrunt, quæ non assueuerunt, & quia minorem copiam halituum ad cor mittunt: Contingit tertio melius se habere, quia educta à pharmaco est causa, quæ accessionem eius diei paritura erat, constitutione morbi vniuersali immutata. Potest fieri hoc quarto, natura extremos conatus apponente, & excrementa à principibus partibus seponente; quoniam verò causa faciens morbum ex toto educta non est, & imbecillitas partium principum relicta, hinc denuo consurgit.

Cur multi à pharmaco alleuentur mox pereunt.

Validius vero tota vt succumbat accessioni duas fortasse ob causas: altera, quia à pregressa vacuatione, est eneruata natura: altera, quia venenum, vbi ab alimenti, aut humorum farragine non impeditur, rectà ad cor ruit, & in ipsum facit impetum. hæc de ista difficultate, & pharmacia.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Vigesimus Primus.
DE RECTO VSV CLYSTERIVM, diureticorum, & sudoris.



Dicendorum ratio, & ordo. Cap. I.



Medicamenta, quæ per sedem euacuandi vim habebant, duplicia esse supra diximus, alia quæ per os sumebantur, alia quæ immittebàtur per sedem. Ergo quando habuimus sermonem de primis, est modo consequens, vt de recta clysterium, & suppositoriorum administratione agamus, præsertim cum hæc valeant multum ad comparandam corporis aptitudinem ad purgationem. Vt verò ordinatè procedamus, dicemus, quid clyster, quot eius vsus, & differentiæ. Ex his colligemus quibusnam corporibus, & in quibus affectibus conducant: vltimo de recta clysterium administra-

ſtratione tractabimus; ne tamen laboremus in æquiuocis, aduerto, quod vox hæc clyſter, chlyſmos, clyſterium, & ſi poſſit bifariam vſurpari: pro ablutione nēpe; nam quod Græci clyſterem, latini lotionem appellant, & pro inſtrumento, quo inteſtina abluimus, aut aliam cauam partem: vnde Celſus lib. 7. cap. 26. *idem* inquit *humor cum roſa mixtus, auriculario clyſtere in vulnus immittendus eſt*. Non loquemur de clyſtere, ſecundo hoc modo ſumpto; hoc eſt de inſtrumento, ſed iuxta primam ſignificationem accipiendo clyſterem, de ipſo diſputabimus, idque mox facere aggrediar, ne te multis detineam.

Quid clyſter, quot eius differentiæ, & vſus. Cap. II.

Quæ clyſteris natura.

EST Clyſter ſtrictè acceptus medicamentum liquidum, ſiue liquor per ſedem ad vſus varios immiſſus: liquidū dicimus ad differentiam glandis, ſeu ſuppoſitorij. quę dura ſunt, & ad aluū dumtaxat ignauam prouocandam immittūtur in ſedem. Dicimus eſſe medicamentum, vt aliquod ponamus diſcrimen inter clyſteres medicos, & eos, quos ſibi immitti iubent quædam Hiſpanæ. Nempe ſunt quę clyſteres ex odorata aqua ſibi infundunt, vt olidum excernere imponāt alijs. Dicimus immiſſum per ſedem, vt aliquod ponamus diſcrimen inter hæc enemata, & illa; quæ in vterum ad tollendum fœtorem eius partis, mulieres infundunt, & aliorū qui in vlceratas partes, ad quas ſolidum medicamentum penetrare non poteſt immittuntur. Diximus demum

Vſus.

ad varios vſus, nam multos habet clyſter, multiſque ſcopis abſoluendis conducit; alij enim ad nutriendum deſeruiunt; alij ad alterandum, quidam ad vacuandum, qui varij pro materiæ, quam vacuant, locorumque vnde vacuant diuerſitate; nam quidam vacuant à fęcibus aluum, emolliendo excrementa, aut irritando ſegnem facultatem pellentem: alij vermes, alij alliciunt humores, alij demū diſcutiunt flatus: vacuantes humores adhuc ſubdiſtinguimus; nam alij hoc faciunt attrahendo ipſos à ſubſtantię quadam proprietate, quemadmodum purgantia pharmaca: præſtant alij hoc ipſū, facultatem pellentem irritando: vacuantes demum, quouis modo id faciant, aut vacuant ab inteſtinis tantum, aut deriuant etiam à proximis partibus, vtero, veſica, & renibus, aut à capite, & partibus quibuſq; remotis, & valde diſtantibus attrahunt.

Non minor obſeruatur varietas in ijs, qui alterandi vim habent: alij enim calfaciunt, alij refrigerant, humectant, ſiccant, hi incraſſant, illi attenuant: quidam laxant adſtringunt. Propterea dixit forte Auic. 4. 1. cap. 17 clyſterem eſſe nobile medicamentum; nam vt verè nobiles, multis ſunt virtutibus inſigniti: haud ſecus clyſteresſ, multis ſunt facultatibus donati, vt dictum: non nego tamen, poſſe dici nobile medicamentum, ob tres alias cauſas. Prima eſt, quia nobilis dicitur à notitia, hoc eſt, quia notus, ob quam cauſam nobiliſſimi, illuſtriſſimi vulgo dicuntur, clariſſimi, ſereniſſimi: Contra, ignobiles, obſcuri nominis viri: eſt autē clyſter medicamentum valde notum. Secundo dici nobile poteſt ob antiquitatē, natura enim edocta ibis, roſtro aqua maris repleto, & in anum immiſſo, exonerat aluum, vnde liberatur à dolore, à multis piſcibus ingeſtis exorto. Tertio dici nobile poteſt, quia vt tutum eſt, cum nobilibus conuerſari; nam hi, vt plurimum bonis ſunt moribus prædi: ſic clyſter medicamentum eſt, vſque adeo ſecurum, & tutum, vt nullum ab eius vſu diſcrimen immineat, quod de purgatione, aut ſectione venæ nequaquam dici poteſt: vnde Hippoc. lib. de virtutib. medicam. *Si quem oportet clyſterizare, congruit quotieſcumq; volueris: minus periculoſum enim eſt ſumere, quam pharmacias purgatiuas offerre.* Cur dictus eſt medicamentum nobile.

Ergo ſi vſque adeo inſigne medicamētum eſt cliſter, vt alterandi vim habeat, vacuandi, nutriendi: poterunt eſſe vſui cliſteres in appetentia vſque adeo proſtrata, & abolita, vt nihil deguſtent languentes: conducent curandæ cuicumque intemperiei, tum inteſtinorum cum partium inteſtinis proximarum, nam & has quoque ob viciniam, permutandi vim habent: vnde Auic. *quæ vero ex eis ſunt acuta, debilitant hepar, & perducunt ad febrem*. Nec tantum ſimplici intemperiei curandæ proficua erunt, ſed cum vacuādi pariter facultatem habeant, valebunt ad intemperiem omnem, morbumque qui à materia dependet, quæcumque ſit illa; ac demum cum vacuent illi, non ſolum inteſtina, & partes vicinas, ſed a remotis etiam reuellant, erunt maxime vtiles cliſteres vacuandis inteſtinis, ad deriuandum à partibus proximis, & ad reuellendum à remotis. Auic. 4. 1. cap. 7. *enema* inquit *eſt medicamen nobile in expellendo ſuperfluitates, quæ ſunt in inteſtinis, & in ſedando dolores renum, & veſicæ, & apoſtemata ipſorum, & ægritudines ſolitæ, & in attrahendo ſuperfluitates à membris principalibus, & ſuperioribus*: ratio eſt in promptu, ſiquidem habent cliſteres vim producendi, non tantum qualitates primas, ſed ſecundas etiam, vnde incraſſandi, attenuandi, adſtringendi, laxandi. Hinc dyſenteriæ, & quæcumque aliæ alui fluxiones frequenti vſu cliſterium compeſcūtur, ſupplenturque imminutæ purgationes: vnde Auic. *ex enematibus vero fit iu-* Quibus conducit affectibus.

namen in expellendo reliquias, quas inanientia relinquunt.

Dub. At dices, qui fieri potest, vt ab vno remedio tot, & vsque adeo contrariæ indicationes absoluantur? Secundo si reuellit ab vtero enema, & renibus, non conueniet in exitu variolarum, non fluentibus mensibus, aut puerperijs. Tertio sunt clisteres leuia medicamenta, & ad ventriculum vsque non attingunt, sed in crassis consistunt intestinis 5. meth. 5. & vbi admodum nitaris ad tenue fortasse intestinum perueniunt 13. meth. 17. Non itaque reuellere à toto, aut capite illa poterunt. quarto si tot habet facultates clister: quid impulit medicos, vt inuenirent suppositoria, & glandes?

Sol. Sed hæc omnia facile dissoluuntur, nō enim ponimus ab vna specie clisteris hæc omnia fieri, sed alio, & alio, ob variā materiam, ex qua componuntur, nec non ex modo inijciendi illos.

A quibus partibus vacuare. Ad secundum, & tertium dicimus; quędam enemata ab intestinis tantum vacuare, deriuare alia à partibus vicinis, reuellere à remotis. Nimirum leuia ab intestinis tantum vacuant: à proximis, quæ sunt mediocria: acria, & e materia medica concinnata, à remotis. Et quidem, si eadem pharmaca longe minori dosi assumpta, facultatem hanc habent: cur eadem ijsdem per intestina immissis denegabimus; non enim Gal. hoc vnquam in dubium reuocauit, sed illud, an materia remedij adscendat ad ventriculum vsque: & in bene affecto negauit hoc fieri: sed de viribus materiei medicinalis, aut facultate physica, nunquam puto Gal. aut alium virum dubitasse. Eleuantur è facibus retētis vapores ad caput, & magnos in capite dolores inducunt, variasque affectiones: cur non poterit modo ex clisteris materia seges vaporum ferri ad varias partes, indeque humores deducere, attrahere?

An conueniant mēstruis fluentibus puerperijs, variolis. Ex hoc licet inferre leues clisteres posse exhiberi menstruis, puerperijsque fluentibus, & variolis, morbillisque erūpentibus, vbi vrgeat alui leniendæ indicatio: non conuenire mediocres, ac propterea immittendos non esse: fugienda perpetuo acria enemata, nedum in his casibus, sed in prægnantibus, & enixis, vt infra dicemus.

Quibus suppositoria cōueniant. Ad vltimum dicimus, necessariam fuisse inuentionem suppositoriorum primū ad necandos ascarides: Secundo ad enemata deponenda, nam raro contingit, vt immissa non deponantur, vnde cum proritanda sit aluus, neque fieri id possit iniecto alio enemate, ad suppositoria recurrere oportet. Ex quo patet insuper, conuenire eadem tertio, cum intestina flatibus vsque adeo turgent, vt non valeant enemata excipere: factū hoc quarto, vt pudori mulierum succurreretur, nam cum pudeat illas quandoque pudēda detegere, optime consultum est illis, dum suppositorio, aut glande ignauam aluum proritant, & irritant.

Epilogus. Habemus quidnam sit clister, qui eius vsus, & quibus in affectibus, & in quibus partibus male affectis conducat; quia tamen, tunc huiusmodi remedium prodest, vt & quoduis aliud, quando opportune, & recte administratur, nocet contra cum illo abutimur, agemus propterea de recta eorumdem administratione, ac primum de ipsorum qualitate.

De cuiusque Clysteris qualitate. Cap. III.

QVodcumque remedium tunc recte administratum Gal. censuit, cum in eligenda eius qualitate, & metienda eiusdem quātitate erratum non fuerit; quod si temporis quoque ratio habeatur, & vtendi modus consideretur, certiores reddemur maximo futurum esse profectui, videamus propterea, quinam clisteres cuique affectui conueniant, qua quātitate, quando, & quomodo, ne si abutamur huiusmodi præsidio, ipsius beneficio priuemur. Cæterum quia facile potest quisque ex dictis, dicendisue intelligere, quales esse debeant alterantes clisteres: debent enim esse contrarij intemperiei expugnandæ, agemus propterea de nutrientibus, de ijs qui conducunt necandis vermibus, de vacuantibus, confortantibus, siue corroborantibus, abstergentibus, & dolorem lenientibus.

Nutrientes clysteres quales esse debeant. Quantum ad clisteres nutrientes, debent illi ex ijs componi, quæ prompta sunt, vt in chylum vertantur, & nullam habent vim aluum proritandi. Id fore necessarium patet, quia habent intestina imbecillem ad chylificandum facultatē: fuit enim tributa ijs à natura, vt possent perficere, & concoquere, si quid male coctum, & elaboratum à ventriculo efflueret. Ni itaque illa inijciantur, quæ maxime disposita sunt, vt in chylum vertantur, haud quaquam vertentur. Proinde chylificabilia eligenda: & quæ aluum proritare non valent, excernentur enim: excreta autem nutrire non poterunt. Propterea suspecti sunt mihi clysteres ex vino generoso, nam irritant: laudo vt ex lacte conficiantur, ouis recentibus, & iure pulli consumpto.

Aduersus vermes quales. Quantum ad eos, qui vermium causa immittuntur, diuiduntur hi à Mercat. lib. 1. de indic. cap. 3. in eos, qui vermes alliciunt, & alios qui necant, & eos demum, qui occisos educunt; ac primos vult, vt ex dulcibus cōponantur, postremi ex rebus amaris, secundi ex acidis.

Componunt alij continuo, ex zaccharo, lacte, & dulci quaque materia, vt alimen-

menti dulcedine allecti vermes, dum ad ipsum accurrunt, vna cum ipso foras detrudantur: ab amaris, acribus, & oleo, perpetuo abstinent in enematibus, quia timent, ne ab his fugientes, ad partes superiores recurrant: & hoc obseruant passim nostri medici: nempe dulcia per sedem immittunt, acida per os exhibent, amara admouent, & meo videre cautius, nam si certi esse possemus, vermes in crassis residere intestinis, possemus fortasse immisso ex rebus amaris enemate, occidere ipsos, quia vero est hoc incertum, & ab amaris, aut acidis immissis possunt ad partes supernas repelli, nunquam discrimen hoc imminebit si assumantur, propterea illa tantum enemata aduersus vermes permitterem, quæ ex dulcibus fiunt.

Quales vacuantes.

Vacuantes, ex varia debent componi materia, pro rei vacuandæ varietate, & partis inanitæ. Ergo cum vacuare quandoque flatum intendamus, humorem, fæces, alia erit assumenda materia ad flatus discutiendos, assumenda alia ad vacuandos humores, alia demum ad fæces emolliendas. Vacuantia flatus sunt substantia tenuia, facultate calida siccaque, quare debent hæc enemata concinnari ex feminibus anisi, ameos, dauci, cumini, fœniculi, petroselini, cinnamomi, gariophillorum, quatuor anod inis, menta, nepita, pulegio, origano, thimo, allio, ruta.

Decoquantur hæc autem in aqua, aut vino, vacuata tamen prius muccosa materia, crudaque è qua solent flatus eleuari: vel coquantur in oleo nulla alia re apposita, diu enim detentum, cum nihil eit, quod irritet, discutiet facile flatuosam substantiam.

Vacuantia fæces, varia quoque debent esse, prout varia est causæ stipticitatis alui. Cum itaque hęc siccetur quandoque, quia intestina infarcta multa pituita, non sentiunt stimulum, vnde ad expellendum non insurgunt: fiat idem alias ob bilis defectum: fiat demum alias à fæcū siccitate, & duritie; aduersus primam causam stipticitatis, pugnandum est detergentibus, & crudam pituitam vacuātibus, de quibus mox loquemur: aduersus secundam causam siccitatis aluinæ, valebunt suppositoria magis, nam hæc magis irritant, Vbi à tertia fiant, lenientia enemata conuenient, mollientia, humectantia, nullo irritante admixta, si enim quod irritandi vim habeat misceatur, mox excreta, non valebunt mollire: præstat autem vt id fiat retinere, quæ habent huiusmodi facultatem. fiant ergo enemata ex oleo, & butiro, vel ex decocto rerum pinguium, vt iure pulli, capitis veruecis, & intestinorum animalium: adijciantur malua, beta, violæ. Ab huiusmodi causa cum procedat alui siccitas in hypocondriacis, & febricitantibus, recte medici in febribus, & hypocondriaco affectu huiusmodi clysteribus vtuntur docti à Gal. fortasse, qui in febribus vtitur hydrelæo;

Vacuantia demum humores, varia debent pariter esse pro vacuandi humoris diuersitate; si itaque sit vacuanda pituita, eaque crassa, & intestinis hærens, vel ischiadi, valebit ad hoc lixiuium, vinum græcum, aut decoctum rerum abstergentium, & incidentium, plus minus dilutum: si sit itaque in intestinis, satis erit decoctum parietariæ, furfuris, lupinorum, vel vrina cum melle, aut sapa: si in capite, addatur agaricus, & alia quę à capite attrahere valent, vt colocinthis: huius exemplo poterit vnusquisque componere, quæ bilim vacuare valeant, & melancholiam.

Clysteres [illegible]

Quantum pertinet ad clysteres auferentes dolores intestinorum, possunt illi esse duplices, alij qui torporem inducunt, alij qui adimunt causam facientem dolorem, qui multiplices, nam & multæ causæ dolorem excitare valent, intemperies nempe, & solutio continui, quarū quæque potest habere materiam comitem, eamque multiplicem, flatum, humorem, fæces, vermes. Clysteres itaque lenientes dolorem, alij erunt alterantes, vacuantes alij, & hi varij, nam quandoque causa doloris est flatus, quandoque mineta. Sed alterantes clysteres, tamquam notos omittimus. Vacuantium quia meminimus, dicemus de ijs, qui torporem inducūt, ij sunt qui opium, & opiata quęque admittunt, quare non est aliud addendum, vt declaremus clysteres scopo huic consequendo accomodatos, cum sit alibi declaratum, quando conueniant narcotica. Dicemus propterea de ijs, qui adstringendi vim habent, vulgo vocantur confortatiui, nam cum contraria simul explicari debeant, post vacuantes conuenit, ut de istis loquamur. Conueniunt isti laxata aluo, & admodum fluida; tum quia simptoma interdum ad se trahit curationem, cum quia per multam fluxionem debilitata pars plus iusto, excipit quæcumque excrementa. Excipiūt isti nonnulla, quæ adstringendi vim habent, unde solent nostri in longis fluxionibus alui, ut in disenteria, rosaceum zaccharum apponere, plantaginis succum, portulacæ, & poligoni: assumunt, & alia multa, tum ad absoluendum hunc scopum, cum alios usus, quos habent clysteres, quæ omnia quia collegit in suo antidotario Vecchetius, & alij, qui scripsere pharmacopæam, poterunt hi uideri, si quis plura cupiat de re ista.

De

De quantitate Clysterium, tempore, & vtendi ratione. Cap. IV.

POstquam vidimus quales nam Clysteres, cuique affectui conueniant, examinandum superest, vt disputatio proposita absoluatur, quantum debet, inijci, quoties, quando, & quomodo.

Clysterium quantitas conciona.

Quantum spectat ad primum, quantũ sit inijciendum, dignosces facile ex vario clysterium scopo, natura varia affectus, & patientis. Dignosces quidem ex scopo; nam qui ad nutritionem immittuntur, exigua debent quantitate inijci. Ratio est, quia à multa copia grauata intestina, nequaquam retinebunt, sed mox ad vitandam molestiam pellent: vacuata autem materia notritionis, nulla fieri nutritio potest. Parum ergo immittatur, vt retineatur: retentum coquatur; coctum vero nutriat, restituatque deperditum. Ob eamdem causam debet hi inijci exonerata iam aluo, alioquin, vel vna cum facibus mox excernetur, aut ni hoc fiat, conspurcatum à fecibus alimentum, nullo esse vsui poterit.

Cum contra vacuandi gratia ijdem immittuntur, sint materiæ vacuandæ proportionati. si itaque sit multum, quod vacuandum se offert, multa quantitas inijciatur, nam ab exiguo, multum vacuari non potest: quia vero remedium nedum indicari debet, sed tolerari, faciendum, quod indicatur, si toleretur: quamobrem quia intestina repleta, seu distenta flatibus, multam infundi nequaquam patiuntur: vel enim non poterunt excipere, aut non retinere, minus immittendũ. Eadem ratio cum habeat in pueris locũ, parum pueris, plus viris immittatur, atque hæc de continua quantitate.

Discreta.

Quantum ad discretam est communis sententia omnium, cauendum esse frequentem vsum clysterium; est hoc verum de quouis alio remedij genere: cur in clysteribus locum non habebit? habet profecto, & auersandus frequens huius remedij vsus duas ob causas. Altera est, quia vbi remedia vsurpentur frequenter, tantam contrahunt familiaritatem cum natura, vt alterationem non sentiãt auctore Arist. 1 sect. problem. Altera causa est, quia assueta natura clysteribus, numquam sponte excrementa deponet. Vnde Paulus lib. 1. cap. 44. *Non tamen id continuo faciendum est, ne natura his irritata, spontaneæ excretionis obliuiscatur.*

Occasio.

Quantum ad tempus, cum hoc indicetur ab indicantis præsentia, & absentia prohibentis, debet clister inijci, quãdo est, quod indicat, neque est aliquid, quod prohibeat; Indicatur clyster nutriens à prostrata appetentia: vacuans, à replente materia, quę quadruplex flatus, fæces, humor, vermes: abstergens à sordido vlcere, à laxitate adstringens, dolorem leniens à dolore, vbi sunt hæc indicantia, sunt inijciendi clysteres: non tamen protinus, sed cum nullum est prohibens: vnde quia vacuantes fieri prohibet vlceratum intestinum; non enim ad partem vlceratam trahendum, aut per eamdem vacuandum, prohibet idem & iecur inflammatũ, ventriculus plenus alimento, accessio: non est modo aliquo clyster euacuans inijciendus, cum venæ sedis fuerint inflatæ, non in disenteria, non à cibo, non demum in principio accessionis, quia in accessionibus abstinere oportet. Insuper quia cruda materia non est agitanda, cocta enim medicari, & mouere iubet Hipp. non sunt clysteres nulla habita præmeditatione permittendi, vt multi medici faciunt inepte: sed tunc tantum, cum vacuare permittitur; quando autem permittitur diximus supra agentes de purgatione. Contra vero, quia oportet reuellere fluentes humores, fluunt autem in principio, conueniẽt in principio fluentibus succis prædicti clysteres: vbi fluxere, abstinendum, & in humoris fluxi coctione, aut discussione incumbendum.

Instrument.

Quantum demum est de instrumento, quamquam triplex hucusque sit inuentũ à medicis, syringa nempe, seu fistula, ijs prorsus similis, quibus pilæ lusorię flatu implentur, coriaceas vesiculas, cui est fistulé addita, & instrumentum quoddam superna parte cauum, & latum, quo prõpte posset liquorem excipere, inferna angustum, & transuersum, vt in anum citra molestiam immissum, liquorem infusum superne, sensim ad intestina deduceret: nullum tamen est, quod possit cum priori comparari, si tamen apte artifex eo vtatur, & velimus, vt ad penitiores usque partes sese insinuet liquor. At si imperitus sit ille, cui imponendi clysteris est cura demandata, tutiora erunt alia instrumenta; nulla enim ab ijs potest noxa inferri: ab inepta prioris tractatione, flatu quidam implentur, læduntur alij, dum plus iusto artifex impellit, aut uelocius quam par est liquorem effundit: quocumque tamen utaris, uide nequam habeat fistula, quæ in anum est immittenda asperitatem, aut æruginem contraxerit; multi enim cum temere hoc non aduertissent, ægros in uaria discrimina perduxerunt: neque hæc tantum animaduertisse est satis, sed inungenda eadem est oleo, sæuo, aut hædi, aut agni, intestino uestienda, præsertim si hemorroidibus patiens laboret, ita enim quamminimum a fistulæ duritie oblæduntur.

Clysterizandi situs.

De situ monet recte Auic. 16. 3. tract. 4. cap. 14. de cura Colicę agens, ut laborantibus renibus, & in eorum gratiam im-

immisto clystere, super dorsum decumbat, super ventrem verò, intestinis malè afficitis: hæc enim ratione dum proximius hæret parti laboranti liquor, valentius poterit suas vires communicare. Ex his quia potest vnusquisque intelligere, qua ratione debeat locari patiens ischiadicū dolorem, & quamcumque affectionem, non addam plura, sed vt examinentur medicamenta, quę vacuant per partes internas, aggrediar tractare de diureticis.

De recto vsu diureticorum. Cap. V.

NE lateat aliquem, quod quæritur, placet primum aduertere, diuretica pharmaca appellare Græcos medicamenta per vias vrinarum vacuantia. Aduerto secundu esse hæc duplicia, verè, & propriè dicta diuretica, & impropriè talia: medicamenta impropriè vretica, vocant illa medici, quæ vtcumque vrinam prouocandi vim habent. hinc quoniam vrinam mouent, quæ multam gignunt, vt aqua, & aquosa quæque: quæ abstergunt vrinarum vias, vt e.g. terebinthus. quæ gignunt multam aquam, ac simul abstergunt, quæ vijs vrinarum hærebant, vt aquæ multæ medicatæ: quæ causas urinæ excretionem prohibentes remouent, quæ adhuc uaria pro causa urinæ excretionem cohibentis differentia uaria, incidentia, aperientia, lapidem frangentia, fit ut magna fit seges medicamentorum, quæ utcunique urinam prouocandi uim habent, eaque admudum uaria, calida, frigida.

Diuretica impropriè dicta.

Vere diuretica.

Medicamenta verè diuretica dicta, vt est auctur Gal. 5. simpl. 22. ea sunt, quę ita vrinam mouent, prouocantq; vt non cieant menses, neque lac prugiguant. Nempe & vere diuretica, & menses mouentia, & lac generantia, calida omnia sunt in vniuersum: multum tamen calida diuretica sunt, minus menses mouentia: minime omnium quæ lactis gignendi vim habent. Præterea diuretica vere, sunt calida sicca, quæ lac gignunt sunt calida humida: mediant prouocantia menses. Ne tamen erres, aduerte, non omnia, quæ lac gignunt esse calida, & humida, sed quæ vt alimenta huc faciunt: quæ præstant hoc ipsum, vt medicamenta, humida haud sunt, sed interdum calida sicca, interdum frigida. Nimirum vt Gal. monet cit. loc. cap. 21. gignunt lac, quæ sanguinem gignunt, at hæc sunt duplicia, alia, quæ id faciunt vt alimenta, & hæc sunt temperata, aut calida humida; nam hæc sanguinis laudati temperies. Gignunt alia sanguinem, vt medicamenta, & quandoque hoc faciunt attenuando, & calfaciendo pituitam, quod in causa est, cur multi à sudoribus, & salsæ decocto impinguentur. Præstant idem alia, alterando hepar, & hæc possunt esse frigida, calida, humida, sicca. Hæc eadem diuretica calida, sicca, vel separando aquosam substantiam, à sanguine, aut eamdem exhauriendu, seù per insensilem halitum vacuandu, sanguinem reddūt crassiorem: ergo ineptum ad morum, nam liquida fluunt facile, verè itaq; diuretica, menses nequaquam mouent, cohibent potius, & imminuunt: secus tamen contingit, & fit quandoque, vt prouocantia vrinam vereq; diuretica, menses moueāt bifariam: remouendo nimirum causam obstruentem venas vteri, & sanguinem plusquā ratio postulat calfaciendo; hinc enim fit, vt irritando plus iusto naturam, ad sui depositionem sollicitet.

Quomodo differant à prouocantibus mēstrua, & lac.

Tot ergo, & vsque adeo varia cum sint diuretica pharmaca, aduerto tertio, non esse nostrum propositum agere de recto vsu cuiusque diuretici, esset enim agendum de recta balneorum administratione, de potu aquæ, vsu incidentium, abstergentium: multa demum capite hoc essent concludenda, quæ singula peculiarem, & propriam cum postulent disputationem, tractabimus tantum de recto vsu eorum, quæ vere sunt diuretica. vt verò mox quisque intelligat, quibus affectibus, & partibus malè affectis esse vsui possunt, videamus, quas partes quosue humores vacuare sunt potis, & quomodo.

De quibus loquendum.

Quantum spectat ad primum. possunt per vias vrinarum purgari partes omnes quarum status potest ex vrinis dignosci: idcirco enim significat vrina benè, aut malè partes illas se habere, quia excrementa earum partium, cum vrinæ liquore permiscentur. At fere nulla pars est, cuius conditio non possit ex vrinis dignosci, vt dictum lib. 8. Quare fere nulla est, quæ non possit purgari. Confirmatur, nam si quæ per vrinarum vias propria excrementa deponere non posset, maximè esset caput, thorax, & partes in thorace contentæ; nam nullus negauit hucusque ventriculum, hepar, arterias, venas, renes, vasa vretera, vesicam, vterum per vrinas frequenter expurgari: At verò quantum pertinet ad caput, concurs omnium sententia est, spumosam vrinā, frequenter fieri pituita delapsa à capite: pus in thorace contentum vrina expurgari, & Gal. docuit, & mille experientię confirmarunt. Proinde fateri par est partes fere omnes posse per vias vrinarum euacuari. Quoniam verò quædam facilius, & commodius hac via vacuantur, vt venæ omnes, arteriæ, ventriculus, hepar, renes, vretera, vesica: rarius aliæ, difficulter, vt caput, thorax, & habitus corporis, illarum partium recrementa poterit medicus ad vias vrinarum deducere: alias alijs vijs vacuare contendet; neque enim natu-

Quæ partes diureticis possint vacuari.

naturam vtcumque operantem medicus imitari tenetur, sed vbi rectè hoc facit, & ad commodum animalis. quare cum venter interior per vrinas commodè expurgetur sæpissimè: ratò venter medius,& superior, neque admodum tuto: venarum arteriarum, ventriculi, epatis, vesicæ,tenuimque excrementa per vrinas vacuare tentabis: capitis, & thoracis nequaquam,sed hunc tussi vacuabimus, caput sudore,sputo errhinis,& deiectorijs pharmacis capitalibus.

Quiuis humor potest per vrinam vacuari.

Quantum ad secundum. Nullus humor est, qui vrinis purgari non possit; nam quiuis habet ichorosam substãtiam: & ichores omnes exsudantur minguntur ue. Cõfirmatur,nam Gal. 1. ad Glauc. ad vacuandam bilim, quæ tertianam excitat exquisitam,diuretica medicamenta commendauit: *per vrinam* inquit,*& sudores oportet diuertere*: eadem commendat in curatione tertianæ nothæ, & quotidianæ: in quartana dat piper cum aqua, dat diatrionpipereon, & diaspoliticon, & a. meth. cap. 8. docens, quibus generibus præsidiorum debeat, quod est corruptũ ex parte vacuari, vacuationem per vrinam ante reliquas posuit, ac si hæc præcipuè valeat ad vacuandos humores febrem excitantes: esset autem Gal. consilium omnino inconsultum, ni pro cõperto haberet humorem quemcumque hac via posse, & commodissime vacuari. Quid moror in re admodum clara? Sunt vrinæ interdum biliosæ,quandoq; phlegmaticæ alias nigræ,lucidæ crassæ. Nullus itaque humor est,qui vrina frequenter non euacuetur: sed vacuatur idem sensim, & lente, ex quo infero, non esse vsui hæc medicamenta in ijs affectibus, qui citam exposcunt vacuationem; antequam enim multum diuretica vacuent, aut victus est morbus, aut natura succubuit.

Quibus in morbis conueniant.

In fero secundo non conuenire eadem vbi multa est materia vacuanda; nam vel tantum vacuare non poterunt,aut non erunt angusta vascula excipiendæ tantæ copiæ idonea. Nec putandum est aliter, quia vrina multa liberat ab abscessu,facit enim hoc multa vrina, & crassa, iuxta illud Hippocr. 4. aph. 34. *quibus spes est, ad articulos futurum abscessum, liberat ab abscessu vrina multa crassa,& alba prodiens.*

Dubia aduersus dicta.

Obijcies, nam si hæc uera, numquam poterunt esse alicui usui diuterica; nam cum affectus omnes aut sint acuti, aut chronici, neque his expurgandis, neque acutis debellandis conuenient. nõ chronicis; nam hi à multo fiunt humore,alioquin non protraherentur tamdiù affectus: neque acutis,nam hi exposcunt remedia,quæ citò possint succurrere. Præterea habent acuti semper febrem comitem, hæc autem refrigerantia amat, non calida sicca, qualia esse diuretica omnia, supra diximus.

Solutio.

Respondeo negando consequentiam: nam vtrique affectuum generi medicamenta hæc esse utilia,communis est sententia omnium: Et quidem conducere acutis, constat ex Gal. qui illa commendauit in febribus omnibus,tertianas exquisitas à calidissimo humore excitatas, non excipio: neque aut contemno eorũ usum tamquam parum uacuantia, & sensim, aut reformido eorumdem caliditatem, quæ uitanda in febrium curatione; nam cum exhibeantur à Gal. cum aqua, aut iusculo refrigerante, infringetur nõ parum eorum caliditas. Præterea & pharmaca quoque exhibentur in febribus, tametsi sint calida, quia magis conducunt uacuando, quam noceant eadem calorifica qualitate. Cur non & diuretica? an quia parce uacuando, parum aut nihil conducere possunt? atqui non est multus humor à quo morbi acuti, neque crassus: leui itaque exiguaque uacuatione minui illi poterunt; alioquin neque sudor conducere morbis acutis posset, cum tamen febres salutariter terminet. quare & diuretica poterunt esse usui ijsdem, ut Auic. præter Galen. docuit, & medici omnes. Possunt quoq; & chronicis prodesse; nam quod diu protrahuntur, à succorum crassitie est, non semper à multitudine: & ubi à copia, possunt eadem, post alias tamen vacuationes esse vsui.

Quæ horum vsum contra indicent.

Cæterum quia remedium, non solum indicari debet, sed & illud quoq; est necessarium in recta ipsius administratione, vt toleretur: non tantum indicantia vacuationem hanc, debet inspicere medicus, sed & illud quoque attentè meditari, an ualeant eamdem uasa urinæ excernendæ dicata tolerare. Quamobrem cum ulcerati renes, uesica, & quouis alio morbo laborantes hæ partes, ad se duci excrementa, non patiantur, iuxta illud tritum Gal. longissimè à parte fluxione tentata, reuellere oportet non ad eam ducere: vitanda sunt diuretica in vlceratis renibus, & vesica, aut vreteribus, cauenda eadem in vrinæ suppressione, seu fiat culpa vesicæ, seu renum, non valentium sugere, siuè acciderit eadem calamitas, viarum, quæcumque sint illæ, impedimento. Dicta hæc tamen intellige de vreticis validis, aut de immodico vsu eorumdem: temperatum vsum admitto; nam vt hæc necessaria ad deducendam vim medicamenti frangentis lapidem, abstergentis, incidentis: ita illa noxia ob multas causas nempe quia vndequaque ducendo ad partem, magis grauant: & quoniam calore,& siccitate, qua pollent, materiam obstruentem incrassant magis, & in lapidem vertunt, vt propterea censeam, è re facere eos medicos, qui crassũ humorem renes obstruentem, ad amplas vias, & propriè ad cauitates intestinorũ dedu-

deducere student, non per eamdem viam vacuare.

Cauenda in præseruatione à calculo.

Cauenda eadem tertio in præseruatione à calculo; nocent enim & suo calore, & quoniam ducunt humores ad renes, vbi detenti, nam ob imbecillam eorum facultatem foras pellere nō valent, calculum gignunt facilè: si quando tamen iis vti est opus, fac memineris, administranda illa esse corpore iam euacuato: à sanguine, si sit illud plethoricum: si cachochimum à succis, quibus scatet; nam vt benè Concil. diff. 105. semper vacuationem particularem, debet vniuersalis præcedere: & magnus Hipp. dans methodum curandi dolorem renum 6. epid. 1. tex. 5. vltimo loco adponit diuretica; *quiescere inquit non expedit, sed exerceri, non impleri: iuuenes veratro purgare, poplitem secare: vrinam cientibus purgare, attenuare, atque mollire*; tacitè innuens, inanito iam corpore esse illa vsurpanda. Nec aliter tentandum est facere, quoniā Gal. 1. de ar. ad Glauc. in cura quotidianæ mox illa, nulla habita præmeditatione totius exhibet; nam quamquam quidā codices legant primis diebus, alij, & melius legunt post primos dies.

Quando iis vtendum.

De ratione curandi per sudorem. Cap. VI.

EST vrinæ congeneus sudor: de ratione propterea vacuandi per sudorem agemus, quando de diureticis diximus. Dicemus autem an conueniat vacuare quandoque per sudorem, in quibus affectibus, quando, & quibus, nam varia sunt, quæ sudorem prouocantia vim habent.

Conuenit ne sudor.

Pars quæ negat suadetur primum, quia est sudor præter naturam.

Quantum ad primum, non esse vacuandum per sudorem, multa suadent, suadetur hoc primum, quia est sudor quid præter naturam: quæ autem talia sunt auerti illa debent, non procurari, quare &c. Antecedens probatur primum, quia sudor Hipp. auctore est index morbi, siquidem 4. aphor. 38. scripsit, *vbi sudor, ibi morbus*: indicat autem morbum, aut eius causam, aut effectus. Diocles quoque, vt Galen. refert 1. aph. 15. esse præter naturam autumauit, & Gal. etsi duram esse sententiam Dioclis dixerit, nulla tamen cum ratione oppugnauit. Ratio quoque eidem sententiæ adstipulari videtur; nam sudor non est excrementum. quare neq; necessariò excernendus. antecedens suadetur multis, ac primum, quia potest sudoris materia citra animalis incommodum retineri. Non habet præterea certas, aut statutas horas, quibus reiectetur è corpore, vt alia nostri corporis excrementa.

Secundo quia non est excrementum.

Potest tertio per vrinarum loca expurgari; nam hanc ob causam scribunt multi maiori copia excerni vrinas hyeme, quia adstrictis meatibus cutis, nullus potest sudor excitari. Non est itaque alius vacuando sero locus assignandus; nam frustra fiunt per plura, quæ æque benè possunt paucioribus fieri: vnde nullius excrementi purgationi duo loca naturam destinasse videmus.

Secundo vacuatio per sudorem est semper exigua, quantumuis copiosus prorietur, vt enim ex terræ pugillo, aquæ multi pugilli fiunt, sic ex exigua humorum portione, copiosus sudor procreatur: exigua autem vacuatio est semper inutilis: vnde Aristot. 2. probl. 22. sudori prætulit vomitum, quia vomitu, & tenuis, & crassa humoris portio vacuatur: per sudorem, tenuis tantummodo excernitur: ex quo fit, vt vacuantes medici per sudorem, deiectoria interponant, ne relicta crassi humoris portio faciat recidinam.

Quia neque acutis morbis conuenit, neque chronicis.

Tertio si conueniret quandoque hæc vacuatio, aut conueniret illa acutis morbis, qui à calidis succis, & tenuibus fiūt, aut diuturnis, qui à pituita excitantur, melancholia. At verò non conuenit illa acutis morbis, vt passim docent medici; & rectè, siquidem prouocatur sudor vsu calidorum, quæ admouere, aut exhibere acuto morbo correptis discriminis plenum, & inutile; poscunt enim hi celere auxilium: sensim at fit vacuatio per sudorem. Non est eadem commoda diuturnis, nam sudoribus, nonnisi tenuis portio humoris educitur crassiori relicta, fiunt illi à crassa pituita, aut melancholico humore.

Defenditur nihilominus vacuationem per sudorem reijciendam non esse.

Statuendum nihilominus est, vacuationem per sudorem non esse à facultate medica ablegandam. Probatur primum communi omnium medicorum consensu. Probatur secundo experientia; nam passim obseruamus morbos multos, vt paralisim, conuulsionem, destillationem, iisdem abigi. Quid dicam de Gallica lue? falsè scripsit Fallopius, hoc genus Dæmoniorum, nonnisi ieiunio tolli, & sudore. quamobrem cum non liceat recto sensu quærere rationem, sed potius nostri intellectus tenuitas accusanda, non sunt reijcienda sudorifica, sed argumentis propositis respondendum.

Nam non est sudor quid præt. nat.

Ad primum, negamus esse sudorem quid præter naturam; non enim dici id potest, ratione eius, quod euacuatur; est enim sudor vrinæ congeneus: nec ratione loci ex quo fit vacuatio; est enim cutis commodum excrementi cuiusque receptaculum. Quod spectat ad causam factricem illius, facultas pellens est, aut calor attenuans, & leuitatem inducens: fit enim sudor bifariam, vel serosa substantia ad cutim seposita, aut vaporibus ad ipsam deductis, & in aquam concretis: at verò nihil est hic, quod intra me-

tas naturæ non contineetur. quare est naturalis vacuatio sudor, non præter naturam.

Dices esse enim opportunum locum, & commodum vacuandis halitibus, non serosæ substantiæ: ac propterea loci ratione, sudorem esse vacuationem præter naturam; quemadmodum sanguis menstruus, si per os, nares vacuetur, præter naturam dicemus vacuari; quia etsi loca illa fuerint alijs excrementis purgandis à natura dicata, destinata tamen haud sūt sanguini menstruo expurgando.

Dices secundo esse sudorem quid præter naturam ex alio capite, nempe quia semper fit, violenta aliqua causa accedēte, & præter naturam, vt calore multo attenuante, & liquante, vel cutis frigiditate condensante vapores: est autem præter naturam vacuatio omnis, ad quā violentia concurrit.

Quicquid dicat Castr. His ductus Stephanus Rodericus à Castro in opere de meteoris microcosmi, & alijs in principio propositis, sudorem quid præter naturam esse cum Diocle autumauit.

At quamquam huic viro multum deferā, rationes tamen adductæ tanti apud me non sunt, vt censeam propterea, communem sententiam esse deserendam: nam quantum spectat ad primam; vel est simpliciter eius assumptum falsum; siquidē bilis, & per sedem fœcibus admixta expurgatur, & per vrinam: aut verum tantum est de excremento, quod in varijs corporis partibus nō continetur: quam ob rem, quia naturaliter solet pituita aggregari, nunc in stomacho, nunc in cerebro: vacuabitur eadem naturaliter, nedū vomitu à ventriculo, sed per os, & nares à cerebro. Erit itaque sic limitanda propositio illa. Numquam natura purgationi vnius excrementi in vna parte contenti, duo loca dicauit: vbi obsedit naturaliter idem varias partes corporis, poterit idem naturaliter per loca varia extrudi. ergo cum serosa substantia partim trahatur à renibus, partim relinquatur in venis, naturaliter eadem, & per habitum corporis promptè vacuabitur, & per vesicam. Idem de menstruo sanguine cum affirmare non liceat, præter naturam menstruus sanguis per nares educetur: Cumque alius sanguis à menstruo per nares effunditur, vt cum multus in capite stagnat, quoniam assimilari non potuit, haud præter naturam per nares vacuabitur.

Et adductis rationibus respondetur.

Multo minus licebit de sudore hoc affirmare, quia numquam sudor proritatur, ni causa violenta calfaciens accedat, aut condensans: primum quia fit sudor non raro, natura aquosam substātiam deponente ad cutim, quamquam nulla externa causa calfaciens accedat, aut condensans. Secundo quia esto esset semper hoc necessarium, non sequitur propterea esse præter naturam, ni velit idem fateri, purgationem omnem opepharmaci factam, esse praeter naturam, quod absurdum. Non est tertio dicendum, vacuationem quamcumque factam à causa præter naturam, esse in vniuersum præter naturam: sed tunc id admittendum, cum tanta est irritatio, vt intra limites sanitatis, nequaquam contineatur; nam in naturali fæcum, & vrinæ excretione, adhuc quædam irritatio concurrit, quia tamen exigua est, & intra limites sanitatis, vacuatio illa nequaquam præter naturam dicitur: cum irritatio illa multa est, inuehitque dolorem, vt in ardore vrinæ, tunc est præter naturam. huiusmodi esse, quę ad ciendum sudorem requiritur, cum nullo modo sit probatum, præter naturam esse sudorem fateri nequaquam cogimur.

Ex his patet ad rationem Dioclis, qui sudorem idcirco præter naturam esse opinabatur, quia fit à caloris naturalis languore, quod inde conectabat, quia eodem vigente, vt per hyemem, sudor nullus excitatur, proritatur multus æstate, quo tempore languet; esto enim daremus illi hæc omnia, quæ tamen danda non sunt, æstate enim sudamus, quia à calore æstiuo pori aperiuntur, humores funduntur: incrassantur hyeme ijdē, cutisque meatus constipantur: quod cōfirmatur insuper, quia vere cum vigeat calor, adhuc tamen sudamus. non concluderet propterea idem quod intendit; siquidem non quiuis languor caloris est præter naturam. sed vbi tantus est, vt actiones sensibiliter lædat, tantam verò non esse caloris imbecillitatem in sudantibus, inde apertè colligitur, quia optimè sani adhuc sudamus. *Examinatur dictum Dioclis.*

Hippocrat. locus maiorem facit difficultatem, & ideò diligenter est explicandus. An dicemus falsum esse aphorismū, nam semper sudor erumpit è cuti; nec tamen in cuti est continuo morbus? in dolore pariter colico, & ventriculi, manat è frōte, & clanculis sudor frigidus, cum tamen sit affectus in stomacho? Minime verò; nam sudor est excrementum aquosum: quoties itaque copiosius manat, aut concoctricis arguit languorem, aut retentricis: mitto causas externas; nam de hoc sudore non loquitur ibi Hippocrat. at hæ læsæ actiones morbum arguunt. *Et Hippocr.*

Quod verò eam partem malè esse affectam indicet, qua exsudat, probatur secundo, quia semper operatio læsa partis, læsam esse partem ostendit, aut per se, siue per consensum: vnde caput cum ob dolorem ventriculi dolet, compatitur illi: vbi ex alia parte erumpit sudor, subiectæ illi cuti particulæ laborāt. Quare benè ab Hippocr. scriptum est, & qua

& qua parte corporis sudor, ibi morbus: ideoque erit sudor illius partis symptoma, e qua prodit. Non est tamen propterea censendum idem de sudore beneficio artis proritato, alioquin nullam posset medicus vacuationem moliri; nam & quæcumque alia à morbo procedens symptoma est, & quid præter naturam. Vbi dicitur, non videri sudorem vacuationem naturalem, quia absq; aliquo incommodo retinetur, nec certis statutisque horis idem proritatur, dicimus quantum spectat ad primam, falso tamquam compertum assumi, nullum inferre detrimentum materiam sudoris retentam; quomodo enim si excrementum est, vbi aggregetur, non erit oneri corpori? non inferet noxam, si prauam comparet mora qualitatem? aut quorsum commendaretur tantoperè exercitium, ni prouocatio sudoris esset vtilis, retentio incommoda? quod si non statim retenta sudoris materia, morbi varij emicant, noxæ, functionum læsiones, scias multa esse in causa posse huius euentus: ac primò nulla noxa continget, quoniam non multum est quod retinetur. Quamobrem, vt semen pauca copia cohibitum, actiones nō lædit; lædit contra si multum congeratur, corrumpatur, aut aliquam prauam habeat qualitatem adiunctam: haud secus cohibita sudoris materia non statim, & continuo lædit corpus, quia exigua est, nec prauam aliquam habet qualitatem, fit idem secundo, quia fortasse nequaquā retinetur, sed vel per vrinas expurgatur, vel insensibiliter per cutim perspirat: ad loca vrinarum hyeme remeat, adstrictis ab ambientis frigiditate meatibus: vacuatur per cutim æstate, patefactis vi caloris ijsdem.

Retenta sudoris materia an noceat, & quando.

Quod pertinet ad aliud. Certè si esset illa ratio efficax, concluderet pariter, vacuationem pituitæ per nares, aut vomitum esse præter naturam: nam certis horis nequaquam vacuatur. Præterea sunt qui certa hora sudant, & præfinita, vt obseruamus passim in quibusdam febribus; quare non est hanc ob causam negādum sudorem esse naturalem vacuationem.

Secundum principale argumentum id tantum probat, non esse sudores vtiles morbis abigendis, ni repetant; nam idcireo ab Hippocr. est scriptum sudores boni, si incœperint tertia die, quinta, apertè innuens non esse hanc vacuationem ex vsu, & commodam, ni redeat: ideoque aduerterunt, & rectè interpres omnes illius aphorismi, febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente malum, non esse malum, si facto sudore, mox febris non deficiat: nam non potest tam imminuta, & exigua vacuatio febrem terminare; sed si à sudore, nec tollatur febris, neque imminuatur, hoc malum esse docent, quia indicium est, à multo humore febrem dependere: multum autem humorem, non potest breui euincere natura. Quod verò sudores cum repetunt, potis sunt redundantiam humorum exhaurire, si quis neget, cogitet idem, qua copia aqua ex herbis destillatione extrahatur; nam mox dabit nobis, posse sudorificis colluuiem humorum vacuari, vt propterea censeam verum esse, quod habet Valles. 10. contr. 11. non minus iudicari morbos sudore, quam deiectione.

Tertia ratio petit, vt dicamus, quibus nam morbis sudor sit ex vsu; Propterea hoc agamus; quoniam verò id assequi nō poterimus ignorata natura sudoris, & eiusdem viribus, hæc præmittemus.

Quid sudor, & quibus morbis conueniat. Cap. VII.

Est sudor in vniuersum, excrementum aquosum per cutis meatus expulsum: naturalis vero est excrementum aquosum sanguini deuehendo per venas à natura transmissum, ac demum ex venis per cutis meatus expulsum. Generatur hic bifariam: interdum fit, aquosa substantia per cutis meatus extrusa: fit alias vaporibus delatis ad cutim, ibique à frigiditate concretis in aquam, & per cutim expulsa, quidquid dixerit Mercur. fieri interdum hoc modo sudorem, constat primum, quia partes supernæ potissimum sudant: quia æstuantes à potu statim sudant, aqua mox in halitum soluta, & denuo, vbi ad cutim peruenit, in aquā concreta; nam quamquam exiccatæ partes instar spongiæ, ad sese alliciant, vt tā breui illud fiat, vix possum induci, vt credam. Multo minus admitti debet. Mercur. qui l. 3. de excrem. c. 1. dixit fieri mox ab epota aqua sudorem, quia calor repulsus ab aqua frigida, & humida ad partes externas, deferr vna secum ad cutis meatus, per quos tentat fugam, humores aquosos; non enim potest calor repelli: spiritus quamquam possint solent tamen à cibo accurrere potius ad ventriculū. Demum si ab hac causa subitus ille sudor, sudaremus pariter ab aqua epota per hyemem, quod falsum. Prœstat itaque dicere, quod fit sudor aquoso excremento per cutim educto, vel ibidem à concretis vaporibus genito, vel aliunde ad cutim transmisso: cumque cibi, & potus, humores, partes nostri corporis aquosam substantiam habeant, fit sudor à multo cibo potuuè, ab humorum copia, & partibus in aquam à calore liquatis. Ab hac causa fieri plerumque sudorem, docent sudores frigidi diaphoretici: fieri eumdem à medicamento, cibo, potu humoribus, colligitur expressè ex aphor. illo 41. sudor multus in somno factus ci-

Sudor quid.

Fit à quibus causis.

Reijciuntur, qui dicunt trahi aquam à partibus siccatis.

Et Mercur.

Corollarium.

tra causam, hoc est immodicam cutis laxitatem, aut ambientis calorem: corpus multo vti alimento significat: quod si nõ assumenti, hoc accidat, vacuatione est opus; nam ab humorum copia, & redundantia indicatur vacuatio: varia tamen illa instituenda est, pro varia humoris redundantis natura, nam quod quiuis sudore vacuari possit, constat primum, quia quiuis habet ichorem proprium: vacuatur quiuis per vrinam: cur non sudore? inficiunt sudores varijs coloribus camisias, iuuantque febres omnes. Quare cum à varijs excitentur succis, nullus humor est, qui sudore vacuari nõ possit: ij tamen facilè, qui in habitu corporis, nam externas partes proxime sudor vacuat, dein interiores inanit: quod dictum de eo volo sudore qui à calore ambientis excitatur, qui fit ab assumptis, aut à natura ad cutim deponête humores, hic magis internas partes, quam in habitu corporis positas inanit. Demum cum hæc ichorosa substantia non tantum contineatur in venis, sed, & in arterijs, & venarum, & arteriarum, seu ichore, seu sanguine attenuato, contingit sudorem fieri: vnde redditur ratio, cur sudores circa clauiculam minentur syncopem, eoque sint pessimi: ratio est quia fiunt corde patiente, & per carotides humorem, copiã tamen exiguum, deponente. Corde autem siue æstuante, seu ita conflictato, vt nonnisi tantillum humoris expellere potuerit, Quis ita stolidus erit, qui non timeat?

Sudores circa clauiculã, cur mali.

Ex his facile est intelligere, sudorem conuenire in affectibus omnibus, qui ab ichore fiunt, aut humoribus, qui in vapores facile solui possunt, quamquam actu sint crassi, præsertim si in habitu corporis illi stagnent, aut natura ad ipsum, seu tentet deponere, siue soleat. Propterea exhibent medici sudorifica in contumaci vrinæ suppressione, renum vitio concitata, in cachexia, hydropisi, in fluxu muliebri, in humidis frigidisque affectibus cerebri, vt destillatione, & in affectibus omnibus, qui ab ipsa: laudant eadem in lue, quia solet natura, luis excrementa, ad extimas partes corporis deponere, quæ vt sudore facile vacuantur: sic difficillimè tam difflis partibus, præsertim contranitente natura, trahentur ad aluum. laudant demum in affectibus omnibus, qui à pituita, vt paralysi, conuulsione, epilepsia: nam facile in vapores soluitur: non exhibent illa in apoplexia, quoniam tam præceps affectus, valentiora exposcit præsidia, vt quæ citam opem possint afferre. Contra humor melancholicus, quia non ita prompte euaporat: & à calidis siccisque remedijs, qualia sunt, vt plurimum sudorifica, in atram bilim facile degenerat, sudorifica non amant affectus à melancholico humore excitati: quod non aduertentes quidam medici, epilepticos ab hac causa, & hypocondriacos in graue discrimẽ importuno vsu sudoris deduxerunt. habes lector quibus nam affectibus sudores conueniant: nunc quando, & quibus hoc procurandum, explicare tentabimus.

Corollarium.

Quando, & quibus sudor prouocandus. Cap. VIII.

DAt priori difficultati occasionem Frizimelica, qui voluit teste Massar. tract. de morbo Gallico, æstate sudorifica conuenire, hyeme numquam. Ita autem sensit, quia æstate habemus naturam adminiculantem, & mouentem ad cutim, non hyeme, æstate præterea patent meatus cutis, & sunt adaperti, humores liquati fusi: hyeme contra est cutis adstricta, humores addensati. Laudant contra omnes alij medici, vt autumno hoc fiat, alij vere, Hip. vt puto oraculo moti, qui 6. aphor. iussit, vt quos vacuare necessum est, seu venæ sectione, siue purgatione, autumno vacuemus, aut vere, nam tunc temporis vigent facultates, & humores vacuationi, seu fide pharmaco attrahente, seu natura pellente, nequaquã reluctantur, aut contranituntur.

Commendat Fricam sudores æstate.

Vere alij, & autumno.

At possunt hi facile conciliari, possunt enim in vere, & autumno adhuc tria alia tempora considerari principium nempe, medium, & finis: quo posito dicimus cõuenire quidem huiusmodi vacuationes, autumno, & vere, sed sub veris finem, initio vero autumni: veris autem finis, & initium autumni sapiunt naturam æstatis: ex aduerso quia veris initium, & finis autumni sapiunt naturam hyemis, neque veris initio sudandum, nec sub finem autumni.

Conciliatur.

Est autem hoc præcipue seruandum, ab ijs, qui sudaturi Puteolos se conferunt, aut sudarorium Sancti Germani, nã cum acri à sudore exponantur, vt domũ se conferant, periclitantur facile, si ambienti frigido post sudorem se exponãt. Non possum itaque non reprehendere eos medicos, qui frigente adhuc aere, ad sudandum, ægros ad Laconica mittunt: nec miror in peius ruere eosdem: debilitatur enim natura ob magnam violentiam, quam infert ipsis vt sudorem proliciant, causam morbi non demoliuntur: & quamuis quoquo pacto imminuant, offendunt tamen magis mutatione illa repente facta à calore ad frigus, & ab aere frigido ad calentem, atque hæc de tempore vniuersali: cœtera quæ ad tempus particulare spectãt, communia sunt alijs vacuationibus. Quare erit superuacaneum eadem recensere, id eoque ad secundam progredior.

Reprehenduntur alij.

Sudor proritatur bifariam.

Potest sudor proritari bifariam mouendo aquam intus assumptis ad cutim, & attrahendo eamdem: hæc duplicia teste Celso 2. suæ medic. cap. 17 calida, sicca, calida humida Prioris generis medicamenta recensentur multa, ac primũ valent prouocare sudores laconici, & clybanus, calidæ, & feruentes arenæ, aceruus milij, tritici, sacculi ex cinere, aut milio torrefacto confecti, feruentes, & calidi lateres, insolatio, exercitationes multiplices, cursus, lucta, saltatio, fossio, ludus follium, paruæ, & magnæ pilæ, suffumigia arte parata, naturalia qualia suggerit sulphataria Puteolis. Secundi generis sunt vapores calidi cum ædificio conclusi sicut super Baias in myrtetis habemus, in Aenaria Insula, est enim ibi sudatorium vocatum testaccio, & prope Neapolim: sunt vasa figulina aqua calida plena, vesicæ aut vasa ex pelli confecta, sunt balnea nedum naturalia, sed & arte confecta, seu constent illa ex vino, oleo, seu variarum herbarum decocto. Cum itaque possit tot, & tam varijs præsidiorum generibus sudor prouocari, videndum quando hoc, & quando altero præstat vti, ne in materia præsidiorum erretur.

Qui modus eligibilior.

Quantum ad primum, cum non tantũ est indicatio vacuandi, sed tollendi intemperiem aliquam, aut præparandi humorem, quo promptius exsudetur: tunc temporis præstat aliquod exhibere decoctum huiusmodi facultatibus insignitum. At ubi paratus humor est, & intemperies solo sudore possunt aboleri; tunc satis erunt externa sudorifica. Cœterum quia raro occurrit tanta in humore aptitudo, nulla ut propterea indigeat præparatione, idcirco tum ob hanc causam, cum quo curetur citius affectus, solent medici utraque sudorifica admouere, externa, & interna. Sed cum externa possint esse calida humida, nec non calida, sicca, scias hæc vsurpanda perpetuo, ni corpus sit calidius sua natura, & siccius: humida aptiora, cum veremur, ne corpus calidum sua natura siccumque, calidorum vsu, & siccorum, plus iusto incalescat, siccetur, & contabescat: cum vero sint vtraque multiplicia, examinare vlterius oportet, quæ cuique conueniant exordio facto à validis exercitationibus, clibano, arena, milij, triticiue aceruo, nec non fimi.

Illæ oportunæ sunt, cum corpus est validum, nam nobis magis familiares; quocirca multos vidimus solis exercitationibus vindicatos à lue, conualuisse alios ab hydropis; eorumdem beneficio, & abstinentia à potu, cum alia remedia frustra essent experti. Cum corpus exerceri nullatenus potest, tunc ad alia præsidia confugere oportet: ad quæ vero, disces facile, si noueris facultates cuiusque, propterea hoc præmittere oportet. Clybanus instrumentum quoddam est placentis, & id genus cibis coquendis dicatum: figura testudineus; ac propterea furno tum vsu, cum figura simillimus: vsu quidem nam vt clybanus seruit coquendis placentis, & alijs huiusmodi dapibus, sic pani coquendo furnus est vsui nobis, & veluti furnus est concameratum quoddam opus, & obscurum, cui quia similes fornices, in quibus meretrices antiquitus viuebant, propterea dictæ sunt meretrices fornicariæ mulieres: sic clybanus instrumentum est ad formam testudinis confictum: qua figura, quia constructa erant arma, quibus milites quidam pugnaturi muniebuntur, factum propterea est, vt hi milites clibanarij sint dicti, quoniam more testudinis arcuatis armis, quę clybani forma est, vtebantur. Differt autem à clybano furnus, quia hic maior est, & immobilis, minor clybanus, & quocumque est vsui, ferri potest: vnde, & materia pariter sunt diuersi, nam furnus ex cœmento, & calce constat: metallo clybanus, aut testa, seu opere figulino. Dictus est idem laconicus à Laconicis, seu Lacedemonijs, vt Diõ affirmat, inuentoribus: nam nudi vnctique ante alios in hisce exercebantur: vnde Columella *quotidianam cruditatem laconicis coquunt, & exucto sudore sitim quærunt luxuriosorum delicias: mox inquit, vt aptè ad ganeas veniant.*

Quid clybanus.

Furno similis.

Cur dictus Laconicus.

Sub hoc genere continentur testudinei fornices feruidi ob ignem extra admotum, qui vulgo stufe secche dicuntur, & instrumentum illud ad formam hemicicli, ex quatuor lignis figura rotunda, longitudine septem palmorum, & tribus semicirculis constructum, parte ima tabulatum ad continendam testam igne plenam, vt calfacto corpore hoc instrumento concluso, sudor copiosus proliciatur. His instrumentis procurandum, vt sudet æger, nam hęc in promptu, siquidem, & facile domi apparari possunt, & publica habentur: his similia sunt sacculi pleni cinere, milio, huius aceruus, tritici, & quem nonnulli sunt multoties experti profuisse multum debellandis doloribus arctuum, fimi aceruus.

De sudatorijs nalibus.

Vbi hæc non profuerint, aut morbum extinxerint, etsi ex parte remiserint, & infregerint, tunc ad naturalia sudatoria dicta recurrendum, debentur enim extremis morbis, extrema remedia efficacia magis. Quare vbi cœtera non profuerint, ad hæc confugere oportet. Esse hæc remedia efficacia magis, & ad morbos contumaces expugnandos valentiora, constat primum, quia medici detinent ægros per 40. dies, & 60. in laconicis, cosque perpetuo nutriunt sicco victu, & de-

tinent in aere calido: vbi eosdem, aut ad Puteolos mittunt, Agnanum, aut Ænariam insulam, ad summum permittunt, vt nouem diebus exsudent, idque ea cautione, vt à sudore vngant rebus refrigerantibus hepar renes, vtantur victu aliquantulum humido bibant frigidum, & quod mireris magis, vt bibant, a sudore. nempe experientia didicere, esse hęc præsidia ad sudandum excogitata, & debellandam humidam intemperiem efficacia magis, & valentiora. Valent enim non solum formali calore, quem habent insignem feruidi illi halitus ex aqua feruente, & bullieate elati, sed multo magis virtuali; hærent enim vapores illi partibus intimis infixi, & temporis progressu mirum in modum exiccant: vnde non sunt spernendi ij medici, qui quamuis, in præsens ęgri non sint ab his remedijs adiuti, non despondent propterea animum, ipsemque omnem deponunt, sed adhuc sperát progressu temporis ægrum conualiturum esse.

Secunda ratio qua inducor, vt dicam esse hæc naturalia remedia postremo loco vsurpanda est, quia curatio tuta esse debet, & iucunda. at hęc remedia preter discrimen, illud quod habent adnexum, afferunt secum & alia quamplurima incommoda; cum enim distent ab vrbe, laborant multum ægri eundo, redundoque: noctu coguntur surgere, & ea hora, qua per sanitatem dormire consueuerant: affert autem mutata consuetudo detrimenti non parum.

Quid si velint, quod communiter facere hodie videmus, eadem die sudatorium adire myrteti, sub vesperum vero sulphatariam? multo magis consuetudinem mutant, & geminatum subeunt laborem, quo possint vtrumque præstare: nocte, aut valde mane surgunt ad sudandum: comedunt tempestiuè, ne dilatato prandio, & coctione hac non absoluta, sulphatariam adire non possint: coguntur postea parum cœnare, & statim, vt albescent Cœlo, possint ad sudandum surgere. At vero tanta rerum non naturalium mutatio non potest, non insignem noxam inferre naturæ. Quare vbi summa non vrgeat necessitas, abstinendum ab hisce remedijs, 2. de rat. vict. 46. *via ad solium breuis sit, ingressumque, & egressum facilem habeat*. dat rationem in commen. Gal. quia vult ægrorum prorsus sine labore seruari, laborat hic multum.

Quare abstinendum si fieri potest. Quando alia admota non profuerint, præstabit tunc temporis ad illa confugere. Ne tamen tanto cum incommodo assumantur, numquam me auctore eadem die sudabunt, & sulphatariam adibunt; sed si vtrumque remedium indicetur, præstabit primum sudare, mox sulphatariam petere.

Cœterum quia hæc remedia ad sudandum habentur Puteolis, in Ænaria insula, agnani, idemque fieri potest auxilio arenæ: quando erit Puteolanum sudatorium ex vsu, quando sudatorium Sancti Germani est commodius? intelligemus hoc statim, si primum declaremus quam partem, & quomodo vacuet vtrumque sudatorium, propterea hinc ordiemur, scias itaque sudatorium myrteti, quod habetur Puteolis, à capite potissimum, & parte quaque superna, sudorem elicere: ex vniuerso corpore sudatorium Agnani, seu Sancti Germani, si tamen vniuersum corpus in foueam immittat, nam si vnicam infereret partem, hanc inaniret, siccaret: ex vniuerso corpore nihil contemplatione dignum vacuaret: ratio discriminis est, quia vtrumque sudatorium vaporum auxilio prouocat sudorem, hi enim impetentes in corpus, & in parte quaque ipsius sese insinuantes, meatus aperiunt, humores liquant, fundunt, attenuant, & ad cutim deducunt. Nunc verò in longa illa crypta, quæ Puteolis habetur, non possumus cousque intro progredi, vt balneum attingamus, corpusque assurgentibus inde halitibus obiectare: incalescet itaque corpus ab halitibus repercussis à parte cryptæ superna, & quoquo pacto resilientibus. Quamobrem, cum non possint ad partes vsque imas resilire; hinc fit, vt pars cryptæ inferna frigeat, superna caleat: vnde est consequenter, quod volentes multum ibi sudare, alta sede locati, & fastigia fere cryptæ attingentes per horæ quadrantē ibi detinentur: non valentes alij tantum pati calorem, aut non indicato remedio vsque adeo valido, non solum non se erigunt, sed deprimunt se, & frigidiusculo aere inspirato, aliquantis per recreantur. Contra in sudatorio agnani exigua fouea habetur duorum capax aut trium; sudare itaque volentes, descendant necesse est, non adscendere, quod faciunt, qui Puteolos ad sudandum conueniunt. Itaque ibi statim occurrimus feruentibus halitibus à balneo elatis, Puteolis nequaquam. Proinde fit, vt Puteolis capite sudemus potissimum, vniuerso corpore Agnani, si vniuersum corpus obijciamus.

Quando sudatorio Agnani utendum, quando alijs.

Vbi itaque vniuersum corpus vacuare est operæ pretium, ad sudatorium Sancti Germani relegandi sunt ægri: vbi contra vacuandi capitis tantum est indicatio, ad sudatorium myrteti dictum, transmittantur: ergo cum in cachexia, hydropisi, fluxu menstruorum alborum, doloribus arctuum vniuersum corpus vacuare sit opus, ad hanc agnani foueam mittantur: contra in capitis destillatione, & morbis eius consensione excitatis, Puteolanum sudatorium, aut illud, quod ha-

habetur in aenaria Insula commendatur. Arenae ex vsu erunt, cum roborandae partis erit indicatio aliqua, & exiccandi validius, vt enim qualitates primae, sic, & istę emicant in densiori subiecto, & operantur validius, haec de materia proposita, nunc reliquum est vlterius progredi, vt hanc disputationem absoluamus.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Vigesimus Secundus.
DE RECTA RATIONE VACVANDI per vomitum.



Dicendorum ratio, & ordo. Cap. I.



VT id modo faciamus cogit ratio propositi ordinis; nam dictum de deiectorijs pharmacis, diureticis, sudorificis: quare est consonum, vt de ijs, quae per os vacuant, initiatur modo disputatio: cumque inter ea, quae hac parte vacuant, vomitiua praecipuū locum habeant, de his primum dicemus, mox de ijs, quae per sputum euacuant tractaturi: Vt vero disputationis huius ratio constet, dicemus primum quid vomitus: An sit quandoque ex vsu curandis morbis, est enim de re hac aliqualis dubitatio: demum vbi vtilem esse, & proficuum constiterit, de recta illius administratioue tractabimus.

Quid vomitus. Cap. II.

Refertur Fuchsij opinio. QVantum spectat ad primum diffinit hoc modo vomitum Fuchsius 3. instit. sect. 5. c. 25. *est vomitus vacuatio per superiora, eorum quae in ventriculo continentur illumque molestant, & grauant.* Sed non Reijcitur. aptè me iudice, nam vbi vermes à stomacho per oesophagum ad os assurgunt, vacuatur per os aliquid eorum, quae in vētriculo erant, & ipsum molestabant, & tamen hunc exitum vermium nullus vomitum vocat.

Neque vomitus est, vbi flatu per os à ventriculo erumpente fit ructus, aut pituita, seu aquosa quaeuis substantia sensim à ventriculo ad os elata expuitur, meretur modo aliquo vomitio dici. Quare falsa diffinitio, quando alijs multis à re diffinita potest conuenire.

Propterea neque Auic. aut Fernelij admittenda diffinitio est. Non illa Auic. quae habetur 13.3. tract. 5. cap. 1. hoc modo. *vomitus, & subuersio sunt motus stomachi ad expellendum ex eo aliquid, quod est in eo per viam oris.* nam patitur easdem fere difficultates quas Fuchsius. Reijciuntur quoque Auic. & Fern.

Nec illas vitauit Fern. qui 3. met. c. 3. vomitum esse voluit reiectionem cum impetu ventriculi sursum factam, nam in ructu reijcit cum impetu stomachus flatum sursum, nec dicet propterea quispiam ructum esse vomitum.

Addendum itaque censeo id, quod reijcitur, & finem huius expulsionis, nam ita assignabitur per omnes quatuor causas diffinitio, vnde erit sufficiens. Dicerem itaque est vomitus vacuatio sensibilis cū impetu à ventriculo per os facta, vt liberetur ab eo, quod est sibi molestum. Auctoris opinio.

Per illam particulam vacuatio differt à nausea, in qua tentat ventriculus aliquid vacuare, sed frustra, vnde vocatur nausea à quibusdam manis vomitus. Per ly sensibilis differt à singultu & ructu, nam in vomitu minera vacuatur, non vapor. Per ly ventriculo differt hęc vacuatio à tussi, per quam reijcit aliquid à thoracis cauitate facultas, & cum impetu: Per ly cum impetu differt ab expultione vltima particula tangitur finalis causa, nulla itaque particula ociosa est: nulla desideratur, cum per quatuor causas (tot autem sunt non plures) sit assignata. Quare amplexanda.

Ad-

Admittendus ne vomitus.
Cap. III.

Dubitandi ratio est, quia est symptoma

QVantum ad secundum, non videtur vomitus admittendus, quia est symptoma, & quid præter naturam. At nūquam debet medicus, quæ sunt præter naturam inducere, sed continuò illa demoliri, & auferre.

Quia infra vergit humoris natura.

Videtur secundo idem reijciendus, quia ea parte vacuandum, quo vergit natura humoris, vt docet 4. aphor. 4. vbi concludebat, idcirco æstate vomendum, contra hyeme deijciendum, quia æstate abundat bilis, quæ sua leuitate sursum repit, pituita hyeme, quæ fertur deorsū. Nunc omnis humor grauis est, & deorsum inclinat. Quare nullus erit per partem supernam vacuandus.

Quia periculosus.

Tertiò vacuatio, & quoduis aliud remedium debet esse iucundum, & tutum. Non habet huiusmodi conditiones vomitio; nam deducens humores per os supernum ventriculi, quod est sensu exquisitissimo præditum, refrigerationes inducit, pulsus priuationes, & mille alia symptomata grauia. Quare numquam tentanda.

Confirmatur, nam os supernum ventriculi ad appetendum est factum, attrahendum: intestina, vt excipiant excrementa. Quare per hæc vacuandum, non per partem supernam.

Admittitur tamen.

Adhæremus nihilotamen minus parti, quæ affirmat. Probatur primum communi medicorum omnium sensu. suadetur secundo ratione; nam natura rectè operans curat vomitu multas affectiones, nedum in homine, sed in Brutis etiam. Quare cum debeat medicus naturam, rectè operantem imitari, debet quādoq; medicus vacuare per vomitum.

Et adducta soluuntur.

Ad opposita dicimus ad primum, non esse vomitum in vniuersum sumptum symptoma, & quid præter naturam; non enim est symptoma ratione rei, quam vacuat; nam vacuat noxia quandoque, vnde confert: Nec ratione causæ irritantis, nam potest causa illa irritans quādoque in latitudine sanitatis contineri, quemadmodum acrimonia vrinæ, fęcum, fames, sitisque. Non ratione quantitatis; potest enim esse moderata: nec demū est, cur vomitio continuo symptoma putetur, ac si fieret, per regionem incongruam, & ineptam; nam secus docet Gal. 1. aph. 21. medici omnes, & passim experientia confirmat.

Neque aliter putandum, quia Galen. quandoque vacuationem per vomitum præter naturam esse dixit, vt meth. 11. & 11. meth. cap. 9. præter naturam enim vacuationem hanc dixit, quia nō est adeo consueta, & familiaris, vt deiectio. Itaq; vt æstiuæ pluuiæ esse præter naturam dicuntur, naturales hyemales, quia hoc tempore solent frequentissimè fieri, raro æstate: sic vomitum præter naturam esse dixit. Gal. vt rectè Valles. 5. controu. c. 2. Id in mentem Gal. venisse, vbi vomitū præter naturam esse dixit, licet inde colligere, quia exponens locum illum Hip. 6. aphor. 51. *longo alui pro fluuio laborantes spontaneus vomitus superueniens morbum soluit, exemplum* inquit *est eorum, quæ rectè fiunt à natura, quod medicum imitari oportet.*

Ad secuodum dicimus naturæ propensionem attendēdam esse vacuare volentibus, non humoris; siquidem semper humor præsertim melancholicus deorsum suo impetu fertur, & tamen humorem melācholicum multoties vacuamus per vomitum, vt latius infra.

Ad vltimum non negamus, inferre aliqua incommoda vomitionem: fatemur, agnoscimus: nihilominus contendimus esse interdum vomendum, quia maior est vtilitas, quæ ex rei noxiæ vacuatione habetur, quam detrimentum, quod inferunt, quæ comitantur vomitum symptomata. Non sunt itaque vomitoria reijcienda: admitti illa debent, raro tamen, deiectoria frequenter. Holler. 4 aph. 4. Sed admittendus raró, *Sed reuera in his regionibus pituitosioribus, nec ita vomitui assuetis, siue quid fluitet in ventriculo, siue non, siue sit bilis, siue pituita sola, siue pituita bili admixta, tutius est, & commodius purgare per inferiora, quam contra. Hippocr. habet rationem locorum, vbi medicinam faciebat; siquidem in Coo eius patria, regione calidissima, quam incolebant homines biliosi vomitionibus assueti, si medicinam faceres, posses liberius, & minore cum periculo purgare, cum in vniuersali, cum in particulari purgatione: & veteres illi, vt lauabantur quotidie, ita & vomebant: postea consuetudo quotidiana est repressa, & vomebant bis tantum in mense. Demum exortus est Aschlepiades, qui vt multa alia medicorum placita substulit, ita omnibus vomendi consuetudinem ademit.* & Roderic. Veg. lib. art. medic. cap. 94. in fine, *illud non temere huic loco adijcietur, multo oportere nostram ætatem, quam illam Hippocrat. vomitorijs tamquam suspectis abstinere, ob varias, nec contemnendas causas, quarum Mesues nonnullas recenset; humores enim innata grauitate descendunt ad intestina faciiius, quam ad ventriculum conscendant: suntque multo plures latioresque meseraicæ venæ à Porta ad intestina, quam ad ventriculum delatæ: cum intestina natura ipsa excrementorum susceptioni parauit. cumque sint membra ventriculo ignobiliora, incolumius eo deferentur noxia. Adde quod breuior via est à corporis mole per meseraica vasa ad intestina, quam ad ventriculum: tractus verò humor, cum medicamenti vi extra pelli non possit, sed recipientis membri tanto maiore facilitate*

utilitate ab intestinis excernetur, quam à ventriculo, quanto maiore commoditate intestina in excernendo præstant, ob duplicem qua pollent excretoriam utraque membrana. Illa vero ratio, vel validissima est, quod etiam Hippocrat. ipso auctore robustiorem naturam requirit vomitio deiectione: inquit enim purgandos esse debiles, robustos supra, sed & Galenus afflictationes vomituum: quare consulit commutari in deiectoria: nobis tanto quam Galen. tempore infirmioribus merito cauenda sunt, nec nisi cautissime aggredienda, relinquendoque agyrtis, & circulatoribus, illa cum multorum interitu temere consulentium.

Quibus nam affectibus conueniat vomitus. Cap. IV.

DAT huic difficultati occasionem præcedentis decisio; cum enim statutum sit, non esse vomitum ab auxilijs medicis excludendum, est consequens discutere, quibus nam morbis cóueniat: quibus languentibus vsui esse possit, quãdo, & quibus medicamentis prorítandus.

Conuenit affectibus ventriculo proprijs. Quantum ad primum. Conuenit vomitus, in affectibus omnibus, qui partem supernam ventriculi obsedere, & à materia pendent: his inquam, nam immaterialibus nulla vacuatio debetur. Nec his tantum affectibus vomitio conducit, sed, & alijs omnibus, qui sunt ob consensum ventriculi. Itaque cum magnam habeat stomachus consensionem cum capite, & oculis, conueniet vomitus in nausea, vomitu, inappetentia, dolore ventriculi, ebrietate, sacietate, dolore capitis, vertigine suffusione: cum hac tamen distinctione, quod in prioribus affectionibus stomachi, semper conuenit vomitus: in alijs, quæ fiunt patiente capite, tunc est tantum ex vsu, cum ex consensu ventriculi dependent: vbi contra, per propriã, vt aiunt essentiam patiente fiunt, cauendus est tũc temporis uomitus, ni tamen, quod plerumque contingit, patienti per essentiam capiti, compatiatur uentriculus, eamque ob causam prauos succos gignat, aut è capite excipiat, quod in causa est, cur hemicranicis, & diuturno capitis dolore uexatis, fit uomitus utilis, & proficuus. Sunt hæc omnia clara, ad maiorem tamen intelligentiam, placet singulas decisionis particulas comprobare. Ac primum, quod materiales uentriculi affectiones desiderent uomitum, inde apertè deducitur, quia quiuis humor per congruam debet regionem educi: at uerò pars superna uentriculi commodissimè vomitu expurgatur, vt passim docuit Gal. 1. aph. 21. lib. art. med. c. 99. & medici omnes. quare, &c.

In alijs etiam proficuis. Quod verò idem conducat in quouis alio affectu facto ex consensu ventriculi, facilè admittet quisque, qui methodum curandi affectiones ex consensu non ignorat. finge dolere caput mulieri ob retenta menstrua, aut restrictas hemorroides, nullus est, qui statim non censeat menses esse euocãdos, hemorroides aperiendas. Ergo à pari, si qui capitis affectus gignantur ex consensu ventriculi, hic vacuandus, cum nulla sit materia, quę capiti inhæreat. At hic commode vomitu inanitur. Vomendum itaquè non tantum in affectibus, qui fiunt parte superna ventriculi patiente, sed in ijs etiã, qui ob consensum ventriculi progignũtur. hinc 4. aphor. 7. *si cui in febre fastidium, & morsus oris ventriculi, & vertigo sit, & os amarum, purgatione per superiora indigere significat*. Contra vbi ijdem capite male affecto fiunt, nequaquam vomere expedit: primum quia non vacuatur caput malè affectum. Secundo quia humor è stomacho ad caput traducitur; nam videmus in vomitu inflari venas temporum, & partes quascumq; faciei. Conducit tertio idem quatenus reuellendi vim habet alui fluxui, quicumque fit ille, doloribus artuum ab humorum affluxu concitatis, & doloribus renum multifariam: Iuuat primum vacuando, siquidem inanitus ventriculus, non premit renes, neque impedit quominus possint distendi, & dilatari. Iuuat secundo, quia ventriculo vacuato possumus vti diureticis, quæ eodem repleto non conueniunt, ne maior fiat affluxus ad renes, & augeatur infarctus. Iuuat tertio concutiendo, non secus ac motus, vt propterea laudandi sint medici, qui in huiusmodi affectibus vomitu frequenter vtuntur. Ob eãdem causam laudatur ad extirpandas contumaces, & inueteratas affectiones; nam vt sæpissime vidimus, quæ purgatio delere non potuit, extirpat vomitio: & excrementa, quæ difficulter ad aluum trahuntur, prompte in ventriculum remeant.

Conducit patientib. intestinis ad reuellendum, & renibus.

Et in contumaci quaque affectione.

Obiect. Obijcies. *Dolores, qui sunt supra præcordia, quicumque egent purgatione, medicari oportere per superiora significant: quicumque autem infra subsistunt, per inferiora.* 4. aph. 18. Nunc verò est ventriculus infra præcordia. Quare deiectorio pharmaco expurgandus, non vomitione.

Secundo habet vomitus vim replendi caput: ineptè ergo imperatur idem in affectibus capitis ex consensu.

Tertio lienteria fit malè affecto ventriculo, & tamen monet 4. aph. 12. ne per superiora sic affectos purgemus. Non ergo cachochimia ventriculi, vomitu est expurganda.

Sol. Facessunt loca hæc Hippocr. non parum negotij, præsertim verò aphorismus primo loco propositus: nam quis vmquã vomitu expurgauit thoracem? aut quis laborante capite apoplexia, epilepsia, aut lethargo, vomitum commendauit? & ta-

men id facere expediret, si partes supra præcordia vomitu essent vacuādæ. Quis tertio partem supernam ventriculi vomitu non expurgat, aut non commendat eumdem in dolore colico,& nephritico, & tamen sunt hæ partes infra præcordia; in quibus deiectoria commendat.

Sed; quamquam, tanti esse ista ponderis Argent. censuerit, vt desperarit huius loci salutem; nam quæ excogitarunt alij ad illustrandas has tenebras, aut nullius momenti, aut exigui; puto tamen posse Hippoc. vindicari ab obiectis. Ne tamen quis suspicetur, me in gratiam ipsius ita opinari, aducetat idem, assignari dicto aphorismo rationem eius, quod præcedenti, statuerat: itaque cum aphor. 17. dixisset, *Si quis non febricitans, nihil appetat, sed cuncta fastidiat, ventriculi dolore conflictetur, labores vertigine, & os eidem amaricet, signum est purgatione per partes superiores facta indigere*, dat huius decreti sequenti aphorismo rationem, quia affectus omnes supra præcordia excitati, consensu tamen ventriculi, purgatione per superiora sanantur; hac enim commodè expurgatur ventriculus, à quo mali origo: excitati verò in partibus infra præcordia, vt in intestinis, lumbis, genubus, deiectione, vnde subdit aphor. 20. *non febricitantibus, si tormina acciderint, & genuū grauitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere significatur*.

Explicatur aph. 12. 4. lib.

Quod si instas habet vomitus vim replendi. Cur ergo illum imperas in affectibus capitis, esto fiant ex consensu ventriculi? Respondeo, quia maior est vtilitas, quæ ex vacuatione habetur, quā damnum, quod ex capite repleto potest inferri. Nempè nullum est remedium, vsq; adeo fœlix, vt omni ex parte iuuet: tunc itaque admoueri par est, cum magis iuuat, quam nocet; nam vt nullum habeat adiunctum incommodum, vix fieri potest. Quemadmodum itaque Galen. 1. aphor. 24. probat in febribus pharmaca, quia, etsi illa noceant calore, vacuatione tamen magis prosunt, haud aliter licebit vacuare per vomitum in affectibus capitis ex consensu ventriculi, quia magna est vtilitas, noxa aut nulla, aut certè quam minima.

Quod pertinet ad alium aphor. etsi sciam longe aliter exponi à Galeno, & alijs eius loci interpretibus; rationi tamen nixus, audeo, affirmare, hunc esse germanum, & verum eius loci sensum, quicumque lyenteria laborant, non quāuis anni parte, sed hyemali, aut ly hyeme cum primis verbis legatur non postea; mox facto puncto addas, in his expurgare supra, hoc est quod supra, nempe bilim, malum: ratio est, quia vbi hyeme in huiusmodi affectionem incurrimus, ob pituitam redundantem incurrimus; hæc enim parte ea anni viget. Quare hæc expurganda, non quod supra, hoc est bilis, nam si talia purgeutur, qualia purgari oportet, conferunt, & leuiter ferunt. Non docet itaque eo loco Hippoc. qua parte lyenterici debeant expurgari, sed quis as humor in eo affectu facto hyeme, sit vacuandus à medico, hoc docet, alioquin pugnaret, cū aph. 15. 6. l. habes in quarta partium affectibus conueniat vomitus, nunc quia humor fouens affectionem potest esse triplex, bilis, melancholia, & pituita, videre vlterius expedit, an quouis humore redundante in ventriculo, aut alia parte illi proxima, vomere expediat, an in cachochimia alicuius tantummodo: ac breuiter dicimus conuenire vomitum in quocumque affectu ventriculi, seu fiat à pituita, seu à bili quacumque. Ita omnes; nec in hoc lis aliqua, aut discordia; quando tamen promptius hoc remedio vtemur, vacuaturi ne pituitam, melancholiam, an bilim, in hoc non conuenit cum alijs mihi. Laudat Gal. & post ipsum omnes, vt bilim potissimum vomitu vacuemus; nam hæc vergit ob suam leuitatem supra: vacuandum autem, quo vergit natura.

Sitnè vomendum in quauis redundantia stomachi.

Sed quamquam ratione qua bilis minus grauis est, quam alij succi, possit prōptius per os supernum extrudi; quia tamen, multo magis formidanda est noxa, quæ ab acrimonia bilis potest inferri vētriculo, quam prosequenda vtilitas, quæ ex minori labore in eius expulsione suscipitur, propter hanc causam laudo magis vomitum in ijs affectionibus, quæ à bili nigra, & pituita ortum habent, minus in ijs, quæ à bili excitantur. Quid ad Hippoc. qui 4. aph. 4. oppositum videtur sentire, supra dixi lib. 18. Hinc infero, cum morbi à pituita, & humore melancholico sint diuturni, acuti à bili, in diuturnis potissimum morbis vsurpandum 4. 1. d. 5. c. 11. in acutis, aut nunquam, aut raro: vsurpandus verò, cum ad ventriculum irruunt, & in accessione: nam quamuis sint acres, & mordaces, quia tamen velociter per os ventriculi feruntur, nō adhærent ibidem, aut consistent, nullam poterunt noxam conspicuam inferre.

Qui vacuandi per vomitum, & quibus. Cap. V.

HÆC facere superest, vt absoluantur proposita. Ne itaque diminuta sit hæc disputatio, hæc præstabimus. Ergo quod spectat ad primum, ij debent vomitu vacuari, qui facilè vomunt: difficulter vomentes non sunt ad hoc remedium cogendi; non enim satis est remedium indicari, sed vt idem tolerent, necessariò requiritur. Ita Hippoc. 4. aph. 6. Gal. passim, Auic. 4. 1. & medici omnes. Videndum proinde quinam apti ad vomitum

Facilè vomentibus vomitus permittendus.

Propterea videamus, quinam facilè vomant.

mitum, qui inepti, ne hoc ignorato, in recta huius remedij administratione aberretur. Cum verò aptitudo maior minor habeatur ex varia temperie, corporis constitutione, seù habitu, ætate, & vitæ ratione varia, examinandum esset, quænam temperies facilius vacuationem hâc ferat, quæ constitutio corporis, ætas, sexus, demum, quæ ratio vitæ: sed cum facilè hæc consequamur, si primum cum Hipp. declaremus, qui habitus corporis ad vomendum prompti, & dispositi magis, eadem enim ratio est reliquorum, aggrediamur propterea aphor. illum exponere. *Graciles* inquit Hippoc. 4. aphor. 6. *& facilè vomentes, purgare superius, cauentes hyemem: vomentes verò difficulter, & modice carnosos per inferiora, cauentes æstatem*. Videtur hæc assertio satis clara, atque expedita, habet tamen vtraque difficultatis non parum, & obscuritatis: obscurus est inquam Hippocr. nam cum dicantur graciles, qui pingues non sunt, qui ossa habent exigua, biliosi, & calidi, cumque demum sint graciles melancholici frigidi, & sicci, non est admodum facile declarare, quinam graciles vomant facilè, ac propterea vomitu debeant expurgari, qui contra difficulter, & idcirco non debent ad vomitum cogi. Adde etiã quod Celsus scripsit lib. 1. cap. 3. sui operis inutilem esse vomitum gracilibus; & ventrem imbecillum habentibus. Nec videtur à Celso discrepare Hipp. scripsit n. 7. aph. 63. robustiores vires requiri in vomitu, deiectioni, minores sufficere, firmauitque idem Galenus 2. aph. 35. at vires adeo validæ, & robustę numquam repetiuntur in gracilibus, & extenuatis. Quare vel ex eodem Hippocrat. colligitur oppositam sententiam illi placuisse. Confirmatur vlterius, nam tabidis, qui graciles sunt, interdicit omninò vomitum, laudat deiectionem, *tabidos* inquit aphor. 8. 4. lib. *per inferiora cauentes superiora*: exponunt autem tabidorum nomine multi, ad tabem contrahendam dispositos, non actu tabe correptos; nam conflictatis hoc affectu nulla purgatio esse vsui potest. Dilucidanda propterea isthæc omnia, nam hinc clara reliquorum decisio.

Et explicatur

Quantum ad primum, etsi voluerit Gal. in illius aphor. com. & interpetres multi ipsum sequuti, graciles calidos siccos esse vomitu expurgandos, quia hi multam bilim congerunt, quæ commodè vomitu vacuatur: quia tamen nobis placet contraria sententia, quæ autumat pituitam commodius vomitu vacuari, non bilim, dicimus consequenter huic innixi principio, eos graciles esse ad vomitum aptos, & dispositos, qui sunt frigidi sicci, ac propterea pituitæ feraces. quare cum temperie frigidi, ætate senes, sexu muliebri, vita ociosi, bibaces, edaces, aptissimi sint multã pituitã congerere nati: hi sunt præcipuè ad vomitum incitandi; est enim lacuna pituitæ ventriculus. At hic commodè vomitu expurgatur, vt dictum. Quare hi sunt vomitu vacuandi. suaderem multis opinionis huius fundamentum, & monstrarem, tum rationibus, cum hominum grauissimorum auctoritatibus illud verum esse; quoniam verò factum, ni fallor abundè à nobis hoc est lib. 18. huius operis c. 8. vide locum illum. Celso autumanti inutilem esse vomitum gracilibus, dicimus breuiter missis hac in re aliorum expositionibus, haud damnare simpliciter Celsum in omnibus gracilibus vomitum, sed in extenuatis, & ventrem imbecillum habentibus; enimuero cum quæuis vacuatio tunc succedat fœliciter, cum pharmacum trahit, natura verò valenter expellit, non est à medico tentanda, vbi nullæ sunt vires, aut satis imminutæ, & confractæ. Cauendum autem præcipuè in vomitu hoc est, quia vires maiores requirit. Quod si contendas, numquam esse in his vires, quæ vomitui ferendo sint satis, ac propterea numquam esse ad vomitum sollicitandos, negabo assumptum, nam contrarium verum esse, multis est experientijs comprobatum.

Nec tamen graciles omnes, & robusti, nulla alia consideratione pręhabita, sunt ad vomitionem sollicitandi, sed si faciles fuerint ijdem ad vomitum, dixit enim Hippocr. graciles, & facilè vomentes, quod superuacaneè certè addidisset, si quicumq; graciles, essent ad vomitũ apti: vomunt autem difficulter, quibus pressũ est pectus, & angustum, & quibus ceruix est gracilis, & oblonga: cumque angustia thoracis duplex esse possit, naturalis nẽpe, & præter naturam, quæcumque illa fuerit, reddit homines vomitui ineptos. Periculosè itaque tabidi asthmatici, expuentes sanguinem. præcordiorum dolore, aut inflammatione vexati vomentꝫ metus enim est suffocationis, disruptionis venarum, cruentæ expuitionis, nam multum partes hæ omnes ab huiusmodi vacuatione lancinantur. Ita Fern. Mercat. & habetur expressè ab Hippocr. & Auic. 4. 1. doct. 5. c. 11. & Gal. lib. quos quibus, & quando.

Martian. notatur.

Non possum propterea nõ mirari Prosperum Martian. qui in notis super aph. 8. 4. lib. dixit, haud interdici ab Hippoc. eo aphorismo vomitum actu tabidis, hoc est pulmonis vlcere laborantibus, sed tabidis constitutione, seù propensis ad tabem; nam curans secundo de morbis Hippoc. tabem ex affectu pulmonis, damnato deiectorio pharmaco, veratrum album præscribit, ita tamen temperatum, vt aluum infernam non moueat; Enimuero si ad tabem parati non debent vomitorio pharmaco purgari, ne vasa, pro

ritato ijs vomitu disrumpantur, quomodo non erit actu tabidis idem exitiosus?

Respondet, quia in actu tabidis venæ sunt inanita: quare nó poterunt ob violentiam vomitus disrumpi, quinimo cómota per vomitum excrementa, quæ in pectore, extrudentur facilius: secus cum res se habeat in paratis ad tabem, hi erũt à vomitu arcendi, non ea laborantes. Cófirmari eadem sententia potest, quia hanc ob causam fortasse fit, ne actu phtysici sanguinem expuant, esto tussiant vehementer, cum tamen antea minori tussi afflictati in sputum cruẽtum inciderint. Nempe erant antea vasa à multo repleta sanguine, vehementer distenta, & disruptioni parata; non habent hanc impotentiam resistendi inanita, indeque fit, vt quamquam causa disrumpere valens sit validior, nequaquam tamen rumpantur, aut aperiantur.

Sed licet non negem minui ob hanc causam discrimen apertionis valorum, aut ruptionis, inanita enim cedunt, repleta, & distenta, dum contranituntur, disrumpuntur facilius: vt tamen omnino tollatur, numquam credam, cũ videamus in dies, vel summè extenuatos, & in quibus magnus, & humorum, & carnium est defectus, frequenter sanguinem, & magna copia expuere: Nec aliter putandum, quia phtysici raro ipsum excernũt cum tamen à minori tussi, venisque validioribus concitata sit in ipsis disruptio; spuunt enim adhuc ipsi sanguinẽ: spuere tamen non videntur, quia in pus sanguis conuertitur, alioquin dicat, è quanam materia pus illud gignitur? certè nulla occurret, ni è sanguine prodeunte gigni dicamus. Esto tamen nulla fiat per vomitum denuo screatio sanguinis, timor nullus immineat: nonne vlcus inductum fiet maius? cauendum itaque à vomitu: etsi quæ expurgandi est indicatio, deiectorio pharmaco, debili tamen expurgauerimus, numquam tamen fluxus alicuius calamitas contigit, vt propterea videatur Martianus timere, vbi nulla esse potest formidandi causa.

Cur phtysici raro sanguinẽ expuunt.

Auctoritas Hippoc. non debebat tãti esse ponderis apud ipsum, vt tam absurdam sententiam sequeretur, præsertim cum liber citatus de morbis, aut non sit Hippoc. vt censuit Dioscorides referente Gal. 6. epid. comment. 1. aut si Hipp. adscribere placeat, dicendum cum Petro Salio in eius operis proemio, fuisse ab ipso conscriptum, vel iuniore, & nondũ in arte medica consumato, aut nondum elaboratum in manus discipulorum prodijsse: aut demum dici potest probasse magis Hippocr. vomitiua in phtysi, quia habebant illa optimè præparata Antiqui, carebantque deiectorijs benedictis: nos contra his abundamus; caremus illis. Propterea hæc continuò à nobis vsurpentur, caueantur illa.

Lib. de morb. iudicium.

Miror secundo eos, qui in curatione affectuum melancholicorum timent vomitum, in hanc ducti sententiam ex mala intelligentia aph. 9. 4. part. cum tamen Hippocr. loco illo moneat, vt expurgaturi melancholicos non constitutione; nam hi frigidi, & sicci, qui pituita scatẽt, & crudis succis, sed morbis à melancholia detentos plenius, & valentius per inferiora vacuemus: Quamobrem cum comparatiuum positiuum supponat, colligetur expresse ex Hippoc. melancholicos esse & per vomitum, & per sedem purgandos, plenius tamen, & fortius deiectorio pharmaco, lenius contra, si quãdo vomere expediat. expediet verò cum natura ad ventriculum vergit: deijcere, cum ad inferna deponere tentat, iuxta illud, quo natura vergit: vnde quia in quartana inclinat natura ad vomitum, idcirco Gal. 1. ad Glauc. 11. curans quartanam, primas vomitu tribuit. Quod si obijcias numquam esse fortiter melancholicos vacuandos; nam curans quartenarios Gal. monet, vt leniter illos tractemus, & in curatione melancholiæ ab hypocondrijs, victum humidum laudat, & balnea aquæ dulcis: respondeo illud probari à Gal. in cura quartanæ crudam materia existente; nam vbi coctus est humor, helleborum laudat, & deiectoria fortia: laudat ea tantum præsidia in melancholiæ curatione, lenis tamen & nascentis: at vbi progressa illa est, & altas infixit radices, experimur passim leuia hæc remedia contemni à morbo, exposcere grauiora. Et quidem non abhorruisse hæc Gal. manifestè docet 6. aph 38. scribit enim, se frequenti, & forti purgatione preseruasse mulierem cancro laborantem, ne exulceraretur, vel excresceret: neque ratio aliter suadet: nam humor melancholicus crassus est, & tenax; à leui ergo medicamento non poterit allici: fortia, itaque conueniunt; nam victoria fit à proportione maioris inequalitatis. Cum verò medicamentum bifariam forte dici possit, vel quia natura propriè est validum, vel quia multoties, & sæpius repetitum, forte euadit, vt gutta aquæ saxi respectu, aduerte semper aduersus melancholiam forte medicamentum cõuenire: quandoque tamen forte sua natura, quandoque forte, quia repetitum: quod tutius, ac perpetuo faciẽdum, cum dat morbus inducias; nam melancholici ob cruditates, & flatus, non possunt fortia medicamenta perferre; atque hic vide hac difficultate, & primo puncto.

Melancholici an vomitu vacuandi.

An quandoq; fortiter purgandi.

Quod forte medicamentum melancholiæ idoneum.

Quantum ad secundum monere iuuat, cum vomitiua præsidia sint triplicia, lenia, vt aqua tepida bibita, syrupus acetosus, immissio digitorum, aut plumæ: mediocria vt semen anethi, & raphani, valentissima vt antimonium, & helleborus.

Quæ vomitoria vsurpanda.

ptiora

priora illa duo passim esse vsurpanda: postrema cum summa vrget necessitas, & quæcumque alia remedia experti sumus inania; nam vt extremis morbis extrema remedia conueniunt, sic lenibus affectibus, & qui non sunt admodum contumaces, temerarium erit extrema remedia admouere. Censeo itaque reijciendos eos esse, qui passim antimonio vtuntur, & in leuibus quibusdam affectibus, qui leuibus remedijs cederent: Displicent, & ij, qui hæc vsque adeo reformidant, vt numquam audeant illa attingere, quo fit, vt multoties circulatores quidam, eos curent affectus, quorum sanationem grauissimi medici desperarant. Laudata Galen. sententia est, qua monuit, vt contraria æqualia morbis opponamus. Possem addere quædam ad tempus vomitionis pertinentia, sed quoniam hæc attigimus lib. de vacuandi ratione, & alibi, pudet & piget hic repetere: propterea de recta vacuandi ratione per sputum aggrediar dicere.

An antimonium.

De recta ratione vacuandi per sputum. Cap. VI.

QVÆ per os cachochimiam vacuabant, duplicia esse supra dicebamus: faciebant id alia vomitu concitato: præstabant hoc alia vacuando per sputum, quæ adhuc erant triplicia, nam alia sputum tussi prouocabant, screando alia, alia tandem simplici expuitione: Quando ergo est dictum de vomitu, est modo cōsequens, vt de ratione vacuandi per sputum pertractemus. Quoniam verò non potest ab aliquo intelligi, quanti sit vsus in morbis, ni primum eius natura exploretur, propterea id primum præmittam, mox absoluam cætera, quæ ad rectam huius præsidij administrationem conducunt.

Saliua, seu sputum, non enim natura hæc differunt, quicquid alij dixerint, sed modo excernendi tantummodo; nam saliua simplici expuitione; sputum contra screatione; aut tussi reiectatur, vnde hoc ex pectore, ex ore saliua expurgatur: hæc inquam; aqueum seu pituitosum excrementum est, nunc tussi, nunc excreatione simplici, alias expuitione excretum, modo solum, modo cum alijs permixtū.

Saliua à sputo an differat.

Quid saliua.

Generatur frequenter in glandulis, quæ in radice sunt linguæ: descendit à capite alias, quandoq; à ventriculo mittitur, reiectatur eadem à pectore passim: demum ab vniuerso corpore interdum eijcitur, vt in suffumigijs ex cinnabrio, & vnctione hydrargiri experimur. Non est ergo saliua semper faucium excrementum, sed harum quandoq; vētriculi alias, quandoq; cerebri, & pectoris: est alias demum vniuersi corporis recrementum.

Vbi gignatur

Quacumque tamen in parte generetur, frigidam humidamque ipsius intemperationem arguit; nam ab hac multa pituita, præsertim verò tenuis, & aquea. à ra Gal. 1. de temp. cap. 6. & 1. Prorrh. 11. firmaturque frequenti experientia; nam videmus imbecillos ventriculo, frigidaque, & humida cerebri intemperie affectus, ociosos, edaces, bibaces, senes, multum spuere; neque aliter putandum, quod videamus. passim sitientes expuere multum, idem facere loquaces, & melancholicos à cibo, quo tempore incalescit à cibo ventriculus; non enim sitientes spuunt, quia à calore per sitim inducto pituita gignatur, sed quia à calore adaucto pituita liquatur, aut quia à calore in faucibus contracto per sitim, loquelam, aut masticationem, multa attrahitur pituitosa substantia, & reijcitur: ob eamdem causam spuunt melancholici à cibo, aut quoniam aquosa substantia supernatat.

A qua causa

Sitientes loquaces cur multum spuāt

Multo minus calidam suspicari debemus, quia salsum habet saporem, vim abstersoriam, ac siccantem, quo fit, vt canes lambendo propria curent vlcera, & nutrices lactumina infantum; nam quod pertinet ad saporem saliuæ, videntur mihi gustandi potentia destituti, qui salsum illi attribuunt; insipida enim est, etsi quem illa familiarem haberet, non esset aptum medium discernendis saporibus. Quare errant, qui saliuam ita dictam putant, quia salis habet saporem. Quod canes lambendo propria sauent vlcera, nutrides lactumina infantū, haud quidem puto curare, quod sit salsa, suaq; natura abstergat, & siccet, sed quoniam lingendo, humidam substantiam exugūt. Et quidem si sicca sua natura esset, non exiccaret illius vacuatio: non conduceret illa loquutioni, nec loquela, à siccitate linguæ impediretur. Ergo cum hac consumpta loqui non valeamus, valemus contra humectata lingua; humidam esse, & frigidam saliuæ substantiam autumnādum. Non enim eorum fuga admittenda est, qui dicunt, diuersam esse saliuam à sputo; nam illa habet multiplicē vsum, nullum sputum; nam & hoc confert pulmonum motui, quamquam multa pituita in ipso detenta noceat. Si ergo vrina in exigua copia multos habet vsus, lædit contrà multa, nec propterea variam esse ipsius naturam affirmamus: sic neque in sputo hoc faciendum, sed cum saliua, tum sputum pituitosum est excrementū, moderatumque habet multiplicem vsum, lædit contra adaucta saliua.

Saliua an salsa; an abstergat.

Hæc itaque si sputi natura, conducet per sputum vacuare, cum siccandi, & calfaciendi est indicatio cumque hæc vbi abundat, aut capitis culpa accidit, aut ventriculi, erit hæc vacuatio commoda, corrigendis humidis affectibus capitis,

Quibus affectibus sputum conueniat.

& ven-

& ventriculi,& cuiusuis partis, consensu ventriculi,aut cerebri laborãtis. Diuturnis tamen, nam si fit morbus acutus, ptius hominem perimet,quam à spuitione adiuuetur. Nulli itaque vsui erit hoc remedium apoplexiæ, epilepsiæ, lethargo,aut caro,sed destillationi, aquæ capitis, & antiquo eiusdem dolori. Conducet multum asthmaticis,suffusioni,surditati,conuulsioni,paralysi, epiphoræ, fluxionibus alui, & saeuis doloribus artuũ ex defluxu humorum à capite dependentibus; nam vacuata per expuitionẽ delapsura materia,non est,quod amplius ad subiectas particulas effluere possit. At vero expectoratio,seù sputi vacuatio per tussim, acutis morbis pectoris curandis conducit,non enim prodest illa,quod remoueatur materia aliquam intemperiem fouens,sed quia causa obstruens,& suffocans a limitur, propterea conducit in paroxismo asthmatis,ortophneæ,pleuritidis,& empiematis.

Masticatoria qualia debent eligi.

Moliemur expuitionem,vel masticatorijs, vel gargarismis: expectorationem vero bechicis, masticatoria etsi possint esse quæcumque mandi possunt,nam motu illo fit attractio pituitosæ substantiæ ad dentes, vnde multi mandenno papirũ expuunt copiosè, & vbertim: præstat tamen eligere,quæ calidam habent siccamque facultatem,quæ adhuc duplicia,alia quæ primis qualitatibus tantum id facere valent: sunt alia, quæ præstant hoc ipsum facultate attractoria. Prioris generis sunt, mastix, thus, piretrum, galanga,& alia multa. Posterioris turbith, agaricus, tabaccum hæc præstat eligere, cum multũ vacuare est animus, illa cum modica fuerit satis.

Quod pertinet ea sputa quæ tussi extruduntur,sunt illa procuranda, quoties partes spiritales est animus vacuare: nulla enim alia via expurgétur commodius, nec nisi tussi potest materia à partibus spiritalibus extrahi: fiet autem hoc à medico, cum à natura nequaquam perficitur,verũ enim in vniuersum illud Hipp. est, *quæ indicantur & indicata sunt, neque mouere, neque nouare oportet*. Assequeris hoc autem remedijs varijs, nam à varijs causis contingere potest, ne expurget natura: fit hoc quandoque, quia languet: secundo, quia nondum aliquid ad thoracis cauitatem effluxit, vt obseruamus quandoque in principio pleuritidis Accidit idem tertio, quia non irritat obiectum,vnde neque aliqua tussis excitatur, fit idem quartò culpa obiecti multum crassi, & tenacis aut admodum tenuis; illud enim hœret, hoc effugit impetum.

Cur materia non expurget per sputum.

Vbi languor facultatis in causa est huius vltij,optimis alimentis languenti naturæ succurrere oportet: expectorantia cauenda,mouent enim causam,non vacuãt: causa autem noxia, quanto magis mouetur, magis nocet. Cauenda eadem sunt, cum nondum fluxit aliquid à pleura e.g. ad cauitatem thoracis, nihil enim potest tussi educi, maiorque fiet per motum ad partem male affectam attractio: cum ex defectu irritationis nihil expuitur, sunt irritantia ex vsu: vbi obiecti vitium in causa est, hoc emendandum, attenuantibus, vt rhodomelle oximelle, si sit nimis crassum: incrassantibus, vt syrupo de papauere,nenuphare,diacodion,si fit admodum teoue. An expediat gallica lue infectos sputo procurato suffumigijs, aut inunctione hydrargiri curare, non est hic locus examinandi: pertinet disputatio hæc ad tractatum de morbo gallico, plura propterea ad rem illam non afferam.

Quomodo iuuanda.

De recta ratione vacuandi per nares. Cap. VII.

BIfariam per nares superuacanea cerebri pituita extrahitur,errhinis siue succis immissis seù haustis, & sternutamentis Propterea de recto vsu vtriusque tractabimus. Proiiciunt vtraque superuacaneam cerebri pituitam, sed errhina eam educunt, quæ circum cerebri substantiam,& menyngas colligitur,fluitatque sternutamenta expurgant, nedum quæ circa cerebrum errant, sed & quę in posticam eius partem aut fauces decurrunt, valenter reuellunt: quæque in eiusdem ventriculis stagnant, & contumaciter hœrent, ad nares deducunt; siquidem concussione illa excutiuntur hœrentia, & pelluntur. Proinde fit, vt tum errhina, cum sternutamenta curandis morbis cerebri conducant, præsertim vero ijs,qui à pituita excitantur: sed illa educendæ pituitæ, quæ anticam partem cerebri occupant,sunt accomodata: sternutamenta & hoc facere valent,& ad illam quoque educendam commendantur,quæ ventriculos cerebri obsedit, aut partem posteriorem eiusdem occupauit.

Quid prosint errhina, quid sternutamentum.

Valent itaque errhina ad emendandam frigidam, humidamque intemperiẽ cerebri, cuius culpa fit, vt multa pituitosa excrementa coaceruet. Valebunt item curandis alijs omnibus, qui à muccosæ huius substantiæ defluxu gignuntur,vt asthma,tussis,conuulsiones, paralyses; enimuero cum præstet ad debellandas has affectiones quod fluxit educere, quod paratum est fluere, alio auocare, & reuellere: cum secundo huic scopo cõsequẽdo conducant oxirtohina, nã hanc ob causam dicta eadem sunt caput purgia à medicis, conferet hoc remedium affectionibus illis abigendis: sternutamentum verò, non tantum his curandis est vtile, sed apoplexiæ abolendæ, epilepsiæ, & soporosis omnibus affectionibus

Ex his colligitur quibus prosint.

bus est, quam maximè commodum.

Quando vsurpanda.

Proficiet autem cum sternuatorium, tum nasipurgia, cum fuerit totum vacuatum, & nulla in ipso copia humorum est, sed tota affectio, quanta quanta est, à capite pendet. Quare toto inanito erunt ista vsui ad expurgandam cerebri cachochimiam: his si vtaris, toto nondum vacuato, replebis cerebrum magis, vere enim scriptum ab Hypp. Platon. Gal. & omnibus est, ante oculos caput, ante caput, esse corpus expurgandum.

Hinc detegitur error fumentium tabaccum sem.

Non possum proinde non acriter inuehi in nonnullos, qui ad cerebrum exonerandum, vt aiunt, frequenter vtuntur tabacco, non solum à somno, mane ieiuno ventriculo, sed meridie à cibo nuper pastis; enimuero si nullo modo conuenit, pleno corpore ad Capitis vacuationem accedere, Quæ intemperies est, non tantum pleno corpore hoc facere, sed mox a cibo, repleto ventriculo? Non moneo hoc medicos, nam scio, nullum esse adeo amentem, qui hoc probet; sed vt alios vsque adeo grauiter peccantes coerceam, dicta volo. Cœterum cum possint bifariam hæc parari, aut in forma liquida, quæ manu excepta naribus attrahantur, vel in forma solida, aut puluere, quo narium partes internæ obliniuntur: quouis modo pares, Capiti purgando conducunt quammaxime: Quouis itaque poteris, cum poscit hoc necessitas vti, atque hæc de erthinis, & medicamentis omnibus, quæ humores è confinio corporis extrudunt: nunc de repellentibus, & attrahentibus pauca annotemus.

De recta attrahentium, & repellentium administratione. Cap. VIII.

Attrahentia medicamenta, & repellentia, quamquam è confinio corporis recrementa nequaquam educant, ab vna tamen parte ad aliam trahunt, aut sepomunt: quo fit, vt vtantur ijs medici, non ad alterandum, sed vt aliquid trahant, vel repellant, seu sit sanguis, seu spiritus, siue alius humor. Cum itaque sit nostrum institutum de administrando recte medicamento, quod vacuat, pertractare: ne manca sit ista disputatio, de recto horum vsu, nonnulla dicemus.

Quid repellens medicamentum: quid trahens.

Medicamentum attrahens, repellenti est aduersum. Ergo velut hoc, illud esse dicimus, quod mobilem materiam à se repellit, & alio abijcit: sic trahens medicamentum dicetur, quod ad se materiam aduocat, seu sit spiritus, siuè ichor, aut humor. Quæ possunt hoc præstare, sunt duplicia: alia quæ proprie spectant ad partem chyrurgicam, vt suctus, cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ: sunt alia, quæ ad partem pharmaceuticam spectant. Sunt hæc temperie calida, seu per se, siue ob contractam putredinem; nam calor trahit; cui si accedat siccitas, & substantiæ tenuitas, præstabit hoc efficacius multo. Quod si calidius, idem sit, siccius, & tenacius, nedum trahet cuti impositum ad se ichores, & spiritus, verum & crassos humores alliciet, attractāque materiam discutiet, dissipabit; nam intensiuè differunt resoluentia ab attrahentibus de cætero conueniunt. Quomodo vero trahat calor, an inducendo vacui timorem, an excitando dolorem; nihil refert hic quærere, præsertim cum lib. 5. huius operis attigerimus.

Quæro pellētis.

Attrahenti medicamento, cum opponatur repellens, est substantia crassum 5. de simpl. fac. 17. facultate adstringens, ideoque exprimit materiam fluxam, & alio abijcit 3. pergen. 1. & 5. eiusdem c. 5. cumque hæc adstrictoria facultas sociari possit cum ijs, quæ temperie sunt calida, frigida: hinc fit, vt repellentia, nedum frigida sint, vt cidonia, pira mespila, sorba, morus, granata, hypocisticis, omphaciū, portulaca, plantago, sed & calida, vt absinthium, thus, mastix, nux cupressi, & alia multa.

Quibus affectibus commoda repellentia.

Ex his intelligi potest, quibus nam affectibus repellentia conueniunt, quibus attrahentia. Nempe repellentia cōueniunt in tumorum calidorum initio: hoc inquam tempore, cum fluit humor ad partem, & est mobilis: cum fuerit idem impactus, tantum abest, vt frigidorum, aut adstringentium vsu exprimas, vt impingas magis: quæ ratio, cum habeat pariter locum in humoribus crassis, non est vsui ad ipsos repellendos hoc remedium. Neque in cuiusuis calidi tumoris initio est idem commodum, sed cum criticus, non est, non prope partem principem, aut profunda excitatus, vt latius dicemus lib. sequenti c. 2. Ergo cum pestilens, gallicusque bubo, variolæ, morbilli, exanthemata, podagra, critici sine abscessus, numquam hic repelles, trahes magis, & motum naturæ iuuabis. Insuper cum fiat angina nō raro à crasso sanguine, non est ita temere in angina repellentium vsus admittendus: præsertim, vbi glandulas inflammatio obsedit. Non habent eadem locum in pleuritide, ne repellendo à partibus intermedijs, ducamus magis ad partem inflammatam. atque hæc de repellentibus.

Quibus attrahentia.

Quod pertinet ad attrahens medicamentum, est hoc vtile, nedum in initio tumorum ad reuellendum, vnde vtimur frictionibus, ligaturis, cucurbitulis ad euocandum alio humorem, sed verè attrahentia sunt adhuc opportuna ad id quod fluxit iam, & est impactum: ideoque nedum inchoante affectione, sed eadem progressa, sunt illa vsui. Sic nonnulli

li contumaces dolores, vt ischiadici, cum contempsissent omne remedij genus, ab attrahentibus tandem sunt debellati, & euicti.

Corollarium. Ex his colligo, non esse admittendum consilium Saxoniæ, qui in initio cuiusuis febris prauæ monet, vt vesicantia extremis corporis partibus admoueamus; nō enim probari illa possunt ad extrahendum humorem à corde, quod nondum occupauit: neque ad reuellendum, nam nondum mouetur. Quare cum hæc sint, quæ indicent attrahentium vsum, non sunt in initio harum febrium indiscriminatim vesicantia admouenda.

Addo ad huius capitis coronidem, nec repellentia, neque vesicantia esse vsui pleno iam corpore, & nondum inanito. Quorsum enim aut trahes, aut pelles, si nullus est excipiendo humori locus? Ergo nec cucurbitulæ conueniunt pleno corpore, nō frictiones, ni sint adeo blandę, vt aperiant tantum, nullo modo trahant: aut corpus non sit ita plenum, vt nullum humorem, aut vaporem excipere valeant. hæc de attrahentibus, repellentibus, & ijs omnibus, quæ ad rectā pharmaci administrationem pertinent: desideraret fortasse nunc aliquis, vt de recta medicamenti alterantis administratione ageremus: quoniam vero, quæ possunt de re ista in medium adduci, dicta illa sunt cum de abigendo morbo loqueremur; ibi enim declaratum est quibus contrarijs debeat curatio fieri: propterea his claudo disputationem hanc de pharmacia.

ANTEPRAXIS MEDICAE
Liber Vigesimus Tertius.
DE ABIGENDIS MORBI GENERIBVS, & differentijs.



Consilij, & ordinis ratio. Cap. I.



Monstrauimus, qua arte possit abigi morbus. Aggrediemur nūc docere, quomodo varijs morborum generibus tentatos, differentijs varijs conflictatos, in pristinam deducere sanitatem possimus; enimuero cum varia conueniāt præsidia, pro varia morborum natura, esset omnino imminuta nostra hæc methodus, si in vniuersalissimis illis consisteremus. Sed ne in re hac ordinem quis desideret, intelligat idem, nos primum intemperiei cuiusque curationem persequi, tum solutę vnitatis. Tertio morborum in mala formatione: videbimus vltimò, qua arte singulæ morborum differentiæ tolli debeant.

Intemperiei cuiusque curatio. Cap. II.

Est intemperies multiplex, vt lib. 5. à nobis monstratum, simplex composita: citra humorem altera: altera, quæ à materia fouetur, quæ adhuc duplex, manifesta nimirum, vt tumores, non ita euidens alia, quæ ab humore, non dum extra venas effuso dependet: mitto alias, nam vel non exposcunt distinctam curationem à dictis, aut de ijs agetur, cùm agemus de abigendis differentijs morbi. Simplex intemperies, simplicem qualitatem aduersam, induci postulat: vnde calida frigidis curabitur, frigida calidis sicca, humidis, humida exiccantibus. Requirit composita, vt calida sicca, refrigerantium vsum, & humectantium: frigida, humida, calida sicca. Id quia satis constat ex ijs, quæ lib. 14. à nobis dicta, non immorabor amplius in re hac explicanda: nec quis me accuset, si illud silentio prætereo, an æqualia contraria, an inæqualia sint ad rem hanc consequendam, ex vsu magis; nam cum id lib. cit. sit satis expositum, non est, cur frustra eadem repetamus. Illud ergo docere esset reliquum, quomodo intemperies, quæ humorem habent adiunctum sint tollendæ, qua in re, nulla difficultas; est enim rata omnium

Simplicis intemperiei curatio. vide & met. 10.

Intemperiei cum humore coniunctæ curatio.

ioium

nium sententia firmum, & humorem, & intemperiem emendari debere: tolletur intemperies, humor corrigetur, alteratione. Quod si ita contumax, huius vitiũ sit, vt alteratione tolli nequeat, extrudendus è corpore quamprimum erit. Qua via, quibus medicamentis, patet ex ijs, quæ de vacuatione, à nobis sunt dicta.

Cui primum vacandum, intemperiei an humori.

In his autem exequendis, ab humoris vacuatione, & alteratione ordieris, tum vacabis intemperiei, ni vnico remedio vtrique satisfacere valeas, aut vrgeat ita intemperies, vt ad se omnem vocet curationem; nam semper scopus vrgentiæ dignior: vt si e.g. sit valida febris, eaque à putri humore excitata, quamquam poscat legitima curatio, vt humori emendando primum vacetur: si tamen æstuet æger, omni alia indicatione posthabita, refrigerationi primum incumbemus, tũ ad humorem conuertetur curatio.

Calidæ intep. capitis curatio.

Cœterum quia proposito exemplo facilè intelligimus methodum eia, de curanda calida capitis intemperie, necnon frigida, & humida cum materia agamus. Si cui ergò doleat caput à causa calida externa, vt quia moratus est in Sole, aut quod frequentius accidit, ob calidos halitus ab hepate, aut veero ad caput demandatos: recedat mox idem à sole, & in vmbroso loco degat frigidoque. quiescat idem, nam motus calfacit: abstineat à vino, ni ventriculus renuat, nam assuetus vino, aquam tolerare non potest. vtatur idem cibarijs frigidis, dormiatque, nam vt somnus humectat, sic vigilia exiccat, acuitq; calorem; excrementorum depositio non solum proficiet, quia exoneratum corpus, valetius aduersus morbum pugnabit, verumetiam reuellendo conducit; nam quamquam non videatur necessarium in intemperiei simplicis curatione reuellere, adhuc tamen reuellere præstabit ad inhibendum adscensum vaporum ad caput; cum calor, vt cõstat experientia, trahẽdi vim habeat, aut quoniam ad partem debilitatem omnia confluunt.

Ex his intelligi potest conuenire huic affectui curando, & pedum ablutionem, factam ex decocto lactucæ, hordei, semperuiui, & capitum papauerum: conuenire pariter irrigationem capitis, aquam scilicet rosaceam, cum pauco aceto ad penetrationem comparandam, aut oxirrhodino communi, quod constat ex oleo rosaceo, aqua rosacea, aut plantaginis cũ pauco aceto; vtrumque enim remedium refrigerat caput: ablutio pedum, quia magnus est inter pedes, & caput consensus ob neruorum copiam: oxyrrhodinum, quia refrigerantibus pariter, & somnum conciliatibus constat: conuenit secundo, quia si halitus calidi feruidi ad caput assurgere tentent, à roborato capite, quippe refrigerat oxyrrhodinum,

Commendatur oxyrrhodinum.

& adstringit, repelluntur.

Vtrumque scopum, quia optimè absoluit venæ sectio, venam secare expediet in huiusmodi affectu; nec debet excludi leue pharmacum, vt vncia vna Cass. recenter extractæ per seta cum altera diacattol. aut vnc. quatuor mannæ corp. siquidem futuram intemperiem capitis cũ materia gigni prohibet.

In administratione oxyrrhodini, duo aduertere oportet. Primum est, an admoueri calidum illud debeat, an frigidũ; an in modum stillicidij, vel contra satis est, panno lineo caput madefacere, & vbi siccus ille fuerit, denuo humectare. Examinandum secundo, cuinam capitis parti admouere conueniat huiusmodi præsidium.

Tepidum tamen.

Quantum spectat ad primum, debet hoc remedium tepidum administrari: quare expediet hyeme calfacere, non æstate, cum tepidum actu habeatur. quãquam verò & Auic. refrigeratum commendet, & Gal. in insigni capitis ardore, vidiq; temerarium quẽdam medicum cauum melonem, & niue repletum capiti admouisse: præstat tamen Trallianum audire admonentem. *ita refrigerantium vsui insistendum, ne magnum torporem inducant, aut immodicè astringant; vitare* inquit *oportet propter hoc mandragoræ oleum, & quæ ex capitibus papaueris, & liquore eius parantur: nisi antea ijs vti propter multas vigilias coacti fuerimus: atque tunc cum multa cautione modicè offerri debent*. ob eãdem causam subdit, *cum igitur persecerimus, quod res postulat, statim refrigerantium vsum fugiemus, maximè in corporibus quæ excrementis scatent, & quibus grauitatis sensus in capite percipitur: enimuerò vbi graue caput est, attractum esse humorem ad caput significat: in ijs autem quibus ex insolatu, simul etiam humores impacti infartiq; in capite sunt, valde refrigerantia vitari debent.*

Et stillando cum multum refrigerare volumus.

Quantum ad secundum cum multum refrigerare est opus, stillicidio vtendum; nam cum per motum impetu comparato, medicamentum altiùs se insinuet: quam ob causam gutta cadens in saxum illud excauat: affusa contra nullo modo atterit: tunc vti stillicidio debemus, cũ refrigerandi indicatio multum vrget. Aetius serm. 5. cap. 115. *maximè verò irrigationibus largioribus vtendum ex oleo omphacino cum vnguento rosaceo lanæ manipulo excepto, & digitis ex alto expresso, & instar salientis, cum ictu quodam delabente: vbi calor aut tantus non est, aut ægri natura non toleret: tunc temporis non solùm stillicidium cauere oportet, verumetiam valde refrigerantia cauenda, vtcumque administrentur.* Gal. 2. per loc. *proximum à rosacco chamomellinum, locum habet in his corporibus, in quibus frigiditatem vehementem inducere veremur, qualia sunt eunuchorum, fœminarum, & puerorum, & quicumq; molli carne*

præditi, albumq; habentes colorem Soli sunt insueti.

Quare & Coronali futura admouendum

Ex his habetur tertiæ difficultatis decisio. Nempe vbi multum refrigerare volumus, Coronali remedium admouendum: vbi affectus, aut tantus non est, aut à pati ente non toleratur, fronti apponenda; nam fat citò, si fat benè remedium fuerit administratum.

Dub.

Petes. Si hæ sunt indicationes absoluendæ ad ardorem capitis, & calidam quoq; intemperiem extirpadā. Quorsum Trallian. scripsit. *Cum verò nihil profecerint necessarium est valentioribus remedijs vti*, vt pastillo confecto ex croci medio dracma, aluminis scissi 12. mirrhæ, & omphacij an. drac. 3. gummatum omnium, an. dr. 3. vini austeri q. s. cum nullam ex indicationibus positis medicamentum hoc absoluere valeat? aut falsa itaq; docet Trallian. aut nos diminuti.

Sol.

Respondeo neutrum esse affirmandum; non enim commendat hoc remedium Trall. nisi ad dissoluendas crassas humorum reliquias, quę repelli nequaquam potuere: hoc autem, cum nonnisi calida valeant præstare, hęc in affectu hoc vsurpanda. huius indicationis nos non meminimus, quia raro accidit, vt humor calidus quantus est, non dissipetur: raro pars crassior eiusdem relinquitur. Eorum autem, quę rarò accidunt cū mentio non fiat à medicis: neque nos negligentię sumus accusandi: nec Trall. tamquam superfluus reprehendendus. Cœterum quia tunc præstantia methodi elucescit, cum in multis particularibus exercetur: propterea monstrabimus, easdem indicationes explendas esse in curanda intemperie frigida humidaq; cum pituitæ pręsentia.

De curanda frigida, & humida cerebri intemperie cum pituitæ præsentia. Cap. III.

HÆC quoque intemperies non secus ac c. sicca, humore calido siccoque concomitata, curari debet; nam vt illa, sic ista, duo fieri postulat, vt curetur, humoris nempe, à quo fit expulsionem, & intemperiei demolitionem; quoniam verò expelli humor ille non potest, siquidē ob eam quam habet crassitiem, & lentorē contumaciter hæret parti, reluctaturque tum naturæ pellenti, tum pharmaco attrahenti: præparare illum oportet, alioquin frustra laborabimus, cum nulla causa agere quicquam possit absq; patientis aptitudine. Ergo cum ab humoris ex vacuatione ordienda curatio sit, idq; fieri nullatenus possit, ni ante omnia humor præparetur: hoc primum tentandum: Præparatus cum fuerit humor, vacuandus: vacandum tertio intemperiei, nam vt aiunt Philosophi, primum in intentione est vltimum in exequutione. Ergo cum pituita calfacientibus siccantibusq; præparetur, incidentibus, attenuātibus, abstergentibus, ita erit ratio victus instituenda, vt illa omnia præstet. aer ergo calidus siccus eligatur. Exerceatur hac intemperie affectus. Parum dormiat, vigilet magis. Parum bibat, & aquam medicatam, vt sassafras, salsæ, chinæ, cinnamomi, anisorum, aut vinum tenue, si à vino prorsus abstinere non valeat. Cibi eiusdem sint conditionis. Pręstabit propterea carnibus assis potius vti, quam elixis: cumq; calfaciant, & exiccent magis, si aromatibus, herbisq; similibus cōdiantur, his vtendum. Sylvam apud auctores inuenies facile. Excrementorum ratio est habenda, non solum quia expedit, vt excrementa omnia è confinio corporis extrudantur, sed & illam ob causam facere hoc conueniet, quia corpora expurganda, fluida primum facere oportet 2. aph. fiet autem hoc frequentibus enematibus mollientibus, de quibus supra. Quod pertinet ad animi accidentia, vt timere, ac mœrere non expedit; nam hęc innatum calidum hebetant, & torpidum reddunt; sic quia ira, & sollicitudo calorem, acuit, irasci conducet, & vacare negotijs. an conueniat Venus ex dictis supra intelligi potest facilè. Diæta ita instituta syrupos propinare conueniet, vt rhodomel oximel cū syr. de infus. rosi. aut bettonica sine aqua, aut pauca, ne plus refrigerando, humectando, magis noceamus, quam incidendo, attenuandoque profimus. quod si aquam cum syr. miscere æger desideret, sit aqua cinnam. sem. coriand. pręparat. fœniculi, anisorum, calidaque, & feruida quantum tamen poterit tolerare; quantum. n. nocet frigida sic affectis: tantumdem prodest calida, vt addiscere possumus à Iapponensibus, quos scribit Maffæus in sua hist. potus calidi vsu, à destillatione insanabili curatos fuisse.

Præparati cum fuerint humores, erunt illi expurgandi; hoc enim suadet ratio, & schola communis medicorum: non tamen assentiendum illis est, qui nulla alia meditatione præhabita, mox de purgando capite consilium sumunt: idque tentant absoluere pillulis, ac si hæ tantum sint idoneæ purgando capiti, non potiones; nam quantum spectat ad primū punctum etsi censeam idem faciendum, cum est in solo capite cachochimia: quia tamen accidit frequēter, vt totum etiam sit cachochimum; nam hoc intuitus Gal. dixit sequutus Hipp. Ar. Platonem, ante oculos caput, ante caput vniuersum corpus: hanc propter causam tutius esse existimo, stomachum primum, & primas venas à redundantia crudorum expurgare,

gare, deinde ad caput accedere. Ne vero in capite expurgando aberres, animaduertas velim, falsam esse illorum sententiam, qui credunt, nonnisi pillulis caput expurgari posse, aut pillulis primum, mox potione; nam hoc institutum abunde supra reiecimus 20. huius operis c. 17. & illud pariter falsò dicitur nonnisi pillulis caput expurgari posse; purgatur enim caput medicamentis, quæ valent è longinquo humores allicere; hoc autem, cum æque bene faciant potiones, & pillulæ, æque vtrumq; medicamentum probatur mihi: cumque longa experientia didicerim, fœliciter purgari ventriculum quatuor vncijs mellis ros. sol. cum media vncia diaphin. & dec. sol. sen. vel vncia vna diaphin. & altera diacatt. aut quatuor vncijs ros. per sic. cũ duabus drac. sen. æp. or. hisce medicamentis curandum est, vt expurgetur ventriculus & primæ venæ: mox iterum præparatis humoribus dec. ligni Guaiaci sassafras chinæ, ad vacuandum caput progressum facerem: atq; hoc tentarem absolucre hisce pillulis Rec. pillul. cochiarum arab. & aggreg. an. dr. 1. cum syr. de nouem infus. ros. rub. fiat massa, de qua formentur pill. num. septem. his actis, quia adhuc vrgent eędem indicationes, vacuandi nimirum, & curandi caditis intemperiem, insisterem decocto ligni indici, seu Guaiaci sassafras: neque improbarem chinam, ni sit cariosa, & æger hepar calidius sit sortitus. Erit autem decoctum concinnandum hoc modo.

℞. ligni Indici recenter limati vnc. 2. in fund. in trib. lib. aq. fontis per 24. hor. deinde bulliat ad consumptionem medi et. aqu. addendo in fine bettonic. sam. psuci an. pi. passul. enucl. & hordei mundi an. m. vnum, liquirit grosso modo contusæ dr. ij. facit col. & serua pro dec. de quo rec. ℞ qualibet vice lib. med. quod bibat calidum mane, & dormiat: deinde post tres horas à decocto sudet, & alijs duabus horis transactis comedat carnem assam pulli gallinacei, aut vitulinam.

Sunt qui citę curationis spe ducti, exhibent bis in die hoc decoctum, quod non laudo; nam nonnisi difficulter poterunt hoc tolerare languentes. Secundo quia affectus curandus est chronicus, datq; inducias. Quare erit omnino improuida festinatio: illi prudentiores, qui aures percellendo suggeruot, sat citò, si sat benè. Tutius propterea consilium sequuti, semel in die decoctum cum sudore exhibebimus: & quarto quoque decocto præparatos humores, & crassos, qui vacuari sudoribus non potuere, ad aluum deducerem, vel repetito vsu pillul. minori tamen dosi: aut addendo in decoc. vnciam semis sen. or. & tantumdem polipodii.

Debet languens decoctum hoc sumere spatio 40. dierum, nam hic est terminus chronicorum morborum. Cæterum quia tanta esse solet contumacia huius affectus, vt his remedijs non cedat: alij tam longam curationem tolerare aut nõ possunt, aut nolunt, vt pueri actu epileptici, aut apti nati incurrere in hunc affectum; nam ab epilepticis sunt procreati: quid in tanta huius morbi pertinacia? quid cum patiens tam longam curationẽ ferre detrectat, aut nõ potest, vt in puellulis? quid facere expediat in hoc casu declarandum.

Quãtum spectat ad homines natu grãdes, conueniunt omnes medici, illud esse reliquum, vt excrementa illa, quorum generatio inhiberi non potest, alio auertantur, ne ad eam nostri corporis partẽ delabantur, cui aut cruciatus sæuos inferant, aut vitæ discrimen minentur: hoc autem eum fieri possit multifariã, aut illos per nares vacuando, aut os, aures, aut per fonticulos varijs nostri corporis partibus inustos: quodnam remedium sit eligibilius, declarandum, ne in re tanti momenti, quæ frequentissimè, & passim inter curandum occurrit hæreamus.

Quantum est de puellis nuper natis, inurendum cauterium illis est in occipitio, hoc est, inter primam, & secundam vertebram præter exactam victus rationem à nutrice seruandam. Hoc remedium oportunum esse, quia multis monstratum est in opusc. de vsu calidi. Vide locum illum.

Quantum est de grandioribus natu, quia dictum supra est, an conueniat ijdẽ cauterium: in qua parte: an nasi purgia masticatoria, sternutatoria: illud examinabimus tantum, an debeant ijdem vti tabacco. Vacuat enim hoc pituitam è capite, & ventriculo, calefacitq; siccatq; vt expleat propterea aemulare, quod poscit affectus propositus, citra aliarum partium incommodum. seeus ac decocta varia, quibus vtuntur medici passim ad affectum hunc extirpandum; alias .n. à capite partes calfaciunt, eoq; efficacius permutant illas, quaoto citius occurrit illis medicamentum per os sumptum, .i. deuoratum .n. mox in ventriculum, hepar agit: fractis dein. viribus ad caput, quod tantum emendari volebamus, peruenit. Præterea obseruauimus nonnullos laborantes arthriti. vsu huius remedij quammaximè adiutos, & fere prorsus ab illis vindicatos.

Ex aduerso. Si quis exactè perpendat, quam grauia symptomata patiantur, qui primum huic remedio se mancipant: dubitabit, & iure, an debeat hoc remedium admittere; debet enim remedium non solum à morbo indicari, à causa morbosa: verum etiam tolerari, alioqtin abstinere præstabit, cum indicatio, quæ à vi-

ribus fumitur, fit dignissima omnium. Preterea quicumque huic vacuationi assuescere incipiunt, vsq; adeo solent illa oblectari, vt non valeant in posterum abstinere, quo fit, vt in illius vsu delinquant non parum; vtuntur enim illi quauis parre diei, & quouis loco, nulla personarum habita ratione; sed plurimum refrigerare, calfacere, vacuare replere malum. quare respuendum. Ita prorsus, ni quis genio velit indulgere, non introspicere, quid indicet morbus, quid tolerent vires. contraria dicebat Hipp. adhibere, & interquiescere. Noli ergo vrgere perpetuo: nam qui nimium vrget, sanguinem elicit. moderatum eius vsum commendo: immodicum damno. Delinquant autem cum facile qui huic remedio assuescunt, alijs præsidijs tentandum est satisfacere huic scopo.

De curanda inflammatione. *Cap. IV.*

HAbent tumores congeneam naturā cum intemperiebus cum materia compositis. Propterea postquam de curandis discrasijs diximus, est rationi consonum, vt de curandis tumoribus agamus: horum autem, quia frequentissima occurrit inflammatio, de huius curatione agemus. cum verò hoc explere non liceat causis incompertis, has primū reperiemus, deinde curare tentabimus.

Est prima causa inflammationis affluxus sanguinis ad partē. Fluet autem, aut quoniam trahitur, aut quoniam expellitur. Trahitur à parte, cum dolet, aut calet: mittitur ab alijs à robustiori ad imbecillimam quamq; quia est illia humor molestus: molestare autem solet, aut quia copia est oneri, aut quoniam praua fuit qualitate donatus, vtpote calida, acri, mordaci: hanc autem comparat sanguis, aut ob bilis miscellam, aut quia alteratus. Mittitur verò à venis magnis ad paruas, ab his ad minimas: à minimis ad spatia inania carnis. Cœterum quia neq; mittere posset altera, neque altera trahere, ni esset copia sāguinis, plenitudo erit causa inflammationis cuiusque adequata: eritque propter ea inanienda, & à parte, ad quam fluit, ablegandæ: quod cum aliter consequi nō liceat, nisi reuulsione, & repulsione: duæ erunt indicationes absoluendæ, vt inhibeatur inflammationis generatio, reuellere, nimirum nec non repellere. Gal. lib. art. medic. cap. 95. *Supponatur inquit, à particula sāguinis multitudinem influere, adeo vt intendantur vi ea vena, non maiores tantum, sed parua qua prius sensum effugiebant, nunc verò iam plena visu comprehendantur, sicuti plerumq; in oculis, ob tunica albedinem manifestissimè patet: pat siquidem est, quod & alia vasa qua latent sensum, iam plena distendantur: non tamen & ipsa ob paruitatem adhuc visui manifesta, & iam periculum imminet, ve quod ex vasis exudat ad spatia vacua, qua in medio sunt effundatur, aut iam ne paruum aliquod sit effusum. huius quidem affectus sanatio intentionem habebit in euacuationem, siquidem morbus erat immoderata partis repletio. Necessarium igitur est, vt aut superfluitas retrocedens vacuetur, aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autem, aut impulsa, aut attracta, vel transmissa, vel vno aliquo modorum, aut omnibus &c.* Retractio in quanis inflammatione conuenit: repellere licebit quandoq; expediet alias ab huiusmodi auxilio abstinere. ac primum abstinendū ab illo, cum humor à nobili parte, ad ignobilem fluit, ne hinc repulsus, ad princeps aliquod viscus relabatur. cap. 1. 6. per loc. *cidicimus* inquit *quod hunc ipsum influxum, in principio quidem reprimere, ac repellere oportet, præterquam si ad partem aliquam principalem rursus futurus sit, atque aliud grauius malum effecturus.* Quare in bubone gallico, aut pestilenti, nequaquam conueniunt repellentia; nam critici motus adiuuandi, & iure optimo reprehenditur Auctor ille a. de nat. hum. à Galen. qui humores ad artus delapsos, ad principes partes esse transponēdos censuit, quod ibi recepti, facilius euincantur: *potius enim ait est, ex partibus principalibus emigrare humores prauos ad ignobiliores, quam ex ignobilioribus, in principes: nec raro, cum in morbo articulari, & podagra, artus humores peterent, & illinc repulsi in principem aliquam partem influxissent, morte conspeximus hominem affectum esse, vnamque restare spem salutis, si ad artus retrahere eos valeamus.* Ob eamdem rationem parcendum repellentibus, cum pars affecta proxima est membro principi. Damnantur repellentia tertio, si pars fluxionem excipiens, est intus recondita; nam repellentia extrinsecus admota, non pertingunt eo; quo fit, vt humorem delapsum, non repellant quiq; in externa parte continetur, ad internam mittetur. Propterea Hippoc. in initio pleuritidis calida admouet fomenta, non quæ repellendi vim habent. Parcendum quarto illis, cum habet originem fluxio à partis dolore, à flatuoso spiritu, & cutis densitate excitato; nam cum repellentia quæque adstringant, & cutim condensent, præcludent magis exitum, & coercitum spiritum magis detinebunt. Est quinto abstinendum ab vsu repellentium, si malignus est humor, si impactus, & crassus: hic enim repelli non potest, & impinges magis si repellere tentes illum, ellò potis, non licet ad partes alias easque interiores repellere. Demum huic temperandum remedio est, cū plenum est corpus; nam plena corpora repercussionem non amant lib. art. medic. cap. 85. Repercu-

Non semper repellendum in curatione tumorum.

cutiendus itaque humor, cum non impactus, non malignus, non decubuerit in partem ignobilem, non profundam, non proximam membro principi, quæque doleat à spiritu flatuoso, à cutis densitate, & angustia contento.

At quoniam, quantumuis conemur impetum delabentis humoris cohibere, numquam eum impedire, omninò licet: procurandum postea, vt quod fluxit, per patientem particulam educatur: quod cum bifariam possit fieri, sensibiliter nempè, & humore in vapores dissoluto, est omnium communis sententia, resolutionem esse optandam magis. Quia verò, nō omnis humor potest in halitum solui, ad vacuationem sensibilem cogimur quandoque recurrere. Recurremus autem, cum plenum est corpus; nam si pleno corpore tentes, calfacientium viū, discutere quidquid influxit, trahes magis lib. art. med. cap. 84. Recurremus secundo, cum languet natiuus calor; robustus enim resoluit, ac propterea dixit Diocl. sudorem omnem esse præter naturam. Eadem vacuatio erit ex vsu, cum magnus est tumor, & humor tumorem efficiens crassus, & viscidus: tenues enim dissolui apti: nequeunt crassi per inconspicuos cutis meatus euaporare. vide Gal. com. 1. in primum epid. tex. 10.

Quantum pertinet ad illud quod fluxit, & retrocedere nullo modo potuit: huius quoq; vacuationem moliri oportet: facienda autem per patientem particulam, partim quidem manifestè, & sensibiliter: partim verò in vapores resoluta lib. art. med. c. 95. fiet discussio opera eorum, quæ facultatem habent calorificam, & his vteris cum exiguum est, quod superest; neq; admodum crassum, nullauè redundantia in corpore, alioquin trahes magis ad partem inflammatam, crassumq; crassius multo reddes, & augebis; exigui enim tumores resolui possunt: magnos aut nullo modo discuties, aut difficile, vt propterea necessarium sit ad vacuationem sensibilem confugere: hæc autem cum duplex esse possit, scarificatio nimirum, & suppuratio, hæc procuranda; nam cum scarificatione magnus excitetur dolor, & à dolore maior ad partem humorum affluxus, præstabit ad vitanda hæc incommoda, humorem primum coquere, quod fit suppurationis beneficio, deinde suppuratā materiam vacuare disrupto abscessu. Cœterum quia exemplo proposito præcepta hæc facilius addiscentur, & memoriæ adhærebunt tenacius, eia exemplificemus in angina.

Anginæ curatio ex Hip.

Curans hanc Hippoc. 2. de rat. vic. 30. hæc scribit. *Sanguinem ex brachijs detrahes, mox venas, quæ sub lingua sunt, secabis, deinde medicamentis quibusdam attractorijs vteris: calida exhibebis gargarismata: Caput abrades, ceratumq; tum collo, tum capiti circumpones, lanisque circumuolues, mollique spongia ex aqua calida expressa fouebis, bibet autem aquam, & mulsam non frigidam, cremoremq; assumet, vbi ex inductione in tuto fuerit.*

Porro secandam venam in angina, cuique manifestum, cum manifestum sit cuique à plenitudine illam concitari, & ab hac cum magnitudine morbi indicari illam. Cumq; auctoritate Plat. Hipp. Ar. probarit Galen. ante oculos caput, ante caput, corpus vniuersum vacuandum esse: & illud dabit facile, brachiorum venam primum pertundendam esse; nam hæc potissimum euacuant totum. Faciendum hoc tamen, vbi ab vtero, aut hemorroidum suppressione, non ducat originem; nam in hoc casu, vterus primum vacuandus erit: deinde brachij vena pertundenda: & vacuato toto, quod sanguinem deponit ad fauces, vacuandarum faucium curam esse suscipiendam: proindeq; cucurbitulas scarificatas spatulis admouendas: aut venæ, quæ sunt sub lingua secandæ; cum enim duas habeat partes inflammatio, factam nimirum & fientem: vtraque demolienda est, vt funditus morbus extirpetur, sed venę illę magnæ vacuatæ prohibent sanguinis affluxū ad fauces: venæ quę sub lingua sunt, cephalica, aut cucurbitulæ scarificatæ in spatulis vacuant, quod fluxit ad partem patientem, & in illa est impactum. quare rectè ab Hippocr. dictum, sanguinem ex brachio detrahes, mox vacuato toto, venas quæ sunt sub lingua secabis, vt partem factam curemus, inhibita generatione fientis.

Nec verenda sectio venarum, quæ sub lingua sunt, quia periculū est, ne maior fiat ad partem affectam attractio: & quoniam nonnisi difficulter possunt venæ illæ secari, vacuari quamquam seces: difficulter sisti vacuatio, quippe neque adstringentia citra noxam applicari possunt, laqueo circumposito collo ad illas eleuandas; nam quamquam hæc Cœlium Aurelianum 4. lib. de cur. morb. acut. ad Hip. redarguendum impulerint, nullum tamen Posteriorum à sententia Hip. potuerunt diuertere: & iure, cum leues illæ sint, & nullius momenti. Et quis timeat, ne maior fiat ad fauces attractio, vacuato toto, repetitis venæ sectionibus ex brachio? Vel ipse Cœlius Aurelian. censet euitandam esse venæ sectionem ex vtroq; brachio, *siquidem coacernata sanguinis effusio, animi facit defectionē*, & timet nihilominus postea, ne maior ad partem attractio fiat. quare falso scribit: *plurima enim in exitum prouocata materia confluens, necessario completis locis absistenta, modum superat detractionis, vt granatas partes potius aduentu, quam releuata recessu materia, videantur.*

Non minus inane est aliud terriculamentum.

mentum. dehinc subleuandarum venarū gratia, erit laqueus collo circumdandus, cum satis sit ad eleuandas venas, linguā inuertere virga dissecta, & eadem constringere.

Quid. tertium argumentum? An eiusdem farinæ? Eiusdem prorsus, licetque mirari hominis arrogantiam, & tantam contradicendi libidinem; modo enim damnat hoc remedium tamquam inutile, quippe admoueri non potest: nunc damnat, quia immodicè vacuat, quæ omnia qua falsa, nam admoto puluere calchanti, mox inflictum vlcusculum consolidatur, poterit propositum remedium admitti.

Quid de medicamentis attractorijs, quæ deinde proponit? non possumus de re hac certi quicquam statuere, ni primū declaremus, quid voce hac intelligat Hippoc. Communis sententia fuit commendari his verbis ab Hippoc. medicamenta expurgaotia, supponentes tamquam certum ad reuellendum à parte tentata fluxione, non tantum venæ sectionem conuenire, verum etiam purgationem; nam cum angina non solum excitetur à puro sanguine, sed ab hoc bili admixto, aut à sanguine pituitoso, non tantum est indicatio vacuandi sanguinem, sed expurgandæ tum bilis cū pituita. quare & pharmaci, nedum vnius venæ sectionis.

Massaria cum haberet pro comperto numquam expedire, vt in acutorum principio expurgemus, semper esse expectandam coctionem, contendit attractoriorum nomine; non esse exponendum medicamentum purgans, sed eclegmata, & expectorantia, vt licet videre io tract. de purgatione in principio morb.

Nunc verò cum communior sententia doceat, non esse ablegande minorantia pharmaca in morborum principio per attractoria, purgantia pharmaca intelligere debemus, & eclegmata, cum hoc fuerit in more Hip., vnica voce multa comprehendere. Ex quibus deducere licet, quod cum conducant ad pectus expurgandum calida: frigida contra noceant, rectè ab Hippoc. subdi calida exhibebis gargarismata. An verò quemadmodum actu calida expediunt, eligenda sint pariter, quæ virtuali calore sunt donata, hoc non ita exploratum; tacuit .n illud Hipp. quod dedit occasionem Aurel. vt iterum Hipp. reprehenderet ijs verbis. *Vtitur quoq; gargarismatibus calidis, atque vaporationibus, quorum materiam non enarrauit.*

Sed quod pertinet adhuc crimen, vindicabis ab illo facile Hipp. quorsum .n. denuo faceret loco hoc mentionem materiæ remedij, quando 2. de morb. fecerat hoc abundè? Elegerit ne rectè gargarisma confectum ex ficuum decocto, origani, apij, nitri, hoc non ita compertū.

Dilucidabis tamen facilè, si intelligas non fuisse calida gargarismata cōmendata ab Hip. ad repellendum, sed ad discutiendum: discutere autem cum nonnisi calida, ex calidis debent componi hæc gargarismata non alijs.

At dices. Si ad scopum hunc consequendum, hoc genus gargarismi commendauit Hippocr. dicamus necesse est, omisisse indicationem repellendi. Quare & mancum fuisse in instituenda anginæ curatione.

Dic tu omisisse Hipp. indicationem repellendi; si quæ enim adstringentia admiscet, non admouet illa ad repellendum; nam inepte prorsus vna simul repelleret, & resolueret, refrigeraret, & calfaceret. admisisse dic, ne laxata plus æquo particula, reciperet denuò; & facta angina augeretur, at non propterea admittam diminutum fuisse modo aliquo Hip. nam in angina pituitosa, nullo modo repellere expedit; non enim repelles. cum ob crassitiem hœreat, sed incrassabis magis, & incoctilem reddes: aut si repellas maius creabir periculum; fieri enim potest, vt vel in pulmonem decumbat, & illum inflammet, aut inuehat asthma: aut repellatur ad cerebrum. vtraque autem pars, cum sit maximè ad vitam necessaria, in maiora ęgrum discrimina conijcies. Valles. in expositione cit. loci. *Sint autem gargarismata, & vocata eclegmata, adstringentia quidem, & refrigerantia numquam, quia quæ talia sunt, reddunt respirationem difficilem, & excreationem prohibent, atq; periculum est, ne fluxionem repellant in pulmonem: modice tamen adstringentia sint in principio, vt diamoron pro eclegmate, & hoc ipsum pro eclegmate dilutum aqua rosarum, aut plantaginis.* Vide ipsum, nam mihi ad finem progredi contendenti, examinare est reliquum alia, quæ ad huius affectus curationem proposuit Hippocrat. Proponit autem, vt abraso capite, ceratum illi, & collo circumponamus, dein spongijs mollibus aqua calida expressa foueamus.

Porro radendum esse caput, si emplastrum illi apponere velimus, nulli dubiū, an debeat apponi, & quale, hoc dignum, quod in examen ducatur, quamquam inspecta origine fluxionis, nullus est, qui statim non censeat esse illud apponendū tàm Coronali futuræ, quàm posteriori parti capitis: tam ad corrigendam frigidam humidam capitis intemperiem à qua multa sanguis pituitosi congestio: cum ad extrahendam foras materiam, quod fecisse Gal. in Matrona Romana 5. meth. legimus: laboranti enim salsa destillatione ad pectus, ceratum ex thapsia, & stercore columbino ad extrahendam foras materiam fluere parata admonuit: à nostris cōmendatur emplastrū, quod vendicatur communiter in officina S. Marię della Noua,

Noua, aut Tralliani de cocleis dictum.

Quantum ad vltimum remedium, nam reliqua pertinent ad victum: puto ego commendatum fuisse ab Hip. ad suppurationem promouendam; cum .n. crassi succi non facile perspirent, erit reliquũ ad suppurantia confugere: & quoniam suppurationem possumus promouere, nõ solum gargarismatis ex decocto maluarum, altheæ passularum, iuiubarum, hordei, ficuum pinguium, & in eius colatura apponere oximel, & rhodomel ad incidendum, emolliendum, abstergẽdum: verum etiam extrinsetus admota, vt fomenta ex quatuor anodinis, & cataplasmata suppurantia, rectè ab Hip. additũ, lanis obuoluens, & spongijs mollibus, aqua calida expressis fouens, atque hæc de inflammationis curandæ methodo.

Cur non scribat de curat. erysipelatis

Cum inflammatione habet affinitatem magnam erisipelas; nam vterque tumor calidus est affectus, & ambo à sanguine suam ducunt originem: phlegmon enim fit à sanguine mediocrem substantiam habente: erisipelas à tenuissima sanguinis portione: nam bilis naturalis, quam tãquã erisipelatis causam agnoscũt omnes medici, de naturali loquor, tenuissima portio sanguinis est: vnde redditur ratio. Cur rubor in erisipelate. Cur in facie, cruribusq; potissimum generatur: rubor est in erysipelate, quia rubra est portio tenuissima sanguinis, qui quoniam in ira efferuescit, & ab ira quacumq; erysipelas, idcirco fit in facie potissimum, quia per iram facies inflammatur, & nares.

Præterea expellitur facile bilis ob suã tenuitatem ad partes extremas: huiusmodi autem cum sint crura, & facies brachia, nil mirum, si in his potissimum partibus excitetur. Propter hanc causam non est cur methodum curãdi tumorem erysipelate vsum pariter exerceamus, cũ sufficiant dicta de inflammatione, nec exempla ponam in alijs tumoribus ne praxim loco antepraxis conficiam.

Soluta vnitatis curatio.
Cap. V.

Hanc curat natura, nisi quid impediat.

Continui solutio, affectus quidam præter naturam est, quo ea, quæ vnum antea erant, fiunt plura: tolletur itaque, cum quæ diuisa erant, vniuntur, quod cum natura sola possit facere, *hæc enim, vt dicebat Galen. coalescere facit ea, quæ inuicem distant, ac pristinam restituit vnitatem,* non esset, cur in re hac, quæ ad solam naturam pertinet, laboremus; quia tamen, sunt multa, quæ ipsam ab hoc instituto deturbant, nostræ erunt partes, impedimenta huiusmodi remouere: sunt hæc quinque numero, mala partis formatio, vt cum gena vulnerata propẽdet, corporis alicuius inter vnam partem, & alteram interpositio, vulneratæ particulæ intemperies, inflammatio, dolor. Debet proinde medicus, qui rectè velit hũc affectum curare, intemperiem partium corrigere, inflammationem auferre, inhibere; mulcere dolorẽ, corporũ præterlapsum impedire; partes male formatas, pristinæ suæ sedi restituere, stabilire firmare. Gal. lib. art. medic. 90. *coalescere* inquit *facit ea, quæ inuicem distant, ac pristinam restituit vnitatem, ipsa natura: tantum vero opus est, vt diximus, applicare extrema distantium partium, atque ita, vt in vnum coacta sint, conseruare, ne quid labris vlceris intercidat, & quarto ipsam partis substantiã conseruare salubrem.* Adde, illud quandoque requiri, vt scilicet caro deficiens regignatur, si vulnus fit cum carnis deperditione. Quõ pacto intemperies partis tolli possit, cap. præcedenti dictum: ibidem explicatum quo pacto inhibenda sit inflammatio: de dolore mulcendo, quamquam nihil dictum, nihil addam; nam vel fit ab intemperie, aut à soluta vnitate, vt cum alijs loquar. At de intemperiei curatione actum, de continui solutione abigenda, nunc tractatur: vt curanda magnitudo deficiens, infra docebitur, ergo erunt reliqua tria, capite hoc prosequenda, initio ab ijs facto, quæ inter posita, inter labra vlceris vnionem impediunt; cumque hęc sint multa, sanguinis fluxus, mala partis formatio: de remouẽdis his omnibus agemus, quantum est de telo pilo, plumbo, chyrurgia facilè eorum remotionẽ assequemur, vt cuique quamuis ignaro rei medicæ est notum, medicamentis tardius; at quoniam non semper licet manum admouere, aut quia nõ possumus, aut quia ex manuali illa contrectatione, discrimen imminet sincopis, inflammationis, medicamentis tentandum id facere. Sunt autem extrahentia, calida facultate, & sicca, vt sulphur, euforbium, dictamum, sagapenum, pix, cępa, viscus quercinum, stercus columbinum, fermentum, & alia multa, de quibus latè chyrurgi sunt, & lotiones. Quocumque tamen remedio, id faciendum, procurandum quamprimum illa extrahere, præsertim si instrumentum, quo est vulnus inflictum, sit veneno infectum, aut rubiginosum; nam si detinetur plus iusto, propagabitur facilè ad partes interiores venenum.

Hæ autem cũ multa sint, sunt varijs remedijs tollenda.

Fluori sanguinis, duplici via occurrere possumus, reuellendo sanguinem à parte affecta, & venam, seu arteriam claudendo: ijsdem inhibemus humorum affluxũ ad partem vulneratam, intercipientibus scilicet, & roborantibus partem: vtrumque fit multifariam: nempe reuellimus frictionibus, cucurbitulis, venæ sectione, purgatione: occludimus viam, qua largè prodit sanguis trifariam, obstruendo, adstringendo, & comprimendo; nam

quam-

quamquam pon... eau itas deperdi, coalitu etiam, & subsidentia, hæc tamen sequitur potius fluxiones immodicas, non compescit. Coalitus, nonnisi longo tempore induci potest; præstat autem quam primum, prodeuntem sanguinem sistere, alioquin periclitantur: itaque ad obstructionem, adstrictionem, & compressionem recurrendum. At quoniam potest compressio, manibus fieri, & fascijs, adstrictio medicamentis, vt terra sigillata, boloarmeno, tela aranearum: obstructio quoque potest fieri gossipio, & alijs huiusmodi in venas immissis, aut excitata eschara vsu caustici, distinguere diligenter oportet, quibus vtendum, ne in huius remedij administratione peccetur. Incommoda omnino censetur illa vasorum adstrictio, quæ apprehensis fit venis, aut arterijs, & ligatis; nam cum arteriæ proximè neruis hæreant, aut numquam arteriam tantum, neruo relicto apprehendes, aut numquam id consequeris, citra magnum dolorem ægrotantis. Censetur secundo incommoda illa adstrictio, quæ fit eschara inducta, primum quia infert caustică vehementem dolorem, itaque non est iucunda curatio: neq; tuta, nam multoties vbi eschara cadit, fluit denuo sanguis. Occurrendum itaque compressione manus frigidæ, aut deligatione, aut omnibus tribus, ni priora proficiant: quare obstruendum, adstringendum, comprimendum: ea enim omnia in affectu præcipiti, tentanda, vnde recurrendum ad ignem actualem, aut causticum, vt oleum sulphuris, calchanti, vnguent. m ægyptiacum, trociscos de minio, Ioannis de Vico, nam magnum discrimen impendet ex immoderato fluxu sanguinis.

Tertium quod vnionem fieri impediebat, est partium vulneratarum distantia: procurabimus itaque, vt illæ vniantur: valent ad rem hanc consequendam tria, alligatio, suturæ, fibulæ; nam quamquam manibus illas possimus adducere, nûquā tamen, tamdiu vnitas seruare potermus, vt vnio fiat. In alligatione, tria obseruanda: adducemus primum manibus vtramque partem, si vtraque pars vulnerata sit mollis, sin altera dura, hnic molem adiūgere procurabimus: faciemus hoc autem cum illæ calent: si refrixerint, calfiant primum, deinde deducantur: deductæ ligentur: quibus fascijs, & quomodo, pete ex chyrurgis.

Ex his intelligere licet, quam malefaciant nostri chyrurgi, qui quoduis vulnus, mox à principio dilatare procurāt, & has indiscriminatim, quamquam latū sit, & commodum ad ventilandum calorem, & exerementorum expurgationem. Possem iure iurando affirmare, multo peius vulneratos tractari à chyrurgis, quam ab inimicis, vsq; ad eo sæuitiei student, cum tamen teneantur medici iucundē curare. Quorsum mi homo, vulnus vulneri addis, dolori dolorem? & cerebrum, quod tot machinamentis studuit munire natura, ne ambienti expositum periclitaretur, nullo præcedente indicio læsionis internæ, eleuato primum pericraneo, perforas tenebras, abradis, nec finem coneutiendi facis, donec cerebrū discooperiatur. Vt expurgetur dices sanguis, qui ad cerebrum defluxit antequam corrumpatur. Mitto examinare, an ad scopum hunc consequendum necessarium sit.

Per varios casus, per tot discrimina rerum: ista omnia moliri, cum videamus passim, curari lethargicos, phreniticos, & catarrhum corruptum patientes per nares, os, aures, citra aliquod discrimen vacuato sanguine puttefacto, & corrupto: vidcmusq; pariter multos nulla abrasione facta, aut perforatione, vsu olei de apparitio, curasse hos fœliciter. Faciendum tamen hoc erat, cum læsionis internę indicia extant, aut futura iure timemus. At faciunt hoc nostri citra aliquam iustā suspicionem, credentes beneficio huius remedij, ab omni periculo ægrum vindicatum iri, cum tamen non raro periculum, quod aberat creent. Sed quorsum hæc scribo, cum non audiuerint alios hæc prudenter monentes. Cesso propterea cum nullam ex admonitione sperem emendationem, vsq; adeo malum est malis adsuescere, & de curandis vlceribus dicere aggrediar.

Vlcerum curandorum methodus. Cap. VI.

SOlutionis continui differentias multas esse, nullus est, qui medica facultate à limine salutata ignoret: nec quisquam ita rerum omnium rudis est, qui nesciat dari vulnera varia, à varia parte affecta; siquidem interdum est os, alias neruus, cutis: à magnitudine nam quædam sunt magna, alia exigua: quædam breuia, alia longa, superficialia, profunda. A figura, quædam recta, obliqua alia transuersa; quoniam vero præcipua differentia sumitur à causa; nam quædam à causa externa, quædam ab interna, vt ab erosione. Propterea posteaquam est actum de curanda solutione continui in vniuersum: dicemus modo de curandis vlceribus in vniuersum.

Est vlcus stricto modo sumptum, nam latè acceptum, omnem morbum significat, iuxta illud Hipp. dicentis, omnem morbum vlcus esse: sic inquam stricte acceptum, est solutio continui producta ab erodente substantia in nobis prognata. Cum autem erodere nequeat, quin partem substantiæ absumat, erit vlcus in vniuersum, solutio continui cum defe-

defectu substantiæ coniuncta, ideoq; ad curandum vleus, duo erunt scopi semper absoluendi, regeneratio nempe carnis,& cicatrizatio. Propterea videamus, quid ad gignendam carnem sit necessarium, & cicatrizandum; nam hinc aperietur nobis via ad scopum propositum consequendum. Generatio carnis solius naturæ opus est, quæ cum de possibilibus semper faciat, quod est melius, dubitandum non est, quin illa diligenter in hoc opus incumbat, & absoluat, ni impediatur, ideoq; erunt impedimenta hęc à medico remouenda, vt curatio pro voto succedat. Quænam illa examinemus, ita .n. addiscemus facile, quanam arte sint illa remouenda. Gal. sententia fuit, vt constat ex illis, quæ scripsit 3. meth. vt in quauis coctione, ita in carnis regeneratione duo excrementa generari: alterum tenue humidum, alterum crassum sordem appellatum, tenue ichorem: hęc quoniam carnis regenerationem impediunt, quare & vlceris consolidationem, commendat propterea ad vlceris eiusq; medelam, remedia exiccantia, & abstergentia: illa quæ substantiā humidam absumant,& exiccent: hęc quæ sordes adhærentes,abstergendo remoueant. hanc de curando vlcere Gal. sententiam secuuti sunt omnes, præter vnum Argent. scripsit .n. hic in comm. suis in ar. med. obseruari quidem in vlcere quouis humidioris excrementi copiam, collectam in parte vlcerata duas ob causas, nimirum,quia ad illam tamquam debiliorem, multa copia sanguinis à natura transmittitur: & quoniam ob contractam imbecillitatem caloris, concoctionem perfecte celebrare non potest:ideoq; vt à ventriculo non bene chylificante, multa liquidorum congestio: haud aliter ab vlcerata particula.

Quod pertinet ad sordes, & crassum excrementum negat generari, vt experientia quotidiana passim docet. ideoq; concludit vlceri cuicumq; exiccantia conuenire, abstergentia conuenire, vbi vlcus sorditiem contraxerit.

De Argent. quid dicendum, cum nil admodum certi determinare potuissem, consului Fœlicem Martorellum in nostra hac Academia chyrurgiæ, & anatomes Professorem, & hanc mihi dedit epistolam,è qua,quia abundè lector habes propositæ difficultatis solutionem,appositā hic volui, & hac margarita disputationem propositam exornare.

ANTONIO SANTORELLO peregregio Philosopho, Medico Comiti Palatino,& in Neapolitano Gymnasio practicæ medicinæ Primario Professori, Regnique nostri dignißimo Archiatro.

FOELIX MARTORELLVS F. P.

QVod mihi fautor, & commendator semper extiteris,magnum porro est, & magni quidem ex animo feci. Quod verò in medica disceptatione, meam etiā exigere sententiam non graueris, plurimùm tibi debere me sentio,& maximum humanitatis tuæ est argumentum. Cum enim vir doctrina percelebris,atq; præclarus exillas, vbique, & vndique, apud nostros, apud exteros, tàm scribendo, quàm docendo, atq; medendo: tuum est quid sentias tradere alijs, non alij quid sentiant, expetere. Abducerer proindè à responsione, ni tua me deduceret beneuolentia, qua cuncta semper excepisti mea. Libenti igitur animo meam, quam petis, depromam sententiam de vlceris, ac vulneris excremento.

Ingeniosissimus Argenterius in 3. art. medic. fortasse contradicendi stimulo percitus, negauit dari duo in vlcere excrementa, sed vnum tantum admisit. Ipse tamen illius assertionem nullatenus sustineri posse semper censui, sed affirmatiuam recipiendam esse sententiam cum Gal. lib.3.meth.cap.3. & communi medicorum schola.

Verum enim verò, vt felicius, ac facilius mihi contingat, & Argenterij improbare, & Galeni confirmare traditionem paucis, nonnulla præmittenda existimo, tàm de causis,propter quas excrementa fiunt,quàm de modo generationis puris, eiusq; speciebus. Generari ergo in vulnere excrementa reor, nedum ex carnis generatione, verumetiam ex occursu sanguinis, qui fluit,plus iusto: vel quia pars dolet: vel quia imbecillis euasit, solutionis continui causa: vel quia nutritioni superest: vel quia sanguis, quatenus corpus fluuidum est,successiuè effluit: vel etiam quia vulnerata caro in saniem conuertitur; aut quia contusa; aut quia intemperata. Fluere sanguinem ad partem dolentem negari non potest, & docetur à Gal.3.meth.cap.4.hisce verbis, *Quod dolet, plus aliquid affluere facit*; eiusque ratio affertur in 13. meth. cap. 3. quoniam irritat dolorifica causa circunstantes partes; idcircò cum contra illam insurgant, seipsas exprimunt, cœcoq; impetu sanguinem, & spiritus mit-

 tunt,

tunt. Quapropter dicebat idem Galen. eod. lib. cap. 5. dolorem esse causam fluxionis, etiam si totum corpus ab excrementis sit purum. Coadiuuari humoris receptionem à partis imbecillitate, certum porrò est, quoniam validior pars ad imbecilliorem, quacumq; ex causa factá, quod superuacaneum est transmittit, vt tradidit apertissime idem Gal. de natura. lib. facul. cap. 13. Ratio verò desumitur ex illo naturali principio, quod vnumquodq; suam conseruationem intendit, & sibi noxium expellit. Quamobrem pars ex vulnere debilis facta, recipit totum quod commouetur, & superuacaneum est in corpore, ac propterea tumorem in vulneribus apparere debere, asserit Hipp. 5. aph. 65. & 66. Superesse verò nutritioni sanguinem facilè liquet, ex eo quod naturalis calor coctionis instrumentum languet vulneris ratione; & idcircò cum totum concoquere, & assimilare non possit, excrementum resultare oportet, licet alioquin pro iusto naturæ modo se habeat, vt air Gal. 3. meth. cap. 4. Sanguinem quatenus fluidum corpus successiuè effluere, ad sensum paret. Id autem fit: vel quia termino alieno terminatur: vel quia ad replendum vacuum accurrit: vel quia impellitur à motu cordis, aut spiritu vitali in corpore incluso. Sanguis enim iste cùm à medico, vel aliqua alia causa occluditur, ex illo sanies, & pus generatur, vt in lib. de tum. præter nat. cap. 2. affirmat Galenus. Carnem contusam in saniem verti docuit Hipp. in lib. de vlc. tex. 3. & de vulner. capitis tex. 15. & Galenus 4. meth. cap. 5. Nisi enim ipsa destrueretur optima caro regenerari non posset. Nec dici poterit ex carne non fieri pus cum Gal. 2. aphor. 47. afferat materiam puris esse sanguinem. Etenim caro pars similaris rubicunda, & sanguinea est, & vt ita dicam concretus sanguis, vt 3. de offic. medica tex. 15. In pus verò illa vertitur, quoniam prætterquam quod caro teritur, & pori conciduntur; sanguis etiam è venulis egreditur, liguetq; calor vulneris causa, ex proprij tegumenti defectu. Quod autem tot modis excrementum in vulnere oriatur, vnica probatur ratione; quoniam scilicet sanguis ex prædictis causis proprium egreditur locum; ideoque ipsum suppurari necesse est, cum locus sit conseruatio locati; & deducitur ex Hipp. 6. aph. 20. dicente. *Si sanguis in ventrem præter naturam effunditur, necesse est suppurari*, & Gal. in comm. addit, *vel corrumpi*. Ventrem verò appellat Hipp. quamlibet cauitatem. Quomodocunq; igitur sanguis exit è venis, & in exiguis carnis cauitatibus detinetur, vel alia proxima intercapedine suppurari, vel in grumos verti, vel liuescere oportet.

Præterea fieri pus motu medio inter coctionem, & putredinem assenero, & idcircò vtriusq; extremorum participē esse, & à calore fieri, qui plurimum à propria non excessit temperie, vt placuit Vallesio 5. controu. cap. 4. & est expressa Gal. sententia 1. prog 42. & 2. aphor. 47. vbi mixtum calorem appellat, non quod duo concurrant calores, vt multi arbitrati sunt, nam quando qualitates non sunt contrariæ, neq; diuersæ speciei, si vniantur in eadem parte subiecti, vnicā, sed intensiorem efficiunt qualitatem. Quapropter quanto magis calor à naturali recedit, siuè ratione pacti, siuè sui, pus non album, lene, æquale, & minimè fœtidum sequitur in eiusdem Hipp. sententia 1. prog. 42. Hinc est, quod ex actione caloris, & passi resistentia, variæ puris species resultant, vt docet expressè Galen. 1. de diff. febr. cap. 6. his verbis. *Dictum verò & illud est, quod multiforme huiusmodi genus existit, nam in eo quod magis, & minus suscipit coctionem est innumerabilis differentia.* Et propterea dixit Celsus lib. 5. cap. 26. *Ex vulneribus exit sanguis, sanies, & pus*. Sed vt vndè orta est se conuertat oratio, ad quæstionem deuenio. An scilicet detur excrementum crassum in vulnere.

Duo generari in vlcere excrementa docet Gal. probatq; 3. meth. cap. 3 hisce verbis. *Verum in ipsa prima carnis generatione, duplex prouenire excrementum necesse est, veluti etiam in commentarijs de natura docuimus, quod omnem qualitatis alimenti mutationem alterum crassius, alterū tenuius excrementum sequitur. His excrementis etiā per vniuersum co pus semper prouenientibus quod tenuius est ipsa inuisibilis est perspiratio. Quæ etiam subindè fit visibilis, quoties vel naturalis calor languet, vel nutrimento vtitur, quam iustum sit ampliore: vel motus quispiam vehementior animali contingit. Alterum est sordes, quæ in summo corpore nostro colligitur. Quin etiam in vlceribus tenuius excrementum sanies græcè Ichor appellatur, quod crassum est sordes. Ac tenui quidem excremento vlcus humidum redditur ex crasso sordidum: eoq; duplicibus medicamentis eget; vtique vt humidum est siccantibus, vt sordidum, quæ ipsum expurgent. Ergo cum nullo vnquam tempore natura cesset à carnis generatione, certè nec tempus vllum erit, in quo non vtrumque medicamentorum genus desiderabit, vtiq; & quod siccet, & quod expurget*; hæc Gal.

In quo animaduertendum erit Galenum loquutum fuisse de alimenti mutatione, & præsertim de tertia coctione, quæ per vniuersum perficitur corpus, de cuius excrementis dubitatio nulla est, vt patet exemplo ab ipso allato. Ratio autem est, vt tumetipse docuisti in lib. 11. de sanit. nat. cap. 11. quoniam dirigitur coctio illa ad restaurationem deperditi; quam eandem doctrinam recipit

At-

Argenterius in citato art. med. *Humor, inquit, inflammationem efficiens si concoquitur, nullum ex illo educitur excrementum, quia est tantum assimilatio secundum qualitatem, non secundum substantiam, ex qua fit nutritio*. Ex quo infert, non ergo in omni coctione duplex fit excrementum, si in concoctione, ex qua fit pus totum, quod concoquitur excrementum est, & vnius naturæ; sed tunc fiunt duo illa genera excrementorum, quando coctio tendit ad nutritionem, quia nutrimentum non est actu simile. Idque sanè perpendi, vt proprijs Argéterij iaculis pugnare mihi liceat, non autem quia existimem probatum difficile tale assumptum. Nam si quis obijceret spiritus coctione generantur, & tamen nulla in tali coctione excrementa relucent; inueherer enim facilè recipiendo primum, spiritus per coctionem gigni, vt voluit Valles. lib. 7. controu. c. 12. Santacrux. opus. 9. de facultat. cap. 21. Christoph. Auega lib. 2. de arte medendi cap. 3. & est Gal. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 2. Et probari potest, quia generatio alicuius rei, quæ est productio vnius ab alio nequit pertinere ad virtutem sentientem, quia hæc habet solum sentire immanenter, nec ad motiuam animalem, aut naturalem, hæc enim habet solum mouere localiter. Ergo per se pertinet ad aliquam potentiam immutatiuam, quę inter vegetales appellatur concoquens. Nec vllum facessunt negotium, quæ ab alijs opponuntur, quod scilicet spiritus non assimilentur cordi, cum coctio tendat ad assimilationem rei. Quod nulla pars nutriatur spiritibus, cum coctio ordinetur ad nutritionem. Quod in generatione spirituum non appareant duo excreméta cum tamen ex quauis coctione illa resultent: Et tandem quod spiritus non crassescant, cum crassiora fiant, quæ coquuntur. Etenim singulis singillatim respondetur. Et ad primum quod spiritus cordi assimilantur, cum recipiant temperiem, & qualitatem cordis. Ad secundum. Quod in qualibet corporis parte spiritus complantati existát, qui non resarciuntur, nisi affluxu spiritus vitalis. Ad tertium. Non necessarium esse in qualibet coctione duo excrementa apparere; potest enim contingere, vt propter alimenti puritatem excrementa sensum effugiant; nam insensibilis halitus est excrementum tertiæ coctionis membrorum, & tamen non apparet ad sensum, quod prorsus dici posset de spiritibus. Ob materiæ enim subtilitatem fugit sensum excrementum tenuè, & crassum, expiratione namq; multa fuliginosa excrementa propelluntur, quæ nō sentiuntur. Itaq; licet sint separanda excrementa, non est necessarium vt sensu percipiantur, cum multa ob sui paruitatem nos lateant, quod etiam de lacte, & semine dicendum erit, quæ duo dici posset esse excrementa, vtpote toti superflua, & solius prolis gignendæ, & nutriēdæ gratia genita, & consequenter non mirum si in earum productione excrementa non supersint, cum ipsamet talia sint. Ad postremum. Quod spiritus sūt crassiores vaporosa parte sanguinis.

Sed vt redeamus ad quæstionem ex eademmet Argenterij doctrina dari excrementum crassum comprobabo. Ait itaq; Argenterius tunc fieri illa duo excrementa, quando concoctio tendit ad nutritionem, quia nutrimentum non est actu simile: sed eadem est nutritio, ac carnis generatio: ergo in carnis generatione duo fient excrementa, sicut in nutritione. Minor probatur, quia sicut nutritio est restauratio deperditæ substantiæ facta ex conuersione alimenti in substantiam aliti, ita generatio carnis est restauratio deperditæ carnis. Præterea in carnis generatione concurrunt eędem causæ productiuæ, quæ in nutritione, facultas scilicet concoctrix, & assimilatrix, & finalis, substantiæ videlicet restauratio, ergo sunt idem. Et quemadmodum ex Argenterio in nutritione fiunt duo excrementa pari quoq; modo in carnis generatione resultare debent; & licet Argenterius asserat partem vulneratam nutriri quidem, sed excrementa per cutim, non per vulcus excerni; gratis tamen, & dumtaxat contradicendi studio id tradere liquidò patet, cum enim latiores sint pori carnis in vlcere, quam in cute fateri, vel inuitus quisquam debet potius per vulcus, quam per cutim excerni debere.

Ex quibus cum probata remaneat Galeni, aliorumq; sententia, reliquum dumtaxat est, vt Argenterij satisfaciam obiectis. Ait primo Argenterius ex Hipp. Omne vlcus indiget exiccatione, igitur non est necessaria extersio, ergo excremento crasso caret vlcus. Sed facilè erit respondere Hippocratem, non dixisse vlcera indigere exiccatione (licet deducatur ex eius doctrina) sed vlcera vniuersa nonnisi vino humectanda esse, quia siccum sano proprius est. Vinum verò nedum exiccans; sed etiam abstersiuum medicamentum est, quoniam extergentia à Gręcis ryptica appellata, vt placuit Gal. 5. simpl. cap. 12. sunt calida, & sicca tenuium partium, ac absq; mordicatione, contraria scilicet emplasticis; idcircò contrarium producunt effectum (quamuis adsit etiam extergens, quod parum caloris habet, vt 3. meth. 3.) Vinum autem calidum, & siccum, ac tenuium partium esse quis negabit, & præcipuè generosum, igitur extersiuum, quod aduertit Gal. ibidem, vbi habet, *Vinum igitur omnis vlceris, qua vlcus est optimum est medicamentum, igitur extersiuum*. Pręterea

idem Gal. 2. ad Glauc. cap. 9. asserit mellieratum melius esse vino ad extergendum, ergo vinum etiam extergit, quoniã comparatiuum supponit positiuum. Sed quid vlterius moror, si ipse Argenterius loco cit. art. med. & 1. aph. 22. vinum exter siuum esse liquidò supponit, dum in febribus ex pituita, & melãcholia factis, vinum dari iubet ad attenuandos, exiccandos, & incidendos humores. Nec dicatur vinum, quo vtitur Hippocr. esse vinum austerum, vt colligitur ex 4. de fracturis tex. 21. sed vinum austerum est frigidum, & siccum, ergo non quia absterſiuum applicatur vinum; extersio .n. separatio est, & ista à calore habetur. Quoniam prædictum austerum vsurpatur ab Hipp. in glutinandis tantum vulneribus, quæ extersiuo non indigent medicamento; sed eo, quod constringit, & in vnum substantiam cogit, & Galen. 3. meth. 4. non autem in vlcere, vbi carnis generatio requiritur. Immò nedum vinum dulce ad extergendum adhiber Hip. sed & mel, mirrham, terebentinam, fel bubulum, & similia, vt ex tex. 8. & 9. de vlceribus clarè patet, & tua etiam est doctrina lib. 23 antepraxis cap. 3. Neque dicat vlterius, quod pars vulnerata glutinantibus curata adhuc nutriatur, ac prouidè duo esse exctementa, & medicamento adstringenti curari non debere. Partes enim ad mutuum contactum redactæ, cum robulliori gaudeant calore, hinc est, quod licet generentur excrementa, insensibiliter excernuntur, veluti cõtingit in parte, integra existente cute.

Vrget secundo Argenterius in principio vulneris tantum sanies apparet, vt experientia docet: postea pus optimum: etsi aliquando inęquale, signum est, quod recrudescit vlcus. Verum in pure optimo nequeunt duæ formæ excrementorũ esse: Ergo crasso caret excremento vlcus. Attamen non officit, Quamuis enim in principio vulneris sanies appareat, illa tamen fit ex sanguine retẽto in osculis venarum, quæ cum strictiora sunt, sanguinem egredi minimè sinunt, vt ait Gal. lib. de tum. præter naturam cap. 2. atque ideò apparet sanies in principio vulneris; verum caro tunc non generatur, & propterea neq; exctementa producuntur; sed temporis progressu ipse sanguis concoquitur, & pus optimum apparet, quo etiam tempore excrementa generantur, & miscentur cum prædicto pure; quod egregiè adnotauit Iulius Cæsar Magatus de nouo methodo curãdorum vulnerum lib. 1. cap. 33. Falsum proindè existimo non posse esse duas formas in pure: fit namq; aggregatum per accidens ex excrementis, & pure. Nec quidquam me mouet non apparere excrementa; etenim in sanguine è vena misso, vtraq; bilis, & in lacte pars caseosa, & serum non statim cernuntur, & tamen verè adsunt, igitur dici nequit non adesse duo excrementa, quia non apparent. Et licet Argenterius hinc deducat, quod pus esset inęquale, vel crassius, vel tenuius, & per consequens non optimum. Tamen nihil penitus officit, caro namque, quæ quotidie generatur, modica quidem est, & ideò modica etiam excrementi quantitas, quæ à multitudine puris occultatur. Præterea sicuti nequit dici, non apparet tenuè excrementum in corpore sano, ergo non generatur, ita neq; crassum non respicitur excrementum; ergo non generatur, quia vtraq; mutatio est ad substantiam, vt probauimus: non apparent autem, quia illud insensibiliter dissoluitur, istud permiscetur cum pure.

Instat tertio Argenterius ex inflammatione suppurata, & secta cerni tantum pus, ac proindè excrementa non generari, potissimum cum Gal. conditiones excrementorum nequaquam docuerit. Verum facillima est responsio, nam caro tunc temporis non generatur, aut cum pure excrementa confunduntur. Et satis, superq; docuit Gal. excrementorum conditiones, cum affirmauit sordem esse crassam, & parti inherentem, saniem tenuem, & fluidam; Et quamquam vlcus non sit semper idem, dantur nihilominus eadem excrementa in specie, si non in quantitate.

Insuper ad suam muniendam assertionem addit Argenterius in vlcere humido esse eiusdem generis excrementum, igitur tantum siccandum. Quinimmò in omni tempore gigni saniem, & sordem, ergo non esse tempus generationis puris. Et pręterea generari crassum excrementum propter negligentiam medentis, cum scilicet non exiccat vlcus, proindè aliquid putredinis acquirere, sordidumq; fieri. Sed non per hoc concludit intentum, etenim transitum facit ex vlcere sumpto, vt genus ad speciem, seu differentiam vlceris, nempè humidi, ex quo cum multa emanat humiditas, (ortũ habens ab intemperie partis, vel redundantia humoris) caro non generatur. & proindè neq; excrementa prædicta producantur. Nec vrget secundum, quoniã pus, & excrementa illa ex diuersis constant materijs, vt probauimus, idcirco ex eodem calore, partisq; facultate, eodemmet tempore generari valent. Nec tandem vim vllam facit tertium, tunc enim specificam differentiam acquirit vlcus, quando scilicet humiditas, vel sordes in summo existunt: genus verò vlceris constituunt quando sunt in pauca quantitate, neque hoc videatur nouum. Hę namq; differentiæ sunt accidentales, quæ sumunt magis, & minus. Quantitas enim vt genus constituitur per extensionem in ordine ad se, & quantitas bipalmaris

maris

maris exempligratia, per extensionem in ordine ad se bipalmarem. Immò nedum leuioribus exiccantibus ex his caro absumitur, ac proinde semper respicienda est temperies partis,& recessus à naturali statu. Caro enim genetanda similis deperditæ esse debet, idcircò variari debet Sarcotica, seu extersiua, & exiccantia. Hocuè demonstrat excrementa illa produci in catnis generatione, statim enim crescunt, quando apta medicamenta nõ applicantur, & centies expertussum in vlcere albicans,quoddam velamen,quum illi medicamenta ad proportionem non adhibentur.

Falsum proindè simpliciter puto,quod colligit Argenterius, nempè pus esse excrementum quantitatis, & generari in superficie vlceris; nam interdum fit ex superfluo alimento, interdum ex sanguine,qui concurrit ratione doloris,& alias alijs ex causis supra telatis. Et pus in porositate carnis fieri arbitror, dummodo altera cauitas non sit,quod colligitur ex Gal. loco cit. de tum. præter naturam. Ibi enim suppuratur sanguis, vbi adest: sed in superficie vlceris sanguis non appatet, nam fluetet; ergo intra poros carnis detinetur. Neq; dici potest, quod nisi colligeretur in vlceris superficie nũquam generaretur caro bona, quia corrumperetur à pure. Quoniam quando generatur caro, pus est optimum, & assimilatum secundum qualitatem à calore,parum recedente à naturali, & propterea carnis generationi minimè officit. Acciditq; quod sicuti excrementa nutritionis non generantur in corporis superficie, sed in eadem parte, in qua fit nutritio, ita in eadem parte, in qua fit carnis generatio, excrementa generari debent. Et ex his omnibus abundè confutata iam remanet Argenterij sententia, & Galeni, ac nostra confirmata. Reliquũ dumtaxat est, vt acri tuo, & eximio ingenio cuncta rimeris. Quæ si probaueris, me verè Felicem existimabo; sin minus, fœliciorem; te enim docente mutare sententiam, fœlicius censeo. Vale, & me tui amantissimum, vt soles, ama.

Læsæ cauitatis curatio. Cap. VII.

SVnt vitia cauitatum duo, apertio nimirum, & adstrictio immodica. Fit cauitas maior à rarefacientibus, distendentibus,exercitio,laxantibus,expultricis motu immoderato. Proinde fit, vt primum curetur addensantibus, secundum ijs, quæ tollunt distendentia, quæ si sint flatus, erit remedium optimũ, quod discutiendi vim habet: si minera,vacuantia varia,pro varietate substantiæ distendentis,exercitio, quiete: laxantibus, occurremus ijs, quæ siccandi vim habent, Si expultricis vitio idem contingat,nunc mulcentia conueniunt, nunc vacuantia: illa,si qualitate facultas irritata, expellat: hæc,si pressa,se exoneret. Tandem quacumque ex causa cauitas maior fiat, adstringentia conuenient, vt si quæ adhuc remanet ampliatio, eorum vsu abigatur. Contra minor, laxantia exposcit, adhuc causa remota, quæ remouebitur varijs præsidijs; nam & causa multiplex, quæ reddit angustam. Cum itaque compressa cauitas, angustior redditur, curabitur ijs, quæ tumorem præter naturam de medio tollunt, aut corpus adiacens remouent, seu sit illud externum,seu internum, vt caro,& pinguedo: de quorum primo,quia dictum,de altero dicetur capite de magnitudine aucta,nil addendum. Quæ ex subsidentia ortum habet, si fiat ex nimia partium humiditate, exiccare est necesse, sin concidant ob immodicam vacuationem, occurremus victu pleno. Coalitus erodentium vsu abolebitur. Angustia ob partis situm mutatum,parte in propriam sedem restituta, qua de re capite sequenti. obstructio si à multitudine fiat, euacuantibus adimetur:si à mala succorum qualitate,ijs,quæ peccantiũ succorum qualitati, se opponunt, quæ quoniam triplex,crassities,lentor,& tenacitas: tenax erit abstergendum,incidendum lentum,crassum verò,quia fit quandoq; à nimia adustione,vt atra bilis,& salsa pituita, quandoq; à nimia substantiæ terreæ portione, vt humor melancholicus, quandoque refrigerantibus, & humectantibus, quandoque calfacientibus, & humectantibus feremus opem; nam quod scribit Arg. fieri quandoque crassitiem à frigiditate, nego vnquam posse id contingere in viuentibus; nam numquam potest pars aliqua viuere, & eum in modum frigere, vt humor concrescat. Valet ad rem hanc multum syrupus Nicolai Florent. & vsus calybis, nedum enim suo pondere obstruentes humores extra pellit,sed eosdem simul ad euacuationem disponit;habet enim vim abstergendi, & quoniam admiscentur cum eo simplicia multa calida,& sicca tenuium partium, extenuat quoq; fœliciter: conficitur ex eo electuarium: fit quoque ex eodem vinum chalybeatum, vtrumque vario conficiunt modo, qua de re, quia multa Mercat. lib. 2. de ind. & practicantes c. de scyrro lienis,& hepatis obstructione, consule viros illos.

Morbi

Morbi in situ curatio. Cap. VIII.

MOrbus in situ curatur, parte in propriam sedem restituta, & alligata, nè promptè excidat, quo fuit detrusa. Quia verò pars mutat situm, non solum vbi ab externa aliqua causa, aut tracta fuit, aut pulsa, sed ab humore in eius cauitatem delapso, vt cum excidit à propria sede articulus, quia cauitas humore repletur, insurgit hic indicatio, humorem confluxum vacuandi, & procurate, ne amplius fluat ad partem affectam. Id ante omnia tentandum, vbi ex hac causa articulus e. g. excidit; nam si cauitate repleta tentes os reponere, frustra id tentabis, cum non detur penetratio corporum: cumque humor replens, sit frequenter crassus, frigidus, & pituitosus, hunc salsæ decocto, chinæ, ligni indici, sudoribus, & victu extenuante, extrudere conaberis, iisdemque occurtes intemperiei e.g. cerebri, cuius occasione, humor ille continuò, ad articulum labitur. Vbi ab externa causa fit hic affectus, cum nihil illa indicet, duo dumtaxat scopi proponuntur, restitutio partis, & restitutæ partis conseruatio. Potest deduci pars duplici genere remediorum, partitico altero, altero medico, ita dictis, quia primum in palestris frequēs, & à palestritis inuentum, secundum à medicis. Fit illud solis manibus, hoc instrumentis, & machinis. Sed siue manibus, tentemus ossa reponere, siue machinis, debet peritus chyrurgus, cum id facere aggreditur, modo impellere, modo trahere, interdum trahere primum, mox impellere. Nempè, cum os intrò recurrit, attrahendum foras: cum prodijt foras, impellendum intro: sic vbi vertebrā eminere obseruamus, compressione in proprium reijcimus locum: vbi eadem ita intus recurrit, vt cauitas quædam obseruetur, cucurbitulis trahere foras procuramus, cum elapsum è cauitate os contrahitur, trahere primum chyrurgus debet, mox versus sedem antiquam impellere. Id vbi feliciter actum fuerit, procurandum secundo, vt reposita pars, in eo situ seruetur, ne iterum excidat: seruabitur commodè alligatione, & quiete: quiescet pars luxata, cum naturalem retinet figuram, & situm: erit alligatio commoda, si nec laxa admodum fuerit, nec adstricta; hæc enim doloribus plena, discriminis illa. Nimis strictam esse, ex ægrotantis querimonia intelliges: nimis laxam, & visu, & manu immissa. Desiderant quidam, ne dolorem alligatio inducat, vt antequam fiat, pars in propriam figuram reducatur. Saris cautè, nam multoties brachium alligatum, dum est extensum, non dolet, at si contrahatur ad pectus, dolere solet. Illud tandem moneo, vt imponatur emplastrum, quod vim habet adstrictoriam, & agglutinandi, quemadmodum est emplastrum de pelle arietina, & de oxicroceo; nam quāquam natura agglutinet, iuuatur non parum ab hoc medicamento: nec illud improbo scilicet, vt fasciæ madefiant posca, & pars oleo rosaceo inungatur, iniecto puluere, rosarum rubearum, boli armeni, sanguinis draconis, albumine oui, & alijs huiusmodi, nam adstringendo, partem roborant, nè suscipiendis fluxionibus reddatur obnoxia. quare, & illud conducet non parum ad inflammationē inhibendam, sanguinem mittere, expurgare. Sed quoniam, non vitiato situi emendando hæc conducunt, sed inflammationi inhibendæ, qua de re alias, his claudo hoc caput.

Magnitudinis imminutæ auctæque curatio. Cap. IX.

CVM habeant contraria eam naturam, vt sese mutuò explicent, propterea prosequar ego imminutæ potissimum magnitudinis curationem. Imminuitur corpus præter naturam, & extenuatur, quandoque vitio obiecti, interdum vitio proprio. Est vitium obiecti duplex in quantitate pauca, & qualitate; deficit quandoque alimentum, quia non assumitur, vt in magna rerum annona, alias, quia assumptum, non detinetur, sed vel vomitu excernitur, vel deijcitur, vt in lienteria, & fluxu cœliaco, & ctuento. Tertio, quia permeare non potest, vt in magna venarum, quæ meseraicæ dicuntur obstructione. Alias, quia assumptum, & retentum, non conuertitur in sanguinem optimum, sed in aquam, & crudos humores, vt in cachochimia, & hydropicis. Vnde intumescit his vēter, reliquis corporis partibus extenuatis. Idem contingit quandoque, quia partes assimilare non valent, aut quia tantus est earū calor, vt cuncta resoluant in halitum, apponant parum, aut nihil vnde in marasmo quouis, quia non fit appositio, fit extenuatio: extenuantur, & hectici, quia calor, summus multo plus discutit, quam restauret, aut ob aliam quamcunque intemperiem. In vniuersum itaque, vel imminuitur quantitas ab errorem externum, vitio nempè alimenti in quanto, aut quali, aut vitio partium, quod est multiplex, in intemperie calida resoluente, frigida non coquente, humida, vnde non retinetur alimentum, sicca, quæ vnionem impediat. Est quoque huius causa, viciata formatio, ac propriè cauitas adstricta, aut laxata. At verò de emendandis vitijs cauitatis, de intemperie quauis

corri-

corrigenda est actum à nobis: erroribus externis, vt sit occurrēdum, nemo ignorat, propterea nihil de nouo afferam, vt imminutam magnitudinem emendemus.

Nec laborandum cuique est, vt intelligat, quibus sit occurrendum auctæ quantitati. Constat enim, ea omnia esse ex vsu, quæ siccant, resoluuntque, vnde prosunt vigiliæ, exercitia, cibi pauci, paucus potus, extenuantia quæque, & abstergentia.

Eadem nos causa excusabit, si nihil diximus de curatione morborum, qui in mala figura; nam hæc, vel sit vitiata quantitate, aut ob auctum, aut imminutum numerum partium, ob prauum situm earundem, cauitatem læsam, ob vlcera, tumores: itaq; vbi quis sciat occurrere hisce affectibus, iam idem facile intelliget, quomodo vitiata figura debeat emendari. At de curatione morbi in situ, auctæ, imminutæuè magnitudinis, tumorum, solutæ continuitatis, est actum: morbi in numero imminuto, curationem nequaquam admittunt: adauctos, sciet quisquis curare, qui morbos in aucta magnitudine curare sciet: nimirum iisdem tollentur remediis, intensioribus tamen. Proinde nullus imminutam censebit hanc methodum, si capite hoc concludamus, quæ de abigendis morbi generibus, dicenda erant, ac de curandis eiusdem differentiis dicere aggrediamur.

Differentiarum morbi, quæ à subiecta materia sumuntur, curatio. Cap. X.

POstquam tradidimus methodum, qua valemus occurrere simplici cuique affectui, esset modo docendum, qua arte possunt abigi impliciti morbi: at quoniã de re hac egimus lib. 14. progrediemur propterea ad morbi differentias: id enim esse reliquum videtur: Et quoniam inter has, eæ primum obtinent locum, quę à subiecta materia desumuntur, has primum curabimus. Cæterum, quia sunt hæ differentiæ multæ, nam quidam morbi sunt pueriles seniles alii; quidam viriles, alii mulieбres: quidam priuati, alii communes, iique varii, endemii, epidemii, & hi perniciosi, aut non perniciosi; quicumque demum, aut vitalis, aut animalis, vel naturalis; ne vel diminuta euadat disputatio, aut confusa, eodem, quo sunt propositæ ordine, agemus de singulis.

Pueriles affectus, eadem exposcunt remedia, quæ seniles desiderant: iisdem tollentur pariter affectus, qui viros, & mulieres infestant; neque enim alia præsidia admouent medici epilepticis, pueris, senibus mulieribus viris: Sed quia pro sexus varietate, & ætatis, & temperies est varia, & formatio, varia quandoque ratio victus, & consuetudo viuendi: atque hæc omnia in consideratione adhibenda, vbi quis rectè velit curationem aliquam instituere, fit propterea, vt varietur quandoque, aut remedii quantitas, aut materia, quamquam indicationes sint semper eædem. Laboret e.g. & puer, & senex acuto morbo, vtrique morbi natura perspecta tenuis apprimè victus est ex vsu, & cum morbus sit magnus, magna vtrisque admouenda præsidia: at quoniam pueri, pluribus fomitibus egēt, senes facilè ieiunium ferunt, fit, vt quamquam eadem indicet vterque morbus, haud tamen par quantitas exhibetur à nobis, à varietate virtutis indicatione desumpta.

Hinc quia mulierum caro mollis, & difflabilis facilè, virorum dura, & compacta, mitioribus illæ curandæ remediis, maiora tentanda in viris: vnde, quia potest remedium fieri imbecille, aut imminuta illius quantitate, aut mutata materia medicamenti, iisdem indicationibus perpetuo seruatis, debiliora admouebimus, hoc est, vel in minori quantitate, vel aliam medicamenti materiam eligentes.

Non secus indicat sensus, ac temperies partis: nimirum sunt quædam partes sensus exquisiti, hebetioris aliæ: quędam raram habent substantiam, & difflabilem facilè, resistunt aliæ magis: quare quamquam eędem vigeant indicationes, vbi idē est affectus in parte dura, & molli, sensus hebetis, & exquisiti: nihilominus, quia illa valida potest remedia ferre, nequit eadem mollis, & sensus exquisiti tolerare: hinc fit ne admoueamus eadē remedia prorsus, quamquam idem faciēdi vim habeant. Sic in ophtalmia parcimus oleo rosaceo, quia oleum oculis inimicum, quo vtimur in aliis externis inflammationibus. Id impulit medicos, vt peculiares conscriberent, de morbis mulierum, & puerorum libellos; non enim eos tantum percurrunt affectus, qui vel pueris, aut mulieribus proprii, sed eos quoque, quos habent communes cum aliis, nempè quia nouerant facta mutatione in virtute, aut sexus, aut ætatis ratione, non semper esse eadem propemodum medicamenta opportuna. Quamobrem ne in iis eligendis, aut quātitate præscribenda aberraretur, peculiari tractatu docendum existimarunt, quæ cuique essent vsui. Eadem ex causa factum, vt diuersam instituerent disputationem, de frigida intemperie cerebri, ventriculi, & iecoris, nam licet omnis, calida admoueri desideret, & vbi humorem fouentem habuerit, euacuationem illius, alia tamen via vacuari postulat, qui redundat in capite, ac stagnans in stomacho:

macho: nempè hic vomitu, aut deiectione, expurgatur caput per nares, os, aures, suturas : habitus corporis protitato sudore, frictionibus, motibusuè.

In communibus morbis est, quod addas: nempè cum pendeant illi à causa communi externa, vt aquis corruptis, aut inquinato aere, vel situs, lociuè ratione, vel ob aliquam causam aduentitiã, est huius causæ externæ, quę vt morbum induxit, sic eundem seruandi vim habet, ratio magna habenda : itaque discedendum quamprimum est, & illud medicorum consilium probo, qui probant in huiusmodi affectibus pillulas de tribus vocatas, nempè, vt tecedat homo quamprimum, vt quam longissimè ab aere illo inquinato, & vt tardissimè redeat. Vt occurrendum morbo ab aere pellilenti inducto mox dicemus.

Morbi maligni curatio. Cap. XI.

MAlignus affectus, debet omni industria, omnique arte inhiberi, ne fiat; nam vbi inuasit, aut ita clam serpit, vt nos eius progressus omnino lateat, aut esto innotescat, vix aliquam curationem admittit: præsertim, si ad corusq; veoenum sese effuserit. Cum vero inhibeatur affectus cuiusque generatio, vbi eius causæ absciodantur, etit omoi via putredo inhibenda, quando ex summa putredine, veneoata qualitas, ab hac morbus malignus; at verò eximiam contrahunt humores putredinem, cum putrè aerem, paluſtrem, & caliginosum inspiramus, cum ptauis vescimur alimentis, cũ gulæ, & Veneri, plus æquo indulgemus: cum curis prçter modum angimur; quare recta horum omnium adniniſtratio procuranda, ne huic calamitati reddamur obnoxij. Quanti hoc momeoti, docuit præter alios multos, Fauorimus philosophus quippè, qui putauit, vt 2. noct. Attic. Gell. refert, idcirco Socratem in illa pestilentiæ vastitate, quæ Atheoiensium vrbem potissimum est depopulata, salubritatem corporis retinuisse, vt nequaquam fuerit communi cladi omnium obooxius, quod à voluptatum illecebris, & passionibus animi cauisset. Cæterum, quia tanta est quandoque hniuscemodi causarum sæuitia, aut necessitas; nam quandoque putrem aerem cogimur spirare, vel quia carceribus detinemur, aut quia, alterius imperio coacti per loca prauis halitibus infecta, iter facimus: prauis alij, ob inopiã, alimentis vescuntur, ita molles alij, & sensibus mancipati, vt voluptatibus seruiant, quo fit, vt ſucci contrahant ingnem putredinem, & venenum : procurandum secundo, ne venenata illa qualitas ad cor vsque repat, & diffundatur; fiet hoc triplici genere remediorum. reuellentibus, & auocantibus alio succum venenatum, & putrem: roborantibus cor, ne prauos illos halitus recipiat, & extinguentibus illos, aut quouis alio modo eortumpentibus. Ad reuellendos halitus venenatos, seu succos, qui recta ad cor, impetu ferè proprio feruntur, inuenere medici multa præsidia, cnemata nempe, frictiones, purgationes, cucurbitulas multas, tum siccas cum scarificatas, & vesicatoria. Ad robotandum cor, antidota, vnde laudant theriacam, mitridatum, hyacinthum, alchermes, terram lemniam, seu sigillatam, bolum armenum, & potissimum lapidem Bezoar, à quo cũcta alexipharmaca bezoattica dicta fuere: laudant pariter, & extollunt oleum chalcanti: neque assumendis tantum cordi addere vim procurant, sed & admotis: vnde inuenere multa olea, inter quæ eminet oleum M. Ducis Florentiæ, epithemata varia, extractum theriacæ: iisdem putant, venenatam qualitatem extingui, duplici, vt nomioe prosint hæc antidota in huiusmodi affectibus; nimirũ quia cordi vim addunt, & quoniam causam venenatam discutiunt.

Fiat hoc reuellentibus venenum, extinguentibus, & corroborantibus.

Quod spectat ad reuellentia, quædam omnes admittunt, de alijs dubitant, an conueniãt, & quidam admittuot, reijciũt alij. Nempè probant quidam scarificatas cucurbitulas, alij aut omnino reijciunt, aut litigant de loco, cui affigendę. Venæ sectionem, nonnulli commendant: timentes alij viribus, censeot esse ab illa abstinendum: quanta de vesicatorijs controuersia? quanta de tempore purgationis lis, & discordia? Quamobrem, ne in re tanti momenti, & controuersia, Imperatorum more agere videamur, eia age, ad veritatis lancem illa appendamus; Quia verò laudant omnes enemata, & frictiones: dubitant, an sint ex vsu cucurbitulæ, vesicatoria, purgationes, de his disputemus, an ad reuellendum, conueniant; nam vbi ad cordis vsque substantiam, se propagauit desperata res est, & vt Gal. ait, *quam medicinam excogitabis, ad eam putredinem, qua cordis corpus occupauit?* & licet à venę sectione exordium sumendum esset, quia tamen, alibi dictum de re ista, cucurbitolarum vsus examinandus succedit, non siccarum, cooſtat enim pars, quæ affirmat ex ijs, quæ lib. de chirurgia à nobis sunt dicta. Quæremus itaque, an conueoiant scarificatæ, potissimum, vbi aut maculæ, aut puncta quædam, veluti morsus pulicum cutim vniuersam fędarint; nam vbi natura, non tentauit hac via sarcinam humorum deponere, aut nullo modo cogitant de hoc temedio, aut libenter abstinent. Quia verò de hac difficultate, multa multi, neque enim quisquam de peste scripsit, qui de re ista, non scripserit dicam pauca.

An apparentibus maculis scarificatæ cucurbitulæ cõueniant.

Id

Id ergo, ante omnia inspiciendum, vt hæc difficultas enodetur, an illa vaporum decursio, à quibus cutis vario colore inficitur, sit symptomatica, an critica, an mediam illa naturam habeat, vt partim sit critica, partim symptomatica enimuero, si symptomatica sit, quis symptomata augere procuret? nec quicquam agendū medico erit, si perfectè ea via, criticarit natura; nam vt doctè Hipp. *quæ indicantur, aut indicata sunt integrè, ea sinere oportet*. Quoniam verò mediam ferè semper, hæc habent naturam, & partim criticæ maculæ illæ existunt, partim symptomaticæ: criticæ, quia noxiæ causæ portio excernitur, symptomaticæ, quia exiguum est, quod extrudit natura, quia intempestiue, & materia nondum cocta; hinc dubitandi occasio insurgit, an sit sanguis mittendus per cucurbitulas, an vena potius tundenda, an nihil agendum; quod est quærere, sint ne vacuationes criticæ, quia nocuus educitur humor, symptomaticæ vero, ratione quantitatis, quia imminutæ: & temporis, quia intempestiuæ, adiuuandæ, an cohibere eas fatius? qua in re, & si vario modo sit opinatum à medicis, & quidam cohibendas esse censeant, quia multo maius est detrimentū, quod ex boni vacuatione, infertur, quam emolumentum, quod nocui humoris eductio affert; si tamen experientiæ stādum, proculdubio partem affirmantem sequemur; nam, vt mittam peculiares cuiusq; obseruationes, mox enim dicentur, consingi à nobis, vt hanc sententiam contumaciter tueamur, docet illud Galen. multis in locis nam 1. epid. comm. 4. scribit superasse Silenum nonam diem, quia octaua illi papulæ apparuerunt paruæ, rotūdæ, & rubentes: miraturque idem Hipp. quod Critoni, cui pes intumuerat, ac dolebat, magnisque erat maculis infectus, non miserit sanguinem, cum facile intelligere potuisset, non esse pedis digitum capacem totius causæ, quæ morbum inuexerat: & exponens historiam eius, qui in horto Dealcis decumbebat, cum cætera symptomata damnasset laudauit abscessum. Sed ne longa ægrotantium numeratione, quod in Hipp. reperies facilè, & Trincauell. congessit sub finem, tractat. de febre pestil. te fatigem ratione id suadebo. Vacuatur his portio causæ facientis morbum. quare quāquam in principio fiat, te iuuabit, alioquin nec turgente materia, in principio vacuare liceret, si maius esset damnum, cum cruda materia vacuetur, quamquam nocua propter boni admixtionem.

Profunt nam vacuationes symptomaticæ ratione quantitatis & temporis: affirmat auctor.

Dices, non esse eandem rationem, sed longe diuersam: siquidem in turgentia materiæ habemus naturam adiutricem, non vbi non turget, ac propterea fieri, ne lædat vacuatio illa, hęc vires prosternat. Non nego, vbi ita res accidat, prosterni à vacuatione facultates, non esse adiuuandam: at non semper ita accidit, sed vtrumque contingere obseruamus. Quamobrem erunt hę vacuationes adiuuandæ quandoque: cum vires præter modum ab illis læduntur, aut cohibendæ, aut finendum; enimuero, quod dixit Hip. 4. aph. 22. & Gal. ibidem, vt mittam mille alia loca, nihil benè vacuari in principio ita intelligendum, vt benè adnotauit Valles. lib. 5. controu. c. 4. nulla vacuatio est laudata in principio rationē signi; significat enim irritari naturam, coactamque ante tempus insurgere: tametsi nihil vetet, quin tamquam causa, sit vtilis, ac propterea esse iuuandam.

Et Hippoc ac Gal. explicat.

At qua via, venæ sectione, an cucurbitulis; Respondeo, si sit imminuta vacuatio, quia natura onere, & copia pressa, non valuit omnem deponere sarcinam, exoneranda natura à plenitudine, quod cum nullo remedio commodius fiat, quā vena secta, hæc aperienda. At si ex alia causa factum est, vt imminutè vacuarit natura, nempe, quia cutis fortasse adstricta, vix que impeditæ, commendo cucurbitulas scarificatas. Vide quæ scripsimus lib. 19. Ex his patet, non esse omnino auersandam purgationem in morbo maligno, tametsi non sit coctus, ni tamen alia abnuant, quæ ad purgationem rectè moliendam, præter concoctionem requiruntur, vt lib. præcedenti à nobis dictum; nam si quandoque iuuat vacuatio, crudo adhuc morbo, licebit illam quandoque tentare, crudo adhuc morbo, præsertim si corpus fuerit præparatum.

Quo remedio iuuanda illa vacuatio.

Purgatio, quādoq; optima in morbo maligno in principio.

An & vesicatoria commoda? non me latet, multa de re ista scripta ab Hercule Saxonia, & Alexandro Massaria, nec solū non posse quicquam addi, sed multa detrahi, adeò est diffusè ab vtroque de re hac disputatum, vt tamen paucis meam sententiam proferam, vt laudo illa, cum soporosus aliquis affectus, malignos hosce morbos comitatur, sic vbi nullo afficitur symptomate caput, aut calido, abstinerem libenter: non quod à corde, aut capite, prauo aliquo affectu laborante, & prauos humores vaporesque excipientibus retrahendum non esse, necessarium censeam, sed quoniam sunt alia multa quæ valenter extrahunt, nec adeo calore nos lędunt, aut alia praua qualitate qua non videntur, omnino carere huiusmodi caustica, & ignea prędidia.

Quid de vesicatoriis.

Morbi venenosi curatio.
Cap. XII.

VEnenosum morbum, duplicem esse, supra à nobis statutum, alterum, qui à veneno in nobis genito ortum habet, alium, qui à veneno externo, quodcumque illud sit suam ducit originem.

Quatuor facienda in morbi veneni curatione.

Quamobrem, cum de curando priori, à nobis sit dictum, est modo proposito ordini consentaneum, vt de curatione morbi venenosi, facti, aut quia est assumptum venenum admotum, aut morsu inflictum pertractemus. Communis, veneni externi curatio, quatuor tantum scopis absoluitur, vacuatione veneni, seu assumpti, seu admoti, aut morsu inflicti: intercipientibus vias, per quas ad cor insinuatur: roborantibus cor, ne venenum admittat, & ijs tandem, quæ venenum extinguunt; nam quamquam, vbi nos latet species determinata veneni, non valemus certum alexipharmacum exhibere (hoc enim optabilius esset) si tamen est hac in re, fides adhibenda Galen. valet theriaca, & mithridatum, nedum ad extirpanda venena omnia, seu intus genita, seu extra illata, sed & ad omnes morbos, vel grauissimos fugandos, circulatorum more commendat, & extollit. Quare poterimus illis vti ad explendum hunc scopum.

Quid primũ faciendum, & quid postea.

In exequendis autem, quæ sunt indicata, etsi Diosc. commender, & ipsum sequuti quamplures, vt ante omnia illud procuremus, vacuare nimirum venenum assumptum, siue admotum, puto tamen, in eiusmodi generis morbis, qui adeo festinant ad necem illud conducere magis, si omnia simul adhibentur, præsertim cum vnum præsidium alteri non aduersetur. Simul ergo veneni vacuatio tentanda, eiusdem qualitas inimica & infensa retundenda: Cordi robur addendum, & viæ, per quas ad cor tendit, intercludendæ.

Quia via vacuandum venenum, & quibus.

Veneni vacuatio per eas vias tentanda, per quas facilè potest vacuari. Quare, si per os sit assumptum, vomendum: si per sedem, iniiciendi clysteres: si morsu inflictum, scarificanda pars commorsa, mox affigenda cucurbitula, quæ habet vires valentes ad extrahendũ; nam suctio ab homine facta, aut animali exenterato, & parti imposito, aut non ita prompta cuiquè est, aut non tentabitur citra discrimen sugentis, quamquam os abluat lacte, vino, oleo, theriaca, aut demum, non valet ita extrahere, vt cucurbitula. Ad eundem scopum consequendum commendant quidam sudores, & ferè omnes pharmacum, à quo non abhorreo, vbi iam ad partes penitiores sese insinuauit; si mox sit venenum porrectum, tutior erit vsus eorum, quæ vomitum valent procurare; nam sunt commoda magis, non solum, quia promptius venenum assumptũ extruditur, sed quia oleum assumptum, butirum lac, pinguia quæque, & aqua calida, ni vomitu, venenum vacuent, aut per sedem, via laxata extrudant: impacta in vijs potissimum verò in meatibus, prohibent veneno aditum: quod cum non lateat circulatores nostri temporis, hoc remedio muniti, innoxiè non pauca venena assumunt, vt imponant Adstantibus, præstantissimum esse alexipharmacum, quod procurant vendere. Iuuat demum aqua calida bibita, & lac, quia habent vim extinguendi ardorem, quem vt plurimum solent venena inferre.

Quomodo venenum intercipiendum.

Venæ sectio, tunc permittenda, cum aliqua induxit venenum symptomata, quæ ipsam exposcere videntur. Quæ vias intercipiunt, sunt ligaturę supra partem commorsam, aut quæ adstrictoriam vim habent, si sit venenum assumptum, vt bolus armena, terra sigillata, sanguis draconis, cornu cerui vsti, terra melitensis, auri, & argenti folia.

Quæ venenũ extinguant.

Quæ ipsum extinguunt sunt calida quæque, inter quæ habet locum præcipuum allium, est enim theriaca rusticorum, vinum meracum, & potens, aqua ardens; nam citissimè in totum diffunditur, dissipatque halitus prauos. Paratur hodie oleum chalcanti, & sulphuris, & in iure propinatur: datur quoque acetum ad disseccãdos succos glutinosos ex fungis, & alia multa.

Quæ cor corroboranti.

Non minor sylua sese offert eorum, quę cor ipsum valent corroborare. Commendant alij alia: extollit theriacam Gal. mitridatumque, cui confectioni Rex Mitridates dedit auctoritatem, terram lemniam Græci quidam: Arabes lapidem Bezaar, scorsoneram Hispani: est in frequenti vsu apud nostros hyacinthi confectio, alchermes: nec tantum assumptis corroborare procurant, sed & admotis epitthematibus, & vnctionibus idem assequi student, quã ad rem consequendam, habent frequenti in vsu oleum Magni Ducis Florentiæ, & Mattheoli. sunt, & alia multa, quæ quia passim inuenies apud quosque, qui de venenis scripsere, transcribenda propterea hic non curaui.

Cur de curandis morbis veneficis nihil scribat.

Video pro huius libri coronide id esse reliquum, docere nimirum qua methodo occurri possit veneficis morbis, scilicet, qui Dæmonum opera inferuntur. Quia vero, qua ratione fiunt à qualitate, aut humore, aut quauis alia materia, nullam habent distinctam indicationem à reliquis, qui eiusdem sunt speciei. Quã verò ratione, à Dæmone fiunt fouenturque, remedijs supernaturalibus expugnantur, de quibus ad Theologos spectat agere, nil dicam propterea ego, nam testè monet ille. Ne sutor vltra crepidam. Hic itaque finis erit huius libri, & totius operis. Da Deus, vt sit vtile, ne mihi tantum hanc vitam vixisse videar.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

FINIS.

IOAN-

IOANNIS FRANCISCI
ROSSELLI

Censura ad censuram vocata.



Scribendi occasio. Cap. I.



PEtuenit ad manus meas dono Petri Praz Catalani, heù quõdam mei, volumen primum Commẽtariorũ Ioannis Francisci Rosselli in libros Galen. de differentijs, caussisque morborum, & symptomatum; nam huic, seù auctor, seù alius, multa exemplaria ad vendendum transmiserat. Fuit mihi donum gratissimum, nam de re medica, & ea, quæ me maximè delectat, pertractabat. Cœpi itaque cupidus librum statim voluere, euoluere, & vt solent famelici, deuoraui potius, quam legi. Sed dum hac illac auidius iactor, en imparatus pungor, & incautus. Quid quæris? commotus sum ad primos ictus; non enim videbam, quod boni solent scriptores, meam de natura actionis deprauatæ sententiam impugnari, sed in me, meũq; nomen acriter inuehi. Deus bone. Hominem nunquam mihi ante cognitum, nulla a me iniuria lacessitum, in me furere, in me irruere, multa mihi falsò adscribere? Quid facerem, diù cunctatus, nihil valebam certi constituere. Itaque sæpè impetum feci, sæpè me continui. Detinebat me primum, & ferè currẽtem retardabat genius hominis, dicax alioquin, & procax, & cui hoc studium, mordere, non docere. Fallor, an fallo? Co-

a pag. 96. & p. 263. gnosce hominis ingenium. *a* Fernelium virum omnium calculo doctissimum, le-

b pag. 526 gislatorem appellat. *b* Magnum Commentatorem Auerroem, catulum aduer-

c pag. 581 sus Galen. allatrantem, *c* Leonardum

d pag. 919 Fuchsium, physicæ rationis ignarum: *d* studiosos ipsius doctrinæ, Philosophos

e p. 1250. abiectos, & neglectos; *e* Capiuacceum, Rudium arrogantes. An pepercit suis

f pag. eadẽ Hispanis? *f* Christophorum Auega insolentem appellat. Quid iniurias Argenterij recenseam, viri acri ingenio prędîti, & quod in summa eius laude est, Ros-

g pag. 263. sello inuisi? *g* Zoilum vocat, audacem Galen. censorem, leuissimum, bardum, abiectum, audacem, improbum, sputcissimum, *h* simplicem, & multarum rerum imperitum, *i* petulantem, audacem, accusatorem malitiosum, k ignarum, *l* delirum, *m* vespam, conuiciatorem, maledicum. An à Gal. abstinuit? obstrepẽtem appellat Cicadam, cum tamen profiteatur esse fidum eius asseclam, acerrimum Patronum, & vindicem; nam *eius*, inquit, *gratia reconditos Argenterij aculeos iampridem obtusimus* pro obtudimus *posthac penitus euellemus, & extirpabimus. n*

(p. 1247. h p. 1094. i pag 534. k pag. 535 l pag. 536. m p. 528. n pag. 528)

Miror cur non illud Plautinum addiderit, & pro quo

pugna illa Penthethronica — Pen. act. 2.
Qua sexaginta hominum millia vno die
Volaticorum; manibus occidi meis.

Ergo sic vna mecum ratiocinabar; morosi hominis est, subiralci canibus, quod oblatrent: ride igitur absurdè latrantem, sapienter præteri. Accedebat auctoritas summi medici Ioannis Francisci Carauascial Hispalensis, qui ab eodem prouocatus (audi causam, & ride) quod Excellentissimus Dux Alcalanorum, ipsum despectui haberet, Carauascialem contra laudaret suspiceret, spreuit hominem, & vt Canis ille ex Albania, solo contemptu inanem fastum elusit. Cur tamen ipse tantorum hominum auctoritatem non sequar, sed alia ingressus via, audaciam hominis procacissimi scripto retũdendam censuerim: & publica iniuria impulit, & priuata mea vtilitas. Illa quidem, nam cum Regia sim auctoritate ad docendum constitutus, Magistratuum consilio, & hominum lectissimorum suffragio lectus, quicumque me desipientiæ notat, eidem culpę eos reddit obnoxios, quorum auctoritate, aut consilio, ad hanc fui dignitatem promotus: interest autem Reip. tàm effrænatam maledicendi libidinem coercere, & comprimere, ne si impune id semper se facturum intelligat, bacchantis more exultet, & in omnes feratur. Adducit quoque priuatum meum commodum, ne silentio probata mihi quispiam censeret, quæ à me confutata non videret. Quæ ergo intorsit

(Ita constat ex epistol. quam scripsit ad ipsum.)

iacula, conabor repellere potius, quam retorquere: quod tamen dum facio, si vulnus fecero, is dolebit, qui alia omnia agentem prouocauit. Sanè vt olim Retiario piscis, sic mihi nunc veritas proposita. Quod si dum piscem sector, gladiatorem irretiero, fors erit, non consilium. Liceat ergo prisco more tritum canere ante pugnam. Non te peto, piscē peto. Quid me fugis? Non certè, non effugies.

Excusatio pro Galeno adducta reijcitur. Propriæ, & Argenterij iniuriæ vindicantur, & definitio deprauatæ actionis defenditur. Cap. II.

Legi Rosselle, quæ visa tibi aduersus me blatterare, audi modo, quæ censui retundēda, vt qui loquitur, quæ vult, quæ non vult, audiat. Conatis in exordio quæstionis de natura actionis deprauatæ excusare Galenum, quod de symptomatis multa pro more scribens, omiserit docere actionis deprauatæ naturā. Quod Galenum excuses, laudo cōsilium, probo: fecissem idem ego, ni plus veritati, quam ipsi tribuendum censuissem; sed quas affers excusationes, quis admittat? missa enim hæc à Gal. scribis, quia occupatus curandis languētibus, & quoniam logica quæstio hæc est, hoc est curationi rectè instituendæ inutilis. *De quæstionibus,* ais, *Logicis omnibus curis laxatus Galenus, tempori cedens, in sola morborū curatione adhibenda omne suum studium collocauit, contempta inter alia in hoc libro definitione actionis deprauatæ, quæ profectò ad curationem nullo vsui est.* Quis, inquam, admittat, inutilem esse huiusmodi inquisitionem? nam si infructuosa; cur non eadem ratione omisit definire morbum, symptoma, quemcunq; alium affectum peculiares partes infestantem? Cur non & tu, vir vsque adeò frugi, nō prætetijsti silentio? *Ne ais, è plebeia fæce haustus quispiam, negligentia hos nostros commentarios arguat.* Et Elephas culicem? At debent animi excelsi contemptum istum contemnere. Præstabit itaque credere, occupationibus multis districtum Galenū, huic contemplationi vacare non potuisse. At quæso te. Vnde hoc didicisti? An Galenus ab inferis per epistolam hoc te monuit? An contra Laruarum aliqua tibi reuelauit? Demus tandem hæc tibi, & tecum fateamur, ob multas occupationes Galenum hæc omisisse: nonne tacitè fentis, peccasse Galenum, mœreri tamen veniam, quia occupatus singula disquirere non potuit? Sed hæc satis, ne in Galenum inuehi videamur, cum tamen excusationes tuas, accusationes esse sit animus demonstrare. Descendamus ad ea, quæ maximè mea sunt, & quorum causa hanc aleam subiui. Quarè videamus, quæ in me, & meam sententiā, cætera disquirent alij, si velint. Ego sic rectè definitam esse actionem deprauatā contendam. Est quæ sit aliter, ac fieri debetet pro salute animalis. Nunc te carpentem audiamus.

Quidam, ais, Santorellus, vnus ex his, quos ille nihil sapere docuit, &c. Ita ne? Atqui multum mihi tribuunt multi, qui omniū iudicio multum sapiunt. Magistratus me publicè ad docendum præposuit; Auditores magna frequentia, plausuque mea excipiunt: cæteri sic mea scripta probarunt, vt iamdiù expectent Anteprasis meæ exemplaria. An displicui exteris? Possem tibi multos Italos recēsere, qui honorificè admodum de me sentiunt; ne tamen amice dicas blanditos, Hispanos tuos appello non eos, qui hic commorantur, ne vt suspectos patiter reijcias, sed Gabrielem Fonsecam, & Michaelem Battedam, quorum hic probantibus omnibus, nisi forte obtrectante, cui stomachum mouent dulcia, sapiūt amara, docet medicam facultatem Compluti: Ille summa cum laude Romę summis Principibus facit medicinam: hos roga, haud dubito, quin vt tui, doctrina, & modestia sunt dissimiles, sic de me aliter, ac tu sentiant: quamquam nec tu aliud intemperante hoc tuo scripto testaris; vt enim Curiores, non eos inspiciunt, quos post se reliquerunt, sed in eos oculos intendunt, quos vident anteire: sic calumnia in meliores dirigitur, vitisq; laudatis perpetuò insidiatur. Imò & passim confirmas; nam idem quod ego sentis in ea quæstione, qua quæritur, an possit læsa actio aliam actionem lædere: idem in hac quam præ manibus habemus, vt mox demonstrabo, vt mittam communia. Quis autem desipientem sequitur, imitatur, ni sit, & ipse desipiens?

Sed rogo te Rosselle, Quis tam malè, me perdidit, & in syluam malorum coniecit? *Ille* ait, Argenterium innuens. Argenterius ergo tanti causa mali? O malum hominem: siccinè amicos, & alumnos? Sed heus tu, mi homo, aut fallis, aut falleris certè; non enim Argenterianus sum ego. Placet quidem in Argenterio liberum illud genus philosophandi: admiror acre hominis ingeniū, in peruidendis aliorum erratis acutum, detegendis clarum, perspicuum, confutandis robustum, & validum. Displicet contra immodicus ille contradicendi ardor, quo abreptus, à vero deflectit plerumque: quò factum, vt plerumq; ab eo recesserim; nam alia mihi, alia illi sententia de natura morbi, & causæ, de morbi, causæq; generibus, & quoties potui, Galenum ab ipso vindicaui. Ergo sicubi

erraui,

erraui, ego in culpa, non alius. Proinde me, me feri, monstrum, qui tale tuli.

Suffuratus es, subdis, hanc de natura actionis deprauatæ sententiam ab Argenterio, neue furto deprehenderers, verbis mutatis vt propriam in medium profers, fures imitatus, qui vestes raptas in alias figura dissimiles commutāt, ne forti conuicti debitas pœnas luant. *Quidam, ais, Santorellus, vnus ex his, quos ille nihil sapere docuit, cum toto animo de huius actionis definitione cogitasset, camdem, peroptato illi datam vehementer amplexus est, bilaritatisque simulatione rapinam texuit, & auctori culpam adscripsit, quod difficultatem definiendi subterfugisset; Cumque fures earum rerum, quas cœperunt figua commutent, proinde actionem deprauatam definiri scribit, quæ fit aliter ac fieri deberet pro salute animalis.*

Duo hic crimina mihi Rossellus imponit, furti alterum, alterum imposturæ, quàm iniustè, eiusdem testimonijs probabo. Ad furtum, duo sunt necessaria: primum est, vt res aliena auferatur, hoc est inuito domino rapiatur: secundum, vt auferatur occultè; hinc definitur furtum, quod fit occulta subreptio: fraudolosam vocat contrectationem Paulus, & quod occultè fit, furtim fieri dicimus; literasque sic scriptas, vt nonnisi ab eo, ad quem scribuntur, intelligi possint, furtiuas notas appellamus; nam fur, à quo furtum, à furuo, hoc est nigro, Varrone auctore, est dictus, quod furta clam fiant, & plerumque nocte. Nunc verò datam mihi huiusmodi definitionem testaris Rosselle, & vt nullam vim factam, fraude nulla subreptam declarares magis, peroptato, hoc est libenter mihi datam scribis. Qui ergo rapta? Quorsum insuper in indagandæ actionis deprauatæ natura, tantos adhibuissem conatus, si definitionem nullo labore suscepto, Argenterius obtulerat? Nec furatus itaque, neque vllam, vt ais, *rapinam texui*. Dic tertio, si ab Argenterio hæc subripui: quomodo aliam mihi, aliam Argenterio sententiam imponis, & primum Argenterij de re ista sententiam profers, mox meam affers in medium? noanè præstabar illam Argenterij nomine impugnare, me tamquam furem tantum reprehendere? Afferam verba, ne quis falsò ista imponi suspicetur. *Porrò tametsi homo improbus*, hoc nomine vocat Argenterium, *aduersus Galen. audacter dixerit*, quid tamen dixerit, tacet; *in sua tamen confusa, & permixta disputatione*, quibus cum permixta? *multos inopinatè docuit*. Si confusam texuit disputationem Argenterius, quomodo multos potuit docere? aut si docuit, & multos, confusa illa certè non fuit; aut demum si confusa illa est, & multos nihilominus docuit: vide quid futurum, vbi improbus iste scribit clarè, & distinctè. At quomodo inopinatè, quæso te, si hoc sibi tacendum proposuit? *Quia, ais, confundendo, & permiscendo varias cogitationes, vt ex illis definitionem aucuparetur, non consultò, sed casu in hæc verba incidit: damnamus siquidem omnem actionem, quæ aliud opus facit, quam oportet, veluti si ventriculus pro nutrimento, venenosam aliquam substantiam gignat.* O inauditam aciem oculorum, qui quæ sunt, non agnoscunt, quæ non sunt, intuentur; in Argenterio enim incogitantiam nouit, in me hilaritatem simulatam. Sed si vsque adeo in re ista confusus Argenterius, inconsultus: Cur me ea saltem laude non decorasti, quod distinctè, quod apertè, hac de re fuerim loquutus? quod ista illustrauerim, dilucidauerim? Enimuerò, quæ alij præstitere, si meliora reddamus, haud rapta iure quispiam dicet, ni dicere velis cuncta à Conciliatore transcripsisse Vallesium, D. Thomam ab alijs Theologis, ab Homero Virgilium, ab alijs Philosophis Aristotelem. Sed heus tu, nè putes hæc ideo à me dicta, quod tacitè fatear ab Argenterio esse mutuatam de natura actionis deprauatæ definitionem: nunquam hoc vel somniauit; tuum est somnium, tuum est commentum: & vis vt liberè hoc dicam, & verè? malas mulieres imitari videris, quæ cum turpem suo corpore quæstum faciant, honestas tamen matronas impudicitiæ notant, adeò cum pudicitia pudorem omnem exuerunt; Vt enim tumet lib. 3. q. 16. fateris, id tantum inuenisti, id nondum dictum ab aliquo dixisti, quod ad tertium genus symptomatum pertinet, eamq; ob caussam mirum, quantum te iactas, gloriaris, tibi places, cum tamen si saperes, nunquam voluisses dictum, & nihilominus tu me furti accusas? Tu qui centonem ineptè concinnasti? me? qui primum docui naturam symptomatis, delirij, qui primus monstraui nec palpitationē, nec conuulsionem fieri à solo morbo, nō à solutione, & alteratione dolorem, sed à parte soluta, & alterata: qui problema 50. 1. sect. alijs peruertentibus literam, illustraui, qui rectam rerum omnium administrationem in morbis docui, furti criminari audes? & tu audes hoc facere, qui caput primum primi tui libri à Zabarella transcripsisti, spoliasti veste Romana, barbaram induisti? Tu me insectaris, cum à me fueris suffuratus illud, quod nondum aliquis antè me docuerat, ab vna læsa actione aliam læsam nequaquā prouenire? Qui demum definitionem actionis deprauatæ à me arripis, tu, tu furti me insimulas? O os hominis ferreum. Ita factum Rosselle mox probabo, nunc reliqua ordinatè prosequamur.

Videamus itaque quid reprehensione dignum censeas in hac deprauatæ actionis

nis definitione; Est quæ fit aliter, ac deberet pro salure animalis: qua ratione fit, differt ab abolita, quæ aut nullo modo fit, aut nullatenus, quantum sensu dignoscere licet: qua fit aliter, ac deberet, à diminuta est diuersa, quæ non fit aliter. sufficienter itaque à quouis alio distinguitur. quarè, & constituitur, nam vt logici, idem est distinctiuum, & constitutiuum. *Verum, ais, hæc deprauatæ actionis praua definitio, non est admittenda, sed grauius refutanda, & reijcienda*: Cur? audi causam, eamque duplicem, *tum propter eius auctorem, & impulsorem, cum propter nonnullos horum hominum sequaces, qui & docere nesciunt, & à doctis doceri recusant.* Dic rogo, quisnam auctor, quis impulsor? Ego certè Argenterium haud impellere potui: Quare erit Argenterius impulsor, ego auctor; non ergo rapinam texui, vt tu falsò asserebas.

Præterea non debent auctores, sed auctorum dicta impugnari, vt benè Clemens Alexandrinus, *non propter eum qui dicit, sunt imperitè ea prius damnanda, quæ dicuntur, sed sunt consideranda, quæ dicuntur, an veritati cohæreant.* Plancus ille Ciceroni familiaris optimè, *Non me priuatæ offensiones impedient, quominus pro Reipub. salute, etiam cum inimicissimo consentiam.* Tu ergo perperam: qui priuata inimicitia impulsus, aliorum sententijs contradicis; & eorum, quibus cum, nulla litis, aut discordiæ causa: nunquam enim te noui: nunquam tu me nosti. Sed audiamus aliam causam.

Lib. 10. epist. famil. epist. 11.

Cum propter nonnullos horum hominum sequaces, qui & docere nesciunt, & à doctis doceri recusant. Displicet itaque, quia alijs placuit, & quia alij ipsam consectantur, idcircò auersaris. Quid ergo? Vis ne omnes sapere ex ore tuo? & id tantum sanctum esse, quod velis? Sed heus tu, tu qui alios carpis, in tua crura asciā allidis, & veluti pueri, quo saxo Cœlum petunt, se ipsos feriunt, Cœlum non attingunt: sic tu dum sæuis in alios, in te furis. Rides? immutato nomine, de te fabula narratur. Tu enim meam sequeris sententiam, vel inscius, vel veritate coactus. Quarè si nostri sequaces, & docere nesciunt, & doceri recusant, illud tibi, te iudice, conueniet elogium, & doceri, & docere æquè nescius. Salsèque quidam meus discipulus in te scripsit.

Omnibus obtrectas, nulli non conuiciaris,
Non tibi parsisti: te quoque tutè feris.

Nec insulse alius

Iurauit cunctis Rossellus conuiciari,
Et fecit, sua nam carpere dente solet.

Non abibo longius vt id probem, neque aliundè erunt conquirenda argumēta ad hoc monstrandum: ex tua id definitione deducam. Definis actionem deprauatam hoc modo. *Actio deprauata est actio læsa propter aliquod additamentum inhærens principio agendi, quod immutat eius actionis terminum, vel modum agendi.* Differet itaque deprauata actio ab imminuta, te auctore, quia deprauata vel fit alio modo, ac imminuta, vel habet alium terminum; idque ob aliquod additamentum inhærens principio agendi, qua particula causam innuis deprauatæ actionis. At fieri alio modo, aut habere diuersum terminum, est aliter fieri, ac conuenit animalis saluti, vel ratione modi, vel ratione termini. Quare dicere actio deprauata ea est, cuius vel terminus, vel modus agendi est immutatus propter additamentum aliquod hærens principio agendi, idem est ac dicere, actio deprauata est, quæ fit aliter, ac fieri debet pro salute animalis, nam ly aliter, vt infra, & modi diuersitatem significat, & termini. Aptè sanè calumniam animalis caloti compararunt; nam vt hic deficiente alimento, corpus animalis depascitur: sic maledici, vbi alijs detrahere non possunt, suos carpunt, atque adeò vt nec sibi parcant. Cœterum quia Rossello placere, mali argumentum, & quod dixit ille Populo applaudente, numquid erraui? idem ego, hoc annuente, perpendamus definitionem, & rationes aduersus ipsam propositas.

Conuenit, inquit, deprauatæ actionis definitio actioni imminutæ. Quarè mala. Conatur suadere antecedens quatuor medijs: Primum, quia imminuta quoque fit secus, & alio modo, ac salus animalis requirit. Secundo, quia quæcumque actio malè fit, ac vitiosè, secus fit, & aliter ac deberet: sed actio diminuta malè, ac vitiose fit; Quarè aliter fit, ac constare conueniebat. Tertio, quia actionum omnium, mortuumque distinctio, formaliter desumitur à termino, ad quem tendunt, non autem à termino, à quo proficiscuntur; Quarè non benè deprauata actio ab imminuta distinguetur, quia hæc inchoatiuè saltem est secundum vota naturæ, deprauata contra vota eiusdem. Quarto idem sentiendum de actione imminuta, & deprauata, quod de magnitudine adaucta, & imminuta; sed vtrumq; magnitudinis vitium est præternaturam, etsi magnitudo imminuta cœperit egredi iuxta vota naturæ, licet rem ad exitū non perduxerit: & si quis eam voluerit excusare ob hanc causam, ab omnibus irridebitur: quare irridendus eadem ratione, qui actionem imminutam iuxta vota naturæ fieri autumabit. Hanc rationem ab exemplo desumptam tanti fecit Rossellus, vt dixerit, me mutum euasurum, & elinguem.

Sed mi homo, & si vatem te esse profitearis, & diuinatorem, vera tamen nequaquam cecinisti; respondebo enim, & leui manu abstergam, atque vt à postremo hoc argumento exordiar, quod vali-

dissimum

dissimum censes, & Achyllem, do tibi, & lubens libenique concedo, idem esse de imminuta, & deprauata actione iudiciũ, quod de imminuta, & adaucta magnitudine. Quarè vt tum aucta, cùm imminuta magnitudo effectus sunt præter naturam, sic tam actio imminuta, cùm deprauata affectus pari pacto erunt præter naturam, ac proptereà tollendi: & veluti superstes illa quantitas, & si diminuta, secundum naturæ vota est, defectus cõtra est præternaturam, & proptereà tollendus, nam morbus priuatio: sic actionis diminutio, seù defectus ille, præternaturam est: actio, seù positiua illa entitas, secundum naturam, nam ab ipsa intenta. Quod si contendas vlterius, quantitatem illam imminutam morbum esse, non tantum defectum, assentiar Rosselle tibi, si tamen des mihi, vt curare volenti imminutam magnitudinem, si qua vmquã laborare contigerit tibi, quicquid superest, obtruncem & adimam; debet enim medicus quicquid est præter naturam remouere. Quod si id dare nolis, alterũ vel inuitus fatearis necesse est, defectum esse præter naturam, & morbum: quantitatem secundum naturam & augendam. Hæc certe te elinguem, & mutum non reddent, prius lupus ouem ducet vxorem: quin potius insanientium more insurges aduersus medicum, omnibus tamen mente sanis satisfacient: nam quæ ad confutãdum meum placitum de morbi natura adducis lib. 1. quæst. 49. nullam vim habere, & prorsus inania esse, nullus non fatebitur facilè. Scias itaque lector, dum de morbi natura disputarem primo libro, in eam sententiam iuisse, qua docet, puram esse, meramq; sanitatis priuationem, nihil realis includere, nihil positiuum, & tamen formaliter sumatur; vnde cum sanitatem definiant physici naturalem potentiam ad bene operãdum, morbum esse intuli, impotentiam præter naturam ad bene operandum. Ita autem putaui eam ob causam, quia defectus quantitatis, seù continuæ, seù discretæ, & soluta vnitas morbus est, nõ vnitatis solutio, nam hæc est motus, motus autem est passio, & quid longè diuersum à morbo; At verò defectus quantitatis, & vnionis nihil habet positiuum, sed est pura negatio; quarè est morbus priuatio. Quia verò videbam multos statim dicturos, non esse defectum illum morbum, sed dispositionem malam, quæ ex illo defectu resultat: nil posse positiuum resultare ex illa priuatione probaui: nec si quid posset ex hypothesi resultare, erat cur quispiam diceret, morbum formaliter esse prauam dispositionem resultantem, quia si Deus impediret resultantiam illam, certum esset ob solùm defectum, vitiatas iri actiones: vt si imminuatur calor ad coquendum necessarius, esto non inducatur nouus gradus frigiditatis, coctio proculdubio vitiata prodibit. Quarè cum non debeat ars quædam superuacanea ponere, non debet aliquis dicere, morbum esse quid positiuum, cum ad læsionem actionum satis superq; defectus sit, & priuatio.

Hanc examinans, Rossellus quatuor rationibus est conatus conuellere. Prima est, morbus est dispositio, hæc autem res positiua.

Secunda nullus terminus accretionis, decretionis, alterationis, vel loci mutationis est priuatio: sed omnis morbus est terminus accretionis, decretionis, alterationis, vel loci mutationis, siuè id per se, siuè per accidens intelligatur.

Tertia nulla priuatio sanitati opponitur: opponitur contra morbus sanitati.

Quarta nulla priuatio potest efficienter producere aliquid: lædit autem efficienter morbus actiones; quarè morbus non erit priuatio.

Argumento adducto respondet, negando numerum imminutum, prout imminutus est reduplicatiuè morbum esse, sed quãtitatem decurtatam, hoc est rem positiuam, quæ incrementum debitum non attingit, quo debebat cum consortibus ad actiones venire, nam esse morbũ contendit. Hæc verò quis non ridebit Rosselle; enim verò, vt hinc ordiar, si quantitas illa realis, imminuta tamen, est morbus, teneretur medicus, vbi hunc curandum suscipit, vniuersam partem imminutam abscindere, & obtruncare; at verò ea amputata morbus fieret maior: non ergo imminuta illa quantitas est morbus formaliter. Quare neque hæc ratio Tantali hortus est, quod aliquid esse videatur, cum tamen sit nihil, in quo sensu à te dictum, Tantali horti: sed quo[illegible] Tantali bonis, non licet frui, fugientia enim captet [illegible] haud aliter vim rationis propositæ assequi tibi non est datum. Proinde huic soluendæ stude, huc insuda, hæ enim tuæ partes sũt; non manum meæ sententiæ [illegible] porrigere, & docere, qua possent methodo ijdem propositam de morbi natura sententiam suadere: Aut alias excogita rationes, quo nostram demoliaris; nam quas adduxisti lib. 1. dissoluimus. Quæ à nobis, eo loco adducta non fuit, solutione non eget, risu excipi debet: Enimuerò si omnis motus terminus, seù proximus & per se, seù remotus & per accidens, positiuum quid esset & reale, esset mors positiuum quid & reale, quando mors per accidens alterationes, vulnerationes, & alios motus sequitur: in Tyronum tamen gratiam dicimus, omnis terminus per se motus, est quid positiuum & reale; terminus per accidens motus potest esse priuatio, vnde ex recessu luminosi tenebræ. Quamobrem

cum

cum morbus non acquiratur per se motu, vt tumet tui oblitus fateris pag. 274. non erit vel te auctote, morbus quid positiuum, sed priuatio.

Ad primum negamus imminutam actionem aliter fieri ac deberet. Ad probationem, affert detrimentum saluti animalis, respondeo, in imminuta actione duo posse considerari: quod productum est, & quod ad complemētum, & absolutionem superest producendum. Ratione ptimi, præter naturam non est, quemadmodum deprauata, cuius terminus semper noxius est, & inutilis animali. Ratione eius quod est producendum, vt sic imminuta actio dicitur prætet naturam, non enim eius est perfectionis, quam obtinere debebat: secus tamen factam esse nullus debet asserere, quia ly secus & aliter in suo veto significato naturæ diuersitatem significat, vnde cum imminuta actio à perfecta nonnisi gradu differat, vt imperfectum à perfecto, nō natura, sed vt vulgo dicitut per magis & minus: numquam debemus dicere, imminutā actionem esse aliter factam, ac fieri deberet. Quate neque illud negandum, esse hanc secundum naturam, & ab ipsa intendi, dici præter oaturam, & symptoma, ratione eius quod deficit, & nondum est productum, cum tamen produci debuisset; nam qui quinque digitos in manibus optat, adhuc quatuor desiderat: & licet nō hic conquiescat, nam quintum etiam optat, adhuc tamen quatuor illos optat, quod de deprauata haud potest dici.

Quod verò ly aliter, & secus, diuersitatem naturæ significet. Probatur, quia, aduerbium aliter, deducitur ab alius, alia, aliud; nunc verò ly aliud apud Philosophos, differentiam substantialem significat: vnde Porphyrius cap. de differentia docens, qua ratione differt differentia communis, propria, & maximè propria; *quia hæc*, inquit, *facit aliud, illa alterum & diuersum per accidens. Omnis*, inquit, *differentia in vniuersum, diuersum alicui adiuncta facit, sed communiter quidem & propriæ differentiæ, diuersum per accidens faciunt: proprissimæ verò, diuersum per se, quod quidem aliud dicitur*. Nec Porphyrij tantum hæc sententia est, sed omnes eius loci Interpetres idem docent.

Sed obijcies. Plutima generatio bilis, pituitæ, aut melancholiæ, est actio deptauata, nam actionem adauctam sub deptauata pariter contineri cum Galeno, & alijs diximus. At verò per hanc actionem deprauatam non producitur terminus essentialiter diuersus, sed eadem bilis specie, copia tameo maiori, quàm conditio cotpotis exigebat. Quarè mala definitio, quia non conuenit omni definito.

Respondeo bilim plus iusto genitam ab hepate ad calidam intemperiem lapso, bifariam posse considetari, vt bilis est, & vt præter naturam, quia multa: primo modo non est diuersa specie ab alia bili; at si cōsideretur ratione, qua multa, quia vt sic euadit prætet naturam, quod specie differt ab eo, quod secundum naturam, iurè dicere possumus bilim illam exuberantem, differre specie ab alia, quā conditio corporis exposcebat. Non est meum commentum illud, nec nouum in medicina, quod assero, sed communis totum omnium doctrina, qui febrem formaliter esse docent calorem adauctum, nō intemperiem ab adaucto calore productam; vt enim vitent illud absurdum, quod ex hac assertione necessatiò inferebatur, non differre nempè sanitatem à morbo, nisi gradu, & per magis, & minus, nam si immoderatus calor febris est, modetatus sanitas, quis non videt, cum moderatus calot ab aucto nōnisi gradu differat, nonnisi gradu futurum, vt differret à morbo, bona valetudo. Vt inquam, hoc vitent, dicunt communiter omnes, quod etsi exuberans calor nonnisi gradu differat à moderato, si calor spectetur, vt passibilis quædam qualitas: esse eosdem nihilominus diuersos specie, si moderatus cōsideretur, quatenus est secundum naturam, immoderatus contra, præter naturam.

Quod si licet hac via Aduersarijs vim ptopositæ rationis eludere, iniquè facient iidem, ni nobis permittere velint, vt ijsdem armis rationem propositam expugnemus.

Insistes. Adhuc terminus imminutæ actionis ptæter naturam est; ergo specie diuersus à naturali. Ergo imminuta actio adhuc aliter fiet. Quarè erit mala definitio, quia cōuenit alteri à definito.

Respondeo negando antecedens, nam terminus actionis imminutæ, cum sit medium ad consequendum terminum perfectum, est à natura intentus, nam quicumque finem aliquem optat consequi, optat idem media consequendo illi fini necessaria. Quare cum actio imminuta sit via ad completam, erit illa semper, & eiusdem terminus secundum vota naturæ. Vbi dicitur est actio illa præter natutam.

Respondeo esse prætet naturam, non ratione entitatis productæ, sed ratione defectus, vt supra, & nunc volui tepetere, quando Galeni consilio, quæ ad vsum artis faciunt, ea sunt multoties tepetenda.

Ex his potest pariter intelligi, quomodo immoderata sitis, famesuè excedens, etsi nonnisi gradu à natutali tùm fame cùm siti differre videantur, est tamen tùm sitis immodica, cùm fames canina, actio deprauata. Nempè & hæ adauctæ actiones à moderatis, & naturalibus specie dici possunt diuersę, quatenus

mo-

moderatæ sunt iuxta vota naturæ: adauctæ & immodicæ contra vota eiusdem.

Ex hoc patet ad secundum. Patet .n. maiorē illam, quæcumque actio malè fit, & vitiosè, fit aliter & secus quam conueniat naturæ animalis, falsam esse, & nullo modo admittendam; nam imminuta actio, vitiosa quidem est, & præter naturā, non tamen fit aliter, quia non producit alium terminum, hoc est essentialiter varium, & diuersum ab eo, qui debebat produci: sed non fit eo gradu, & perfectione, qua debebat; enimuerò quemadmodū Romam profecturus, si ea via incedat, quæ Romam ducit, & si itinere in medio consistat, hunc deuium esse, à via recta aberrare, & secus incedere, ac debebat, non dicimus: dicimus hoc de eo, qui à recta via aberrat: haud aliter actio diminuta, non dicitur secus fieri, & aliter, sed diminutè & imperfectè. Quare sic debet maior illa formari. Quæcumque actio malè fit & vitiosè, nō fit modo quo conuenit pro salute animalis conseruanda, & tuenda: modus autem hic potest esse alter, & accidentalem inducens differentiam à bono & naturali, & est actio imminuta: potest quoque esse diuersus essentialiter, hoc est inducens terminum natura diuersum, & hæc actio secus dicetur fieri, & aliter, & propriè deprauata vocabitur.

Locus Galeni, quo Rossellus vtitur ad confirmandam maiorem sui argumenti, frustra adducitur; non enim, inquit Galenus, actio quæ fit secus, ac conuenit, duplex est, imminuta & deprauata, sed vt ipsemet citat, *malè*, ait; *bifariam dicitur, vel idem quod debiliter*; *vel idem quod deprauatè*, cum tamen hoc esset illi probandum; nam quod imminuta actio mala sit, & præter naturam, non ratione entitatis productæ, hac enim ratione à natura est intenta; sed propter defectum, hoc numquam negauimus. Negauimus autem? Imò apertè declarauimus lib. 1. antept. cap. penult. Quod controuertimus est, nùm actio hæc præter naturam, secus & aliter fiat, ac debebat fieri, an altero modo, sed non alio: qua de re, quia multa, progredior ad tertium, & vltimum, quando de quatro diximus primo loco: ac primum aduertere liceat, motus nedum distingui ob varios terminos ad quos, sed ex vario modo attingendi terminum. Sic lapidis, centrum versus proiectio, si celerius fiat, quam lapidis naturæ conueniat, est motus ille, D. Thom. auctore, violentus; non quod terminus motu cōparatus, lapidis naturæ repugnet; gaudent enim centro grauia; & propterea proprio impetu versus ipsum mouētur; sed quoniam celerius, quam suæ naturæ conuenit, centrum petit: motus ille, qui si terminum spectes, est prorsus naturalis, ratione modi, præter naturam euadit: sic insuper potest fieri, vt, ad eumdem terminum, vnum animal moueatur reptando, gradiendo aliud, aliud tandem volatu: alterum per lineam rectam, vt per chordam, circularem alterum. Quamobrem cum hi motus, sint inter se diuersi, neque ijdem differant ob terminos varios, fateri oportet, nedum ob varios terminos ad quos, motus distingui, sed & ob varios modos attingendi terminū. Nec tu aliter sentis, nam infra definiens actionem deprauatam, ponis illam immutatam esse, & à naturali diuersam, vel propter terminum varium, vel propter diuersum agendi modum. Quod si potest vna actio ab alia distingui ratione modi, nedum propter terminum diuersum, cum idem constituat, quod distinguit, poterit optimè actio deprauata per modum definiri, quando per eūdem ab alio commodè distinguitur.

Adde secundo, quod definitio innuit apertè, has actiones terminos distinctos habere; cum enim dicatur alteram fieri secundum vota naturæ, alteram contra vota eiusdem, & secus ac conuenit naturæ animalis, nullus est, qui non inde facilè intelligat, actionis deprauatæ terminum esse omninò illaudatum, & cōtra naturam; terminum verò actionis imminutæ, esse quidem secundum vota naturæ, non tamen omnino explere appetitum eiusdem, quę semper ad id, quod in re quaque est optimum contendit. Nolim tamen propterea putet quispiam, me actionem imminutam sic laudare, vt nihil vitiosum, & reprehendendum in ipsa agnoscam; præter naturam esse dico, & symptoma: parte tamen, qua deficit, non ratione eius, quod est productū, & factum, vt in solutione primi argumenti dixi cap. penult. lib. 1. & lib. 3. cap. 2.

Ex his vide, lector candide, vera scripsisse Rossellum, confitendam esse propositam definitionem deprauatæ actionis, non quia falsa, nullius enim est erroris conuicta, sed quoniam ego auctor ipsius, & alij multi, quibus cum illi non admodum conuenit, eamdem sunt sequuti, & amplexi. Videre potes secundo margaritas illas doctis tantum propositas (erat autem propositio, vel limen physices attingentibus nota, motus distinguuntur per terminos ad quos) non degustasse Rossellum, nam paulò post distinxit actionem deprauatam à laudata, non tantum ex termino, sed ob varium modum attingendi terminum.

Patet tertio Rossellum nedum furti crimine damnandum esse, sed & homicidæ, quandoquidem non solùm furatur, sed viatorem furem vocat, neuè conqueri possit, accusat, & multis plagis confodit.

Roßelli sententia de natura symptomatis in excretis affertur, reijcitur, vera proponitur, & ventosi eius proemij multa confutantur.

Cap. III.

DEcreueram hic gradum sistere, neq; vltra progredi, nam in eo tantùm capite aperto est Marte in me inuectus Rossellus: Cætera aut attingere noluit, aut non vidit, aut ego non vidi. Quare cum me, meaq; tueri esset animus, idque absoluissem, defunctus videbar: quando eccè oculatus nescio quis, aurem mihi percellit, & ait. Siccinè immemor es, nec recordaris quæ spopondisti? Redime ergo verba tua, alioquin promittentis temeritatem accusabo. Ne ergo summo iure, & ex singrapha mecum agant, soluam debitum. Monstrabo itaque de eorum grege Rossellum esse, qui exultãt cum peccauerint, & cum malè fecerint, gloriantur; Cum enim in declaranda natura symptomaris in excretis miserè admodum sit hallucinatus, & prorsus cæcutiuerit, plausum tamen postulat, triumphum canit, & quod omnem superat vaniloquentiam, vult tanquam exemplar posteris ad imitandum proponi. Ordiar à capitis fronte.

Solita, air. lenitate, &c. A mendacio ordiris: vbi enim lenis? imo vbi non turbidus, non lutulentus fluis? quando non asper, non acer, non æque aduersus omnes contumeliosus, & non dicam amarulentus, sed bili ipsa amarior?

Et facilitate nostra de morbi, & symptomatum, quæ propriè dicuntur tertio genere hucusq; non pauca diximus, &c. Quid tum? an modo difficultatem affectare vis, obscuritatem, tenebras? aut fallor, aut huc adspiras; nam ab Euandri matre mutuasti eas voces, minurizando, & vibrissata. At audi quæ Phauorinus Philosophus adolescenti cuidam antiquorum verborum cupidissimo, & pleraq; voces nimis priscas in quotidianis sermonibus exprimenti obiecit. *Curtius, & Fabritius, & Coruncanius antiquissimi nostri, & his antiquiores Horatij illi Tergemini, planè, & dilucidè cum suis fabulati sunt, neq; Auruncanorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis loquuti sunt. Tu autem, perinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone multis iam annis desito vteris, quod scire atque intelligere neminem vis, quæ dicas. Nonnè homo ineptè, vt quod vis, abundè consequereris, taceres? Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. Viue ergo moribus præteritis, loquere verbis præsentibus, atque id quod*

Refert Aulus Gell. lib. 1. noct. Attic. c. 10

à C. Cæsare excellentis ingenij, ac prudentiæ viro in primo de analogia libro dictum est, habe semper in memoria, ac pectore, vt tanquam scopulum, sic fugias inauditum, atque insolens verbum. Eleganter lyricus.

Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentq;

An dissimile ventosum illud proemiũ quæst. 23. 3. lib.? minimè verò, & vellem licet, non possem citra notam ignorantiæ laudare; diuinandum enim est, quid est quod velis, vsque adeo cuncta sunt obscura, & confusa: hic deficis, ibi abundas, aberras vbique. *Tempus, ais, in gerendis rebus, quasi ducem sequi, prudentia est: quoniam alia dies, alios mores postulat.* Hoc vel cæco notum, nam vulgo est iactatum prouerbium, *oportet seruire tempori.* Sed

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Audi. *De quæstionibus, ait, logicis, omnibus curis laxatus noster Galenus, &c.* hic deficit, nam desideratur ni fallor, quandoq; tractauit. *tempori cedens,* hoc est occupatus, *in sola morborum curatione adhibenda, omne suum studium collocauit.* Quid tum? *contempta inter alia in hoc libro definitione actionis deprauatæ, &c.* Et hic quoque es mancus, scribendum enim erat: vnde quia occupatus scripsit de morbo, & symptomate, idcircò definiendam actionem deprauatam nullo modo curauit; nam quæstio est logica, & curationi rectè faciendæ, nulli vsui, ita enim puto legendum, non nullo.

Prosequeris: *Sed ecce contemptus, & abiectus homo, cuius eò prorupit audacia, vt aduersus magistrum, & summum doctorem, quod definitionem actionis deprauatæ prætericrit, aciem struere ausus sit.*

Hui? Argenterium miserum. ò me infelicem: Quod nos mare purgabit? Non definiuit Gal. deprauatam actionẽ; hac parte defecisse Galenum Argenterius dixit: ego idem censui, nec tu omissum negas: Ergo contemptus, abiectus, audax? O impudentem; Ergo id affirmando aciem aduersus Magistrum, & summum Doctorem struxi? O cucurbitam. Vide quam turpiter erres vbique: hæc qui scribit, aciem instruit? Erubescite ergo Duces, qui in instruenda acie tantum laboratis; verbulo ego id facio, & si nescitis, hæc scribens. Actio deprauata quid sit, non parua difficultas, iure vt propterea reprehẽdat Galenum Argenterius, quod cum multos libros scripsisset de symptomatis, numquam tamen in vniuersum definierit, quid sit illa. Hæc verba, quas videtis turbas excitarunt.

l. 3. Ante-prax. c. 4.

Cum tamen eam, quam vt gloriam sitiebat definitionem, vel leuiter attingere nescierit nescius, &c. Das sine mente sonum, & quid

quid dicas, præter Sibyllam, intelliget nemo, id tamen credo te dicere voluisse, cum tamen eam gloriam, quam sitiebat, nequaquam sit consequutus, nam definitionem ne attigit quidem.

Ne igitur ita nobis contingat, & de plebæia fæce haustus quispiam, negligentia hos nostros commentarios arguat, ideo ad temporis rationem, consilia nostra moderemur, ac dicamus quid sit actio deprauata. Mi homo, tu alios negligentia arguis, te alij negligentiæ arguent.

Sed redeamus eo, vnde fluxit oratio, & postquam submissa voce, & humili est loquutus, audiamus quanam velit in posterum vti. *Nunc verò contenta, & vibrissata vaticinari expedit.* Ita ne? Atqui stultus ego te medicum credebam, & Galeni interpretem, nunc vatem esse inuenio, & diuinatorem. An potius ly vaticinari delirare significat; nam in hoc sensu quãdoque eo visus est Cicero? Ita st per Iouem, nam Ciceronianus es tu: vis itaq; dicere, *Solita leuitate & facilitate, de morbi & symptomatum, quæ propriè dicuntur tertio genere hucusque non pauca diximus, minurizando quidem, & humili submissaq; voce: nunc verò contenta & vibrissata hariolari expedit.* Audite ergo Cœli, auribus percipe terra.

Rossellus Medicus, magnam cui mentem, animumq;
Delius inspirat vates, arcana recludit.
Conticuere omnes, intentiq; ora tenent iam.

Eia ergo fare. *Non est ab aliquo ante nos scripta hæc doctrina.* cedo, nam arcana: *Sed nobis vltro debita*, & hoc quoque, debetur enim cuiq; quod suum est: *quam inter alia multa ex nostro Marte*, ly ex abundat, *arripuimus, hausimus, expressimus.* Si tua: quomodo eandem arripuisti? est enim arripio idem quod rapio, & per vim capio. Si rapta: non itaque tua. Quare [illegible] debebitur.

Nollem tamen ob id inanis cuiusdam gloriolæ, quam satis est auidior iudicari. Laudarem, si nolles te vera; nam ligna quæ plurimum fumi exhibent, minimum lucis, calorisq; concipiunt, & quam paucissima possunt, qui plurima iactant. Sed quis nolle te credet, qui vbiq; tuba canis, & tibi plaudis? Verè Seneca. *Qui virtutem suam publicare vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.*

At vtilitas, consiliorumq; meorum scopus est, tamquam exemplar ad imitandum proponi, vbi rei expediendæ difficillima est ratio, atque inter sacrum, vt dicunt, & saxum constitutus quis fuerit. Quid ergo an propterea vociferandum? Vino vendibili suspensa hedera nihil est opus. Imo obest: nam vt benè Lyricus.

Horat. in Arte Poetic. *Multa fidem promissa leuant, vbi plenius æquo*
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Inanis itaque gloriolæ sitis hæc extorsit. Et quis te alium credet, qui inde gloriam captas, vnde mœreris infamiam? Sed ne iniquo hæc animo dicta censeat quispiam, audi lector, & iudica.

Quærit citato loco Rossellus, quod multò antea verterat in dubium Ioubertus annot. vlt. in lib. Gal. de diff sympt. cur symptoma in excretis, & retentis nõ reposuit Gal. sub lœsa actione expultrice, aut contentrice quando retenta præter naturam, aut expultrice sunt debilitata, & abolita, aut contentrice adaucta; excreta præter naturam auctæ expultricis vitio, & errore; & id factum à Galen. censet, quia aliud est excrementa intus de parte ad partem mitti, aliud foras proijci; ille enim motus ad lœsas actiones pertinet, foras reiectari ad symptoma in excretis quamobrem, cum illud excerni sit symptoma in excretis; moueri de parte ad partem, actio facultatis, & hæc sint distincta: iure hoc symptoma ab eo, quod in lœsa est actione separauit Galenus. Apponam verba propria, ne quid me imposuisse criminetur.

Principio, inquit, *loquamur de excretis, in quibus quatuor sunt ponderanda. Primò substantia. Secundò vitium, immoderatio, & quod præter naturam sint, quæ vt diximus, in idem cadunt & symptoma generaliter dictum constituunt. Tertiò quod morbum sequantur necessariò. Quartò quod excernantur: distat enim plurimùm illud excerni, & exire à reliquis tribus. Excrementa quoad substantiam, symptomata non sunt: quà vitio affecta, immoderata, & præter naturam symptomata sunt, generaliter accepto symptomatis nomine: vt necessario sequuntur morbum. symptomata sunt propriè dicta: at vero quatenus foras excernuntur, & proferuntur, constituunt hoc tertium symptomatum genus. Exemplo sit sanguis à vulnere profluens, quem si sumamus, quà sanguis: symptoma non est: si vt præter naturam vitiosè, ac immodicè excretum, symptoma est, generatim sumpto symptomate: vt speciatim accepto, si quatenus necessariò sequitur morbum: at verò, vt mouetur, fluit, exit, excernitur, in tertio genere symptoma est, ita vt illud, excerni sanguinem, definiat, & constituat tertium symptomatum genus. Vt enim cum foras exit quotidiè, qui ab vrbe neque pedem egrediebatur, vel cum semper domi manet, qui sæpè alias ibat deambulatum, dicimus illud exire, vel consistere, & commorari præter assuetudinem illius hominis, prodigium & certissimum portentum esse: Quid mirum, quòd nos exire illud sanguinis contemplemur separatim, ac præter cætera tria, exire illud, tertium genus symptomatis constituere arbitremur? Sed dicet aliquis, excerni, exireq; sanguinem, facultatis expultricis est opus: quoniam excretio illius facultatis est actio, vnde in secundum genus symptomatum relabimur, tertium ex vsu non est. Respondeo verum esse facultatem de-*

parte in partem abijcere recrementa, & tandem foras proijcere: verùm in excretis dum excernuntur, non tantum sunt nobis curæ expultricis facultatis motus, qui agitantur intus, scimus enim ad actiones pertinere: sed vehementer soliciti sumus de illo motu, qui in substantiam excrementorum suscipitur, siue ab aliquo agente intrinseco fuerit excitatus, vt sanguinis vomitus: siuè à propria natura excreti, vt lumbricorum, siuè à remouente prohibens, vt in vena sectione, vel extractione lapidis. Quem excrementorum motum impulsumuè, ab actionibus facultatum plurimùm differre, præclarè constat, quoniam hoc loco rem formaliter, vt dicunt, mente contemplamur, quoniam motus, vt profluit ab agente, dicitur actio: pathos verò, vel passio, cùm in passum recipitur, quemadmodum noster Galenus obseruauit præterito capite. & 2. meth. Hoc igitur pathema, idest passio eorum, quæ excernuntur, hoc inquam, pati, & exire, ipsum tertij generis symptoma est.

Nunc dicamus de retentis, & intra corpus præter naturam quietis: nam quies motus priuatio est: per motum cognoscitur, atque ad eundem reducitur. Quò fit, vt in retentis similiter quatuor considerentur. Primò substantia: secundò vitium, immoderatio, præter naturam: tertiò, quod necessariò sequatur morbum: quartò quod intus retineatur. Substantia symptoma non est: quæ vitiosa, immodica, præter naturam, communiter symptoma: quæ verò necessario sequitur morbum, propriè symptoma: sed quatenus retinetur, quod excerni debebat, illud, inquam, pathos, & præter naturam retineri, ob validam retentricem, & languidam expultricem, tertij generis symptoma est, vt lapidis substantia symptoma non est, sed vt præter naturam symptoma generaliter, vt morbum aliquem necessario sequitur, propriè symptoma: quatenus verò præter naturam retinetur, symptoma in tertio genere.

Quid dicam lector, quid non dicam? Putabam multa, eaque recondita docturum esse Rossellum; quem? enim spe multa nō repleret ventosum illud proœmium.

Horat. in Arte Poet. *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

At quis rei euentu perspecto non despondeat animum? quis se deceptum non conqueratur, & dicat

Idē ibid. *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

Enimuerò tota ratio, cur distincta hæc symptomata censeat Rossellus, illa est, quia aliud est moueri de parte ad partē, aliud foras proijci. At verò nulla est hic distinctio, etsi detur fingendi licentia; distinguuntur enim motus, vel quia termini ad quos terminantur, sunt diuersi, aut quia mouens, varium, aut quoniam diuerso modo, mouentur, aut demum quia mobile non est idem, vt omnes causas, quæ aliquam faciunt distinctionem in motibus comprehendam. Nunc verò motus, quo seù sanguis, seù excrementa mouentur extra corpus, in eodem semper mobili recipitur: ab eodem semper fit mouente, vt enim in corpore per impulsum hinc inde mouetur, sic per impulsum extra corpus proijcitur: quare erit perpetuò motus ille respectu rei quę pellitur, passio, respectu facultatis pellentis actio, non in corpore actio, extra passio. Terminus non est varius, terminatur enim extra corpus; nulla itaque distinctio. Cur ergo motus ille in corpore, læsa actio fuerit expultrix, si fiat extra corpus, erit aliud & genere diuersum? Quia dices, vt quis domi deambulans, domi esse dicitur; at vbi foras prodit, eumdem exire, & pedem domo efferre affirmamus; eodem modo vbi excrementa in corpore mouentur, moueri dicemus, & ad læsam expultricem vitia illa spectare: vbi eadem foras excernuntur, ad symptoma in excretis pertinere.

Non negauerim vmquam lector, vbi quis domi moueatur, domi esse, tum exire, cum domo pedem effert; sed quæstio nostra de denominationibus extrinsecis non est, de re agitatur. Proinde dicat mihi, motus ille continuus, quo quis domo extra fertur, est ne diuersus, & multiplex, an vnus? non est certè multiplex, alioquin tot motus diuersos obiret, quot domos eodem in palatio, & eadem in linea contentas egreditur. At hoc falsum; Quare vnus. Nec si quiete aliqua intercipiatur, erit propterea motus diuersus speciei, nam neque termini illi, & diuersa illa vbi, specie modo aliquo differunt. Quare aut vnus motus est, quo humor ex vna parte ad aliam effunditur, donec è cōnnio corporis expellatur, aut si multiplex, quod aliqua sit quiete intercepirus, non erit ille certè diuersus specie. Quare adhuc declarāduni superest, quid coegit Gal. vt symptoma hoc, genere ab alijs diuersum esse autumaret, quod nos paucis, & facile Deo adiuuante faciemus.

Sciendum itaq; symptoma in excretis, excretionem esse, & in hac consistere ipsius naturam, seù excernatur humor extra corpus, seù de parte mittatur ad partem; nam catharrum definiunt medicorum multi esse symptoma in excretis, cum tamen raro humor extra corpus fluat: in excretione inquam consistit, nō in excretis, aut excernendis; illud enim præterijt: futurum nondum emersit in lucem, neutrum itaque est, Quare neq; symptoma esse potest. Erit proinde excretio symptoma in excretis. Vt verò intelligas, qua ratione differt ab actione læsa expultrice.

Scias secundo excretionem quamcumque ab expultrice continuò pendere; nam hanc ob causam vocatur expulsio: vnde cum pellat facultas, quia molestatur, vel à copia obiecti, vel à praua eius-

dem

dem qualitate, expellet semper ad vitandam molestiam. Insuper cum possit molestari facultas, aut quia obiectum est multum, aut quoniam facultas contentrix continere non valet, continget excerni humorem, occasionaliter tamen, quandoque vitio, & culpa contentricis virtutis, quæ non retinendo in causa est, cur excrementa sint oneri: fit idem aliàs culpa obiecti, vel copia distendentis, premntis, aut alia mala qualitate irritantis.

Eodem pacto contingit retineri quãdoq; quæ cohineri nullatenus deberent, aut quia expultrix languet, aut quia est extincta, aut quia contentrix est aucta, aut viæ impeditæ, aut demum fit idem culpa obiecti crassi viscidi, aut ita tenuis, vt subterfugiat impetum. Quo enim motus fiat, requiritur mouens, mobile, & ne viæ sint impeditæ, sed patulæ & apertæ: Debet mouens esse robustum, obedire mobile, non reluctari: reluctatur autem, vel ob crassitiem, aut magnitudinem, aut tenuitatem: debent viæ non esse adstrictæ, aut obstructæ, sed expeditæ, & laxæ.

Vbi ergo aliquid expellitur, quia retentrix non retinendo, in causa est, vt obiectum sit oneri, tunc illa expulsio, & excretio, læsa actio fuerit contentricis primum facultatis, mox expultricis. At vbi fit idem culpa obiecti, aut copia lædentis, aut praua qualitate irritantis, tũc læsa actio non est, sed symptoma in excretis dici debet; si quæ enim læsa actio facultatis esset, expultricis esset; at verò tantum abest, vt propterea peccet ea in re facultas expultrix, vt expleat optimè suas partes; ad ipsam enim spectat molestantia quæque è confinio corporis expellere. Quarè nulla est ibi facultatis læsio. Remanet itaque vt sit symptoma in excretis.

Eodem modo vbi excernenda cohibentur, quia expultrix languet, aut omnino est extincta, symptoma est in læsa expultrice imminuta, aut abolita. Vbi idem accidit contentrice adaucta, est symptoma læsæ actionis auctæ, seù deprauatæ facultatis retentricis. At vbi hæc retentio præter naturam inducitur culpa obiecti excernendi, tunc debet vocari symptoma in genere retentorum, hoc est symptoma factum ob retenta excrementa, quemadmodum symptoma in excretis vocant medici hunc affectum, vt innuerent fieri illud ob ea quæ sunt in ijs, quæ excerni debent. Ex his patet, cur Galen. & medici quique huiusmodi symptoma nunc ad læsam expultricem reducant, nunc distinguant, & symptoma in excretis, & retentis præter naturam appellent, quod tu, & si magnus Galenista nequaquam declarasti. Nempè non distinguunt, quia ad vtrumque genus potest pertinere, actionem nempe læsam expultricem, contentricem, & excreta retentaue, prout causæ ipsius variæ esse possunt, & diuersæ.

At dices, quamcumque ex causa id accidat, non habet propterea diuersam naturam; Cur ergo genere diuersa symptomata dicemus? Secundò si expulsiò semper fit ad vitandam molestiam, numquam esset aliqua excretio nobis nocua, nam perpetuò molesta tantum extruduntur; at pereunt multi ob immodicè excreta.

Respondeo ad primum, excretiones illas, diuersa à causa factas, si physicè loquamur, non esse diuersas; differre tamen medicè loquendo; eos enim affectus distinguunt medici, qui diuersam curationem exposcunt. Ergo quia excretio facta ab obiecto, copia, aut praua qualitate molesto, longè diuersam exigit curationem, ab eo quod fit obiecto grauante, quia contentrix continere non potest; hic enim adstringentia, & contentricem facultatem roborantia conueniunt, ibi aut vacuantia, quæ multitudinem imminuant, aut alterantia, quæ qualitatem emendent; propterea distincta hæc esse symptomata medici autumarunt, & si physicè sint eadem.

Ad secundum dicimus excretionem hanc, haud lædere, quia molesta extra corpus pelluntur; hanc enim ob causam iuuat, sed quoniam cum prauo humore vtilis vna simul excernitur, spiritusque effunduntur. Nempe & si vacuet molesta natura, & quam maximè nocua, laborat nihilominus in eorum expulsione, viresq; fatiscunt; vnde iussit, hæc intuitus Hippocr. vt suppuratos, aut hydropicos non vacuemus confestim, vacuati enim citò pereunt, non quia pus, aut aqua vacuatur, sed ob spiritus, qui in his vacuandis dissipantur. 6. Aph. 27

Sed desino iam, nam pensum absolui; neque enim iacula intorquere proposui, sed cauere: me meaq; excusare, non te tuaq; accusare. Qui possem? expurgarem citius Augiæ sterquilinium, & mare totum cotyla absorberem. Quid vt vellem, impelleret? abnuit genius, repugnat natura, consuetudo reclamat: & vis scire, quantum à litigio abhorream? Quantum tu lites amas, & iurgia. An aliter facere ratio suadet? nihil verò minus; nam cicadam, si ala prehendas, magis perstrepit. Comicus quoque scripsit.

Bacchæ bacchanti, si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies: feriet sæpius.

Sales quosdam admiscui, fateor; faciendum fuit, nè si insulse scriberem, qualem me esse prædicas insipidum, talem alij crederent. A morsu abstinui.

Quod si quis est, qui dictum inclementius Terent. in
Existimauit esse, sic existimet Prolog. Eu
Responsum, nõ dictum esse, quia læsit prior. nuch.

Agè enim errauerim alicubi, extra viam

iuerim:

iuerim? an eram continuò verberandus? Non moneres? Etenim vt alia multa, ita & illud rectè à Seneca scriptum est, *errorem in homine calumniari, est toti ipsi mortalitati conuicium facere*. Esto tandem id corrigendum censeres, quod factum gaudeo, & quibuscunque fecerint modestè, habebo gratiam. An ego conuicijs proscindendus? Eia quæso, resipisce.

An tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper erit.

Imitare modestiam Hispanorum eorum, Vallesij, vtriusque Vegæ, Mercati, Garsiæ, & Sanctæ Crucis; neque enim calumnijs, sed doctrina gloria comparatur: hac satisfit argumentis, non malè dictis. Quod si eidem placeat instituto insistere, & nihil est dices, quod possis obijcere in posterum; caue nè erres, amicè moneo, mea impugna: me desine lacessere.

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur, Terent.
Quæ proferentur post, si perges lædere. ibidem.

Vale.

F I N I S.



IO. FRANCISCI
ROSSELLI
CENSVRA
AD CENSVRAM VOCATA.

In qua definitio actionis deprauata, ab Auctore primum tradita aduersus ipsum defenditur. Natura symptomatis in excretis retentisque explicatur: & multa eiusdem dicta castigantur.

AVCTOR

ANTONIVS SANTORELLVS
Comes Palatinus, & in Regno Neapolis Regius, & Generalis Protomedicus.



NEAPOLI,
Ex Typographia Camilli Caualli. M. DC. LI.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD LECTOREM.



ABES rescriptum meum Lector, hoc est quæ visa respondere Ioanni Francisco Rossello Catalano: Cogitaueram alia, & quidem longè diuersa: extorsit has tamen necessitas, cui omnes obediunt, & colla vel inuiti submittunt, aut certè non impunè refragantur. Pauca dices, & mole usque adeò exigua, vt verendum sit.

6. Aeneid. Ne turbata volent, rapidis ludibria ventis.

Haud abnuo. Quid facerem? Adderem alia? Impediebat propositi ratio. Facerem idem pluribus? Res reclamat, & genius meus: hic quidem, nam vt multi laborant pauca multis dicere, vt eloquentes esse videantur: Sic ego, quæ ad rem faciunt, verbis curo complecti quam paucissimis: & si possem, mallem quid sentirem ostendere, quam loqui. Respuit Pindarus. *& res ipsa, nam vt ille,* iustam ad causam tria verba sufficiunt. *Quid quod neque breue; enimuerò quemadmodum*

Martial. lib. 2. Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Sic neque breue dici iurè potest, cui nihil est quod aptè possis addere. Sit tamen. An propterea contemnes, & neglectui habebis? Numquam te, tam iniustum credam; vt enim quadam mole placent, & magnitudine sua, sic alia, sunt sua breuitate gratiora: quod voueo, & si gustum tuum noui, (nam sanos appello) voti me damnatum, & video, & gratulor. Vale.